DISCORDIÆ FORENSES DE BENEFICIIS *ATQUE* PENSIONIBUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

DISCORDIÆ FORENSES DE BENEFICIIS ATQUE PENSIONIBUS

AUCTORE

JOANNE CLERICATO
PRÆPOSITO PATAVINO J. U. D.

QUAS

Olim, vel tanquàm Advocatus in sensu veritatis consulendo explanavit: vel tanquàm Auditor Eminentissimi, ac Reverendissimi S. M. GREGORII CARDINALIS BARBADICI Episcopi Patavini (ad limites Justitiæ) vel propugnavit, vel profligavit: aut demùm tanquam Vicarius Generalis ejusdem Eminentiæ, ad normam Sacrorum Canonum magis celebrium, ac modernorum Jurisconsultorum, Decretorum Sacrarum Congregationum, & præcipuè Sacræ Rotæ Romanæ punctualium (ut plurimùm) Decisionum, judicando finivit.

OPUS

Patronis causarum, Advocatis, Judicibus Utriusque Fori, ac Parochis ipsis, cæterisque studiosis utilimum; & propter varietatem casuum recentium, non fictorum, sed factorum, satis jucundum.

PARS PRIMA

Duplici Indice, Uno Argumentorum; altero Rerum notabilium adornata.





VENETIIS, MDCCVIII.
APUD ANDREAM POLETI.
SUPERIORUM PERMISSU, ET PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTISSIMO DOMINO DOMINO

CLEMENTI XI.

Pontifici Optimo Maximo

Joannes Clericatus Præpositus Patavinus, Ecclesiæ tranquillitatem, ac perpetuam Felicitatem.

EX pluribus, BEATISSIME PATER, humilitas mea adacta est, has Discordias Forenses *De Beneficiis*, & *Pensionibus*, aliâs à me vel privato consilio sedatas, vel judiciali sen-

Digitized by Google

tentiâ extinctas, ad excelsum Thronum SANCTITATIS VESTRÆ deferre, & IPSI obsequiosè dedicare. Primum est eximia benignitas, quâ alios labores meos, ac Decisiones, ex studio hujus Cleri Patavini, (tempore, quo eidem præficiebar) collectas, excipere, & laudare dignata est; juxtâ singularem animi sui eruditissimi generositatem, cujus proprium est, æquâ lance, Aonias artes benè nosce, sacris litteris præfulgere, ac studio vacantibus se humanissimum demonstrare. Alterum fuit proprietas materiæ, circa quam hæ Discordiæ versantur, Beneficiorum scilicèt, ac Pensionum; cum harum, & illorum Summus Pontifex (ut omnes Theologi, ac Canonistæ testantur) sit absolutus Administrator, & ab EO inferioribus Prælatis delegetur facultas, tùm per Indulta, tùm per Rescripta, has, & illa conferendi. Tertium prodiit ex spe facilioris methodi jurgia sedandi, quam ex his sedatis, & extinctis Discordiis tùm Parochi, tùm alii Beneficiorum, ac Pensionum possessores depromere possunt, dum ad earum lectionem eô promptiùs se applicabunt, quô magis splendidè, Venerabili SANCTI-

TA-

Digitized by Google

TATIS VESTRÆ, gloriosoque Nomine, eas condecoratas conspicient. Quartum, aliis non inferius, fuit, non injucundum fore Clementiæ VESTRÆ BEATITUDINIS, Eidem ostendisse non solùm tenuitatis meæ studium circa hujus Cleri Ecclesiasticam disciplinam, in aliis meis Decisionibus exaratam; sed etiam attentionem in Jurisdictione defendenda tùm Episcopatus hujus, tùm istius Apostolicæ Datariæ, in pluribus harum Discordiarum casibus, quos indicant earum argumenta. Siquidem circa hoc, absque modestiæ offensione, de me asseverandum venit id, quod de Fabricatoribus Templi, tempore Nehemiæ, legitur 2. *Esdr.* 4. 17. scilicet: *Ædificantium in muro, & portantium onera, ac imponentium, una manu sua faciebat opus, & altera tenebat gladium*, videlicet, ut Samaritas incursantes repellerent; conveniebat enim & mihi, sub prædefunctis, felicis memoriæ, Patavinis Episcopis GEORGIO CORNELIO, atque GREGORIO CARDINALI BARBADICO, Heris meis amatissimis, disciplinæ totius Diæcesis, & spirituali animarum profectui incessanter incumbere; necnon frequen-

quenter contra uſurpare tentantes Jura Beneficialia vel ad Datariam Apoſtolicam, vel ad præfatos Antiſtites ſpectantia, calamo, tanquam gladio, pro Veritate, & Juſtitia ſcribendo certare, & certando ſcribere. Laborioſum quidem opus: ſed non ex eo tantùm, quod contra exteros, eadem jura indebitè affectantes, pugnandum fuerat; ſed quia non raro reſiſtendum erat eorundem Præſulum aliis Miniſtris, qui Aſſentatores potiùs, quàm recti Conſultores, Heris ſuadere conabantur, ad eos pertinere collationem Beneficiorum, quæ ipſorum poteſtas, ſeu Indultum non capiebat; vel quæ conſtabat eſſe de Menſa Capitulorum, aut Monaſteriorum; cumque fortiſſima argumenta mea ſolvere non valerent, blaterabant, non in obſequium Veritatis, & Juſtitiæ, ſed in gratiam Adverſariorum me ſcripſiſſe: undè ad hanc retundendam calumniam coactus fui Apologema facere, de quo in *Diſcord.* 48. *num.* 69. cujus cauſa eorundem in me excreverant convicia. At, Deo adjuvante, illa patienter ſuſtuli, recordatus, eſſe ſcriptum: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam. Matt.* 5. 10. Et contentus, quod probi, & ſimul doctiſſimi

ſimi

Digitized by Google

ſimi Viri allegationem meam juridicam approbarint, ac mihi compaſſi ſint, prout ex hac ſincera narratione SANCTITATEM VESTRAM mihi pariter humaniſſimè compaſſuram confido; non ignaram, quod tùm *Vulnera*, *tùm gemitus*, & *acuti in corde dolores* experiuntur, dum id, quod Religionis, Veritatis, ac Juſtitiæ intuitu actum eſt, in fines minùs rectos ab æmulis retorquetur. Hæc, etſi pulvis, & cinis, locutus ſum ad DOMINUM MEUM, & Sanctiſſimum PONTIFICEM; Quem DEUS OPTIMUS MAXIMUS ſoſpitem ſervet, ac tranquillitate Eccleſiæ ſoletur: prout humillimè, ac ore in terram demiſſo, in orationibus meis enixè deprecor: & Beatiſſimos Pedes SANCTITATIS VESTRÆ reverenter deoſculor.

Patavii Calendis Julii 1708.

Digitized by Google

Auctor ad Lectorem.

D*Iscordiæ præsentes* de Beneficiis, ac Pensionibus *eodem tempore, ut plurimùm, exarsere, sed sedatæ, & extinctæ sunt, quo Decisiones meæ Casuum Conscientiæ, & Prudentiæ ex studio doctissimi Cleri Patavini formabantur; tunc enim mihi opus erat, non solùm Ecclesiasticæ disciplinæ totius Diœcesis satagere; sed gladium calami arripere; galeamque, & scutum Sacrorum Canonum, excellentiorum Canonistarum, ipsiusque Sacræ Romanæ Rotæ induere ad pugnandum in Discordiis Forensibus, præcipuè Beneficialibus, & Pensionalibus, more veterum Hispanorum, de quibus narrat Cornelius à Lapide* in 2. Esdr. 4. 17. Quod ipsi assiduè cum Saracenis Hispaniam occupantibus confligentes, cum orarent, aut aliquid aliud agerent, gladium ad manus habebant, ut eos incursantes propellerent. *Ex hoc deducitur, quòd sicut Decisiones prædictæ utiles, & gratæ unicuique fuerunt; ita & harum Discordiarum lectio non ingrata, aut infructuosa sit futura: Siquidem non ad fovendas, sed ad citò extinguendas deserviet Discordias; quæ passim insurgere solent inter Ecclesiasticos, præcipuè ratione divisionis fructuum inter Successores in Beneficiis, ac Hæredes Prædecessorum; in ratis Pensionum solvendis, aut dividendis; in actibus Jurisdictionalibus occasione Solemnitatum, Processionum, Matricitatum, Funerum, ac similibus practicandis. Accedit facilis cognitio Jurium, & Sacrorum Canonum circa electionem, præsentationem, institutionemvè beneficiatorum; necnon beneficiorum collationem, & dispositionem, de quibus omnibus Indultarii, Episcopi, Vicarii, Judices, Capitula, Monasteria, Patroni, & alii Jus eligendi, vel nominandi habentes, ex harum Discordiarum lectione evadent instructi pro Veritate, & Justitia, prout etiam Parochi circa residentiam, & alias eorum obligationes; & ex hac instructione vel difficiles erunt ad ineundas Discordias, vel faciles ad initas sedandas, & ad munera sua adimplenda. Discordia summum malum est; nam teste Virgilio* Æneid. 7.

Unanimes solet ipsa armare in prælia fratres;
Atque odiis versare domos, & verbera tectis,
Funereasque inferre faces; necnon nomina mille,
Mille nocendi artes.

E con-

Digitized by Google

E contra Pax, & Concordia summum est bonum juxtâ illud adagium:

Concordia fulciuntur opes, etiam exiguæ.

Et illud:

Conjuncti pollent etiam vehementer inertes.

Igitur, Lector Candide, ne dedigneris etiam Librum hunc aliis meis adjungere, consimilem in eo, quàm in iisdem, reperturus styli claritatem, Argumentorum, & Jurium soliditatem, ac frequenter eruditionum affabilitatem; de qua non obscurus Poeta cecinit:

Multum quippè placent admixtis dulcia acerbis:
Adde Sales gravibus, maximè gratus eris.

NOI REFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOVA.

HAvendo veduto per la Fede di revisione, & approbatione del P. F. Vincenzo Maria Mazzoleni Inquisitore nel Libro intitolato: *Discordiæ Forenses de Beneficiis, & de Pensionibus: Auctore Joanne Clericato J. U. D. Præposito Patavino* non v'esser cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Attestato del Segretario Nostro; niente contro Prencipi, & buoni costumi, concedemo Licenza ad Andrea Poletti Stampatore, che possi esser stampato, osservando gl'ordini in materia di Stampe, & presentando le solite copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padova.

Dat. 7. Luglio 1708.

{ Ferigo Marcello Proc. Reff.
{
{ Marin Zorzi Reff.

Agostino Gadaldini Segr.

I N-

INDEX ARGUMENTORUM

Hujus Primæ Partis.

Digitized by Google

Index Argumentorum.

D I-

Index Argumentorum.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Dominica Octobris, est transferendum; & in ea est faciendum Officium solemnitatis Rosarii Beatæ Mariæ Virginis, ubi habentur Capellæ, seu Altaria Confraternitatum ejusdem Rosarii. De eodem Rosario notanda quatuor scitû dignissima. pag. 172

DISCORDIA LIV.

ARGUMENTUM.

Explicantur novem requisita necessaria, ut clericus possit admitti ad beneficium *cap. Odoardus. De Solutionibus*. Præmittitur crudelis dispositio *l. 12. Tabularum* adversus debitores, quâ sublatâ à Constantino Imperatore, successit eorum carceratio ex officio Judicis; à qua postea liberantur per cessionem bonorum. Hæc olim turpi modo fiebat: nunc sex genera personarum non conveniuntur ultrâ vires; inter quas clerici prædicta novem requisita habentes. Ostenditur in qua summa sit taxanda congrua pro Parocho ære alieno gravato, petente Privilegium *d. cap. Odoardus*. Tandem notatur, ad illud non admitti beneficiatum recusantem solvere Pensionem, nec adstrictum Obligatione Camerali, neque per tres Sententias conformes condemnatum, neque per duas tantum. pag. 174

DISCORDIA LV.

ARGUMENTUM.

Disputatur de Jure Matricitatis, ac Superioritatis inter duos Plebanos Oppidi Castrifranci; ubi nati sunt duo celeberrimi Legum Civilium Professores, Paulus Castrensis antiquus, & Paulus Doctus modernus. Præmissa narratione unionis vetustæ Ecclesiarum S. Liberalis, ac S. Mariæ ejusdem Castri, earum divisionis de Anno 1584. concorditer inter Plebanos ipsarum diù servatæ, sed ab illo S. Mariæ postea eversæ, ob prætensum Jus Matricitatis; traduntur hujus Juris signa septem, militantia ad favorem Plebani S. Liberalis, cui præcedentiam deberi probatur adversus illum S. Mariæ in Processionibus, in Funeralibus, in Benedictione Fontis baptismalis, & in pulsatione campanarum in die Sabbati Sancti; ac in recipiendis Oleis Sacris ab Ecclesia Cathedrali Tarvisina. Tandem examinantur octo motiva prætensi Juris Matricitatis adducta per D. Plebanum S. Mariæ; eaque illegitima, & nullius valoris esse demonstratur ex Sacrorum Canonum tenore, Rotæ Romanæ, ac celebriorum DD. auctoritate. pag. 178

DISCORDIA LVI.

ARGUMENTUM.

Beneficia Cubiculariorum Honoris Papæ sunt reservata; sed ea Cardinales Episcopi vigore Indulti conferre possunt. In eorum Indultis excipiuntur beneficia Familiarium Papæ, qui tamen veri, & actuales ejus commensales sint; non autem ex solo Privilegio, quales sunt Cubicularii Honoris. Mortuo Papa extinguitur ejus familiaritas, ac reservatio beneficiorum ex ea resultans. Beneficio reservato dimisso per optionem, reservatio non transit in secundum beneficium optatum. Beneficia acquisita post extinctam familiaritatem non sunt reservata. pag. 188

DISCORDIA LVII.

ARGUMENTUM.

Parochialis Ecclesia S. Felicitatis Veronæ, tanquam unita, & de Mensa Monasterii S. Nazarii Congregationis Cassinensis, non est providenda per concursum; sed Parochus ad eam est nominandus, ac præsentandus ab Abbate, & Monasterio prædicto. Pro comprobatione antiquæ Unionis, & Mensalitatis ejusdem Ecclesiæ referuntur decem signa, à Canonistis, & à Rota Romana in pluribus Decisionibus legitima, & concludentia declarata. Resolvuntur objecta per Curiam Episcopalem facta pro Concursu; & ostenditur, ea nullius esse valoris, utpotè contraria Constitutionibus B. Pii V. ac Sixti V. præcipientibus, nominationem Parochi fieri ab Abbate sine concursu; & declarantibus irritum quidquid ab Episcopis, quocunque tempore, fuerit in contrarium attentatum. pag. 191

DISCORDIA LVIII.

ARGUMENTUM.

Duo domicilia si quis habeat, putâ unum urbanum, rurale alterum; & in utroque pro medietate Anni solitus sit habitare; in quocunque illorum ipse moriatur, ejus funeris emolumenta æquis portionibus sunt dividenda inter utrosque Parochos, intra quorum Parœcias sita sunt prædicta duo domicilia. pag. 195

DISCORDIA LIX.

ARGUMENTUM.

Obligatio celebrare faciendi unam Missam quotidianam à Testatore imposita heredi suo, prævia assignatione bonorum pro stipendio Sacerdotis, cessat, & extinguitur, si bona assignata, ac alia quæcunque ipsius Testatoris evincantur ab ejus creditoribus: itaut neque ipse Heres, neque ejusdem Heredis heredes teneantur ex propriis bonis dictam Missam celebrare facere; quamvis etiam primus Heres ignarus evictionis prædictæ præcepisset in suo Testamento ejusdem Missæ celebrationem. pag. 198

D I-

Digitized by Google

Altare

Digitized by Google

D I-


Digitized by Google

DISCORDIA XCIX.

ARGUMENTUM.

DISCORDIA C.

ARGUMENTUM.



Digitized by Google

DISCORDIÆ FORENSES DE BENEFICIJS.

DISCORDIA I.

ARGUMEMTUM.

Agitur de famosa illa Controversia excitata per Ministros Datariæ sub CLEMENTE PAPA IX. Anno 1669; Utrùm Eminentissimus, ac Reverendissimus D. GREGORIUS Cardinalis BARBADICUS, Episcopus Patavinus, Vigore sui Indulti, posset conferre Canonicatus Ecclesiæ suæ Cathedralis, vacantes in Mensibus Apostolicæ Sedi reservatis? Negabant Datariæ Ministri, facientes contra Eminentiam suam objecta quinque; quæ hìc recensita diluuntur, ostendendo fortissimis rationibus, ac Auctoritatibus, prædictos Canonicatus esse in Indulto Cardinalitio comprehensos; & ad dispositionem Cardinalis Indultarii spectare: prout tandem resolutum, & firmatum fuit in Congregatione ab eodem CLEMENTE PAPA IX. Romæ specialiter deputata d. Anno 1669.

SUMMARIUM.

1 *Alexander Papa VII. Indultum amplissimum concessit Emin. Cardinali Barbadico conferendi beneficia.*
2 *Canonicatus Cathedralis Patavinæ vacantes in quatuor Mensibus ordinariis conferuntur à solo Capitulo.*
3 *Beneficia de Jure, vel consuetudine, aut aliàs quomodolibet spectantia ad Cardinalem Episcopum sunt comprehensa in ejus Indulto.*
4 *Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis de Jure spectant ad dispositionem Episcopi, saltem simul cum Capitulo.*
5 Pertinere *Verbum verificatur tàm in possessione, quàm in proprietate.*
6 Quomodolibet *dictio comprehendit omnem modum.*
7 *Papa in Indulto Cardinalium, circa beneficia, an det aliquid de novo? vel solùm removeat obstacula reservationum?*
8 *Cardinalis Indultarius censetur delegatus Papæ in conferendis beneficiis.*
9 *Cardinali Indultario negligente in collatione beneficii devolutio fit ad Papam.*
10 *Indulta antiqua solùm removebant reservationes.*
11 *Beneficia, quæ ordinaria auctoritate Cardinalis Episcopus conferre non posset?*
12 *Urbani VIII. Constitutio circa Indulta Cardinalium pro beneficiis.*
13 *Beneficiorum sex genera, quæ non comprehenduntur in Indultis Cardinalium.*
14 *Exceptio firmat Regulam in contrarium.*
15 *Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis Paduanæ semper fuerunt collati ab Episcopis Cardinalibus Indultariis.*
16 *Observantia attenditur in quacunque lege interpretanda.*
17 *Statutum Capituli Patavini circa optionem Canonicatuum.*
18 *Clausula* Ad tuam dispositionem &c. *in Indultis Cardinalium an sit Superflua?*
19 *Gratia Principis intelligitur semper sine alterius injuria.*
20 *Beneficia plura, quæ à Cardinalibus Indultariis conferri non possunt.*
21 *Resignationes beneficiorum ad favorem fieri non possunt coram Cardinali Episcopo Indultario.*
22 *Canonicatuum in collatione, quam facit Cardinalis indultarius, non agitur de præjudicio Capituli, sed solius Papæ.*
23 *Doctores, qui scripserunt, Canonicatus non esse comprehensos in Indultis Cardinalium Episcoporum.*
24 *Indulta moderna Cardinalium ampliora sunt antiquis.*
25 *Beneficia Jurispatronatus, seu de Mensa non comprehenduntur in Indultis Cardinalium Ordinariorum.*
26 *Cardinalium Indulta non capiunt beneficia inferiorum collatorum vacantia in quatuor Mensibus non reservatis.*
27 *Clemens Papa VII. & Paulus Papa III. restrinxerant Indulta Cardinalium ad sola beneficia, quæ auctoritate ordinaria conferebant.*
28 *Jus conferendi Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis habitualiter residet in Episcopo.*
29 *Devolutio à Capitulo negligente in conferendo Canonicatus datur ad Episcopum.*

1 EA est amplitudo Indulti per Summum Pontificem Alexandrum Septimum concessi Eminentissimo Cardinali Barbadico Episcopo Patavino conferendi quæcunque beneficia suæ Diæcesis vacantia etiam in mensibus Apostolicis, ut dubitare non liceat, quin ejusdem Indulti vigore etiam Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis idem Eminentissimus in dictis mensibus possit conferre, attenta maximè

 genera-

Digitized by Google

generali consuetudine, & communi observantia aliorum Indultariorum. Verùm quia per Datariam nuperrimè excitantur nonnulla objecta, quæ videntur innuere, Canonicatus ipsos non comprehendi in Indulto, & propterea eosdem conferri non posse à præfato Eminentissimo Cardinali Episcopo Indultario, ideò cum requisitus fuerim ab Eminentia sua, tanquam ejus Auditor, studere pro veritate, ac respondere, An de Jure dicta objecta subsistant? censui, ea minimè subsistere ex infrascriptis rationibus, & auctoritatibus.

OBJECTUM PRIMUM.

Indultum Apostolicum non capit Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis, quia concedit dispositionem beneficiorum spectantium ad collationem Ordinarii, aut solius, aut saltem cum aliis, juxta Clausulam illam in principio Indulti positam *Ad tuam etiam cum alio, vel aliis dispositionem*. At collationes horum Canoni-
2 catuum non spectant ad collationem Ordinarii; quia in quatuor mensibus conferuntur à solo Capitulo, in aliis octo reservantur Summo Pontifici. Ergo &c.

RESOLUTIO.

Hoc objectum non subsistit, & illa Clausula *Ad tuam etiam cum alio, vel aliis dispositionem &c.* non est exclusiva Canonicatuum, immò per ipsam comprehenduntur, quamvis existant in Ecclesia Cathedrali. Hoc evidenter cognoscitur, si hæc clausula non dimidiata legatur, sed consideretur integra usque ad illa Verba *De Jure, vel consuetudine; aut aliàs*
3 *quomodolibet pertinentia*. Quibus verbis Summus Pontifex concedit Eminentissimo Cardinali Indultario dispositionem omnium illorum beneficiorum, quæ ad eum spectant, aut de Jure, aut de consuetudine; undè fit, quod etsi attenta consuetudine Cathedralis Ecclesiæ Patavinæ Canonicatuum dispositio non pertineat ad ordinarium; nihilominùs, quia de Jure spectant ad ipsum; idcircò censentur comprehensi in Indulto. Quod autem de Jure Canonicatuum dispositio spectet ad Episcopum, saltem simul cum Capitulo, non est ambigendum, cum hæc sit communis
4 sententia omnium Canonistarum, quos cumulat Barbosa *de Canon. & dignit. cap.* 14. *num.* 2. quorum etiam plures defendunt, ad solum Episcopum hanc dispositionem de Jure communi pertinere; prout videre est apud Cassadorum *decis.* 22. *de Præbend.* & apud Loterium *de Re benefic. lib.* 2. *quæst.* 21. *num.* 7. qui tamen firmant, collationem Canonicatuum in Cathedralibus de Jure esse simultaneam Episcopi, & Capituli; quod tenet etiam Pyrrhus Corradus in sua *Praxi benefic. lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 72. Illustrissimus Dominus Prosper Fagnanus *in cap. Postulastis. num.*2. *de Concess. Præbend.* Et Rota apud Gregorium XV. *decis.* 95. *num.* 1. Seraphinum *decis.* 980. *num.* 2. Et Manticam, qui testatur, hanc eandem Sententiam probatam fuisse Sacræ Congregationi Concilii *decis.* 56. *num.* 2. Cum igitur prædicta Clausula *Ad tuam &c.* requirat, quod beneficia de Jure spectent ad dispositionem Indultarii Episcopi, & negari non possit, provisionem Canonicatuum Ecclesiæ Cathedralis de Jure spectare ad Episcopum saltem simul cum Capitulo, diluitur prorsùs objectum.

Nec dicatur, prædicta ultima verba *De Jure &c.* respicere exercitium, seu quasi possessionem conferendi, non autem nudam proprietatem, aut facultatem, quæ nunquam ad actum reducitur. Quia hæc interpretatio esset nimis rigorosa, & non adaptabilis casui nostro, in quo Summus Pontifex usus est Ver-
5 bo *pertinere*, quod de sui natura verificatur tàm in eo, qui habet possessionem, quàm in eo, qui habet nudam proprietatem collationis; ut ait Rota *decis.* 49. *de Rescript. in antiq.* subdens etiam, quod Proprietas est favorabilior possessione: Præterquamquod in Indultis Interpretatio est facienda ad favorem Indultarii contra concedentem. Cassador. *de Privileg. decis.* 3. *num.* 3. Tùm etiam quia iisdem verbis *De Jure &c.* Summus Pontifex adjunxit hæc alia verba *Aut aliàs quomodolibet &c.* Quæ demonstrant, satis esse, si dispositio beneficiorum de Jure tantùm,
6 & quo ad proprietatem spectet ad Eminentissimum Cardinalem Indultarium; quandoquidem hæc dictio *Quomodolibet* est Universalis, & comprehendit omnem modum, qui excogitari possit. Glossa *Verb. Quomodolibet: in Clem.* 2. *de Senten. excom.* Gonzalez *ad Reg.* 8. *Gloss.* 29. ubi testatur, hoc verbum verificari, etiam ubi collatio competat de Jure communi, & ordinario; & dat exemplum in Episcopis, & aliis Ordinariis collatoribus, qui de Jure communi fundant suam intentionem in Jure conferendi omnia beneficia existentia in sua Diæcesi, & territorio ex *cap. Frequentibus. De Institut.* & *cap. Conquerente. de offic. ordinar.* Et facit doctrina Martæ *de Clausulis part.* 1. *clausul.* 136. *num.* 2. ubi ait, hanc clausulam includere omnem modum; & *num.* 4. quod ostendit plenam, & exuberantem voluntatem disponentis; & concordat Rota apud Seraphinum *decis.* 1082. *num.* 2. quæ asseverat, hanc dictionem *Quomodolibet* includere omne Jus, etiam minimum; Et ideò tantùm abest, per dictam clausulam *Ad tuam &c.* excludi Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis, quod immò ii plenè comprehenduntur per illa verba *De Jure, aut de consuetudine, aut aliàs Quomodolibet. &c.*

SECUNDUM OBJECTUM.

Intentio Summi Pontificis est, per Indulta restituere Cardinalibus Episcopis circa dispositionem beneficiorum suæ Diæcesis quidquid eis abstulerant Reservationes, ut innuunt illa Verba Proemialia In-
7 dulti *Ea tibi favorabiliter concedere, per quæ sublatis impedimentis quibuslibet, possis de beneficiis Ecclesiasticis tuæ dispositioni commissis &c. providere &c.* Non autem extendere eorum facultatem ad ea, quæ tanquam Ordinarii, circumscriptis reservationibus, conferre non possunt, quales sunt isti Canonicatus. Et ideò Papa nihil dat de novo Episcopis Cardinalibus Indultariis, sed ab eis tantùm removet obstacula reservationum, ut Jus proprium exerceant: quemadmodum ligatus, qui ab alio solvitur, si postea ambulet, propriis dicitur pedibus ambulare, non alienis. Dominicus post Jo. Monac. *in cap. Cum aliquibus. col.* 2. *de Rescript. in* 6.

RESOLUTIO.

Hoc objectum vim facere videtur, quousque consideratur segregatum à lectura Indulti Apostolici, quod habet Eminentissimus Cardinalis Barbadicus, at ubi confertur cum tenore illius, penitùs cadit; quia restrictio objectiva non potest adaptari amplitudini ejusdem Indulti. Plura autem sunt, quæ demonstrant, Summum Pontificem in hoc Indulto extendere facultatem ordinariam, & concedere aliquid amplius, quàm restitutionem primevæ auctoritatis circumscriptis reservationibus.

Primò enim Papa profitetur expressè in eodem Indulto *num.* 23. velle, ut idem Eminentissimus Cardinalis Indultarius in hac amplissima facultate conferendi beneficia uti valeat *tàm ordinaria auctoritate, quàm concesso sibi Indulto:* Quæ verba operantur, ut Eminentissimus Indultarius conferat non tanquam simplex Ordinarius, sed etiam tanquàm Delegatus
8 Apostolicus, cui Papa commisit vices suas; quod notavit Garzias *de benefic. part.* 5. *cap.* 1. *num.* 628. Et Loterius *de Re benefic. d. lib.* 2. *quæst.* 21. *num.* 121. & 122. Et optimè probatur ex eo, quia si Cardinalis sit negligens in conferendo beneficium, devolutio non fit

Digitized by Google

non sit ad Archiepiscopum, prout fieret si tanquam
9 simplex Ordinarius haberetur, sed ad Papam. Cassiodor. *decis.* 8. & Crescent. *decis.* 15. *de Præbend.* Ulteriùs pluries declaratum est à Rota, quod Indulta moderna Eminentissimorum Cardinalium aliquid majus operantur, quàm Auctoritas ordinaria, circumscriptis etiam reservationibus; præcipuè autem in *decis.* 10. *part.* 8. *recent. num.* 11. ubi sic ait: *Moderna Indulta non solùm removent obstacula reservationum, hoc est ut reservationibus non obstantibus Cardinales ordinarii collatores conferre valeant, sed etiam augent eorum ordinariam facultatem: continent enim facultatem conferendi reservata etiam ratione Mensium Apostolicorum, cum clausula tàm ordinaria auctoritate, quàm ex eodem Indulto tibi concessa, Quæ verba satis demonstrant, dicta Indulta non removere simpliciter obstacula reservationum, sed quid plus continere, & majorem facultatem illis tribuere, quàm Jus commune indulgeat, adeout Cardinalis Indultarius dicatur conferre non solùm auctoritate ordinaria, sed etiam delegata, & vice ipsius Papæ, qui beneficia sibi reservavit.* Hucusque Rota. Cui concordat alia *decis.* 298. *part.* 9. *recent. num.* 17. *& seqq.* ubi sic loquitur. *Quidquid sit de Indultis secundum antiquam formulam,*
10 *quæ solùm removebant obstacula reservationum, itaut, iisdem reservationibus cessantibus, collationes liberè ab his, ad quos antea spectabant, fieri possent; secùs tamen est in Indulto, de quo agitur, quod nedum tollit, & extinguit reservationes, quin potius illas præsupponit; & Cardinalis Ordinarii facultatem verbis expressis auget, impartiendo nominatim, quod vigore Indulti possit beneficia reservata liberè conferre. Atque ideò dum Ordinarius vigore Indulti confert, dicitur conferre auctoritate delegata à Papa; & reservatio inducta in favorem Papæ conservatur in persona Cardinalis Indultarii ipsum Papam repræsentantis.* Hoc idem confirmat Rota *part.* 11. *recen. decis.* 65. *num.* 11.

His igitur stantibus, cum nemo inficiari possit, Eminentissimum Cardinalem Indultarium fungi auctoritate Apostolica in dispositione beneficiorum suæ Diæcesis, durum nimis videtur excipere Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis ab Indulto; eò magis quia Summus Pontifex illos expresse nominat, & extendit facultatem Indultarii ad alia beneficia, quæ Au-
11 ctoritas ordinaria non capit; prout sunt beneficia Regularia, quorum collatio vigore indulti committitur Eminentissimo Cardinali Episcopo, & tamen de Jure ab eo conferri non possent. *cap. fin. de Regular. in* 6. Gonzal. *glos.* 7. *num.* 7. & prout sunt beneficia litigiosa, quæ pariter in Indulto conceduntur, quamvis de Jure Ordinarius prohibeatur, se in eis intromittere, ac de eis providere per *tex. in cap.* 2. *Ut lite penden. lib.* 6. *& Clem.* 1. *eod. tit.* Et prout sunt alia plurima expressa, & nominata in eodem Indulto strictioris conditionis, & magis qualificata, quàm simplices Canonicatus, quibus nullum aliud inest impedimentum, quam reservatio ex Regula Cancellariæ, qua sublata per Indultum, spectant de Jure communi ad Ordinarium juxta *tex. in cap.* 2. *de conces. Præbend.* Abbas *in cap. Mandatum. de Rescript.* Rota apud Verallum *decis.* 214 *part.* 2. *num.* 5. Adeò ut, cum ex prædictis appareat, Eminentissimum Cardinalem Indultarium exercere vices Pontificis, & habere Apostolicam auctoritatem circa beneficia, benè etiàm infertur, ad eundem spectare collationem Canonicatuum Ecclesiæ Cathedralis vacantium in mensibus Apostolicis, juxta vulgatam Regulam, cui plus permissum est, intelligitur permissum etiam quod est minus. *l. Nec in ea. §. Jus occidendi. ff. ad leg. Jul. de adulter. cap. Cui licet.* ubi Dynus. *De Reg. Jur.* Similitudo autem soluti à vinculis, & propriis viribus ambulantis, non stringit; quia, ut dictum est, Papa in Indulto non solùm solvit vincula reservationum, sed auget vigorem Cardinali Indultario, ut conferat etiam tanquam Delegatus Papæ beneficia, quæ erant reservata.

TERTIUM OBJECTUM.

Urbanus Papa Octavus in sua *Constitutione* 59. quam refert Loterius *d. lib.* 2. *quæst.* 21. *num.* 125. & Pyrrh. Corradus *lib.* 3. *cap* 6. *num.* 78. cum dedisset facultatem Cardinalibus Indultariis liberè disponendi
12 per se ipsos de omnibus beneficiis, (etiam conferendis simultaneè cum aliis) quando vacant in Mensibus Apostolicis; addidit hanc clausulam *Dummodò aliàs sub Indultis eis concessis comprehendantur.* Ergo Indultum hoc non potest extendi ad Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis Patavinæ, quia cum non sint de libera dispositione Ordinarii, vel saltem communi cum aliis, non censentur comprehensi in Indulto.

RESOLUTIO.

Clausula hæc in præfata Constitutione Urbani VIII. existens non est intelligenda de beneficiis, quæ saltem de Jure communi spectant ad Ordinarium, quales sunt Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis Patavinæ, sed de iis, quæ prorsùs excipiuntur, & expresse excluduntur in Indulto per ipsum Papam, qui illa sibi prorsùs vult esse reservata; & quorum dispositionem Cardinales Indultarii potuissent prætendere vigore dictæ Constitutionis, nisi prædicta clausula inserta fuisset. Notant omnes Doctores sex
13 genera beneficiorum non comprehendi in Indultis Cardinalium, immò expresse excepta esse, & reservata Summo Pontifici; Videlicet, Beneficia vacantia in Curia, Dignitates majores post Pontificalem in Cathedrali, principalesvè in collegiatis; Beneficia Regularia Concistorialia, vel conventum habentia, & quorum fructus in libris Cameræ taxati reperiuntur; Beneficia vacantia per veros, & actuales familiares, & continuos commensales Papæ; Commendas cessantes in Dignitatibus, seu officiis claustralibus; Et beneficia vacantia tàm in Curia, quàm extra per obitum familiarium S. R. E. Cardinalium juxta formam Constitutionis Gregorii XIV. de anno 1591. editæ. Ita Gonzalez *gloss.* 24. *num.* 70. Garzias *d. part.* 5. *cap.* 1. *num.* 630. & Massobrius *in Praxi habendi concurs. Prælud.* 26. *dub.* 24. *num.* 9. Singulæ hæ sex exceptiones, & limitationes leguntur in Indulto Eminentissimi Cardinalis Barbadici, & de his intelligenda est, ut dixi, clausula Constitutionis Urbanæ *Dummodo &c.* Quia in quocumque mense vacent supradicta genera beneficiorum, & cujusvis naturæ, & conditionis sint, etiamsi simultaneæ collationis cum aliis, non possunt ab Indultariis conferri tanquam non comprehensa in Indulto.

Ex qua postea consideratione resultat optimum argumentum ad inclusionem Canonicatuum Patavinorum in Indulto, de quo agimus. Siquidem Summus Pontifex cum excipiendo ea beneficia quæ noluit spectare ad dispositionem Eminentissimi Cardinalis Barbadici, non exceperit hos Canonicatus, sequitur eos comprehendisse, & comprehensos esse voluisse in Indulto. *l. cum Prætor. ff. de Judic.* Franchus *decis.* 499. *num* 2. Gregor. XV. *decis.* 257 *num.* 4. Exce-
14 ptiones enim ostendunt, contrarium firmari in casibus non exceptis. Dynus *de Reg. Juris in Proem. num.* 26. Aliàs sicut excepit primam Dignitatem post Pontificalem, quæ ejusdem ordinis est cum canonicatibus, excepisset etiam canonicatus ipsos; quod cum non fecerit, dicendum est, eos comprehendi, attento quod de Jure spectant ad Ordinarium, ut supra probatum est; & hanc qualitatem tantùm requirit Summus Pontifex in principali clausula *Ad tuam &c.*

Et hanc interpretationem esse consonam menti

Digitized by Google

Summi Pontificis testatur communis observantia, & praxis DD. Cardinalium Episcoporum tùm aliarum Cathedralium hujus Provinciæ, ac etiam totius Italiæ, tùm præcipuè Prædecessorum Eminentissimi Cardinalis Barbadici, qui abstinuerunt quidem ab illis sex generibus beneficiorum exceptorum; sed alia
15 omnia vigore suorum Indultorum contulerunt, & in specie Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis, quos contigit vacare in Mensibus Apostolicis, prout constat ex publicis documentis Cancellariæ Episcopalis; nulla autem est major interpretatio cujuscunque dispositionis, quàm illa, quæ provenit ex observantia subsecuta. *l. Si de interpretatione. ff. de legib. l. sed*
16 *& Julianus* *§. perinde. ff. ad Macedon.* Parisius *cons.* 35. *num.* 20. *lib.* 1. Gonzal. *glos.* 5. *§.* 7. *num.* 135. Surdus *cons.* 362. *num.* 10. Rota *decis.* 503. *in fin. part.* 1. *divers.* Itaut prævaleat etiam proprietati Verborum. Honded. *cons.* 92. *num.* 30. *lib.* 1. & Craveta *Responso Progenero. sub num.* 37. *Vers. neque adeò.*

Hinc quoque est, ut Capitulum Cathedralis Patavinæ inhærendo huic communi observantiæ in suis Statutis non obscurè significaverit, Canonicatus conferri posse à Cardinalibus Episcopis Patavinis in Mensibus Apostolicis vigore Indulti; nàm in Statuto *Sub Rubrica de Commutatione Beneficiorum*, proposita forma optandi Præbendas Canonicales vacantes, habentur hæc Verba: *Quod si Archipresbyter, vel ali-*
17 *quis alius Canonicus receperit Præbendam alterius, & illa Præbenda foret collata alteri per Dominum Papam, vel per aliquem alium, qui haberet potestatem conferendi; revertatur liberè ad suam Præbendam priorem.* Quæ verba *Per aliquem alium* cum non possint verificari nisi de Indultariis Apostolicis, innuunt personam Episcoporum Cardinalium, qui conferunt dictos Canonicatus vigore Indultorum; quocirca hæc facultas videtur non esse dubia, immò certa, ac notoria, quia Statutum facit rem notoriam, & indubitatam. Cephalus *cons.* 138. *num.* 20. *lib.* 1. Bec. *cons.* 12. *num.* 3. & tradit Loter. *d. lib.* 2. *q.* 21. *num.* 43.

QUARTUM OBJECTUM.

Nisi exciperentur ab Indulto hi Canonicatus, quorum libera collatio non spectat ad Ordinarium; sequeretur, quod illa Clausula *Ad tuam dispositionem*
18 *&c.* esset superflua, & impertinentèr posita in Indulto; quod nec credendum, nec dicendum est. *cap.* 1. *de Constitut. in* 6. cum simill.

RESOLUTIO.

Consequentia hujus objecti non subsistit; quandoquidem etsi Canonicatus non excludantur ab Indulto per dictam clausulam *Ad tuam &c.* Sed in eo comprehendantur per ultima verba *De Jure, vel consuetudine, aut aliàs quomodolibet &c.* ut supra probavimus, nihilominus præfata Clausula non est superflua, quia suum operatur effectum in illis beneficiis, quæ neque de Jure spectant ad Ordinarium, & quorum intuitu inserta fuit à Pontifice ad præservandos proprios collatores, & alios, ad quos illa pertinent, à molestia, quam eis intulissent Cardinales Indultarii stante amplitudine suorum Indultorum, cum clausulis prægnantissimis se extendentium ad omnia beneficia sui Territorii, vel Diæcesis. Hac itaque de causa Summus Pontifex inservit dictam clausulam *Ad tuam &c. de Jure &c.* ne præjudicium videretur fecisse iis, qui possunt pleno Jure disponere de aliquo beneficio; Gratia enim Prin-
19 cipis semper intelligitur sine alterius injuria. *l.* 2. *§. si quis à Principe. & §. merito. ff. Ne quid in loco pub. cap. Super eo, de Offic. Deleg.* Decius *cons.* 11. *num.* 4. Gregor. XV. *decis.* 383. *num.* 2. Et hic censetur proprius intellectus clausulæ prædictæ, & finis præcipuus, ob quem est inserta in Indulto.

Plura autem exempla possunt allegari beneficiorum, quæ de Jure non pertinent ad Ordinarium, & conferri non possunt ab Indultariis. Et in primis talia sunt beneficia Jurispatronatus Laicorum, hæc enim vigore Indulti, in quovis mense vacent, conferri à Cardinalibus non possunt, quia sub reserva-
20 tione non cadunt, & de Jure ad Ordinarios non pertinent. Rochus de Curte *in Tractatu de Jure Patron. in Verbo Competens. q.* 24. Menochius, qui plures cumulat, *cons.* 90. *num.* 85. Pyrrus Corrad. *in d. Praxi benefic. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 80. 81. *& seqq.* ubi ostendit, ex Privilegio Papæ non tàm laicos, sed etiam fœminas posse beneficia conferre; & hujusmodi qualitatis non pauca beneficia existunt in Diæcesi Patavina. Item beneficia Manualia excluduntur ab Indulto per dictam clausulam, *Ad tuam &c.* quia hæc quoque de Jure non spectant ad Episcopum, nec cadunt sub reservationibus. Glossa *in Clem. Unica. Verb. revocari. de Supplen. neglig. Prælator.* Calderinus *cons.* 26. *de Præbend.* Gonzalez *glos.* 5. *§.* 6. *per totum.* Et tales sunt in hac Urbe Patavina Parochiales Ecclesiæ Sancti Michaelis, Sancti Thomæ Martyris, Sanctæ Mariæ Iconiæ, & aliæ plures in Diæcesi, quorum Rectores sunt amovibiles ad nutum inferiorum, apud quos residet Jus dictarum Ecclesiarum, & à quibus, non autem ab Episcopo providentur. Similiter beneficia de Mensa, aut quæ unita sunt alicui Monasterio non comprehenduntur sub Indulto, & per dictam clausulam *Ad tuam &c.* intelliguntur excepta, quia de Jure ad Ordinarium non pertinent. Gonzalez pulchrè in *Glos.* 5. *§.* 3. Loterius *lib.* 3. *q.* 8. *num.* 83 *&* 84. Et in eorum provisione servatur forma, quam statuit B. Pius V. in sua *Constit.* 46. incipit *ad exequendum* de anno 1567. cujusmodi sunt in hac eadem civitate Parochiales Ecclesiæ Sancti Petri, Sancti Bartholomæi, Sancti Matthæi, Sancti Laurentii, Sancti Danielis, & Sancti Nicolai, ubi etiam duo simplices clericatus ejusdem naturæ existunt de Mensa Monialium Sancti Petri, præter alias multas per Diæcesim. Item vigore dictæ clausulæ *Ad Tuam &c.* censentur exclusæ ab Indulto, & exceptæ à potestate Indultarii Præbendæ Canonicales in Ecclesia receptitia, & non numerata, quia mortuo Canonico extinguitur Jus illud, quod habebat, & per receptionem alterius novum Jus creatur. *cap. Dilecto. §. præterea.* ubi Imola *num.* 7. Butr. *num.* 8. & Abb. *num.* 9. & *cap. ex parte de Præbend.* Et respectu talium beneficiorum nulla datur devolutio. Gonzal. *glos.* 9. *§.* 3. *num.* 10. Loter. *lib.* 1. *q.* 14. *num.* 16. 17. & 18. & *lib.* 3. *q.* 8. *num.* 83. Resignationes etiam, quæ fiunt ad favorem,
21 expediri non possunt ab Indultariis, nam spectant ad Papam. *cap. ex parte. de offic. delegat.* Puteus *decis.* 347. *lib.* 1. *in nov.* Parisius *de Resignat. lib.* 2. *q.* 9. *num.* 9.

Hæc & alia plura, quæ brevitatis causa omitto, sunt beneficia, quorum intuitu Summus Pontifex inseruit præallegatam clausulam *Ad tuam &c.* ne, ipsâ deficiente Indultarii extendissent facultatem sibi à S. Sede attributam etiam ad ista cum præjudicio inferiorum, ad quos spectant de Jure; ac propterea eadem clausula non est superflua, nec impertinens, sed nec est exclusiva Canonicatuum Ecclesiæ Cathedralis vacantium in mensibus Apostolicis, quia in eorum provisione ab Indultario facienda agitur de
22 solo præjudicio Papæ, non autem inferiorum, quos tantùm Papa intendit servare immunes à dictis Indultis, & non semetipsum. *cap. Cum dilectus. de Consuetud.* Glossa *in Clem. Si de beneficio. de Præbend.* Cassadorus *decis.* 3. *de Privileg. per totum.* Papa autem facultatem suam impartitur Cardinalibus Episcopis in Indulto, itaut impedimentis reservationum ablatis, conferant beneficia non solùm Episcopali auctoritate ordinaria, sed etiam ipsius Papæ, qui non

curat

Digitized by Google

curat de sui præjudicio in hac parte, tùm quia est dominus absolutus, tùm etiam quia agitur de re modica; nam ubi Canonicatus excedunt 24. ducatos de Camera, Provisus debet obtinere novam provisionem Apostolicam, & solvere Jura solita Datariæ; ut præcipitur in fine ejusdem Indulti.

OBJECTUM ULTIMUM.

Communis est opinio Doctorum, quod Indulta Cardinalium non comprehendant beneficia spectan-
23 tia ad collationem Capituli, aut inferiorum. Anastas. Germon. *de Indult. §. Regularia. num.* 89. Garzias *de benefic. part. 5. cap. 5. num. 6.* & pluries ita fuisse decisum in Rota legitur apud Greg. XV. in *addit. decis. 99. num. 6.* & in specie Jo. Baptista Ferrettus celeberrimus Advocatus, ac Reipublicæ Venetæ Consultor, qui in *cons. 17. num. 3.* ita scribit: *Non obstat Indultum Cardinalis Cornelii Episcopi Brixien. & collatio facta Octaviano, quia Indultum non comprehendit Canonicatus Ecclesiæ Brixien. qui sunt ad collationem Canonicorum; & licèt verba Indulti sint dubia, tamen materia fuit declarata per Regulam Cancellariæ Clementis VII. datam Romæ 1530. die 11. Junii, Anno VII. & sic post datam Indulti Cardinali præfato; quæ Regula expressè revocat omnia Indulta etiam per se concessa Cardinalibus, & vult, quod non comprehendant beneficia spectantia ad provisionem, præsentationem, electionem &c. inferiorum collatorum: & restringit Indulta ad beneficia tantùm, quæ sunt liberæ collationis ipsorum Episcoporum.* Hæc omnia Ferrettus. Et prædicta declaratio Clementis VII. fuit confirmata à Paulo III. ut testantur Mohedan. *decis. 12. de Præben.* & Puteus *Decis. 140. lib. 1. & Decis. 158. lib. 2.*

RESOLUTIO.

Quadruplici responsione evacuatur hoc objectum resultans ex opinione Doctorum. Prima est, ma-
24 gnum discrimen reperiri inter indulta moderna, & antiqua, quorum tenoribus attentis nonnulli Doctores scripserunt, ea non esse extendenda ad beneficia, de quibus inferiores collatores disponunt. Siquidem antiqua non decorabantur tàm amplissimis clausulis, nec removebant generales reservationes; solùmque indulgebant, ut Indultarii conferrent non obstantibus impedimentis resultantibus ab expectativis, & gratiis præventivis, quarum tunc frequens erat usus, ut eruditè considerat Loterius *d. lib. 2. q. 21. à num. 115. & seqq.* ubi *num.* 121. concludit, hodie esse aliter judicandum, quia ampliora valdè sunt Indulta moderna, & conceduntur adversus quascunque reservationes, faciuntque ut Indultarius conferat vice ipsius Papæ, ut supra dictum est ad objectum secundum. Et ideò cum hi canonicatus vacantes in Mensibus Apostolicis, cessante Indulto, spectarent ad Summum Pontificem; stante concessione generalissima in eodem Indulto conferendi omnia beneficia, jure optimo etiam canonicatus spectant ad Eminentissimum Indultarium tanquàm delegatum à Papa.

Secunda Responsio est, Doctores asserentes, quod Indulta non comprehendant beneficia spectantia ad inferiores collatores, intelligendos esse de illis beneficiis, quæ pleno Jure, & toto anni tempore spectant ad eosdem inferiores, de quibus supra disseruimus; videlicèt de beneficiis Jurispatronatus, vel manualibus, aut unitis, sivè de Mensa, & similibus, quæ
25 non cadunt sub reservationibus, non spectant ad Ordinarium, nec conferuntur à Papa; ideòque conveniens est, ut neque conferantur ab Indultariis cum præjudicio inferiorum, ut diximus. Et quod Doctores loquentes de collatoribus inferioribus non sint intelligendi in casu nostro, patet ex eo, quod Capitulum Ecclesiæ Cathedralis non venit appellatione inferiorum collatorum. Glossa *in cap. Cum Ecclesia Vulterrana.* & ibi Abbas *num. 8. de Elect.* Cassador. *decis. 22. num. 2. de Præbend.* & Seraphin. *decis. 980. num. 10.*

Tertia Responsio est, Axioma illud Doctorum, *Indulta non capiunt beneficia spectantia ad collatores inferiores*, procedere, ubi vacatio contingat in Mensibus Ordinariis, secùs verò in Mensibus Apostolicis Ratio manifesta est, quia si caperent beneficia vacan-
26 tia in Mensibus Ordinariis, facerent præjudicium iisdem collatoribus inferioribus, ad quos eo tempore provisio spectat, quod est contra mentem Papæ. Cassiadorus *decis. 3. num. 3. de Privileg.* Porrò ubi vacatio occurrit in Mensibus Apostolicis Indulta capiunt ea beneficia, quia nullum fit præjudicium inferioribus, cum eo tempore sint Papæ reservata, nec ad ipsos provisio pertineat; & hæc responsio evidenter colligitur ex Loterio *d. lib. 2. q. 21. num. 144.* ubi ait: *Indultum non capit beneficia, in quorum collationis possessione alter existit.* Quæ verba adaptari non possunt Capitulo, & Canonicis conferentibus in quatuor mensibus Ordinariis tantùm, non autem in octo Mensibus Apostolicis, resistente tàm Regula Mensium reservatoria, quàm Constitutione Urbani VIII. supra recensita, & propterea dici non potest, quod sint in quasi possessione conferendi in dictis Mensibus octo. Similiter Rota *in addit. ad Greg. XV. d. decis.* 99. cum ibi allegatis intelligenda est de collationibus faciendis per inferiores in quatuor Mensibus Ordinariis, nam supponit, collationem esse faciendam ab iis, qui in quasi possessione existunt. Quapropter, cum Rota, & Doctores loquantur in casu diverso, eorum opinio non impugnat assertionem nostram.

Cæterùm etiamsi diceretur, eosdem Doctores locutos fuisse in Vacatione occurrente in Mensibus Apostolicis, quia supponunt, inferiorem collatorem non posse conferre ob aliquam reservationem, ut sentire videtur Germon. *d. §. Regularia num.* 90. Gonzalez *gloss. 45. §. 2. num. 3.* & Rota apud Mohedan. *decis. 8. de Privil. cum simill.*

Respondetur, hanc Sententiam procedere in Indultis antiquis, quæ strictiora valdè erant, & non impertiebant Indultariis Apostolicam auctoritatem, nec augebant ordinariam Jurisdictionem, ut expressè observat Massobrius in casu simili *d. Prælud. 26. dub. 10.* Et Cassador. *d. decis. 3. de Privil. in fine.* Et ideò cum diversa sint Indulta moderna, eaque tribuant Indultario vices Papæ, non est ampliùs habenda in consideratione opinio Doctorum, & Rotæ, sed attendendus est tenor Indulti moderni. *cap. Porrò. de Privil.*

Quarta tandem responsio est, quod iidem scribentes contra Cardinales Indultarios, inter quos Ferrettus *d. cons. 17. num. 3.* innitebantur Regulæ Clemen-
27 tis VII. & Pauli III. qui restrinxerant Indulta Cardinalium Episcoporum ad sola beneficia, quæ ad eorum collationem spectabant. At post dictos Pontifices prædicta restrictio fuit revocata tanquam nimis odiosa, & Indulta Cardinalium fuerunt amplificata per hæc Verba: *Tibi dantes facultatem conferendi quæcunque beneficia ad tuam, etiam cum alio, vel aliis, collationem, provisionem, præsentationem, Institutionem, seu quamvis aliam similem, vel dissimilem dispositionem, de Jure, vel consuetudine, aut aliàs quomodolibet pertinentia.*

Quæ quidem Verba tanquàm amplissima comprehendunt etiam Canonicatus, qui in quatuor Mensibus Capitularibus conferuntur; quos vacantes in Mensibus Papæ reservatis Cardinales Episcopi conferunt vigore Indulti; tùm quia saltem de Jure eorum collatio etiam ad ipsos pertinet, ut demonstratum est supra in resolutione Primi objecti; quod quidem Jus
28 habitualiter, & inseparabiliter est in Episcopis; & cui ut Juris habitualis vigore, si Capitulum esset negligens

Digitized by Google

negligens in conferendo Canonicatus, eorum dispositio devolveretur ad ipsum Episcopum, etsi non Cardinalem, neque Indultarium juxta Glossam *in cap. Irrefragabili. Verb. Capitulum. De Offic. Ordin.* & Abb. *in Cap. Cum contingat. num.* 18. *& seqq. De foro Competen.* Barbos. *de Episc. alleg.* 126. *num.* 71. *& alleg.* 127. *num.* 19. Rota *part.* 1. *diverf. decif.* 514. *& decif.* 186. *part.* 2. *rec.* tùm etiam quia talis est longæva, & inconcussa observantia, à qua ita sunt interpretata Indulta Cardinalitia, ut in eis comprehendantur etiam Canonicatus in Mensibus reservatis vacantes, quos solum Capitulum confert, dum in Mensibus non reservatis vacant; de his enim Cardinales Episcopi semper dispofuerunt in octo Mensibus Apostolicis vigore suorum Indultorum, tàm in hoc Episcopatu Patavino, quàm in Novariensi, ac in aliis, ut ex regiftris Cancellariæ Episcopalis Paduæ exhibitis apparet, quibus Ministri Datariæ nunquam se opposuerunt, nec contra Collationes Canonicatuum factas à Cardinalibus Episcopis Indultariis reclamarunt; undè fit, quod ipsa observantia ut dictum est supra *num.* 16. est omninò attendenda. Natta *conf.* 362. *num.* 10. Honded. *conf.* 92. *num.* 30. *lib.* 1. Emin. Card. Othobonus *decif.* 175. *num.* 10. & Rota *decif.* 266. *à num.* 2. *& seqq. part.* 15. *rec.* ubi aliæ auctoritates cumulantur; cum quibus antea ad favorem hujusce modi interpretativæ observantiæ tenuerunt aliæ Rotales Decisiones, nempè coram Gregor. XV. *Decif.* 184. *& part.* 9. *rec. Decif.* 316. *num.* 14. nec non *par.* 10. *rec. Decif.* 59. *num.* 12.

Quare ex his omnibus absque hæsitatione concludi, posse Eminentiss. Cardinalem Gregorium Barbadicum Episcopum Patavinum, conferre Canonicatus hujus suæ Ecclesiæ Cathedralis, qui vacant in Mensibus Apostolicis vigore sui Indulti, prout semper eos contulerunt alii Cardinales Episcopi Paduani Indultarii Prædecessores; etsi iidem Canonicatus vacantes in quatuor Mensibus Ordinariis conferantur à solo Capitulo vigore Immemorabilis consuetudinis. Et ita pro Justitia, ac veritate scripsi

Ego Joannes Clericatus J. U. D.
Præpositus Patavinus.

Anno 1669. in Congregatione quinque Prælatorum à Clemente Papa IX. deputata, ut auditis rationibus Datariæ, ac Cardinalium Indultariorum hanc controversiam terminarent, resolutum fuit ad favorem eorundem Cardinalium habentium Indulta, & contra Datariam; undè ab eo tempore citrà Emin. Card. Barbadicus Episcopus Patavinus continuavit in pacifica possessione conferendi omnes Canonicatus hujus suæ Cathedralis Ecclesiæ Paduanæ, qui vacarunt in Mensibus Sedi Apostolicæ reservatis; Dataria Papæ nihil ampliùs opponente.

N O T A.

Canonicatuum Ecclesiæ Cathedralis Patavinæ, qui in Registris Cancellariæ Episcopalis reperiuntur collati ab Eminentissimis Cardinalibus Episcopis Paduanis, vigore Indulti, quia vacarunt in Mensibus Apostolicæ Sedi reservatis.

1557. 24. *Novembris*. Emin. Cardinalis Franciscus Pisanus Episcopus Patavinus contulit unum Canonicatum dictæ suæ Cathedralis tunc vacantem R. D. Matthæo Priolo Nobili Veneto.

1557. 29. *Novembris*. Idem Emin. Card. Episcopus contulit alium Canonicatum vacantem R. D. Joanni Francisco Pisano Nobili Veneto.

1563. 18. *Octobris*. Idem Emin. Card. Episcopus contulit alium Canonicatum R. D. Aloysio Molino Nobili Veneto.

1577. 29. *Martii*. Idem Emin. Card. Episcopus contulit alium Canonicatum in Mense Februario) vacantem R. D. Nicolao Galerio Vicario suo.

1579. 29. *Januarii*. Idem Cardinalis Pisanus Episcopus Patavinus contulit alium Canonicatum R. D. Joanni Capello Nobili Veneto.

1588. 16. *Maii*. Emin. Cardinalis Federicus Cornelius Episcopus Patavinus contulit Canonicatum R. D. Petro Maurocenio Nobili Veneto.

1588. 7. *Julii*. Idem Emin. Cardinalis Cornelius contulit alium Canonicatum R. D. Aloysio Silvatico Nobili Patavino.

1590. 7. *Junii*. Idem Emin. Cardinalis Cornelius Episcopus contulit alium Canonicatum R. D. Francisco Memo Nobili Veneto.

1628. 11. *Octobris*. Emin. Cardinalis Petrus Valerius Episcopus Patavinus contulit Canonicatum in eadem sua Cathedrali Patavina tunc vacantem R. D. Donato de Donatis Nobili Veneto.

1669. 12. *Januarii*. Emin. Cardinalis GREGORIUS BARBADICUS Episcopus Patavinus contulit Canonicatum, qui in mense reservato vacavit in dicta sua Cathedrali Ecclesia Patavina, R. D. Nanticherio Barisonio Nobili Patavino; cujus collationis occasione insurrexerunt Ministri Datariæ Papæ CLEMENTIS IX. prætendentes, Indultum Eminentiæ suæ, ac aliorum Cardinalium Episcoporum non capere Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium, quorum collatio in quatuor Mensibus non reservatis fiebat à Capitulis Canonicorum, excluso Episcopo. Controversia post longam disputationem, & plurium Jurisconsultorum consilia, qui circa eam scripserunt, terminata fuit eodem Anno 1669. contra Ministros Datariæ. Ideò Eminentia sua continuavit in pacifica possessione conferendi Canonicatus: nam

1673. 10. *Februarii*. Idem Emin. Cardinalis Episcopus Barbadicus contulit Canonicatum tunc in sua Cathedrali Patavina vacantem R. D. Joanni Baptistæ Gritti Nobili Veneto; qui tamen ob Pensionem sibi super eo impositam expedivit Litteras Apostolicas collationis in Dataria, regnante Summo Pontifice Clemente Decimo.

1673. 24. *Aprilis*. Idem Emin. Cardinalis Barbadicus Patavinus Episcopus contulit alium Canonicatum R. D. Marco Antonio Barbadico Nobili Veneto; qui postea factus fuit ab Innocentio Papa XI. Archiepiscopus Corcyrensis; ac deindè S. R. E. Cardinalis, & Episcopus Montis Flasconis, ubi piè vixit, ac sanctè obiit hoc anno 1706. de Mense Junio.

1681. 13. *Maii*. Idem Emin. Cardinalis Gregorius Barbadicus Episcopus Patavinus contulit alium Canonicatum R. D. Joanni Baduario Nobili Veneto; qui deindè fuit Patriarca Venetiarum; & hoc anno 1706. ob ejus eximias Virtutes, ac Heroicam Pietatem factus est Cardinalis S. R. E. à S. D. N. Clemente Papa XI. ac ad Episcopatum Brixiæ translatus.

1681. 20. *Augusti*. Idem Emin. Cardinalis Barbadicus Episcopus Patavinus contulit alium Canonicatum R. D. Matthæo Priolo Nobili Veneto.

1684. 17. *Octobris*. Idem Emin. Cardinalis Episcopus contulit alium Canonicatum R. D. Danieli Gradonico Nobili Veneto.

1690. 26. *Maii*. Idem Emin. Cardinalis Episcopus contulit alium Canonicatum R. D. Camillo Varoto Civi Veneto.

1690. *eodem Mense*. Idem Emin. Cardinalis Barbadicus Episcopus Patavinus contulit alium Canonicatum suæ Ecclesiæ Cathedralis vacantem R. D. Trojano Comiti Borromæo Nobili Patavino. Alii deindè Canonicatus in eadem Cathedrali Patavina non vacarunt in Mensibus reservatis usque ad Annum 1697. in quo de Mense Junio Eminentia sua ex hoc mundo ad meliorem vitam transivit.

Digitized by Google

INDULTUM

Eminentiss. Cardinalis Gregorii Barbadici Episc. Bergom. deindè Episcopi Paduani.

Dilecto Filio Nostro Gregorio S. R. E. Presbytero Cardinali Barbarigo Nuncupato.

ALEXANDER PAPA VII.

Dilecte Fili noster Salutem, & Apostolicam Bene-
dictionem. Ad personam tuam, quam Divina
Clementia magnis illustravit gratiarum muneribus,
paternæ dirigentes considerationis intuitum, & at-
tentè prospicientes; quod tu Romanam Ecclesiam,
cujus honorabile membrum existis, tuorum honoras
pleniùs magnitudine meritorum, dignum, quin po-
tiùs debitum reputamus ea tibi favorabilitèr conce-
1 dere, per quæ sublatis impedimentis quibuslibet pos-
sis de beneficiis Ecclesiasticis tuæ dispositioni com-
missis idoneis personis, & aliàs tibi gratis, & acceptis
2 providere. Motu proprio, non ad tuam, vel alterius
pro te Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam,
sed ex mera liberalitate, certaque scientia nostris,
Tibi quoad vixeris, solus per Te ipsum vel alium,
seu alios, quem vel quos ad hoc duxeris deputan-
dum, seu deputandos, tàm in Romana Curia, quàm
extra eam, quando, & quoties Te de licentia nostra
etiam pro Tua voluntate ab eadem Curia ubilibet
etiam ultra montes abesse contigerit, quæcunque
3 Beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura, se-
cularia, & quorumvis Ordinum, seu Hospitalium,
4 vel Militiarum regularia quomodolibet qualificata,
ad Tuam, etiam cum alio, vel aliis collationem,
provisionem, electionem, præsentationem, institu-
tionem, seu quamvis aliam similem, vel dissimilem,
dispositionem, tàm ratione cujusvis Ecclesiæ tibi pro
titulo tui Cardinalatus pro tempore assignandæ, quàm
Bergomen. cui ex concessione, & dispensatione Apo-
stolica præesse dignosceris, & aliarum quarumcunque
Cathedralium, Metropolitanarum, & Patriarchalium
Ecclesiarum, quibus te præfici, aut in Administrato-
rem deputari, vel ad quas Te transferri contigerit; nec
non quorumcunque Monasteriorum, Prioratuum,
Præpositatuum, Præceptoriarum, & Dignitatum,
administrationum, officiorum, & aliorum beneficio-
rum Ecclesiasticorum quorumvis Ordinum regularium
in quibuscunque civitatibus, & Diœcesibus, ac qui-
buscunque Regnis, Partibus, & locis consistentium,
quæ ex quibusvis concessionibus, & dispensationi-
bus Apostolicis, in titulum, commendam, & ad-
ministrationem, aut aliàs quomodolibet obtines, &
in posterum obtinebis, seu quorum collatio, provi-
sio, & quævis alia dispositio Tibi ex causa factæ re-
signationis per Te, seu cessionis regiminis, & admi-
nistrationis, seu commendæ Ecclesiarum, Mona-
steriorum, & aliorum beneficiorum hujusmodi Apo-
stolica auctoritate reservata existit, aut in posterum
5 reservabitur; de Jure vel consuetudine, aut aliàs quo-
6 modolibet pertinentia etiamsi Secularia, Canonicatus,
& Præbendæ, dignitates (non tamen post Pontificalem
1 Limitatio. 7 majores in Cathedralibus, vel collegiatis Ecclesiis prin-
cipales) personatus, administrationes, vel officia in
prædictis, vel aliis Cathedralibus, etiam Metropolita-
nis, Patriarchalibus, nec non Collegiatis Ecclesiis, aut
Parochiales Ecclesiæ, vel earum perpetuæ Vicariæ,
regularia verò beneficia hujusmodi Monasteria (non
2 Limitatio. 8 tamen consistorialia, neque conventum habentia, nec
quorum fructus in libris Cameræ taxati reperiuntur)
Prioratus, Præposituræ, Præpositatus, dignitates,
personatus, administrationes, & officia, seu aliàs
9 quomodolibet qualificata extiterint; & ad Prioratus,
Præposituras, Præpositatus, dignitates, administra-
tiones, officia, Canonicatus, & Præbendæ, & be-
neficia hujusmodi consueverint qui per electionem
assumi, eisque cura etiam Jurisdictionalis immineat
animarum; & beneficia hujusmodi ratione mensium
10 Apostolicorum, seu etiam ex eo quod illa obtinentes
11 aliquorum Romanorum Pontificum Prædecessorum
nostrorum familiares continui, commensales, aut Sedis
Apostolicæ Notarii, Subdiaconi, Acolyti, Cappel-
lani, Litterarum Apostolicarum Scriptores, Abbre-
viatores, seu Cubicularii, Nuncii Apostolici, nec
non proventuum, & jurium dictæ Cameræ debito-
rum Collectores, aut unici Subcollectores, seu qui-
cunque alii Curiæ, & Sedis prædictarum officiales,
etiam sub diversis Constitutionibus fæl. rec. Pauli Pa-
pæ III. prædecessoris nostri suorum, & pro tempo-
re existentium Romanorum Pontificum familiarium
continuorum commensalium declaratoriis comprehensi
præsentes, & futuri quocunque nomine nuncupati,
seu ex quavis alia causa dispositioni Apostolicæ spe-
12 cialitèr, vel aliàs (præterquàm veræ, & actualis fa-
miliaritatis, continuæ commensalitatis familiarium,
13 continuorum nostrorum Commensalium, qui nunc *3 Limitatio.*
sunt, seu aliàs dum Cardinalatus honore fungebamur,
fuerunt, aut quamdiu militantis Ecclesiæ regimini
præfuerimus, erunt, ratione) generaliter reservata,
seu ex generali reservatione Apostolica affecta exi-
14 stant, vel fuerint; quæ extra dictam Curiam quo- *4 Limitatio.*
modolibet, etiam illorum commendis cessantibus, si
commendata; & Unionibus dissolutis, si unita; &
commendæ, & Uniones hujusmodi etiam de tunc va-
cantibus per resignationem, aut obitum quorumcun-
15 que etiam apud Sedem eandem, & propterea, seu
aliàs dispositioni Apostolicæ reservata vel affecta fa-
16 cta fuerint, vacare contigerit, etiamsi litigiosa fue-
rint, vel sint, quibusvis personis idoneis, quibus tibi
videbitur, cum omnibus pertinentiis suis; & plenitu-
dine Juris Canonici juxta Sacrorum Canonum, &
Concilii Tridentini dispositionem conferre, & de il-
lis etiam providere, aliàsque disponere, aut etiam
17 Monasteria (non tamen concistorialia, neque con- *Repetitio secunda Limitationis.*
ventum habentia, nec etiam quorum fructus in li-
bris Cameræ Apostolicæ taxati reperiuntur) Prio-
ratus, dignitates, aliaque beneficia regularia prædi-
cta per Clericos seculares obtineri solita; seu commen-
dis de illis antea factis cessantibus vacantia (quæ ta-
18 men dignitates conventuales, seu officia claustralia *5 Limitatio.*
non sint) Clericis secularibus per eos, quoad vixe-
rint, tenenda, regenda, & gubernanda, ita quod
liceat eis debitis, & consuetis illorum supportatis one-
ribus de residuis ipsorum fructibus, reditibus, & pro-
ventibus disponere, & ordinare, sicut illa in titulum
pro tempore obtinentes de illis disponere, & ordi-
nare potuerunt, seu etiam debuerunt (alienatione
tamen quorumcunque bonorum immobilium, & præ-
tiosorum mobilium ipsis penitùs interdicta) com-
mendare, cæteraque super his necessaria, & oppor-
tuna facere, & exequi liberè, & licitè valeas in om-
nibus, & per omnia, perinde ac si provisiones, col-
19 lationes, commendæ, gratiæ, & quævis aliæ dis-
positiones tàm per Nos, seu Prædecessores, & Suc-
cessores nostros pro tempore existentes, & Sedem
prædictam, quàm de latere Legatos etiam S. R. E.
Cardinales, etiam motu, scientia, & de Apostolicæ
potestatis plenitudine similibus, ac cum quibusvis
prægnantissimis, fortissimis, & insolitis clausulis,
nec non irritan. & aliis decretis quibusvis personis
etiam familiaribus, continuis commensalibus nostris,
aut à Cardinalibus hactenùs concessæ, aut conce-
dendæ non emanassent, seu emanarent, & Cancel-
lariæ Apostolicæ Regulæ, cæteraque Constitutio-
nes, & dignitatum (non tamen post Pontificalem
majorum in Cathedralibus, vel in Collegiatis Eccle-
siis principalium) Prioratuum, etiam Conventua-
lium, aliorumque beneficiorum Ecclesiasticorum,
aut Romanorum Pontificum (non tamen nostrorum,
ut præfertur, familiarium continuorum commensa-
lium) seu alias generales, vel speciales reservationes
quovis

Digitized by Google

quovis modo continentes, seu inducentes, aut aliàs
20 quomodolibet affectionem facientes, & alia quæcunque contraria, seu tibi in præmissis, vel circa ea impedimentum præstantia quomodocunque seu præstare valentia ad Monasteria, Præpositatus, Præposituras, Dignitates, Personatus, Administrationes, & Officia, Canonicatus, & Præbendas, aliaque beneficia prædicta nullatenus se extenderint, sed de ipsis, quæ pro tempore quomodolibet (extra dictam Curiam) etiam commendis cessantibus, & unionibus dissolutis, vacare contigerit, ut præfertur, liberè dis-
6 Limitatio. 21 ponas; & quo ad beneficia Vacantia per obitum familiarium S. R. E. Cardinalium juxta formam fæl. rec. Gregorii XIV. & Pauli V. Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum constitutionum moderatoriarum Indultorum eisdem Cardinalibus concessorum, quas ad unguem servari, & custodiri volumus. Non obstantibus litteris nostris in Cancella-
22 ria Nostra Apostolica publicatis, videlicèt de Impetranda beneficia per obitum familiarium Cardinalium, & sequenti super eadem familiaritate, quas ad hunc effectum ad terminos prædictarum Constitutionum reducimus, Apostolica Auctoritate tenore præsentium de speciali gratia indulgemus. Decernentes, affectiones, reservationes, regulas, constitutiones, ordinationes, & collationes, commendas, gratias, facultates, cessiones, dispositiones, & decreta in illis contenta, quo ad impedien. te, quomi-
23 nùs in præmissis, tàm ordinaria auctoritate, quàm concesso tibi per præsentes Indulto hujusmodi uti va-
24 leas ad dicta beneficia ad tuam etiam cum alio, vel aliis dispositionem, ut præfertur, pertinentia nullatenus se extendere, nec de iis per quoscunque etiam Sedis Apostolicæ Legatos de latere nunc, & pro tempore deputatos quavis, etiam speciali facultate fun-
25 gentes provideri, vel aliàs disponi posse; ac irritum, & inane, si secus super præmissis omnibus, & singulis etiam per Nos, & dictos Legatos, ac Nuncios quavis auctoritate scienter, vel ignoranter conti-
26 gerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non ipsius Bergomen, ac tibi pro titulo Tui Cardinalatus, ut præfertur, pro tempore assignan. ac quarumcunque Cathedralium, Metropolitanarum, & aliarum Ecclesiarum, in quibus secularia, nec non Monasteriorum, seu aliorum Regularium locorum, in quibus Regularia beneficia hujusmodi forsan fuerint, seu à quibus ipsa Regularia beneficia dependere contigerit, & Ordinum, quorum illa extiterint, Juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & Litteris Apostolicis iisdem Ecclesiis, Monasteriis, ac Ordinibus, ac dilectis filiis eorum Capitulis, & conventibus Superioribus, ac personis cujuscunque dignitatis, status, gradus, Ordinis, ac conditionis existentibus per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem prædictam sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, etiam super Monasteriorum, & beneficiorum hujusmodi dispensatione, aut aliàs quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac dè verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum nihil penitùs omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, Motu, Scientia, & Potestatis plenitudine similibus ad effectum omnium, & singulorum præmissorum specialiter, & expressè derogamus, illasque & illa quatenus Te, quominùs Ordinaria Auctoritate, seu concesso Tibi per præsentes Indulto prædicto uti valeas impediant, aut impedire, vel aliàs Tibi, aut personis, quibus beneficia hujusmodi per Te, vel alium contuleris, vel commendaveris, ut præfertur, præjudicare possent, revocamus, cassamus, annullamus, viribus vacua decernimus,
27 cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, quod ii, quibus beneficia generaliter reservata, vel affecta hujusmodi, quorum fructus, reditus, & proventus XXIV. ducatorum auri de Camera secundum communem existimationem valorem annuum excedunt, vigore præsentium per Te, vel alium contuleris, ac etiam ii, quibus beneficia regularia commendaveris, ut præfertur, intra quatuor menses, si citra, si verò ultra montes collationes, seu commendæ prædictæ factæ fuerint, infra octo menses à die factarum Collationum, seu Commendarum hujusmodi computandos, novas provisiones, seu commendas super beneficiis hujusmodi à Sede prædicta impetrare, & Litteras Apostolicas desuper in totum expedire, ac Jura eidem Cameræ, & aliis propterea debita persolvere teneantur, alioquin elapsis eisdem mensibus beneficia prædicta vacare censeantur eo ipso, possintque illa per alios ab eadem Sede dumtaxat liberè impetrari, nisi illi, quibus collata, aut commendata fuerint, legitimo impedimento impediti de legitimo impedimento hujusmodi legitimè coram Datario Nostro, & testibus constare fecerint, vel ipsis petentibus, & protestantibus, quod per eos non stat, contigerit illas eis denegari. Cæterùm hujus Voluntatis nostræ in Litteris provisionum, vel aliarum dispositionum, quæ de ipsis beneficiis reservatis, vel affectis, ac etiam in singulis Litteris Commendarum, quæ per Te, vel alium earundem præsentium vigore fient, ut præfertur, specifica mentio fiat, aliàs provisiones, collationes, & commendæ prædictæ nullius sint roboris, vel momenti. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris Die XXIII. Junii MDCLX. Pontificatus nostri Anno Sexto

S. Ugolinus.

DISCORDIA II.

ARGUMENTUM.

Judex, qui protulit Sententiam mortis, seu mutilationis in reum, non efficitur Irregularis ex defectu Lenitatis, si Sententia executionem non habuit: proindè potest promoveri ad Ordines, ac beneficia, neque eget dispensatione.

SUMMARIUM.

1 *Sententia capitalis ad executionem non deducta non efficit Judicem Irregularem.*
2 *Doctores 40. apud Dianam ita docentes.*
3 *Belletti, ac Fagnani Sententia consimilis.*

Illustrissimus Dominus Cajetanus Comes de Angaranis, Nobilis Vicentinus, promovendus tanquam Canonicus ad minores, ac Sacros majores Ordines, dubitat, an ei obsit Irregularitas ex defectu Lenitatis, eo quia sedit tanquam Judex in Consulatu suæ Magnificæ Patriæ; & plures reos contumaces, ac absentes condemnavit ad exilium cum pœna capitali, quæ tamen nunquam ad effectum fuit deducta?

Huic dubio respondendum censeo, nullam ei obstare Irregularitatem, attenta communi opinione Theologorum, ac Canonistarum docentium, Judicem proferentem Sententiam capitalem non effici irregularem, nisi quando mors in executionem Sententiæ

Digitized by Google

1 tentiæ actualiter Reo illata fuerit; ideò cum nullus ex bannitis, quos præfatus Judex condemnavit cum pœna capitali, unquam captus fuerit, neque eadem pœna punitus, ipsemet Judex immunis remanet ab irregularitate, quæ non incurritur, nisi Sententia mortis exequuta; ut constanter tenent quadraginta Doctores, quos allegat, & sequitur Diana *part. 11. tract. 5. resol. 6.* quæ reposita est in ejus Opere Coordinato *tom. 5. tract. 5. resol. 89.* in qua confutat Philippum Fabrum, ac Pyrrhum Corradum contrarium opinantes; & inter cæteras rationes hanc adducit, *Quia si per mandatum injustum, non sequuto effectu, non incurritur Irregularitas, multò minùs per sententiam justam, effectu non sequuto.* Quapropter puto non esse recedendum ab opinione Dianæ, ac tantorum Doctorum, per ipsum allegatorum, inter quos existunt plures magni nominis, & non nisi probabilissimas opiniones sequentes, quales sunt Suarez *de Censuris disp. 47. sect. 4.* & Sperellus *decis. 77. num. 11.* Quibus ego addo Farinacium in *Fragment. Crimin. Verb. Clericus. num. 391.* Thesaurum *de Pœnis Eccles. Verb. Judex cap. 2. Vers. Contraria tamen*
3 *Sententia*, & Bellettum *De Disciplina Clericali part. 1. §. 5. num. 145.* ita scribentem: *Quare Judex, qui judicavit in causa mortis, sivè mutilationis, non secuta morte, vel mutilatione, non fit irregularis.* Abb. *in cap. Sententiam. num. 101. Ne Clerici, vel Monachi.* Sylvester *Verb. Homicidium 3. q. 2.* Navar. *in Manuali cap. 17. num. 191.* & Riccius *in Praxi part. 2. resol. 298.* His concordat etiam Illustrissimus Fagnanus *in cap. De Cætero num. 9. de Homicid. tom. 6.*

Quare absque hæsitatione ita tenendum, ac practicandum dico in supradicto casu.

Ego Joannes Clericatus Præpositus J. U. D. Patavinus.

DISCORDIA III.

ARGUMENTUM.

Ostenditur, Clericum non habentem annos quatuordecim posse præsentari ad beneficium simplex Jurispatronatus Laicalis, fundatum ante Concilium Tridentinum, cum hac sola conditione, ut ad illud clericus præsentetur.

SUMMARIUM.

1 *Annum decimumquartum clericus non habens, ex Trid. Concilio beneficium simplex non potest obtinere.*
2 *Lex generaliter loquens generaliter est intelligenda.*
3 *Annus decimus quartus sufficit inchoatus pro beneficio simplici obtinendo.* Et num. 15.
4 *Beneficia simplicia ante Trid. Concilium fundata quando possint conferri clericis non habentibus annos 14.*
5 *Concilium Tridentinum non derogavit dispositioni Fundatorum circa ætatem pro simplici beneficio.*
6 *Jo. Mariæ Novarii opinio circa prædictam ætatem.*
7 *Barbosæ eadem Sententia, aliorum DD. ac Rotæ Romanæ.*
8 *Merlini Decisio, quod clericus ante annum 14. potest habere beneficium simplex de Jurepatronatus.*
9 *Prima Tonsura dari potest habenti septem annos.*
10 *Auditorum Rotæ Romanæ encomium.*
11 *S. Congregationis Concilii declaratio pro ætate circa beneficium simplex de Jurepatronatus.*
12 *Ciarlini doctrina circa eandem ætatem, & Responsio S. Congregationis de anno 1640.*
13 *Declarationes S. Congr. Concilii habent vim legis.*
14 *Ordinario non est à Jure præfixum tempus instituendi præsentatos ad beneficium Jurispatronatus Laicalis.*

VAcante simplici beneficio, (Capella Sanctæ Mariæ de Castellario nuncupato) de Jurepatronatus Laicali Nob. DD. de Ponte Civium Patavinorum, per contractum Matrimonii initi per verba de præsenti à Nob. Domino Joanne de Ponte Clerico, ejusdem simplicis beneficii ultimo possessore; Quæsitum fuit, an præsentari possit ad prædictum simplex beneficium Nob. D. Hieronymus de Ponte Clericus constitutus in ætate annorum duodecim completorum, ac tredecim tantummodò incæptorum? Et prima fronte videbatur respondendum negativè ex Decreto Concilii Tridentini *sess. 23. de Refor. cap. 6.*
1 sic statuentis: *Nullus prima Tonsura initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus ante decimum quartum annum beneficium possit obtinere;* quâ Conciliari dispositione attenta, incapacem esse cujuscunque beneficii simplicis, quamvis de Jurepatronatu Laico, minorem annorum quatuordecim docent Theologi, ac Canonistæ, quos longa serie allegat Barbosa *in Collect. DD. ad d. cap. 6. sess. 23. Conc. Trid.* ea ratione, quia Concilium generaliter loquitur,
2 & ideò generaliter est intelligendum. Dynus *in Proemio Reg. Jur. in 6. num. 8.* Fagnanus *in cap. Cum in cunctis num. 84. & 88. De Elect.* Vivianus *de Jurepatron. lib. 2. cap. 6. num. 8.* & passim omnes, qui solummodò concedunt, sufficere annum decimum quartum inchoatum, nec opus esse, ut sit completus
3 ex declaratione S. Congregationis Concilii; de qua Garzias *de Benefic. part. 7. cap. 4. num. 11.* Gonzalez *ad Reg. 8. Cancell. glos. 5. num. 90.* & Barbosa *ad d. cap. 6. Concil. Trid. num. 2. & de Offic. & Pot. Episc. allegat. 60. num. 73.*

Nihilominùs Visis præsentationibus ad hoc simplex beneficium ab hinc tercentis circiter annis continuò factis per Nob. de Ponte Patronos de simplici Clerico; ac per Curiam Episcopalem Patavinam jugiter admissis, censui præsentari posse in præsenti vacatione supradictum Nob. D. Hieronymum de Ponte Clericum, prima Tonsura insignitum, etsi nondum attingat decimum quartum annum ætatis suæ; siquidem constans est scribentium doctrina, auctoritate Rotæ Romanæ, ac Emin. S. R. E. Cardinalium Congregationis Concilii Tridentini Interpretum confirmata, quod ubi agitur de beneficio simplici an-
4 te Tridentinum Concilium fundato; in quo Patronus voluit, vel expressè, vel virtualiter, ut in eo institueretur Clericus prima Tonsura insignitus, absque alia præfixione ætatis, tunc, & in tali casu etiam post Concilium Tridentinum non sit necessarius annus decimus quartus; sed sufficiat expletum esse septennium ob illam inconcussam rationem, quod ante Concilium Tridentinum de Jure Canonico sufficiebat ætas annorum septem; ut advertunt Glossa *in cap. Si eo tempore. Verb. ætatem. De Rescript. in 6.* Abbas *in cap. Præterea. num. 6. & 7. De ætate, & qualit.* Loterius *lib. 2. quæst. 49. num 12.* & Rota *part. 2. recent Decis. 194. num. 12.* eadem Rota
5 *part. 19. Decis. 354. num. 34.* Concilium autem Tridentinum *in d. sess. 23. cap. 6.* non derogavit dispositioni Fundatorum in beneficiis antea erectis de Jurepatronatus; sed tantummodò sancivit, quid servandum sit quo ad ætatem in beneficiis simplicibus liberæ collationis: Gonzalez *d. glos. 5. num. 91.* Garzias *d. part. 7. cap. 4. num. 9.* & Joannes Novarius *Novi Juris Pontific. Pract. Conclus. tit. De ætate concl. 1. aliàs 13. num. 5.* Sed referamus verba primùm Doctorum, mox Rotæ Romanæ, deindè Sacræ Congregationis Concilii pro fundamento præsentis consultationis nostræ.

Primò ex Jo. Novario sic scribit Diana Coordinatus *tom. 3. tract. 3. resol. 112.* desumptâ ex Veteri ejus opere *part. 3. tract. 6. resol. 64. An minor 14.*
6 *annorum possit præsentari ad beneficium Jurispatronatus? Affirmativam Sententiam mordicùs sustinet doctus Jurisconsultus Jo. Maria Novarius in QQ. Forensibus part. 1. q. 71. num. 5. & seqq. quia licèt ex dispositione Concilii Tridentini sess. 23 cap. 6. de ref. nullus ante 14. annum beneficium potest obtinere: tamen*

Digitized by Google

men beneficium Jurispatronatus tunc venit appellatione
beneficii, quando adest ejus favor; secùs autem in non
favorabilibus, ut est in nostro casu.
Secundò in terminis præsentis casus punctualiter
loquitur Barbosa de Jure Eccles. Univ. libr. 3. cap. 12.
à num. 158. & seqq. ubi relato prædicto Decreto Con-
cilii Tridentini sess. 23. cap. 6. ita disserit: Limita-
7 tur, ne procedat, quando in fundatione expressè cave-
tur, etiam minores 14. annis posse admitti; ut fuit
dictum in Granaten. Capellaniæ 12. Januarii 1607.
coram b. m. Card. Marquemont. quam refert Loterius
de Re benefic. lib. 1. q. 32. num. 35. & est Decis. 194.
part. 2. rec. Vel si fundator (notetur) id voluisset,
nempè si mandavit præsentari Clericum in minoribus
constitutum: nam tunc etiam poterit præsentari, &
institui minor 14. annorum, non obstante dispositione
Concilii d. cap. 6. Rota decis. 482. ad fin. part. 1. div.
Garzias de benefic. part. 7. cap. 4. num. 9. & 10. Vel
si mandavit præsentari Clericum primæ Tonsuræ, quia
tunc poterit minor 14. annis præsentari, ut fuit re-
solutum in Monopolitana Beneficii 6. Junii 1622. coram
8 R. P. D. Merlino. (Quæ inter ejus Decisiones impres-
sas est Decis. 40.) Quod intelligitur, ubi fundatio fa-
cta est ante Concilium Tridentinum, de quo tempore
secundum Juris communis dispositionem, Clericus etiam
primæ Tonsuræ, & in septimo Anno constitutus erat
capax beneficii simplicis. cap. Si eo tempore. De Re-
script. in 6. & declaravit Rota in Corduben. Capella-
niæ. 5. Decembris 1629. coram R. P. Durano, cujus
est Decis. 228. in impressis: Hucusque Barbosa:
Cum itaque in præsenti casu agatur de beneficio sim-
plici fundato per annos ducentos, & ultra antè Tri-
dentinum Concilium; & in eo semper fuerit præ-
sentatus Clericus primæ Tonsuræ, ut constat ex præ-
sentationibus, quæ exhibentur ab anno 1499. citrà;
etsi registrum ipsius fundationis beneficii non reperia-
tur, legitimè infertur, voluntatem Fundatoris fuisse
saltem virtualem, & tacitam, ut posset ad illud præ-
sentari etiam Clericus minor annorum 14. & per con-
sequens etiam in præsenti, Clericum in decimo tertio
anno ætatis suæ constitutum esse capacem ejusdem
præsentationis, potissimùm existentem de linea, ac
familia fundatoris.
Tertiò: supradicta confirmantur ex Decisione ci-
tata coram Merlino in Monopolitana Beneficii, seu
Capellæ 6. Junii 1622. quæ ut dixi est inter ejus im-
pressas Decis. 40. quæ à num. 13. & seqq. ita loqui-
tur: Nec Visum fuit Dominis obstare, quod Fundator
expressè non disposuerit, quod posset præsentari mi-
nor annis 14. prout erat Franciscus de tempore præ-
sentationis, & consequenter in dubio censendum videa-
tur ipsum intellexisse de Clerico primæ Tonsuræ, qui
tamen esset capax beneficii, & sic constitutus in 14. an-
no, juxta dispositionem S. Concilii Tridentini sess. 23.
cap. 6. de ref.
Quia fuit responsum, satis esse, quod Fundator
voluerit sufficere, quod præsentandus ex linea masculi-
na, vel fœminina esset Clericus primæ Tonsuræ, quæ
etiam septimum duntaxat ætatis annum agentibus
9 conferri potest. cap. Nullus. & ibi Glossa in Verb.
Infanti. De Tempor. Ord. in 6. Qui propterea de Jure
communi est etiam simplicis beneficii, prout est hoc, de
quo agitur, indubitanter capax: cap. Si eo tempore.
ubi post alios Franchus num. 10. in fin. De Rescript.
in 6. Imola in cap. Super inordinata num. 4. de Præ-
bend. Lambertin. de Jurepatr. part. 2. lib. 2. num. 6.
fol. mihi 593. Mandos. de Ætate Min. cap. 3. num. 21. &
cap. 4. num. 13. & 15. cum aliis per Garz. de benef.
part. 7. cap. 4. num. 4. 5. & 6. Ex hoc enim satis aper-
tè expressisse videtur, quod etiam minor 14. annis præ-
sentari posset secundum Juris communis dispositionem,
quæ de tempore fundationis vigebat; & cum qua præ-
sumendum est conformare se voluisse, ut per Mohedan.
decis. 18. De Causa poss. & propr. & Gonzal. qui alios
congerit super Reg. 8. gloss. 5. num. 81. ex quo S. Conc.
Tridentinum de dicto anno 1515. nondum erat apertum,
& consequenter Fundator se se conformandi cum eo in-
tentionem habere nullatenùs potuit; & in fortioribus
terminis, quod si Fundator in defectum Sacerdotis sim-
pliciter mandaverit præsentari Clericum, non obstet
d. Conc. Tridentini dispositio, nec sit necesse, quod Cle-
ricus præsentatus sit annorum 14. est Decisio Rotæ Di-
vers. 482. ad fin. part. 1. ubi quod ita censuerunt Illu-
strissimi Cardinales Sacræ Congregationis Concilii, quam
refert etiam Garzias de benefic. d. part. 7. cap. 4. num. 9.
& 10. Undè multò minùs dicendum est necessarium esse
in casu præsenti, in quo Fundator expressè voluit suf-
ficere, quod præsentatus esset Clericus primæ Tonsuræ.
Hucusque Rota coram Merlino, quæ punctualiter
deservit casui nostro, attentis præsentationibus ante
Concilium Tridentinum factis de simplici Clerico
primæ Tonsuræ, ex quibus manifestè desumitur,
Fundatoris voluntatem fuisse, ut etiam minor 14.
annorum posset præsentari; cui voluntati Concilium
Tridentinum non derogavit. Porrò nemo est, qui
ignoret, quanti ponderis sint Decisiones Rota-
les, quæ emanant à pluribus simul Doctoribus ce-
leberrimis, qui (ut ait Loterius in apparat. num. 84)
10 sunt Splendor, & Lucerna totius Juris, & quasi ra-
dii solis, à quibus multa obscura Juris loca illuminan-
tur, & illustrantur. Et ideò alii Judices non debent
declinare à placitis Rotalibus propter eminentiam
tantorum Patrum, ut scribit Menochius cons. 1196.
num. 2. quorum supremum Tribunal est omnium Ju-
risconsultorum Auriga, & Magister, atque totius
Orbis Tribunalium vertex, teste Rubeo in Annot.
ad part. 9. recent. Decis. 282. num. 54. & seq.
Quartò tandem eò magis firmatur, præsentari pos-
se ad prædictum beneficium simplex Clericum in de-
cimo tertio anno ætatis suæ constitutum, eique non
obstare Decretum Concilii Tridentini d. sess. 23. cap. 6.
ob tacitam voluntatem Fundatoris; quia in simili
casu ita respondit Sacra Congregatio Emin. Cardina-
lium ejusdem Concilii Tridentini Interpretum die 2.
11 Julii 1579. prout testatur Rota Romana part. 1. di-
vers. decis. 482. in fine his verbis.
Reservarunt Domini (audire à d. Sacra Congrega-
tione) An, ex quo non probatur, quod Antonius
(Clericus tunc præsentatus ad beneficium simplex
de Jurepatronatus) sit constitutus in 14. Anno, pro-
ut requirit Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 6. sed
tantùm sit constitutus in 12. Anno, ei obstet d. Con-
cilium. In qua difficultate Illustrissimi Cardinales Con-
gregationis S. Conc. Trid. censuerunt, Non obstare die
2. Julii 1579.
Aliam consimilem Declarationem de Anno circi-
ter 1640. refert Ciarlinus in Controv. Forensib. lib. 1.
cap. 53. num. 51. his verbis: Emin. ac Reverendissimi
Domini. Thomas de Spinellis, aliàs dell'Ajata, Diœ-
cesis Rhegien. fundavit simplex beneficium Jurispatro-
natus descendentium Balthassaris, & fratrum de Spi-
nellis, Testatoris agnatorum, cum declaratione, quod
dictus Rector, sive Rectores d. beneficii, ut supra eli-
gendi, esse debeant Sacerdotes Missam celebrantes,
honestæ vitæ, bonorum morum. His tamen demptis,
alii, qui forent, aut essent de stirpe, & progenie præ-
dictorum de Spinellis, eos eligi posse voluit in Re-
ctores dicti beneficii, etiamsi non essent, nisi in mi-
noribus, & puri Clerici, & prohibuit alios extra-
neos eligi, donec sint, qui eligi possint de stirpe præ-
dicta.
Quæritur, an Patronus dicti beneficii possit præ-
sentare filium suum Clericum ætatis annorum decem
circiter, non obstante Concilio Trid. cap. 6. sess. 23.
Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini
Interpretum censuit, ex Lege fundationis hujusmodi,
quam non sustulit ipsius Concilii Decretum cap. 6.
sess. 23. ad beneficium prædictum præsentari posse Pa-
troni filium, qui Clericus in aliquo saltem ex minori-
bus ordinibus constitutus, & alioquin idoneus reperia-
tur,

Digitized by Google

tur, etiamsi decimum suæ ætatis annum non excesserit. Cæsar Cardinalis de Torres.

En igitur, quod ubi ante Concilium Tridentinum mandatum est à Fundatore beneficii, ut præsentetur simplex Clericus; post Concilium prædictum non est necessaria ætas 14. annorum ex suprarelatis Declarationibus Sacræ Congregationis; quibus standum est etiam in præsenti nostro casu, in quo ante Concilium Tridentinum ad hanc Capellam S. Mariæ de Castellario præsentabantur simplices Clerici; prædictæ enim Declarationes S. Congregationis ha-
13 bent vim legis decisivæ, & ligant in utroque foro, ut plenè probat Barbosa *de Jure Eccl. Univ. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 83. Rodericus *QQ. Regular. tom.* 1. *quæst.* 11. *art.* 2. & Rota coram Buratto *Decis.* 479. *num.* 21.

Quare concludendum venit, posse absque scrupulo Patronum seniorem Nob. familiæ de Ponte præsentare juxta solitum Clericum, etsi non habentem annos 14. ad prædictum beneficium, seu Capellam S. Mariæ de Castellario ex auctoritate Doctorum, Rotæ Romanæ, ac Declarationum S. Congregationis Concilii Tridentini supra relatarum.

Cæterùm ad tollendos omnes scrupulos, cum in Jure non sit præfixum, aut limitatum tempus Ordinario ad faciendam Institutionem præsentato à Patronis ad beneficium Jurispatronatus Laicalis, ut ad-
14 vertit Vivianus *De Jurepatr. lib.* 12. *cap.* 4. *num.* 7. ubi alii DD. ac Decisiones Rotales; & in præsenti casu nullus sit, qui urgeat pro Institutione, nec ex ejus dilatione præjudicium aliquod, cuicunque sit, causetur; potest Curia Episcopalis lentè agere in exponendis Edictis, ac post eorum expositionem in procedendo ad institutionem ejusdem Nob. Domini de Ponte Clerici præsentati: ipse enim post quinque ab hinc circiter menses Annum 14. incipiet, & tunc etiam juxta dispositionem Concilii Tridentini recipiet Institutionem, ad quam recipiendam ex mente ejusdem Concilii, ut dictum est supra *num.* 3. suf-
15 ficere Annum 14. inceptum tantummodò declaravit Sacra Congregatio juxta assertionem etiam Garziæ *de Benefic. d. part.* 7. *cap.* 4. *num.* 11. Gonzalez *d. gloss.* 5. *num.* 90. & Barbosæ *in Collect. DD. ad d. cap.* 6. *Sess.* 23. *de Ref. num.* 2. ac *de Offic. & pot. Episc. alleg.* 60. *num.* 73. Quare &c.

DISCORDIA IV.

ARGUMENTUM.

Agitur de Jure præsentandi Parochum Ecclesiæ S. Zachariæ Villæ Codevici, Paduanæ Diœcesis, quod prætendebat habere Nobilis Vir Joannes Baptista Cornelius Procurator S. Marci Venetiarum, Nepos, & Heres eximii quondam Viri Aloysii Cornelii, qui famosum librum edidit *della Vita Sobria*. Panduntur, quæ, & quot sint necessaria pro acquirendo Jurepatronatu Laicali in fundatione, constructione, seu dotatione Ecclesiæ. Ejus solam ampliationem, camporumvè illius meliorationem, aliamvè liberalem tantùm beneficentiam Jus præsentandi Parochum non producere, comprobatur. Tandem ex Privilegio Jus prædictum ab Apostolica Sede fuisse concessum ipsi Nobili Veneto Joanni Baptistæ Cornelio, ejus linea masculina dumtaxat durante, demonstratur; ac Breve Pontificiæ concessionis hujusmodi adjungitur.

SUMMARIUM.

1 *Joannis Baptistæ Cornelii cognominati* Episcopiæ *petitio Jurispatronatus super Ecclesia Villæ Codevici.*
2 *Liber* della Vita Sobria *scriptus ab Aloysio Cornelio Veneto Cive.*
3 *Retractus Camporum mille factus ab eodem in Villa Codevici. Anno* 1550.
4 *Donatio unius domus facta per eundem pro habitatione Parochi d. Villæ Codevici.*
5 *Parochianorum auctus numerus in d. Villa, atque Parochialium emolumentorum.*
6 *Ampliatio ejusdem Ecclesiæ Villæ Codevici.*
7 *Melioratio Camporum ipsius Ecclesiæ, ac ejus Dotis augmentum.*
8 *Fundatores, ac Dotatores Ecclesiarum, ipso Jure, fiunt earum Patroni.*
9 *Etiamsi id expressè non declarent.*
10 *Juspatronatus quomodo acquiratur ex fundatione, seu dotatione Ecclesiæ?* Et num. 25.
11 *Ordinarii consensus est necessarius, ut Juspatronatus acquiratur.* Et num. 15.
12 *Sedis Apostolicæ beneplacitum requiritur ob Juspatronatus in ampliatione Ecclesiæ, vel augmento dotis.*
13 *Ecclesiæ Parochialis Villæ Codevici antiquitas.*
14 *Ampliatio Ecclesiæ non dat Juspatronatus.* Et num. 15. Et num. 24.
16 *Benefactor, non Patronus evadit, qui donat Ecclesiæ.*
17 *Parochi plures ante Concil. Trid. ex abusu non residebant.*
18 *Exactor reddituum Ecclesiæ censetur ex eis expendisse in Ecclesiam.*
19 *Præscriptio centenaria liberæ collationis beneficii probat, illud non esse de Jurepatronatu Laicali.*
20 *Venetæ Familiæ Nobiles reputantur inter personas potentes.*
21 *Titulus, ac possessio præsentandi per annos* 50. *requiritur in personis potentibus.*
22 *Quartesia frugum debentur Parochis ex Juris Divini, atque Canonici dispositione.*
23 *Donatio solius domus Parochialis non causat Juspatronatus.*
26 *Alexander Papa VIII. concessit Jus præsentandi Parochum Villæ Codevici Nob. Viro Joanni Baptistæ Cornelio Episcopiæ.*
27 *Innocentii Papæ XII. Breve ejusdem Pontificiæ concessionis.*

ANno 1674 cum vacasset Parochialis Ecclesia Sancti Zachariæ Villæ Capitis Vici, vulgò *di Codevigo*, per mortem R. D. Donati à Lege ultimi Rectoris, in Diœcesi Patavina; expositumque fuisset ab Eminentissimo, ac Reverendissimo Cardinali GREGORIO BARBADICO Episcopo Edictum concursus, pro eligendo novo Parocho ad dictam Ecclesiam, facta fuit instantia Eminentiæ suæ, parte, &
1 nomine Nobilis Viri Joannis Baptistæ Cornelii, cognominati *Episcopiæ*, Procuratoris Sancti Marci Venetiarum; ut dignaretur abstinere à prædicto concursu; eo quia prætendebat, eandem Parochialem Ecclesiam Villæ *di Codevigo* esse sui Jurispatronatus Laicalis, acquisiti à quondam Avo suo Aloysio Cornelio; cujus nomen celebratur tùm apud Philosophos Morales; tùm apud Historicos, ob illius eximiam in edendo, ac bibendo sobrietatem; de qua ipse scripsit famosum Libellum *Della Vita So-*
2 *bria*, cujus meminit, & magnam commendationem facit P. Stephanus Menochius *in Stureis part.* 3. *Centur.* 5. *cap.* 68. & ibi Lessius *in tractatu De Valetudine tuenda*. Igitur in mandatis habui ab eodem Eminentissimo Cardinali Episcopo, tanquam ejus tunc Auditor Generalis, ut rationes, ac fundamenta asserti Jurispatronatus viderem, atque examinarem; simulque Jura, & scripturas Curiæ Episcopalis Patavinæ;

Digitized by Google

& pro Veritate justitiaque responderem. Huic Heri, ac Superioris mei jussui obtemperans, rationes utriusque partis attentè rimatus fui; & comperi, non constare de prædicto prætenso Jurepatronatus, imò manifestè apparere, Parochialem prædictam esse omninò liberam, & per consequens ab Eminentia sua
1 esse providendam per concursum; siquidem non spectabat ad auctoritatem ejus ordinariam concedere ex Privilegio petitum Juspatronatum antedictæ familiæ Corneliæ, sed ad supremam Summi Pontificis potestatem. Rationes, ac fundamenta ipsius Procuratoris Sancti Marci Domini Joannis Baptistæ Cornelii *Episcopiæ*, pro asserto suo Jurepatronatus, erant sequentia.

Primò, quod prælaudatus Aloysius Cornelius ejus
2 Avus, & cujus ipse heres erat, cum possideret in dicta Villa, ac sub eadem Parochiali Sancti Zachariæ *de Codevigo* plurimos campos, illos retraxerat usque de anno 1550. & ad culturam reduxerat ex eis
3 mille, & ultra, qui erant in antea paludosi, ac omninò steriles, & inutiles; ac subindè ex illis fructuosis factis assignaverat prædictæ Ecclesiæ Parochiali Quartesium, idest quadragesimam partem omnium bladarum, ac Uvarum, quæ annuatim colliguntur,

Secundò, quia eodem tempore, deficiente domo Parochiali, ipse Aloysius Cornelius donaverat, prædictæ Ecclesiæ Sancti Zachariæ unam domum de
4 muro, in qua ejus Factor degebat, cum ampla Tegete de palea, ut in ea Parochus perpetuis futuris temporibus habitaret, prout in illa etiam de præsenti Parochus Villæ *di Codevigo* inhabitat.

Tertiò, quia ob exsiccatas paludes in eadem Villa Capitis Vici, fabricatæ fuerunt subindè domus plurimæ, & valdè auctus numerus habitantium sub illa Parochia; ex quibus proveniebant ad ipsum Paro-
5 chum magna emolumenta tùm aliorum quartesiorum, ac Decimarum; tùm diversorum incertorum, seu eleemosynarum in frequentibus Baptismis, Matrimoniis, atque Funeralibus; ex quibus ditescerat Parochus ipse, & Parochialis Ecclesia.

Quartò, quia Ecclesia ipsa, quo ad structuram, ac fabricam materialem, fuerat ampliata, & in venustiorem formam constituta ab eodem Aloysio Corne-
6 lio Avo suo; in qua fabricatione, ac restauratione expenderat magnam Ducatorum quantitatem ex propria pecunia.

Quintò tandem quia ipsemet Aloysius Cornelius restauraverat, & melioraverat plurimos Campos in eadem Villa Codevici proprios ipsius Parochialis Ecclesiæ; undè auxerat valdè dotem, ac redditus annuos Ecclesiæ ejusdem, ut constat ex diversis enunciativis
7 antiquis, ac publicis Scripturis, præcipuè in una Scriptura judiciali præsentata coram Prætore Civitatis Paduæ *die* 10. *Januarii* 1559. in causa vertente inter ipsum Aloysium Cornelium ex una, & Reverendum Parochum Villæ Codevici ex alia; nec non ut enarrat ipse Aloysius Cornelius in suo Testamento condito Anno 1566. ex quibus omnibus inferebat Dominus Procurator Sancti Marci Joannes Baptista Cornelius *Episcopia*, eidem Aloysio Cornelio Avo suo, ac sibi tanquam Nepoti, ac heredi competere Juspatronatus, ac Jus præsentandi Parochum ad prædictam Parochialem; certum est enim in jure, & apud omnes Canonistas, ac Theologos, quod tàm Fundatores, quàm Dotatores Ecclesiarum ex gratia, ac benignitate Sacrorum Canonum evadunt earum Patroni, &
8 Jus præsentandi acquirunt. *cap. Filiis*. 16. *quæst.* 7. *cap.* 3. *& cap. Nobis. De Jurepatronatus*. Lambertinus *De Jurepatron. libr.* 1. *part.* 1. *quæst.* 2. *art.* 2. Vivianus *eod. tract. libr.* 2. *cap.* 1. *num.* 5. Antonellus *de Regim. milit. Eccles. libr.* 3. *cap.* 6. §. 3. *per totum*; & præcipuè *num.* 25. *&* 31. ubi allegat Riccium *in Collect. Decis.* 485. asserentem, Juspatronatus acquiri ex refectione, vel reædificatione Ecclesiæ; & etiam ex dote, & augmento dotis, si Ecclesia antea ædificata existebat sine dote. Barbosa *de Offic. & pot. Episc. alleg.* 70. *num.* 11. *& seqq.* quam quidem acquisitionem Jurispatronatus provenire refabricanti, aut dotem de novo Ecclesiæ elargienti, etiamsi ipse præcisè non exprimat, ac declaret, se refabricare,
9 aut de novo dotem concedere ad hunc effectum habendi Juspatronatus, docent Beneficialistæ juxta glossam *in cap. Piæ mentis*. 16. *quæst.* 7. Vulpem *in Praxi Judic. cap.* 49. *num.* 5. *&* 6. Garziam *de Benefic. part.* 5. *cap.* 9. *num.* 62. Tondut *Resol. benef. part.* 2. *cap.* 4. §. 9. *num.* 13. & Loterium *de Re benefic. libr.* 2. *quæst.* 7. qui plures alios DD. ac Decisiones Rotales ita decidentes allegat; undè scribentes pro ipsomet Domino Cornelio *Episcopia* asserebant, quod quamvis ejus Avus Aloysius in reædificanda, ac redotanda Parochiali Ecclesia Villæ Codevici non expresserit, se id facere animo acquirendi Juspatronatus, illud tamen, tanquam ipso facto acquisitum, transmissum censebatur in heredes ejus; & sic in ipsum Dominum Procuratorem Sancti Marci ejus Nepotem, ac Heredem ad *text. in cap. Significavit*. *De Testib.* ubi DD. de quibus Adden. ad Burattum *decis.* 1. *num.* 14. Rota *part.* 1. *rec. decis.* 517. *num.* 1. *& part.* 4. *Decis.* 568. *num.* 4. Novissimè Emin Card. de Luca *De Jurepatron. disc.* 55. *num.* 3.

His tamen minimè obstantibus censui, de Jure non esse locum prætenso Juripatronatui; neque exaudiri posse petitionem ipsius Nobilis Viri Joannis Baptistæ Cornelii: siquidem

Primò, ut observant omnes Theologi, ac Canonistæ, ubi agitur de acquirendo Jurepatronatu alicujus Ecclesiæ, sivè ob ejus ædificationem, sivè dotationem, duo casus sunt distinguendi. *Unus* est, quando noviter construitur, & ædificatur Ecclesia, in
10 aliquo loco, in quo nulla priùs exstabat; vel quando assignatur Dos alicui Ecclesiæ, quæ penitus erat indotata, & nihil habebat in bonis; *Alter* casus est, quando non ædificatur de novo Ecclesia, sed tantùm ampliatur, sivè quando augetur ejus dos; quam antea sufficientem habebat. In primo casu, acquiritur Juspatronatus à fabricante, seu dotante Ecclesiam, si tamen accedat consensus Ordinarii, qui agnoscat necessariam esse prædictam Ecclesiæ constructionem, seu dotationem; & ob hanc causam construenti, seu
11 dotanti Juspatronatus concedat *cap. Placuit*. 1. *q.* 2. *cap. Nemo. de Consecr. dist.* 1. *cap. Nobis. De Jurepatron.* Calderin. *cons.* 20. *eod. tit.* Lambertin. *lib.* 1. *part.* 1. *quæst.* 2. *art.* 2. Vivian. *lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 7. *& cap.* 5. *per totum*. Loterius *de Re benefic. lib.* 2. *quæst.* 7. *num.* 2. & Tondut *d. part.* 2. *cap.* 4. §. 9. *num.* 15. In secundo autem casu non sufficit consensus Ordinarii; sed necessarium est Beneplacitum Summi Pontificis, ac Sedis Apostolicæ, ad quam est recurrendum; ut ex gratia speciali ob ampliationem Ecclesiæ, seu augmentum Dotis concedatur petenti Jus-
12 patronatus juxta *tex.* & DD. ibi scribentes, *in cap.* 2. *De Rebus Eccl. non alien. in* 6. Garziam *de Benefic. part.* 5. *cap.* 9. *num.* 128. *&* 130. Vivianum *lib.* 11. *cap.* 5. *num.* 112. Emin. Card. Tuscum *Litter. I. conclus.* 601. & pluries advertit Rota, ut legitur apud Card. Cavallerium *decis.* 159. *num.* 9. & apud Card. Seraphinum *Decis.* 555. Modò manifestè constat, nullum Juspatronatus acquisitum fuisse super Parochiali Ecclesia Villæ Codevici ab ipso Aloysio Cornelio, Avo ejusdem Nobilis Viri Joannis Baptistæ Cornelii *Episcopiæ* Procuratoris Sancti Marci, tùm quia ille non fabricavit ab origine eandem Parochialem; neque eam tanquam indotatam dotavit; tùm etiam quia neque ab Ordinario Episcopo Patavino, neque ab Apostolica Sede fuit ipsi asserti Jurispatronatus facta concessio. Non fabricavit ab origine Ecclesiam Sancti Zachariæ Villæ Codevici; quia de ejus existentia, & constructione constat per annos plurimos ante nativitatem ipsius Aloysii Cornelii, Auctoris
13 libri Vitæ sobriæ; prout legitur in collationibus ab anno

Digitized by Google

anno 1420. citra, tùm per Episcopos Patavinos,
tùm per Sedem Apostolicam factis; adeò ut tantum-
modo post annum 1550. ipse Aloysius Cornelius ex
propria devotione ampliaverit in parte superiori præ-
dictam Ecclesiam, ex qua ampliatione nullum Jus-
patronatus prætendere poterat *ad text. & DD.* su-
pra allegatos, & ut in puncto docent Massobrius *in*
14 *Praxi habendi concursum Prælud. 7. dub. 3. num.* 17.
Gratianus *Discept. Forens. cap.177. à num.25.* & Emin.
Card. Millinus *Decis.* 187. Similiter eo tempore Ec-
clesia prædicta non erat indotata; sed redditus co-
piosos possidebat, ut legitur in ejus publicis æstimis
antiquis, præcipuè de anno 1520. in quo notatum est,
quod beneficium Curatum Villæ Codevici habebat
Campos quadraginta duos in proprietate; & super
plurimis aliis Campis exigebat Quartesium; imò
etiam Fabrica Ecclesiæ, ac beneficii Codevici reti-
nebat in sui proprietate tunc temporis campos tri-
ginta sex, quos jugiter habuit, ac in præsenti pos-
sidet; itaut nullatenùs allegari possit titulus constru-
ctionis prædictæ Ecclesiæ, seu dotationis, quia mul-
tò ante annum 1500. erat constructa, atque abun-
danter dotata; & per consequens injusta est penitùs
recens hæc petitio Jurispatronatus ex constructione,
seu dotatione. DD. supracitati, & Rochus *de Jure-
patron. Verb. Et dotavit. num.4.* Sanchez *libr.2 Con-
sil. Moral. cap. 3. dub.76. num. 3.* & Rota apud Duran.
Decis. 285. *num. 35. & 36.* attenta maximè deficien-
15 tia consensus, seu concessionis Superiorum, nempè
Episcopi Patavini, seu Summi Pontificis Romani.
Ferrettus *cons.* 343. *num.* 2. Vivianus *d. libr. 2. cap. 1.
num 7.* Garzias *d. part. 5. cap.9. num.* 128. & 130.
Emin. Card. Cavalerius *d. decis.* 159. *num.* 9.

Secundò: eò magis, quia ipse Dominus Aloysius
Cornelius Avus in scriptura sua judiciali producta
coram Prætore Patavino *de Anno* 1559. *die* 10. *Ja-
nuarii* in litigio, quod tunc habebat cum Parocho
illius Villæ Codevici, expressè declarat, se nihil præ-
tendere ob expensas factas in ampliatione illius Ec-
clesiæ; neque ob melioramenta in Campis ad ejus-
dem Ecclesiæ fabricam pertinentibus; idcircò ex illa
16 declaratione resultat; illum esse vocandum pium be-
nefactorem, expectantem remunerationem in cœlis,
non autem Patronum Jus præsentandi Parochum pro
se, ac Heredes suos prætendentem in terris. *cap. Fi-
liis.* 16. *q* 7. Glossa *in cap. Piæ mentis.* 16 *q.7.* Lam-
bertin. *d. libr.1. part.* 1. *q.6. art. 2. num.* 9. Vivianus *d.
libr.2 cap 5. num.3.* & Loterius *d libr. 2 q. 7. num.* 12.

Tertiò: Quia reipsa antedictus Vir Aloysius Cor-
nelius in amplianda Ecclesia Parochiali Villæ Co-
devici, & in meliorandis Campis illius beneficii, ac
Fabricæ ejusdem Ecclesiæ, parùm, aut nihil expen-
derat de suo Patrimonio, sed de fructibus beneficii,
ac Fabricæ antedictæ: siquidem cum eo tempore,
nondum publicato Tridentino Concilio, Parochus
Codevici, qui tunc erat R. D. Ludovicus de Comi-
17 tibus Sancti Bonifacii Nobilis Patavinus, ibi non
resideret, sed per simplicem Capellanum, juxta com-
munem abusum illius ætatis, curam faceret anima-
rum; ipse Aloysius Cornelius ab eo conduxerat,
vilissimo pretio, omnes redditus beneficii, & pro-
priâ auctoritate se fecerat administratorem Fa-
bricæ, ac exactorem fructuum ejus, qui annuatim
æstimabantur ascendere àd Ducatos Venetos 160.
circiter, prout ex publicis registris æstimorum Cleri
Patavini; cumque perdurasset in hujusmodi exactio-
ne, & fructuum Fabricæ administratione per annos
quadraginta, & ultrà; deducitur, quod expensæ per
eum factæ in amplianda Ecclesia Parochiali quoad
fabricam materialem, & muros; & in meliorandis
agris tàm ipsius Beneficii, quàm ejusdem Fabricæ,
referendæ sint ad annuos redditus Ecclesiasticos per
tot annos ab eo collectos, atque exactos; non autem
18 ad ejus proprium Patrimonium juxta *text. in l. So-
lum. §. 1. ff. De Rei Vindicat.* & in *l. De eo: §. Si quis
ex Uvis:* ibi: *Quod ex re nostra fit, nostrum esse de-
bet. ff. Ad Exhibendum*, & per consequens nullum
potuisse habere titulum, justumvè prætextum acqui-
rendi Juspatronatus, nec Jus præsentandi Parochum
ad prædictam Ecclesiam Sancti Zaccahriæ Codevici;
quod Sacri Canones concedunt iis tantùm, qui ære
proprio fundant, ædificant, vel dotant Ecclesiam de con-
sensu, ac licentia Ordinarii, ut demonstratum est supra
n 10. & 11. & docent DD. ibi citati; & latè prosequitur
Emin. Card. de Luca *de Jurepatron. d. disc. 55. per tot.*

Quartò pro rejectione præsentis petitionis, ac in-
stantiæ Domini Joannis Baptistæ Cornelii Nepotis,
ac heredis antedicti Aloysii Cornelii, & ad osten-
dendum, justitiam non militare pro Excellentia sua,
sed pro Mensa Episcopali Patavina insuperabile ar-
gumentum quoque erat Præscriptio annorum ducen-
19 torum, & ultrà, semper continuata, & nunquam
interrupta, in quibus prædictum Parochiale benefi-
cium Villæ Codevici, quandocunque vacaverit, col-
latum fuerat tanquam liberum vel ab Apostolica Se-
de, vel ab Ordinariis Præsulibus Patavinis, prout
ex registris collationum in Cancellaria Episcopali
Paduæ existentibus; undè fit, quod sicut non est ve-
risimile; Dominos Cornelios Progenitores ipsius Ad-
versarii voluisse stare sub silentio, & permittere præ-
dictas liberas collationes, si in eodem beneficio Pa-
tronatum, ac Jus præsentandi Parochum habuissent;
ita impossibile sit eidem Domino Joanni Baptistæ
Cornelio Procuratori Sancti Marci nunc prætendere
assertum Jus patronatus, & impugnare libertatem
prædictæ Parochialis de Codevigo; præscriptio enim
tàm longeva, diuturna, ac pacifica, quam pro se
habet Curia Episcopalis Patavina; elidit prorsùs, ac
reddit inanem quamcunque prætensionem Jurispatro-
natus, ut latè demonstrant DD. quos citat, & sequi-
tur Rota *part. 4. divers. decis. 564. num.* 10. & *part.* 12.
recent. Decis. 93. num. 5 & 6.

Quintò tandem, quia cum hæc Nobilis Familia
de Corneliis non sit in possessione præsentandi Pa-
rochum prædictum; imò nunquam ipsum præsenta-
verit; nullo modo potest se allegare Patronam il-
lius beneficii; neque prætendere Juspatronatus in ipso,
attenta dispositione Sacri Concilii Tridentini *sess.* 25.
de Reform. cap. 9. præcipientis, quod ubi Familiæ po-
20 tentes (quales reputatur ad tradita per Barbosam hæc
allegat. 72. *num* 65. *in fin.* & per Rotam apud Sera-
phinum *Decis.* 952. *num.* 6. & apud Postium *de Ma-
nut. tom. 2 Decis. 238. in fine,*) asserunt se Patronas
alicujus beneficii, ac sibi competere Jus præsentan-
di ad ipsum; teneantur illud concludenter probare,
ob usurpationis præsumptionem, non solùm per ex-
hibitionem tituli, idest Instrumenti authentici, seu
Bullæ concessionis asserti Jurispatronatus; sed etiam
per legitimas præsentationes saltem per annos quin-
21 quaginta continuò factas, & effectum sortitas, ut
advertunt Gonzalez *ad Reg. 8. Cancell. gloss. 18. num.*
19 Mascardus *de Probat. conclus.* 956. & *conclus.*1216.
Card. Mantica *Decis.* 198. & *Decis.* 208. Card. Sera-
phin. *Decis.* 1105. & *Decis.* 1120. atque Vivianus *de
Jurepatr. libr.* 11. *cap.* 5. Idcircò cum Nobilis Vir
Joannes Baptista Cornelius antedictus nec titulum
prætensi Jurispatronatus exhibeat, nec de aliqua præ-
sentatione Parochi vel à suis majoribus, vel à se-
ipso facta doceat, absque ulla hæsitatione affirman-
dum venit, petitionem, quam nunc facit de præsen-
tando Parocho ad beneficium Codevici, esse omninò
reiiciendam ab Eminentissimo Cardinali Episcopo,
tanquam omni Jure, ac justitia carentem.

Neque vim habent rationes ex adverso per eundem
Excellentissimum Cornelium adductæ. *Non prima*,
quod ejus Avus Aloysius Cornelius retraxerit cam-
pos mille paludosos, & ad culturam reduxerit in Vil-
la Codevici; super quibus Ecclesia ibi Parochialis con-
sequitur annuatim Quartesium omnium fructuum,
qui ascendunt ad notabilem quantitatem, ex qua di-

tata

Digitized by Google

tata remanet ipsa Parochialis Ecclesia. Nam respondetur Quartesium prædictum originaliter non provenire à liberalitate Aloysii Cornelii, sed à disposi-
22 tione Juris Divini, & Canonici, à quo reservatæ sunt Parochis Decimæ, & Quartesia segetum in eorum Parochia nascentium. *cap. Transmissa. de Decimis. cap. Cum non. eod. tit. cap. De Terris. De Judæis.* Abbas *in cap. In aliquibus. De Decim.* Genuensis *in Practicabil. Eccles. q.* 198. *num.* 4. præterquàm quod retractus ad culturam eorundem Camporum mille factus fuit ab ipso Domino Aloysio non ad effectum dotandi, vel ditandi Ecclesiam Parochialem Codevici; sed suum proprium Patrimonium, seipsum, ac suos heredes; qui propterea perperam ex hoc retractu inferunt ad Juspatronale in Ecclesiam. Loterius *lib.* 2. *q.* 7. *num.* 2. Crescentius *Decis.* 15. *in fine*. Et Card. Cavalerius *d. Decis.* 159. *num.* 9. *Non secunda*, ob donationem domus pro habitatione Parochi, quia vel ejus valorem sibi compensavit ex Fabricæ fructibus, quos per annos 40. administraverat; & quorum rationem postulaverat Parochus Codevici coram Prætore Patavino *d. Anno* 1559. vel si vera donatio fuit, processit ex animi sui
23 pietate, titulo simplicis eleemosynæ, non acquisitionis Jurispatronatus, quod sine consensu Ordinarii acquiri non potest. Calderin. *d. cons.* 20. *de Jurepatron.* & Loterius *d. lib.* 2. *q.* 7. *à num.* 2. *& seqq.* *Non tertia*, quod ob exsiccatas Paludes in Villa Codevici ab eodem Nobili Viro Aloysio Cornelio auctus sit numerus Parochianorum, & per consequens emolumenta certa, & incerta Parochi; quia talis beneficentia non est sufficiens pro Jurepatronatus acquirendo; quod tantummodò provenit ex fundatione, constructione, seu dotatione Ecclesiæ, non ex aliqua utilitate temporali ei illata. Lambertin. *d. lib.* 1. *part.* 1. *q.* 2. *art.* 2. & Vivian. *d. lib.* 2. *cap.* 1. *per tot.* *Non quarta* ex ampliatione Ecclesiæ, quia, ut dictum est, ipsa est ab origine construenda; ad Juspatronale lucrandum, non in aliqua parte tantùm amplianda. Tondut *Resol. benefic. part.* 1. *cap.* 91. *num.* 5. Rota *d. part.* 3. *rec. decis.* 510. *num.* 4. præ-
24 terquam quod ampliatio illa facta fuit ex pecunia Fabricæ ejusdem Parochialis, quam idem Dominus Aloysius exigebat, ac administrabat. Massobrius *d. Prælud.* 7. *dub.* 3. *num.* 17. Abbas *cons.* 106. *part.* 2. & Card. Seraphinus *Decis.* 555. *Non quinta*, quod melioraverit, ac magis frugiferos fecerit ipse Dominus Aloysius Cornelius prædictos Campos tùm de ratione ejusdem Parochialis Ecclesiæ, tùm de ratione Fabricæ; quia talis erat ejus obligatio tanquam conductor ipsorum Camporum, ac ejusdem Fabricæ administrator; & quatenùs etiam exuperasset ejus liberalitas, & munificentia in iisdem agris meliorandis, resultaret ex hoc magna laus, & commendatio suæ devotionis, ac pietatis; non autem titulus acquisitionis Jurispatronatus, seu Juris præsentandi Parochum ad dictam Ecclesiam, quod ut pluries dictum est, non acquiritur, nisi concedendo fundum
25 pro construenda Ecclesia; vel illam ab origine construendo, seu si penitùs absque dote sit, illam dotando, prævio semper Ordinarii consensu. Vivian. *d. lib.* 2. *cap.* 1. Loterius pariter *lib.* 2. *q.* 7. *per totam.* Garzias *d. part.* 5. *cap.* 9. *num.* 128. *& seqq.* Ferretus *d. cons.* 343. *num.* 2. & Rota *part.* 3. *recent. d. decis.* 510. *num.* 2. *& part* 12. *recent. decis.* 93.

Fuit itaque conclusum non constare de asserto prætenso Jurepatronatus; neque illud posse concedi ab Eminentissimo Cardinali Episcopo Patavino, attenta maximè prohibitione Concilii Tridentini *sess.* 22. *de Ref. cap.* 11. ac propterea ad solum Summum Pontificem esse recurrendum; prout tandem, post molestas altercationes, ac longas dilationes factum
26 fuit, cum in Apostolicam Sedem evectus fuisset Alexander Papa VIII. qui ex speciali gratia, & singulari Privilegio dictum Juspatronatus concessit eidem Nobili Viro Joanni Baptistæ Cornelio Episcopiæ Concivi suo Veneto, sed ejus linea masculina tantummodò durante: & quoniam post signatam supplicationem Alexander VIII. obiit, Litteris nondum expeditis, eas benignè relaxavit Innocentius XII. ejus Successor, prout in sequenti Brevi.

INNOCENTIUS Episcopus Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Justis, & honestis petentium votis libenter annuimus, eaque fa-
27 voribus, & gratiis prosequimur opportunis, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Ex parte siquidem Dilecti Filii Joannis Baptistæ Cornelii Laici Nobilis Veneti fuit humiliter supplicatum, quatenùs ipsum, ob ejus, quem erga Sedem Apostolicam gerit, devotionis affectum, specialibus favoribus, & gratiis prosequi, ut infra, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eundem Joannem Baptistam, asserentem se Nobilem, ac Sancti Marci Venetiarum Procuratorem existere, à quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, ac pœnis, à Jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantùm consequendum, Harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eidem Joanni Baptistæ, ac ejus Lineæ Masculinæ dumtaxat, Jus præsentandi Parochum ad Parochialem Ecclesiam Sancti Zachariæ Villæ Codevici, Paduanæ Diœcesis, cujus fructus, unà cum incertis, centum Ducatorum auri de Camera, secundum communem existimationem, valorem annuum, ut ipse Joannes Baptista etiam asserit, non excedunt, quandocunque, & quotiescunque illam per cessum, etiam ex causa permutationis, vel decessum, seu privationem, aut quamvis aliam dimissionem, vel amissionem, seu Religionis ingressum, vel aliàs quovis modo, aut cujuscunque personæ, etiam in aliquo ex mensibus dictæ Sedi reservatis; non tamen apud Sedem Apostolicam; neque per dimissionem ex Decreto, vacare contigerit, pro tempore existenti Ordinario loci, aut ejus Vicario in Spiritualibus generali, qui illum ad præsentationem eandem in dicta Ecclesia instituere debeat; de consensu Ordinarii, loci, pro dicto Joanne Baptista, & ad ejus Lineam Masculinam tantùm; & citra reservationem hujusmodi in casibus vacationis dictæ Parochialis Ecclesiæ apud Sedem Apostolicam, quocunque modo contingat, & ex Privilegio, Apostolica Auctoritate, Tenore præsentium, perpetuò reservamus, concedimus, & assignamus. Decernentes easdem præsentes, nullo unquam tempore, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel quopiam alio defectu; etiam intentionis nostræ, notari, impugnari, invalidari, aut ad terminos Juris reduci, vel eas in Jus, vel controversiam revocari posse; sed illas semper validas, & efficaces existere, suosque plenarios, & integros effectus sortiri; sicque per quoscunque Judices ordinarios, vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, judicari debere; irritum quoque, & inane quidquid secùs super his à quoquam, quavis Auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, reservationis, concessionis, assignationis, & Decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo, Sexcentesimo, Nonagesimo primo, XI. Calendas Septembris, Pontificatus nostri Anno primo.

DIS-

Digitized by Google

DISCORDIA V.

ARGUMENTUM.

Recensentur, & eliduntur fundamenta, quibus innitebantur Nobiles Domini Borromei de Padua pro habendo Jurepatronatu Parochialium Ecclesiarum Lissarii, & Arlesicæ Paduanæ Diœcesis, quod eis fuit denegatum in pluribus judiciis, tùm Rotæ Romanæ, tùm Arbitrorum Judicum, tùm etiam Excellentissimi SENATUS VENETI.

SUMMARIUM.

1 *Borromeorum Nobilium de Padua lites pro Jurepatronatu Arlesicæ, ac Lissarii.*
2 *Bernardinus Borromeus fit Parochus Lissarii, & Arlesicæ à Julio Papa II.*
3 *Enunciativa antiqua probat Juspatronatus, si fulcita sit pluribus præsentationibus.*
4 *Enunciativa Papæ quando probet Juspatronatus, & quando non?*
5 *Patroni debent Parochum ad Ecclesiam vacantem coram Episcopo præsentare.*
6 *Cruciferi Religiosi ubi Paduæ habitarent? Et quando extincti?*
7 *Borromeus de Borromeis Parochus Lissarii, & Arlesicæ Anno 1524.*
8 Forsan *est dictio nihil affirmans.*
9 *Instrumentum publicum stipulatum à prætendentibus Juspatronatus eos non juvat.*
10 *Assertiones ad favorem asserentium non probant.* Et num. 19.
11 *Narrata Papæ, nisi probentur, non probant.*
12 *Pius IV. concessit Juspatronatus DD. Borromeis sub conditione. Et quæ?*
13 *Conditionis adimplemento cessante cessat concessio.*
14 *Jurapatronatus ex Privilegio fuerunt abrogata à Conc. Trid. sess. 25. cap. 9.*
15 *Dos assignata Ecclesiæ, nisi excedat medietatem fructuum, non dat Juspatronatus.*
16 *Patroni sunt Deo reddituri rationem, si Parochos minùs dignos præsentent.*
17 *S. Henrici Imperatoris divina punitio in hac vita ob Episcopatum datum Presbytero minùs digno.*
18 *Lissarii, ac Arlesicæ Parochi longo tempore fuerunt de Familia Borromea.*
20 *Insignia, & arma Patronorum quando non probent Juspatronatus.*
21 *Ecclesiæ omnes de Jure præsumuntur liberæ collationis.*
22 *Index collationum Ecclesiarum Lissarii, & Arlesicæ ab Episcopis liberè factarum.*
23 *Rotæ Romanæ Decisiones quinque contra DD. de Borromeis.*
24 *Pauli V. collatio Ecclesiarum Lissarii, ac Arlesicæ R. D. Bernardino Sfortiæ.*

CUm Progenitores Nobilis Domini Alexandri Comitis Borromei de Padua, prætendentes habere
Jus Patronatus Parochialium Ecclesiarum Villæ Arlesicæ, ac Lissarii hujus Paduanæ Diœcesis, ubi amplissimas obtinent possessiones, ac magnificam domum, ab Anno 1601. usque ad Annum 1615. litigantes in Rota Romana reportaverint quinque Deci-
1 siones contrarias eorum prætensioni, decidentes
Parochiales prædictas esse liberæ collationis; Anno autem 1658. iterùm intentatâ hâc Jurispatronatus prætensione per Nob. Dominum Borromeum de Borromeis; Patrem ipsius Comitis Alexandri, contra Episcopum Paduanum, qui tunc erat Illustrissimus, ac Reverendissimus Georgius Cornelius; de mandato Serenissimi Principis Venetiarum causa remissa fuerit in duos Judices Arbitros, qui partibus auditis sententiarunt ad favorem Episcopi, & contra eundem Nob. Dom. Borromeum; & nihilominùs hoc Anno 1673. idem Dominus Comes Alexander ejus filius rursus recursum fecerit ad Senatum Venetum, à quo nihilominùs fuit licentiatus, imposito eidem perpetuo silentio super asserto Jurepatronatus, ad effectum, ut prædictæ Parochiales Ecclesiæ Lissarii, & Arlesicæ possint liberè conferri per concursum ab Episcopis Patavinis, prout statim fuerunt collatæ per Eminentissimum, ac Reverendissimum Sanctæ memoriæ GREGORIUM CARDINALEM BARBADICUM Episcopum Successorem antenominati Antistitis GEORGII CORNELII; totam hanc Antenoream Urbem invasit curiositas sciendi, quibus fundamentis innixa Nobilis hæc familia de Borromeis, prædicti Jurispatronatus cupiditate incensa, tot judicia tentaverit, & in iisdem semper succubuerit? Quapropter non incongruum reputavit Curia Episcopalis palàm facere ipsorum Nobilium de Borromeis fundamenta, super quibus erexerant assertionem sui Jurispatronatus, quod semper corruit, quia non erant legalia, neque in Jure stabilia. Igitur ipsi Domini Borromei fundabant assertum suum Juspatronatus in infrascriptis octo præsumptionibus, enunciativis, & argumentis.

Prima est illa, quam desumebant ex Bulla Julii Papæ II. de Anno 1506. quo tempore cum vacassent Parochiales Ecclesiæ Arlesicæ, ac Lissarii per mortem Rev. Francisci Bertolini de Asendis, impetratæ
2 fuerunt ab eodem Summo Pontifice per Rev. Bernardinum de Borromeis, & in Bulla hujus impetrationis Papa dixit, easdem Parochiales Ecclesias esse de Jurepatronatus Laicorum Nobilium de Borromeis. Ergo, ipsi inferebant, sumus Patroni ipsarum Ecclesiarum, quia enunciativa Papæ, quæ est antiqua, ac supra centum annos probat Juspatronatus. Gar-
3 zias de *Benefic. part. 5. cap. 9. num. 91.* Vivian. *de Jurepatron. lib. 11. cap. 5. num. 49.* Rota *part. 2. rec. decis. 360. num. 5.* & penes eundem Vivian. *decis. 25. num. 9.* Porrò manifesta est insubsistentia hujus fundamenti, & invaliditas hujus enunciativæ; tùm quia, ut hæc probet Juspatronatus, debet esse fulcita pluribus continuatis præsentationibus per Patronos, cum vacaret Ecclesia, factis. Vivian. *d. lib. 11. cap. 5. num. 49.* & 50. ubi Decisiones Rotæ; tùm quia debet proferri à Papa ex certa scientia, vel motu proprio;
4 non ex relatione, seu suggestione partis interesse habentis, prout in præsenti casu, in quo Summus Pontifex dixit, Ecclesias Lissarii, ac Arlesicæ esse de Jurepatronatus DD. Borromeorum *Sicut accepimus*; & prout *dictus Bernardinus Borromeus etiam asserit*; ac proindè cum Papa non habuerit aliam scientiam hujus asserti Jurispatronatus, nec aliam probationem, quam assertionem illius Bernardini de Borromeis, qui Ecclesias illas impetravit, enunciativa ipsa facta tunc per Papam nihil valet, & nihil probat; ut concorditer docent omnes Canonistæ, Barbosà *de Jure Eccles. Univ. lib. 1. cap. 2. num. 206. & 207.* Loffred. *cons. 44. num. 6.* Marta *de Clausulis part. 1. claus. 154.* Rubeus *in Singular. tom. 1. pag. 301. num. 4. & 5.* ac millies sententiavit Rota, ut videre est apud Mohedanum *decis. 7. in fin. de Probat.* apud Ludovisium *decis. 77. num. 8. & decis. 239. litt.* B. apud Seraphinum *decis. 1189. num. 3.* apud Burattum *decis. 178. num. 14* apud Ubaldum *decis. 153. num 6.* apud Othobonum *decis. 179. num. 23.* & aliis omissis in *part. 10. rec. decis. 147. num. 1. & 2.* nec non in *part. 15. rec. decis. 161. num. 9. & 11.* ac etiam *part. 19. decis. 56. num. 39.* Præterquàmquod si Domini de Borromeis fuissent Patroni earundem Ecclesiarum Lissarii, & Arlesicæ eo Anno 1506. quo vacarunt, fecissent præsentationem prædicti Bernardini Borromei co-
5 ram Episcopo Paduano, coram quo de Jure erat præsen-

Digitized by Google

præsentandus. *cap. Cum Laici.* & ibi Barbosa *num.* 2. *de Jurepatr.* Vivian. *cod. tract. d. lib.* 8. *cap.* 7. *num.* 2. nec permisissent, illum pro impetratione accedere ad Apostolicam Sedem, ubi majores erant expensæ. At quia Curiam hanc Episcopalem fallere non poterant, quæ erat in antiqua pacifica possessione conferendi tanquam liberas prædictas Ecclesias Parochiales Lissarii, & Arlesicæ, prout eas contulerat d. Rev. Francisco Bertolino de Afondis ultimo Rectori, ut ex infrascripto Indice collationum Episcopalium, ideò sequuta vacatione per obitum ipsius Bertolini in mense reservato Sedi Apostolicæ, ad eam recursum fecerunt, ignorante Episcopo, ad quem ea vice collatio non spectabat; & impetrarunt beneficium pro Bernardino de Borromeis cum illa expressione quod esset sui Jurispatronatus, & fecerunt committere exequutionem Litterarum Apostolicarum R. P.
6 Priori Cruciferorum (tunc temporis degentium in hac Civitate sub Parochia Sancti Jacobi in contracta Aggeris;) à quo clam, & absque justificatione clausulæ, quod beneficium esset de Jurepatronatus, fuit eidem R. Bernardino Borromeo collatum. Religio Cruciferorum extincta fuit ab Alexandro Papa VII. Anno 1658.

Secunda enunciativa fundamentalis asserti Jurispatronatus desumebatur à DD. Borromeis ex Bulla Pontificia Clementis Papæ Septimi de anno 1524. in qua cum prædictus Rev. Bernardinus resignasset easdem Ecclesias Arlesicæ, & Lissarii Rev. Borro-
7 meo de Borromeis narravit, easdem Ecclesias *forsan esse de Jurepatronatus suæ domus.* Neminem latet, nullius stabilitatis esse fundamentum super hac enunciativa positum; tùm quia ipsa non processit à Papa, sed à narrativa Bernardini Borromei resignantis, cui nulla fides debetur ex DD. & Decisionibus Rotæ supra allegatis; tùm quia pronunciata fuit cum dictione *forsan*, quæ nihil affirmat. *l. In substitu-*
8 *tione* cum ibi not. *ff. De Vulgari, & Pupillar.* Alciat. *cons.* 25 *num.* 10. *libr.* 1. & Cæsar de Grassis *Decis.* 2. *num.* 8. *de Probat.* tùm etiam quia Papa in eadem Bulla manifestè demonstrat, se ignorare assertum Juspatronatus, an esset? & quale esset? Siquidem subjunxit, quatenùs esset ex Privilegio, se ei in totum pro ea vice derogare, & quatenùs foret ex fundatione, seu dotatione, derogare tantùm circa medietatem vocum; sicque attenta hac ignorantia in Pontifice enunciativa illa nihil valet. Cardin. *in Clem.* 2. *§. eadem tamen. De Elect.* Gigas *cons.* 49. *num.* 74. Gonzalez *ad Reg.* 8 *Cancell. Glossa* 32. *num.* 10. Parisius *cons.* 128. *num.* 12 *Vers. Insuper. libr.* 4. & alii, quos citat, & sequitur Rota *part.* 5. *rec. decis.* 197. *num.* 70.

Tertia enunciativa erat illa, quam DD. de Borromeis desumunt ex quodam publico Instrumento Anno 1540 in actis publici Notarii hic Patavii inter eos firmato, in quo, asserunt, se Patronos prædictarum Ecclesiarum Lissarii, & Arlesicæ, ac conveniunt inter se de alternativa Parochi præsentatione, adiicientes, cum amiserint scripturas demonstrantes Jus suum Patronatus, se rogare velle Apo-
9 stolicam Sedem pro delegatione Judicis, qui testes examinet super existentia illius asserti Jurispatronatus. Instabile prorsùs est fundamentum hujus Instrumenti, tùm quia assertiones ad favorem asserentium non probant. *l. Nonnullis.* 14. *C. De Probat.* Burat-
10 tus *decis.* 136. *num.* 2. & 10. Rota *part.* 12. *rec. decis.* 336. *num.* 6. tùm quia examen testium nunquam fuit factum, nec existentia asserti Jurispatronatus fuit relevata, aut probata; undè intrat Regula Juris, quæ dicit, Non esse, & non posse probari paria sunt; prout idem est, non esse, vel reperiri non posse. *l. Cum unus.* *§. fin. ff. De bonis auct. Judic. possid.* Surdus *Decis.* 149. *num.* 2. & Barbosa *Axiom.* 162. *num.* 3. & 4.

Quarta enunciativa resultabat ex responso Emin. Cardinalis Sfortiæ S. R. E. Camerarii de anno 1560. ad eosdem Nob. DD. Borromeos, quibus narrat, se retulisse Summo Pontifici tenorem præfati Instrumenti, ac conventionem de alternatim præsentando Parocho; subdens, eandem alternativam ab eodem Summo Pontifice vivæ vocis Oraculo fuisse approbatam. De Judicis autem delegatione pro examinandis testibus super veritate Jurispatronatus nihil dicit. Prædictum responsum nullam probationem parit ad
11 favorem ipsorum DD. de Borromeis, quia nil amplius continet, quàm assertionem ab eis factam, & per Cardinalem Sfortiam Papæ relatam, scilicèt se esse Patronos; ut claré desumitur ex illis Verbis ejusdem Responsi, *Quoniam sicut Vos nuper Nobis exponi in Camera Apostolica fecistis:* Et ex illis: *plenius asseruistis contineri;* Undè sequitur, quod non facta juridica probatione Jurispatronatus per DD. Borromeos, hæc eorum assertio nihil ipsis prodest; ut dictum est supra; & advertunt DD. quos citat, & sequitur etiam Barbosa *de Jure Eccl. Univ. lib.* 1. *cap.* 2 *num.* 206.

Quinta enunciativa fundamentalis, seu potiùs fundamentum præcipuum, super quo innixa erat prætensio DD. de Borromeis circa hoc Juspatronatus, erat Breve Apostolicum Pii Papæ IV. de Anno 1562. in quo Sanctitas sua ad supplicationem hujus Nobi-
12 lis Familiæ Borromeorum de Padua concedit iisdem Juspatronatus prædictarum Parochialium Ecclesiarum Arlesicæ, & Lissarii, cum hac tamen conditione, ut actualiter augeant ex propriis bonis tertiam partem fructuum earundem Ecclesiarum, quorum taxa tunc erat Ducatorum 130. auri de Camera; qui faciunt Summam Ducatorum Venetorum 325. L. 6: 4. pro ducato; adeòut ipsi DD. Borromei fuerunt obligati assignare de suo proprio Ducatos annuos 108. cum dimidio circiter in perpetuum prædictis Ecclesiis Arlesicæ, ac Lissarii. Hoc autem fundamentum repertum fuit non subsistens in Decisionibus Rotæ infra transcribendis, quæ contra eosdem DD. Borromeos, & ad favorem Curiæ Episcopalis Patavinæ, cum qua per annos 15. litigatum fuit Romæ, emanarunt. Primò, quia conditio illa augmenti tertiæ partis fructuum non fuit à DD. Borromeis ad-
13 impleta; & cessante adimplemento conditionis, cessat concessio. Bart. *in l. Termilus. num.* 8. *ff. de Condit. & demonstr.* Secundò, quia etiò fuisset assignata dicta pars tertia fructuum, concessio non subsistebat ob supervenientiam Sacri Concilii Tridentini, à quo *in sess.* 25. *cap.* 9. *Vers. Reliqui patronatus om-*
14 *nes. de Ref.* fuerunt revocata omnia Jurapatronatus ex privilegio; itaut illa tantùm sint attendenda, quæ ex fundatione, vel dotatione processerunt. Quod autem concessio Jurispatronatus facta per Pium IV. DD. Borromeis fuerit ex Privilegio, manifestè patet, quia ut dicatur facta ex dotatione requiritur, ut augmentum dotis excedat medietatem fructuum,
15 quos antea habebant Ecclesiæ. Glossa *in cap. Piæ mentis. in Verb. Patronum.* 16. *quæst.* 7. Abbas *cons.* 59 *lib.* 1. Rochus *de Jurepatron. Verb. Dotavit.* *q.* 2. & 3. ut benè consideravit Rota in hac causa de Borromeis *part.* 3. *rec. decis.* 510. *num.* 3. Quare si veri Patroni fieri voluissent DD Borromei prædictarum Ecclesiarum Lissarii, & Arlesicæ, opus erat, ut de suis bonis assignarent eis Ducatos annuos 170. in perpetuum; quia tanta summa erat necessaria, ut augerent earum Dotem ultra medietatem, & evaderent Dotatores, ac Juspatronatus acquirerent ex dotatione. Sed ad quid tantum dispendium? Tanta propriorum introituum excorporatio, ac privatio? Utique ob solam ambitiosam nomenclaturam Jurispatronatus, de qua dici potest cum Ecclesiaste *cap.* 1. *Vers.* 2. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Sed quod deterius est, cum obligatione reddendi rationem Deo de Parochis minùs dignis, ne indignis dicam, si fortè ab ipsis ad curam illarum animarum
16 præsentarentur; sunt enim Patroni ituri pœnas in alia

Digitized by Google

alia vita culparum omnium; quas committunt Parochi verbis, operibus, & omissionibus, ad beneficia curata inhabiles præsentati. Referam hic exemplum punitionis, quam passus est S Henricus Imperator ob concessum Episcopatum Presbytero amico suo, qui non erat dignus; de quo ita scribit Spondanus *ad Annum Christi 1047. n. 3. Cum Henricus tempore Conradi*
17 *patris sui à quodam Clerico fistulam tulisset argenteam, quâ pueri ludo aquam jaculantur, pactus Episcopatum cum foret Imperator; adultusque repetenti pollicitum impigrè dedisset; ferunt Historici haud multò post aspera valetudine correptum, cum triduo absque sensu, & mutus jacuisset, ope indictarum ab Episcopis publicarum precum convalescentem, accitum Episcopum, quem injustè fecerat, sententia Concilii deposuisse, professum se toto triduo dæmones infestos vidisse, flagrantissimam in se flammam per fistulam jaculantes; sed juvenem inter hæc semiustulatum adventasse, ferentem immensæ magnitudinis calicem aureum aquâ plenum, cujus aspersione extinctis ardoribus sanitatem recuperasse. Porrò juvenis ille fuit Sanctus Laurentius, cujus Ecclesiæ tectum longâ carie dissolutum idem Henricus compaginaverat, & præter alia dona Calice aureo honorificaverat*. Huc usque Spondanus. Notent hæc Viri nobiles, qui Jurapatronatus Parochialium Ecclesiarum affectant, & ad eas, dum vacant, Presbyteros bonitate, disciplina, ac scientia exutos præsentant.

Sexta enunciativa, pro fundamento suæ prætensionis, deducebatur à DD. Borromeis ex Bullis variarum resignationum prædictarum Ecclesiarum Lissarii, & Arlesicæ in manibus Summorum Pontificum per diversos Parochos de familia Borromea
18 ad favorem aliorum Sacerdotum ejusdem familiæ Borromeæ usque ad Annum 1569. factarum; in quibus resignationibus ab iisdem resignantibus semper enunciatum fuerat, beneficia illa esse de Jurepatronatus DD. Borromeorum; & inserta fuerat conditio per Datariam in iisdem Bullis, ut consensus ipsorum Patronorum accederet. Cæterùm ex doctrinis supra allegatis inanes sunt, & erant prædictæ enunciativæ, quæ omnes processerant ex ore DD. Borromeorum interesse habentium, ac artificiosè illas pronunciantium, ut instabili suo Juripatronatui opem ferrent; ideòque tanquam inutiles fuerunt semper re-
19 jectæ, tanquam de Jure nihil concludentes. Felinus *in cap. Cum causam. in 4. notab. de Probat.* Natta *consil. 72. num. 41. lib. 4.* Corneus *consil. 171. num. 10. & consil. 333. num. 9.* Rota *d. part. 3. recent. decis. 678. num. 5.* Consensus autem præstiti à DD. Borromeis prædictis resignationibus nihil operantur, quia opus esset, ut antea aliquando Parochos præsentassent, & eorum præsentationes effectum sortitæ fuissent; quas cum nunquam fecerint, consensus in resignationibus nihil prodest. Ludovisius *decis. 349. num. 7.* & Rota *part. 1. recent. decis. 333. num. 6.*

Septima præsumptio proficiscebatur ex armis, seu insigniis DD. Borromeorum infixis tàm in muris prædictarum Ecclesiarum Arlesicæ, ac Lissarii, quàm in suppellectilibus sacris. Sed de facili evacuabatur, quia artificiosè insita fuerant ab ipsis Parochis de Familia Borromeorum, qui easdem Ecclesias sexaginta annis detinuerant, ab anno scilicèt 1506. usque ad Annum 1569. easdem sibi successivè resignando;
20 quare cum processerint ab illis, qui affectabant ipsum Juspatronatus, probari non potest eorum præsumptione, quæ in hac materia non concludit. Spada *consil. 14. num. 11. lib. 2.* Adden. ad Burattum *Decis. 919. num. 9.* Rota coram Coccino *Decis. 2108. num. 46.* Novissimè Rota *part. 18. recent. Decis. 336. num. 14. tom. 1.*

Octava, & ultima præsumptio, in qua insistebant Nobiles Domini de Borromeis pro asserto suo Jurepatronatus, erat, quod Curia Episcopalis nullam exhibebat collationem ab ea factam de iisdem Parochialibus Ecclesiis Lissarii, & Arlesicæ tanquàm liberis. Tollebatur tamen hæc levis præsumptio ex inconcussa illa regula, quod de Jure omnes Ecclesiæ
21 præsumuntur liberæ; & qui prætendunt Juspatronatus in illis, tenentur illud concludenter probare. Innocentius *in cap. Cum Venerabilis in fin. De Except.* Archidiac. *in cap. Nullus. num. 316. quæst. 7.* Abbas *consil. 19. num. 3. lib. 3.* Rocchus *de Jurepatron. in Verb. Competentes. quæst. 20. num. 29. Vers. Ego arbitror.* Et dixit Rota in hac causa *die 14. Junii 1613.* quæ habetur *in part. 3. recent. decis. 510. sub num. 1.* ubi aliæ Decisiones citantur; quibus concordat alia decisio hujus causæ contra ipsos DD. Borromeos *in Paduana Jurispatronatus die 2. Decembris 1615.* coram R. P. D. Sacrato. Cumque ipsi Nobiles DD. Borromei nunquam probassent assertum suum Juspatronatus per integrum sæculum, nisi per suprarelatas frivolas enunciativas, argumenta, ac præsumptiones; dicebatur constare ipso Jure de libertate illarum Parochialium, easque esse de libera collatione Ordinarii.

Porrò ex abundanti hoc Anno 1673. ad reprimendos novos conatus Comitis Alexandri Borromei contra Curiam Episcopalem Patavinam per recursum ad Senatum Venetum invectos, jussit Eminentissimus, ac Reverendissimus Dominus GREGORIUS CARDINALIS BARBADICUS Episcopus perscrutari Archivium suæ Episcopalis Cancellariæ, in quo repertæ fuerunt sequentes omnes collationes ambarum Ecclesiarum Lissarii, & Arlesicæ, infrascriptis annis, auctoritate ordinaria, ab Episcopis Paduanis liberè factæ, videntibus, scientibus, nec reclamantibus DD. Borromeis, qui nec erant, nec prætendebant tunc esse Patroni.

22 *Index collationum Ecclesiarum Parochialium Villarum Arlesicæ, ac Lissarii ab Episcopis Paduanis liberè factarum.*

1402. 3. *Octobris*. Renunciatio, & Collatio beneficii Sancti Michaelis de Arlesega facta per Vicarium Episcopatus Paduæ, ut in libro foris inscripto 1398. pag. 211.

1409. 2. *Augusti*. Renunciatio, & deindè collatio Ecclesiarum Lissarii, & Arlesicæ facta per Episcopum Paduanum, ut in libro foras signato 1409. ad pag. 2.

1410. Renunciatio, ac collatio simplicis beneficii in Ecclesia Lissarii, ut in d. libro pag. 41.

1415. 13. *Augusti*. Collatio Plebis Lissarii, ut in libro inscripto 1415. pag. 22. tergo.

1416. 4. *Aprilis*. Collatio Ecclesiæ de Arlesica, ut in eodem libro pag. 48 tergo.

1419. 19. *Aprilis*. Collatio Ecclesiæ Lissarii, & Arlesicæ, ut in dicto libro pag. 197. tergo.

1419. 2. *Maii*. Collatio Lissarii, & Arlesicæ, ut in d. libro pag. 199.

1444. 14. *Januarii*. Collatio Ecclesiæ Lissarii, ut in libro inscripto ab extra 1444. pag. 2. sub Episcopo Patavino Petro Donato.

1444. 9. *Decembris*. Collatio Ecclesiæ Lissarii facta per eundem Episcopum Patavinum Presbytero Pasquali de Auximo: Testibus Domino Antonio Borromeo Milite, & Petro Baduario, ut in eodem libro.

1449. 7. *Martii*. Resignatio, & collatio beneficii Lissarii, & Arlesicæ, ut in libro foris notato 1448.

1456. 16. *Martii*. Permutatio Ecclesiarum Lissarii, & Arlesicæ cum Ecclesia Cortoroduli coram Paduano Episcopo, ut in libro ab extra inscripto 1452.

1474. Collatio Ecclesiarum Lissarii, & Arlesicæ facta per R. P. D. Jacobum Zeno Episcopum Patavinum Rev. Francisco Bertolino de Alendis, qui eas possedit usque ad Annum 1506. & obiit in mense Sedi Apostolicæ reservato; à qua illas impetravit R. D. Bernardinus de Borromeis; ut dictum est supra in principio hujus discordiæ.

Digitized by Google

Est igitur luce Meridiana clarius, quod prædictæ Parochiales erant liberæ collationis, nulli Juripatronatui subjectæ; & eas absque ulla controversia Episcopi Paduani per integrum seculum contulerant, videntibus, scientibus, & non reclamantibus Nobilibus Dominis de Borromeis; qui quidem erant earum Parochiani, non autem Patroni, prout resolutum fuit in Rota Romana in sequentibus quinque
23 Decisionibus ab Anno 1601. usque ad Annum 1615. & executum à Paulo Papa Quinto Anno 1618. per suam collationem earundem Ecclesiarum R. D. Bernardino Sfortiæ; judicatumque Anno 1658. à Judicibus Arbitris sub Illustrissimo, ac Reverendissimo Domino GEORGIO CORNELIO Episcopo Patavino, & tandem confirmatum Anno 1673. ab Excellentissimo SENATU VENETO sub Eminentiss. ac Reverendiss. Cardinali GREGORIO BARBADICO Episcopo Successore.

DECISIONES SACRÆ ROTÆ ROMANÆ Quæ ab Anno 1601. usque ad 1615. prodiere

In Causa Jurispatronatus

Inter Reverendissimum Episcopatum Paduanum, & Familiam Nobilium de Borromeis,

Quibus annectuntur Bullæ provisionis in persona D. Bernardini Rodulphi Sfortiæ Patavini, Anni 1618.

Paduana Jurispatronatus.
Ven. prima Julii 1601.

Coram Corduba apud Farinac. p. 2. tom. 1. decis. 46.

FUit resolutum, una parte informante, non constare de effectuatione Jurispatronatus D. D. de Borromeis; Nam cum illud fuerit concessum à Pio Papa IV. post augmentum fructuum in tertia parte valoris Beneficii, necessarium erat probare illos de Tempore reservationis; aliàs non potest haberi certitudo, an augmentum fuerit factum in dicta tertia parte, ut in simili fuit consideratum in causa Paduana Jurispatronatus ultima Maii 1591. coram R. P. D. Decano.

Neque his obstat, quòd in concessione sit expressa certa annua summa Redituum, nempè Ducatorum 130. Quia Papa illam expressit cum clausula ut accepimus, & adest in expressione, & forsan ultrà.

Quod sine difficultate procedit in proviso ab Ordinario; tùm quia post ejus provisionem prætendebat adimpletam fuisse gratiam concessionis Jurispatronatus; quod non existebat ante illius implementum; cum in ea sit Dictio: *Postquam*, quæ inducit conditionem. Bart. *in l. quibus §. Termilius num. 7. ff. de Cond. & Demonstrat. l. si ita §. fin.* & ibi Gloss. *de Leg. 2. l. ab hostibus in fin. ff. Ex quibus cau. major.* Tum quia Episcopus interim non debebat carere fructibus Collationis in quasi possessione conferendi. *cap. Quærelam, de Elect.* Put. *Decis. 206. lib. 1.*

Placuit etiam D. D. fundamentum deductum ex negligentia Patronorum, cum effectuatione Jurispatronatus nimis negligenter fuerit dilata, *arg. cap. si Clericus de Præben. in 6. & cap. ibi §. in prædictis de Rescrip. 10. lib. 6.*

Maximè cum supervenerit Concil. Tridentinum *sess. 25. cap. 9.* quod revocat similes gratias: & ita non potest dici hanc, de qua agitur, sortitas effectum; cum adimplementum sit factum tempore inhabili, &c.

Paduana Jurispatronatus.
Die Veneris 26. Martii 1610.

Coram Penia decis. 1496. tom. 2.

SUper dubio, an constaret de effectuatione Jurispatronatus, quòd prætendebant habere Domini Jacobus, Achilles, & alii de Borromeis; Episcopo Paduano, & illi adhærentibus solùm informantibus, Rota non constare censuit, quia pro parte Borromeorum non docebatur in actis de vera, & actuali dotis assignatione, cum effectuatione subsequuta; ita ut Ecclesia esset in possessione dotis assignatæ, sicut dicitur de unione, quæ non dicitur effectuata, nisi post adeptam possessionem. Accorambonus *decis. 20. manuscript. lib. 1.*

Non secuta autem effectuatione, Beneficium remansit liberum, ut sæpè Rota censuit, & signanter in causa Compsana Jurispatronatus die 23. Januarii, & 3. Decembris 1604. coram bon. mem. Litta, ubi signanter fuit dictum, quòd quia non constabat de assignatione dotis, juxta formam Brevium Apostolicorum, non poterat dici constare de Jurepatronatus; undè in casu proposito, licet Domini de Borromeis haberent pro se Breve Pii Papæ IV. cùm tamen non docerent de adimplemento contentorum in Brevi, non dicebantur acquisivisse Juspatronatus.

Paduana Jurispatronatus.
Die Mercurii 27. Junii 1612.

Coram Penia decis. 1681. tom. 2. & apud Farinac. part. 2. tom. 1. decis. 412.

ROta censuit non constare de Jurepatronatus, quòd suffragaretur Dominis de Borromeis prætendentibus habere Juspatronatus super duabus Ecclesiis Parochialibus invicem unitis Sancti Joannis loci de Lisario, & Sancti Michaelis loci de Arlesega Paduanæ Diæcesis: Promotor enim Fiscalis mensæ Episcopalis asserendo prædictas Ecclesias esse liberæ Collationis, meliùs probat suam intentionem, sicut jam pro eo fuerat resolutum die 1. Julii 1601. coram bon. mem. D. Andrea de Cordova tunc Rotæ Auditore.

Nàm pro libertate faciebat primò dispositio Concilii Tridentini *sess. 25. cap. 9.* revocantis omnia Jura Patronatus, quæ non sunt ex fundatione, & Jura etiam Patronatus ex privilegio: Undè non suffragabatur Borromeis concessio Pii IV. de Anno 1562. & sic duobus annis ante publicationem Concilii Tridentini; quia per supervenientem dispositionem Concilii, Juspatronatus (si quod Borromeis competebat) fuit sublatum.

Nec suffragabatur Borromeis dicere, quod Pius IV. non tàm concessit, quàm conservavit antiquum Juspatronatus; quia fuit responsum ex verbis concessionis ejusdem Pontificis, illis videlicet *reservamus*, *concedimus*, & *assignamus*, & ex aliis subsequentibus à Rota ponderatis patere, Papam auctoritate Apostolica, & vigore illius suæ concessionis de novo reservasse Juspatronatus, quòd ostendebant etiam illa verba, *Tenore præsentium* &c.

Narrativa autem Borromeorum, quòd ipsi jam anteà in prædictis Ecclesiis habebant hoc Juspatronatus, ex multis non suffragabatur, & primò, quia cum ipsi pro suo titulo in primis allegaverint hanc reservationem Pii IV. vix poterant hodie allegare alium titulum anteriorem; ut in eisdem terminis respondit Rota in una Valentina Parochialis de Carlet. sub die 4. Maii 1601. coram D. Card. Lancelloto tunc Rotæ Auditore.

Secundò quoniam cum Domini de Borromeis voluerint uti hac reservatione Pii IV. & ista reservatio fuerit facta ex privilegio de Beneficio jam erecto, ultrà quòd fuit sublata per Concilium, licèt fortassis non es-

Digitized by Google

non esset iustificanda ad effectum solius illius reservationis Apostolicæ, cum tamen principaliter ageretur de isto prætenso Jurepatronatus, narrativa, cum esset de facto alieno, non probatur. Parisius *consil.* 114. incipit cum reservatio procedat. *num.* 22. *lib.* 4. Quem refert, & sequitur Gabriel *de Probat. conclus.* 2. *num.* 60. *limit.* 8. Imola *in Clem.* 1. *num.* 9. *Vers. secundo casu de Probat.*

Tertiò quia tametsi Domini de Borromeis vellent niti antiquo illo Jurepatronatus, quod sibi competere prætendebant; adhuc eis obstaret Concil. Trident. *præcit. loco*. Nam cum in Narrativa Pii IV. diceretur, quòd Borromei erant Domini in temporalibus prædictorum locorum, consequenter eorum prætensionem impugnabat idem Concilium, quatenùs fiebat locus præsumptioni, quòd Juspatronatus fuisset eis acquisitum per Usurpationem. Crescentius *decis.* 1. *de Jurepatron.*

Præterea, quia fuit etiam consideratum, quòd Reservatio Pii IV. non fuerat pura, sed postquam fuisset factum augmentum in tertia parte; unde non poterat dici satisfactum prædictæ clausulæ, nisi fuisset probatus verus valor beneficii, & augmenti in tertia parte, ut jam fuerat consideratum in prædicta Decisione coram bon. mem. Corduba.

Demùm ex veritate facti patebat reservationem Pii IV. fuisse subreptitiam, cum in illa præsupponeretur, duo ista Beneficia curata fuisse simul unita, cum tamen constaret de contrario ex resignationibus distinctè factis à Philippo de Borromeis.

Et ex his fuit conclusum, non constare de Jurepatronatus, quod Dominis de Borromeis suffragaretur.

Paduana Jurispatronatus. 14. *Junii* 1613.

Coram R. P. D. Coccino Decano. Ex collectis à Farinacio in prima par. posthum. decis. 510. *par.* 3. *rec.*

Visum fuit Dominis non constare de Jurepatronatus Dominorum de Borromeis, & sic confirmandas duas decisiones super hoc articulo factas; Nam aut illud prætendunt etiam circumscripta concessione, de qua in privilegio Pii IV. & nihil, quòd relevat, probatur. Licèt enim dicatur illud probari ex assertione Papæ in dictis litteris, ad *tex. in Clem.* 1. *cum ibi not. de Probat. cum aliis per* Gabr. *eod. tit. concl.* 2. & fuit resolutum in causa Albanensi prioratus 8. Junii 1588 coram Orano, & in Portuensi Jurispatronatus 9. Maii 1594. coram Corduba; tamen hic non adest assertio considerabilis, quia Papa non asserit simpliciter, Juspatronatus spectare ad Borromeos, sed per verba enunciativa dicitur, ut asseritur, Parochialis Ecclesiæ S. Joannis patroni fuerunt, & propterea licèt Borromei non teneantur probare ipsos fuisse patronos, cùm ista verba sint impersonaliter prolata. Rota *decis.* 60. & 77. *de Rescript. in antiquis*, Cassad. *decis.* 4. *de Probat.* & *decis.* 7. *de Jurepatronatus*, maximè cùm sint probata in Brevi, quod motu proprio emanavit, non tamen sequitur, ut ista assertio Papæ probet, quod constet de Jurepatronatus, ut elegantissimè per Dec. *in cap. Juravit num.* 1. & 2. *de Probat.* eoque magis, quia non fuit facta causa cognita, & ideò potest impugnari, ut fuit resolutum in causa Tirasonensi. jurisdictionis de Tudela prima Aprilis 1587. coram bon. mem. Cardin. Blanchetto, & in causa Tirasonensi. Prioratus 26. Junii 1595. coram eodem, satisque impugnatur, & impugnatio relevat, cùm omnia beneficia præsumantur libera. Innoc. *in cap. Cum venerabilis in fin. de except.* Archidiac. *in cap. Nullus num.* 316. Abb. *consil.* 19. *n.* 3. *lib.* 1. Put. *decis.* 192. *n.* 3. *lib.* 1. Veral. *decis.* 130. *n.* 2. *par.* 2. Roch. *de Jurepatronatus in verb. competens, quæst.* 26. *num.* 29. *vers. ego arbitror.*

Aut verò dictum Juspatronatus prætendunt ex Brevi Pii IV. & illud pariter non suffragatur, quia cum Juspatronatus sit ex privilegio, est revocatum per Conc. Trid *sess.* 25. *cap.* 9. §. *reliqui patronatus de reformat.* Quod autem sit tale, satis patet, quia de jure communi Juspatronatus non competit nisi ex fundatione, dotatione, aut constructione, ut per DD. *in cap.* 3. *de Jurepatronatus*, Gloss. *in cap. Piæ mentis* 16. *quæst.* 7. Innocent. *in rub. de Jurepatronatus num.* 2. Abb. *num.* 6. & *consil.* 54. *num.* 1. *part.* 5. & *consil.* 59. *num.* 2. ubi quòd de jure non reperitur alius modus expressus, & *cons.* 106. *num.* 1. *par.* 2. Hostien. *in summ. de Jurepatronatus*, *ex quibus* Goffred. *pariter in summ. eod. tit. num.* 1. *versic. patronatus in verb. pro eo*, *quæst.* 16. & *in verb. contraxit quæst.* 4. Lambert. *de Jurepatronatus lib.* 1. *part.* 1. *quæst.* 1. *art.* 6. & *qu.* 2. *art.* 2. *num.* 1. Ant. August. *decis.* 388. *lib.* 3.

In casu autem isto prædicta non adsunt, quia etsi gratia fuerit facta cum hoc, quòd Borromei augerent tertiam partem redditus Ecclesiæ, qui ascendebant ad Duc. auri 130. de Camera, ut in eodem Brevi dicitur, tamen ex augmento dictæ 3. partis non poterant Borromei dici dotatores, ita ut acquirerent Juspatronatus, cum augmentum dotis, maximè si non excedat medietatem, non operetur idem, quod operatur dotatio. Gloss. *in cap. Piæ mentis in vers. patronum* 16. *quæst.* 6. Abb. *dict. consil.* 59. *lib.* 1. Roch. *de Jurepatronatus in vers. dotavit quæst.* 2. & 3. & fuit dictum in causa Lumensi. Sarzanensi. beneficii 5. Julii 1599. coram Illustriss. D. meo Cardin. Mellino, & in alia Valentina Parochialis de Carlet 4. Maii 1600. coram Illustriss. D. meo Card. Lancelloto, & prædicta adeò vera sunt, ut nec quasi possessio præsentandi unà cúm dicto augmento suffragetur, ut dicitur in allegata causa Valentina, Verall. *Decis.* 29. *lib.* 1. in manuscripto, & fuit resolutum in causa Cæsaraugustana Parochialis 10. Junii 1566 coram Gropperio.

Neque obstat, quòd insuper Ecclesia fuerit restaurata, & in ea expensum ultra scuta 500. quia ultra quòd hæc omnia habentur in dicta narrativa Brevis per verba, ut asseritur, & ideò intrant supradicta, posset etiam responderi, quòd impensæ fuerunt factæ à Rectore, qui cum administrationem haberet, ex quo Ecclesia erat Parochialis, Bellam. *Consil.* 3. *num.* 7. erat obligatus ad onus fabricæ, *cap. de Redditibus Ecclesiæ cum duob. seqq.* 12. *quæst.* 2. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 185. *art.* 7. *in corpore*, & ibi Cajet. Gloss. *in cap. Præsenti in vers. renunciavi de Officio ordinarii in* 6. & ideò de ista restauratione nulla est habenda ratio: ultra quòd cum simpliciter Ecclesia restauraverint sine aliqua declaratione, censentur solùm benefactores. Abb. *in cap.* 3. *num.* 10. *de Jurepatronatus*. Lambert. *lib.* 1. *part.* 1. *quæst.* 5. *art.* 12. *num.* 2. & *quæst.* 6. *art.* 1. & 10. & fuit in puncto resolutum in dicta causa Valentina Parochialis de Carlot. & in alia Valentina Parochialis de Consentayna 30. Jan. 1581. coram bo. mem. Seraphino, & cessat omnis difficultas, quia quando aliàs non esset præparatus ad reparationem, ad effectum acquirendi Juspatronatus ex reparatione, necesse est, ut Ecclesia sit totaliter diruta, vel saltem in tali statu, ut indigeat nova consecratione, vel ejus facies mutari, quæ hic non adsunt. Gloss. 1. *in cap.* 1. ubi Bero *num.* 56. *de Jurepatronatus*, Jas. *in l. prima* §. *si quis ædificium*, *num.* 4. *de nov oper. nunciat.* Roch. *de Jurepatron. vers. contraxit*, *num.* 12. Lambert. *lib.* 1. *par.* 1. *quæst.* 6. *art.* 3. *num.* 11. & 16. & fuit sæpissimè resolutum.

Minus etiam facit, quòd dicatur in dicto Brevi, quòd fructus ascendebant ad Ducatos 50. de Camera, & tamen fuerunt aucti ad Ducatos 130. quia istud augmentum fuit factum reducendo bona ad culturam, & sic Borromei fuerunt potiùs benefactores, ut per Abb. & alios supra allegatos.

Digitized by Google

Paduana Jurispatronatus.
Merc. 2. Decembris. 1615.

Coram R.P.D. Sacrato. Ex studio Excell. Ronconi Advocati Romani in manuscript.

RESolutum fuit, sententiam Rotalem latam pro libertate Parochialium, de quibus agitur, esse confirmañ. Etenim præsumptio Juris est, quod Beneficium sit liberum, non autem de Jurepatronatus. Innoc. *in cap. cum venerabilis in fine de except.* Abb. *Conf.* 19. *num.* 3. *lib.* 2. Puteus *decis.* 286. *num.* 2. *lib.* 1. Veral. *decis.* 130. *num.* 2. *par.* 2. & fuit resolutum in hac eadem causa 14. Junii 1614. coram R. P. D. meo Coccino, undè qui dicit contrarium, tenetur hoc probare. Cravett. *Consil.* 562. *num.* 7. Mohed. *decis.* 10. *num.* 2. *de Jurepatron.* Rota in Bononieñ. Jurispatronatus 20. Junii 1586. coram bon. mem. Gipsio, & quidem plenè, quando Ordinarius, ut in proposito est in causa. Ripa *in cap. cum Ecclesia Sutrina num.* 93. *vers. sextò quæritur in fine de caus. possess.* Cassad. *decis.* 1. *num.* 1. *de probat.* Veral. *decis.* 137. *num.* 2. *par.* 1. Mohed. *decis.* 5. *de Appellat. post med.* & fuit dictum in causa Pampilonen. Beneficii de Janzi 10. Aprilis, & 20. Novemb. 1595. coram bon. mem. Card. Mantica.

Prædicta autem plena probatio visa fuit deficere in proposito casu. Et quantum ad prætensam quadragenariam cum titulo, quæ deducitur ex duabus provisionibus Apostolicis cum assertione Jurispatronatus, quæ provisiones fuerunt effectuatæ per 40. annos, & ultra: omisso an quadragenaria cum titulo sufficiat, fuit responsum, quod nullus poterat dici, quod adesset titulus in proposito casu: siquidem Papa in dictis provisionibus minimè concessit novum titulum Jurispatronatus, sed tantùm præsupposuit Juspatronatus. Undè circa illud nihil videtur disposuisse, vel concessisse. Cassad. *decis. unica num.* 2. *de confirm. utili, vel inutili.* Rota in Bergomen. Canonicatus 28. Novemb. 1586. coram bon. mem. Gipsio, & sic non applicatur, quòd pro titulo colorato sufficiat concessio habentis potestatem, etiamsi aliàs laboret aliquo defectu, quia respectu personarum Patronorum Papa nullum concessit titulum. Præterea dato, & non concesso, quod Papa ex tunc concessisset, cum non appareat de fundatione, & dotatione, esset Juspatronatus ex privilegio, quod esset revocatum per Concilium *sess.* 25. *cap.* 9. *§. reliqui*, ut in Albanen. Prioratus 21. Maii 1603. coram bon. mem. Penia.

Quantum ad insignia super Ecclesiis, de quibus agitur, non probatur quod sint antiqua, & sic potuerunt esse apposita vigore privilegii Pii IV. de quo infra, & etiam si essent antiqua, facerent tantùm indicium, non autem plenam probationem, cum insignia apponantur à Laicis propter aliquam meliorationem, & aliquando, ut fert hominum ambitio, satis modicam, quæ propterea non concludunt Juspatronatus, ut fuit consideratum in causa Calaguritana Jurispatronatus de Vittoria 30. Octobris 1613. coram R.P.D. Cavalerio.

Quò verò ad concessionem Pii Papæ IV. inhærendo decisioni factæ coram R. P. D. Decano, fuit dictum quod, aut prætensi Patroni allegarunt prædictam concessionem, quasi quod ex tunc fuerit sibi concessum Juspatronatus, aut quia ex assertione Papæ, de qua in illa concessione, probetur Juspatronatus per prius competiisse. Primum non suffragatur, quia Papa non concedit simpliciter Juspatronatus, sed postquam fructus ad tertiam partem aucti fuerint, quæ conditio non apparet fuisse implera, & cessante implemento, cessat concessio. Bart. in l. T. Ermilius *num.* 8. *ff. de condit. & demonst.* Rota in hac eadem causa 7. Juliii 1601. coram bo. me. Episcopo Paceñ. Cæterùm etiam si appareret de implemento, adhuc illa concessio non suffragaretur, quia nihilominus remaneret Juspatronatus ex privilegio, quod est sublatum ex Sacro Conc. Trid. dicta *sess.* 25. *cap.* 9. *§. reliqui*, non enim tolleret, quòd Patronatus esset ex privilegio, prædictum augmentum ad tertiam partem fructuum, vel aliæ reparationes factæ per istos prætensos patronos; & enunciatæ per Papam in prædicta concessione; quibus enunciativis Papæ dicitur esse standum cum sint factæ motu proprio. Veral. *decis.* 286. *num.* 1. *part.* 2. quia nec dictum augmentum, nec dictæ reparationes includunt acquisitionem Jurispatronatus de Jure communi, nam quantum ad augmentum, ut acquiratur Juspatronatus necesse est, quod Ecclesia sit indotata, aliàs augmentans fructus dicitur ditator, non autem dotator, nec propterea de Jure acquiri Juspatronatus. Gloss. *in cap. Piæ mentis, ibi patronum faciunt* 16. *quæst.* 7. Rocchus de Curt. *in verbo Ecclesia fundavit q.* 2. *de Jurepatron.* Rota *in Valentina Parochialis* 4. *Junii* 1611. *coram Illustriss. D. Cardinali Mellino.* Quo verò ad reparationem, ut acquiratur Juspatronatus, non sufficit Ecclesiam aliqualiter reparare, seu meliorare, sed requiritur totalis constructio, seu restauratio, prout evenit, quando Ecclesia sit ita diruta, ut egeat nova consecratione. Lambert. *de Jurepatron.* 6. *art. quæst. princ. par.* 1. *lib.* 1. *num.* 16. Roc. *dict. tract. in verbo construxit num.* 12. Rota *in Perusina de confinio* 2. *Decemb.* 1576. coram bon. mem. Card. Blanchetto, & hæc in quantum prætenditur nova concessio. In quantum verò dicitur, ex prædicta concessione, seu privilegio probari Juspatronatus de præterito competiisse, ex quo Papa hoc asserit, & assertio Papæ probat etiam in facto tertii, saltem donec probetur contrarium ex allegatis; fuit responsum Papam non simpliciter asseruisse Juspatronatus de præterito competiisse Borromeis, sed enunciavit de tempore concessionis assertum fuisse, quod Juspatronatus illis competiebat, ibi: *sanè licet ut accepimus antiquis temporibus nobilis familia Borromeorum Villarum, &c. Domini in temporalibus, ut asseritur Parochialis Ecclesiæ passim Laici fuerunt, &c.* & proinde narrativa Papæ ad summum probabit de illis temporibus fuisse ab aliquibus assertum, quod Juspatronatus competierat istis de Borromeis, & sic erit assertio assertionis aliorum, non autem assertio Papæ de Jurepatronatus, qui termini sunt valdè differentes, ut patet ex Dec. *in cap. juravit num.* 2. *de probat. in Decis. Domini mei Decani allegat.* Et quod Papa non intellexerit ex tunc asserere Juspatronatus, vel fundaverit suam concessionem super illius existentia, patet, quia immediatè subdit alia verba, ibi *tamets de Jurepatronatus hujusmodi scripturis illius propter bellorum injuriam deperditis, vel alias non appareat &c.* ex quibus colligitur Papam non fuisse, vel esse potuisse certum de existentia prædicti Jurispatronatis, quod etiam satis notat onus impositum prædictis de Borromeis de augendis fructibus ultra tertiam partem, & ex nova concessione ibidem facta de hoc Jurepatron. Si enim Papa erat certus de Jurepatronatus, ut modo prætenditur, gravasset Borromeos injungendo illis onus augmenti fructuum, maximè cum ipsi jam notabiliter melioravissent Ecclesiam, ut ibidem asseritur, & multo minus fuisset opus nova concessione juxta illud; quòd meum est, meum amplius fieri non potest, de quo §. *Sic itaque Inst. de Act. cap. inter dilectos. §. cæterum de fide Instrum.* Abb. *cons.* 3. *incipit, Utar in præsenti ante num.* 1. *lib.* 2. sed ad summum Papa confirmasset Juspatronatus antiquum, atque ex his cessat quod dicitur narrativam Papæ probare, & in gratia motu proprio minimè esse opus justificatione narrativæ, quia hoc potest procedere, quando ex forma loquendi, & aliis circumstantiis, apparet, Papam aliquid asserere, & in assertis se fundare, & ita loquuntur Gabr. *post allegat. tit. de probat. vol.* 2. Rota *divers. decis.* 154 *num.* 4. *par.* 2. cum aliis ex adverso allegatis.

Exem-

Exemplum Sumptum ex Libro Collationum Auctoritate Apostolica Existentium in Cancellaria Episcopali Patavina de Anno 1618. ad car. 80. Videlicet:

1618. Indictione prima die Mercurii 26. Septemb. Paduæ in Episc. Palatio, Adm. Rev. Sfortia principaliter præsentavit Reverendiss. D. Vicario & Com. &c. Gualdo.

Qui se obtulit &c.

dicta die.

Coram ipso D. Vicario Examinatus fuit à DD. Examinatur Synod. scil.

DD. Com. Capra, Viola, & Bragio, & approbatus.

dicta die.

D Sfortia declaravit, prout in litteris.

Illico dict. D Reverendiss. D. Vicarius eidem contulit Ecclesias Lissarii, & Arlesicæ. per bireti &c. Jur. in forma, &c.


Testes Illustris D. Jo. Baptista Gualdas.

Testes D. . . . . Franciscbinis D. de Vic.

Bullæ provisionis Bernardini Rodulphi Sfortiæ.

PAULUS Episcopus servus servorum Dei. Dilecto filio Vicario Venerabilis fratris nostri Episcopi Paduan. in spiritualibus generali salutem, & Apostolicam benedictionem. Dignum arbitramur, &
24 congruum, ut illis se reddat Sedes Apostolica gratiosam quibus ad id propria virtutum merita laudabiliter suffragantur. Cum itaque, sicut accepimus, S. Michaelis de Arlesega, & S. Jo: Baptistæ de Lissario Villarum Paduan. Diœcesis Parochiales Ecclesiæ invicem perpetuo Unitæ, de quibus aliàs tunc per obitum quondam Pauli Madii olim ipsarum Ecclesiarum Rectoris extra Roman. curiam defuncti Vacantibus q. Angelico Barbadico tunc in humanis Agenti ordinaria auctoritate, & deinde dilecto filio Borromeo de Borromeis Presbytero illarum partium ad præsentationem prætensorum dictarum Ecclesiarum patronorum à Dilecto Filio Decano Ecclesiæ Concordien. Uti Delegato Apostolico, ut asseritur, vigore motus proprii fœl. record. Pii PP. IV. prædecessoris nostri per ipsos electo, Ordinario Paduan. præsentationem de persona ejusdem Borromei ad Ecclesias hujusmodi, ut præmittitur factam, admittere nolente, provisum fuit possessione per Angelicum primo, & postmodum per Borromeum prædictos subsecuta: Unde lite & causa inter Angelicum ex una, ac Borromeum prædictum ex altera partibus super prætenso Jurepatronatus hujusmodi legitima introducta coram dilecto filio Nuntio Apostolico in partibus Venetiarum commorante, qui sententiam, & collationem prædict. Decani ad favorem dicti Borromei, ut præmittitur factam confirmavit. Deinde in Sacro Rotæ Auditorio inter tunc existen. Episcopum Paduanum, & dictos patronos, ac provisos prædictos ab hinc viginti octo, vel circiter annis indecisa pendente, tandem per plures decisiones, & duas sententias ab eadem Rota latas resolutum extitit *non constare de Jurepatronatus* dictarumque Ecclesiarum *fructus ipsi interim* de Œconomo proviso ab eadem Rota assequestrati fuerunt, quibus non obstantibus illi de Borromeis acquiescere nolentes ab eisdem appellarunt, prætendentes nullas esse, & contra rem Judicatam latas, lisque adhuc desuper in eadem Rota pendeat indecisa adhuc, ut præfertur vacaverit, & vacet ad præsens: Nos Volentes dilectum filium Bernardinum Rodulphum Sfortia Clericum Paduan. Mag. in Theo. apud nos de litterarum scientia, vitæ ac morum honestate aliisque probitatis, & virtutum meritis multipliciter commendatum horum intuitu favore prosequi gratioso, ipsumque Bernardinum à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à Jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si per diligentem examinationem per te adhibitis examinatoribus ad hoc à Concil. Trident. designatis, si illic sint uti esse debent in Synodo Diœces. deputati, sin autem absque illis faciendam, d. Bernardinum ad hoc idoneum esse reperteris, super quo tuam conscientiam oneramus, Ecclesias prædictas, quarum, & illis forsan annexorum fructus redditus, & proventus Ducat. ducentorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum, ut d. Bernardinus asserit non excedunt, sive ut præmittitur sive alias quovis modo aut ex alterius cujuscunque persona seu per liberam resignationem d. Pauli, vel cujusvis alterius de illis extra dictam Curiam etiam coram Notario publico, & testibus sponte factam, aut assecutionem alterius beneficii Ecclesiastici ordinaria auctoritate collati vacent, etiamsi tanto tempore vacaverint, quod earum collatio juxta Later. Statuta Concilii ad Sedem eandem legitime devoluta ipsæque Ecclesiæ dispositioni Apostolicæ specialiter reservatæ existant, & super his inter aliquos alios & alias quam ut præfertur, lis cujus ac primo dictæ litis statum præsentibus haberi volumus pro expresso pendeat indecisa; dummodo tempore datæ præsentium non sit in eis alicui specialiter Jus quæsitum, cum annexis hujusmodi, ac omnibus Juribus, & pertinentiis suis ipsi Bernardino auctoritate nostra conferas, & assignes inducens per te vel alium seu alios eundem Bernardinum vel procuratorem suum ejus nomine in corporalem possessionem Ecclesiarum, ac annexorum Juriumque, & pertinentiarum prædictorum, & defendas inductum amoto exinde quolibet illicito detentore, ac faciens eidem Bernardino de Ecclesiarum ac annexorum eorundem fructibus redditibus, proventibus, Juribus, & obventionibus Universis integrè responderi Contradictores auctoritate nostra prædicta appellatione postposita compescendo. Non obstantibus piæ mem. Bonifacii Papæ VIII. etiam prædecessoris nostri, & aliis Apostol. Constitut. contrariis quibuscunque, aut si aliqui super provisionibus sibi facien. de hujusmodi vel aliis beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales dictæ Sedis aut Legatorum ejus litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem reservationem, & Decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus eundem Bernardinum in assecutione dictarum Ecclesiarum volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem beneficiorum aliorum præjuditium generari, seu si Venerabili Fratri nostro Episcopo Paduan. vel quibusvis aliis communiter aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicujus minimè teneantur, & ad id compelli, atque interdici, suspendi, vel excommunicari non possint. Quodque de hujusmodi vel aliis beneficiis Ecclesiasticis ad eorum collationem provisionem præsentationem, seu quamvis aliam dispositionem conjunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, *Volumus autem quod dictus Bernardinus per publicum Instrumentum in Archivio Curiæ Episcopalis Paduan. retinendum se dictas Ecclesias tanquam liberæ collationis, non autem Jurispatronatus obtinere declarare omninò teneatur alias præsens gratia nulla sit, dictæque Ecclesiæ vacent eo ipso.* Et insuper si dictus Bernardinus ad hæc repertus fuerit idoneus, ut præmittitur, ex nunc perindè irritum decernimus, & inane si secus super his à quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingerit attentari, ac si die Datæ earundem præsentium prædicto Bernardino ad id reperto idoneo de dictis Ecclesiis interpositione

decreti


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

decreti hujusmodi mandavissemus provideri: per præsentes autem non intendimus dictum Juspatronatus in aliquo probare. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem Anno incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo decimo octavo, Quinto Idus Julii, Pontificatus nostri Anno 14. I. Burlurault cum diversis aliis subscriptionibus, Bulla plumbea impenden. ad cordulam Canapis mor. Rom. cur. munita.

Paulus Pastorius Canc. Episcop. Paduæ Exemplare fecit, & subscripsit in fidem hac die 21. Julii 1655.

Georgius Cornelius Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Patavinus, Comesque Saccensis, &c. Universis attestamur suprascriptum D. Paulum Pastorium esse publicum Colleg. hujus Civitatis Notarium, & Cancellarium nostrum Episcopalem, cujus scripturis, documentis, & subscriptionibus, hic & ubicunque tàm in Judicio, quàm extra plena potest adhiberi fides. In quorum fid. &c. Dat. Patavii ex Episc. Pal. die 21. Julii 1655.

Franciscus Zaghinus Coad. Pad. M.

DISCORDIA VI.

ARGUMENTUM.

Optiones Canonicatuum vacantium in Mensibus Sedi Apostolicæ reservatis fieri non possunt à Capitulo vigore consuetudinis etiam immemorabilis; sivè collatio sit facienda à Summo Pontifice, sivè à Cardinali Episcopo Indultario. Pensiones super Præbendis, ac fructibus Canonicatuum, privata auctoritate, quamvis ad dirimendas lites, licitè non imponuntur.

SUMMARIUM.

1 *Optare non licet Canonicatus in Mensibus reservatis vacantes.*
2 *Consuetudo immemorabilis optandi Præbendas in mensibus reservatis non valet.*
3 *Regula Nona Cancellariæ abrogat consuetudines etiam immemorabiles disponendi, seu optandi Præbendas in mensibus reservatis.*
4 *Cardinalis indultarius confert vice ac nomine Papæ beneficia reservata.*
5 *Pensio super Præbenda Canonicali an privata auctoritate possit imponi?*
6 *Præbendæ, ac fructus Canonicatuum sunt quid Spirituale.*
7 *Dubia prædicta circa Optionem Canonicatuum ad S. Congr. Concilii delata.*
8 *S. Congr. Concilii resolutio contra Optiones Canonicatuum in Mensibus reservatis.*

Cum esset Episcopus Bergomensis Eminentissimus, ac Reverendissimus, GREGORIUS Sanctæ memoriæ, CARDINALIS BARBADICUS, non levem passus est molestiam ab illius Cathedralis Capitulo prætendente, posse Canonicos optare pinguiores Præbendas Canonicatuum vacantium in Mensibus Apostolicæ Sedi reservatis; adeò ut collatio Canonicatus, vacantis in uno ex dictis mensibus reservatis, facta per Eminentiam suam vigore Indulti, restringeretur ad ultimam tenuiorem Præbendam dimissam à Canonico optante. Circa quam vexatiônem tria dubia mihi fuerunt proposita examinanda.

Primum erat: An de Jure licita esset Optio prædictorum Canonicatuum, si eos vacare contingat in mensibus reservatis Summo Pontifici? Facile fuit huic dubio respondere Negativè, attenta Regula
1 octava Cancellariæ Apostolicæ, quæ hodie est nona; in ea enim derogatur expressè cuicunque facultati optandi beneficia in iisdem mensibus reservatis vacantia; ut advertit Gonzalez *ad d. Reg. 8. glos. 34. à num. 1. & seqq.* Garzias *de Benefic. part. 5. cap. 1. num. 450.* Lotterius *de Re benefic. lib. 2. q. 38. num. 10.* Tondut *Resol. benefic. lib. 1. cap. 110. num. 6.* & pluries decisum est in Rota, ut legitur apud Gregorium XV. *decis. 478. num. 2.* ubi Adden. *num. 6.* & in *part. 9. recent. decis. 285. à num. 1. & seqq. tom. 1.* novissimè *in part. 16. recent. decis. 112. num. 43. & 44.* cum aliis auctoritatibus congestis per Barbosam *De Canonic. & Dignit. cap. 30. num. 22.*

Secundum dubium erat, An hæc legalis responsio negativa procederet, ubi Capitulum allegaret consuetudinem immemorabilem optandi easdem pinguiores Præbendas Canonicatuum vacantium in Mensibus Apostolicæ Sedi reservatis? Et negativè dixi res-
2 pondendum etiam ad hoc dubium, tàm si provisio Canonicatus vacantis facienda sit immediatè à Summo Pontifice, quàm si conferendus veniat à Cardinale Episcopo Indultario. In primo Casu; non potest Capitulum insistere in consuetudine quamvis immemorabili; quia expressè Papa eam abrogat in eadem Regula Nona his verbis, *Declarans, ac Volens, Con-*
3 *suetudines etiam immemorabiles optandi majores, & pinguiores Præbendas, nec non Privilegia &c. quibusvis personis, & Collegiis, cujuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis existentibus quomodolibet concessa, adversus Reservationem hujusmodi minimè suffragari.* Quapropter nullius roboris esse consuetudinem, etsi immemorabilem, quam Canonici allegabant pro optione facienda in Mensibus etiam reservatis scripserunt Gonzalez *d. glos. 34. à num. 1. & seqq.* Garzias *d. part. 5. cap. 1. num. 450.* Lotterius *d. lib. 2. q. 38. num. 10.* & decisum reperitur à Rota *part. 8. recent. decis. 10. num. 4. & 5.* & in *una Taurinen. prætensæ Optionis* coram Peutingero 11. *Februarii* 1650. confirmata 10. *ejusdem* 1651. quæ etiam est impressa *part. 11. recent. decis. 114.* In secundo pariter casu, si collatio Canonicatus, qui vacavit in Mensibus reservatis, facienda sit ab Episcopo Cardinali Indultario, contra ipsum non potest à Capitulo Cathedralis opponi consuetudo immemo-
4 rabilis, quam haberet optandi; siquidem Cardinalis Indultarius virtute Indulti confert nomine, ac vice Sedis Apostolicæ; à qua cum sit abrogata prædicta consuetudo etiam immemorabilis optandi, debet abrogatio operari non solùm ubi Sedes Apostolica immediatè confert Canonicatum sibi reservatum; sed etiam ubi mediante Indulto collatio fit ejus vice, ac nomine à Cardinale illud habente, ut in terminis dicit Rota in citata *part. 8. recent. decis. 10. à num. 4. & seqq.* ubi DD. ac alias Decisiones cumulat.

Tertium dubium erat, an stante lite inter provisum de hujusmodi Canonicatu à Cardinali Indultario ex una; & alium Canonicum eundem Canonicatum titulo Optionis detinentem, possit iste, ut à
5 lite se removeat, ac pinguiorem Præbendam optatam dimittat ipsi proviso per Indultum, cum eo pacisci de certa summa Pensionis sibi, donec vixerit, super ejusdem Præbendæ fructibus solvenda? Et pariter huic dubio respondi negativè, quia cum Præbenda, & ejus fructus inseparabiliter inhæreant titulo spirituali Canoniæ; ut benè disserit Lotterius *lib. 2. q. 25. num. 55. & seqq.* ipsa Præbenda, ac fructus
6 censentur esse quid Spirituale, ut considerat Rota *d. part. 8. recent. decis. 138. num. 4. & 5.* & per consequens pacisci inter privatos de Pensione eorum causa, & super eis solvenda; est manifesta Simonia ex traditis per Bonacinam *de Simonia q. 4. §. 13. num. 7.*

num. 7. & per Barbosam *de Jure Eccles. Universf. lib. 3. cap. 11. num. 23.* Quare, &c.

His responsis, & rationibus, ac auctoritatibus in eis contentis non acquiescebant Canonici Bergomenses; ideò delata fuerunt ab Eminentissimo Cardinali
7 Episcopo ad Sacram Congregationem Concilii, à qua diligenter discussa; tandem approbata fuerunt *die 7. Octobris 1662.* prout ex sequenti Rescripto in forma authentica relaxato; Videlicet:

Bergomen.

Abusibus, qui circa Optionem Præbendarum inter Canonicos suæ Cathedralis Ecclesiæ irrepserunt extirpandis intentus Eminentissimus Cardinalis Episcopus Bergomensis infrascriptarum Dubitationum definitionem ex hac Sacra Congregatione petit.

Primò, An Canonicis licitum sit optare pinguiores Præbendas, quæ vacant in Mensibus Sedi Apostolicæ vigore Regulæ Cancellariæ octavæ, hodiè nonæ, reservatis, nullique alii sunt debitæ, nisi Canonicali dignitate insignitis?

Secundò, An ad effectum optandi contra formam ejusdem Regulæ reservatoriæ allegari valeat aliqua Consuetudo in præjudicium Sedis Apostolicæ, vel saltem Ordinarii collatoris Cardinalis Indultarii?

Tertiò, An suboriente in præmissis lite inter provisum Apostolicum, & Optantem, licitè iidem agant, si privata auctoritate certam quandam super redditibus controversæ Præbendæ Pensionem paciscantur, ob eo consequendam, qui acquiescendo tacitè suis juribus renunciat, quamque postindè pensionem, Apostolico assensu non impetrato, pecunia extinguant?

Die 7. Octobris 1662. Sacra Congregatio Eminentissimorum S.R.E. Cardinalium &c. Ad Primam, &
8 *Tertiam ex propositis dubitationibus negativè respondit: & secundæ dubitationis distulit resolutionem.*

Die verò 18. Novembris ejusdem anni ad eandem secundam dubitationem itidem negativè respondit.

A. Cardinalis Celsus Præfectus.

Loco ✠ Sigilli

C. De Vecchiis Episc. Clusen. S.C.C. Secr.

DISCORDIA VII.

ARGUMENTUM.

Presbyter, qui, Capellaniâ nondum vacante, obtinuit à Patrono mandatum pro sui ipsius præsentatione ad illam; non potest, cum vacaverit, ad eandem præsentari.

SUMMARIUM.

1 *Absalom ob ambitionem ante mortem Patris voluit Rex fieri.*
2 *Impetratio beneficiorum non vacantium probibita. Et cur?*
3 *Impetrantes beneficia non vacantia sunt incapaces ad ea obtinenda.*
4 *Patronus præsentans ad beneficium nondum vacans, an perdat Jus præsentandi?*
5 *Clericus impetrans se nominari ad beneficium nondum vacans, non potest illud obtinere.* Et num. 6.
7 *Mandatum Patroni de præsentando clerico, beneficio non vacante, continet ambitum, & periculum captandæ mortis.*
8 *Capellania, quæ confertur per institutionem Ordinarii, est beneficium Ecclesiasticum.*
9 *Lex generaliter loquens, generaliter est intelligenda.*
10 *Redditum Ecclesiasticorum tenuitas non excusat à pœna ambitus, & timoris captandæ mortis alterius.*
11 *Lex ubi non distinguit, nec nos distinguere debemus.*

Sicut Absalom impatiens expectare non potuit, ut Rex David pater ejus moreretur, antequam ejus thronum ascenderet, ut legitur. 2. *Reg.* 15. sic qui-
1 dam Presbyter affectans Capellaniam de Jurepatronatu Laicali institit, & obtinuit à Patronis mandatum Procuræ, vivente adhuc possessore ejusdem Capellaniæ, quo committebatur Procuratori facultas præsentandi prædictum Presbyterum, statim hac ipsa Capellania vacaret. Non multò post Capellania vacavit, & Presbyter ille fuit Episcopo præsentatus. Dubitatum fuit, An esset instituendus? Respondi Negativè.

Pro intelligentia hujus responsi duo sunt præmittenda. Unum est, quod impetratio beneficiorum non vacantium est de Jure prohibita sub pœna incapaci-
2 tatis ejusdem beneficii, cum vacaverit; tùm ad reprimendum ambitionem ipsius impetrantis *cap. Sicut. 1. quæst. 6. cap. In scripturis. 8. quæst. 1.* Vivian. *de Jurepatr. lib. 6. cap. 5. num. 81.* tùm ne detur votum captandæ mortis beneficiatorum *cap. 1. & 2. De Concess. Præben. cap. Detestanda. & cap. De Captandæ. eod. tit. in 6.* Hinc prodierunt duæ Regulæ Cancellariæ Apostolicæ; Una de non impetrando beneficium per obitum viventium, quæ est *Reg. XXI.* Altera de Verisimili notitia, quæ est *Reg. XXX.* quibus Summus Pontifex inhabiles reddit tàm impetrantes beneficia viventium ad illa deinceps consequenda; quàm impetrantes vacantia, si à die va-
3 cationis non fluxerit tantum tempus, ut de vacatione verisimilis notitia habeatur; quas Regulas declarat, præter Joannem Chochier, & Mandosium, Rebuffus *in Praxi benefic. part. 2. tit. 4. De Reprob. benefic. vivent. impetrat.* & in additione *ad Reg. 30. pag. mihi 510.* nec non Petrus Gregorius Tholosanus *De Benefic. cap. 32.* per totum.

Alterum præmittendum est, quod prædicta incapacitas ad habendum beneficium ante ejus vacationem impetratum, non solùm incurritur, quando quis illud impetrat à Papa, seu ab ejus Legato, vel ab Episcopo Ordinario collatore, ut plenè probant DD. supracitati; sed etiam quando quis obtinet à
4 Patronis, se ad beneficium Jurispatronatus nondum vacans præsentari; siquidem etsi in tali casu discordes sint DD. in decidendo, An Patroni pro ea vice priventur Jure præsentandi? concorditer tamen docent, Clericum ipsum, qui sui ipsius præsentationem obtinuerat beneficio pleno, vel mandatum ad se præsentandum, remanere incapacem ejusdem bene-
5 ficii. Rebuff. *ad d. Reg. 30. In Verb. Quod omnes gratiæ.* Decius *consil. 541. Visa donatione.* Roland. *consil. 47. sub num. 53. Vers. Item nec pariter vol. 1.* Marescotus *Var. Resol. lib. 2. cap. 33. num. 1.* Loterius *de Re benefic. lib. 2. quæst. 6. num. 1.* & Barbosa *de Jure Eccl. Univ. lib. 3. cap. 12. num. 205.* qui omnes plurimos alios DD. ac Decisiones Rotæ concordantes cumulant.

Igitur Presbyter prædictus, qui obtinuit mandatum Procuratorium à Patronis, quo alicui committunt, ut illum debeat præsentare ad Capellaniam statim, dum vacaverit, factus est incapax ejusdem Capellaniæ; adeòut sequuta illius vacatione, & fa-
6 cta ejus præsentatione; institui ab Ordinario non possit, sed veniat prorsùs repellendus juxta Sacrorum Canonum dispositionem, ut in puncto scribunt Lambertin. *de Jurepatr. lib. 2. part. 1. quæst. 9. art. 12. & art. 13.* Vivian. *eod. tract. lib. 6. cap. 5. num. 81.* Rota coram Verallo *part. 2. decis. 291. & part. 3. decis. 67.* Novissimè Thesaurus *de Pœnis Eccles. part. 2. Verb. Ambitus. cap. 8.* ubi firmat, pactum de præsentando, aut eligendo, aut conferendo beneficio, si fiat antequam beneficium vacet, invalidare præsentationem, electionem, seu collationem; & si de facto fiat, est omninò cassanda, & declaranda nulla eadem vel electio, vel collatio, vel præsentatio, *cap. Illud. De Jurepatr. d. cap. ult. de Concess. Præbend.*

Digitized by Google

bend. ubi Barbosa *in Collect. DD.* alios allegat; quibus addenda est Rota coram Ludovisio *Decis.* 420. *num.* 3. & ibi Beltramin. *in Addit. num.* 9.

Neque juvat dicere, pœnam incapacitatis insurgere ex electione, seu ex collatione, si beneficium nondum vacet; secùs autem ex præsentatione, & multò minùs ex solo mandato de præsentando. Quia
7 respondetur, contrarium esse verius ea ratione, quia per solum mandatum datum de certa persona nominanda, nascitur vitium ambitionis, quod pari passu ambulat cum Simonia. Vivianus *d. lib.* 6. *cap.* 5. *num.* 82. *&* 83. & datur occasio captandæ mortis, illius ad cujus beneficium est præsentatio facienda. Abbas *in d. cap. fin. de Concess. Præbend. num.* 6. & ideò ex hoc præsentationis mandato resultare incapacitatem in præsentando dixit etiam Rota apud Puteum *Decis.* 238. *lib.* 1. *in fine*, ubi quod Patronus quidem potest excusari à pœnis; secùs autem ille, qui procuravit ab eo mandatum ad sui præsentationem, ob vitium ambitionis, & ob periculum captandæ mortis beneficiati adhuc viventis; quod repetit Loterius *d. lib.* 2. *quæst.* 6. *num.* 7.

Similiter non juvat dicere dispositionem textus *in cap.* 2. *de Concess. Præbend.* habere locum in Ecclesiis, non autem in Capellania de Jurepatronatus laicali. Quia respondetur, in textu illo prohiberi promissionem Ecclesiarum, beneficiorum, ac Ecclesiasticorum ministeriorum, antequam vacent; cumque Ca-
8 pellania, de qua agitur, conferatur per institutionem Ordinarii, prævia Patronorum præsentatione, negari non potest, eam esse beneficium Ecclesiasticum. *cap* 1. *De Reg. Jur. in* 6. *cap. Si quis nullus.* 16. *quæst* 7. ubi Glossa *in Summ.* Nicolaus Delphin. *de Jurepatron. lib.* 2. *num.* 26. Gonzalez *Gloss.* 5. *num.* 10. *&* 51. Garzias *de Benefic. part.* 1. *cap.* 2. *num.* 113. Idcircò cum talis Capellania sit beneficium Ecclesiasticum, & in *d. cap.* 2. *de Concess. Præbend.* prohibeantur promissiones beneficiorum Ecclesiasticorum non vacantium, in eo comprehenditur etiam hæc Capellania; nam
9 Lex generaliter loquens, generaliter est intelligenda. *l. Prospexit. ff. Qui, & à Quibus.* Ciarlinus *lib.* 2. *cap.* 215. *num.* 6. etiamsi sit lex pœnalis. *l.* 4. ubi Bart. *ff. Ad leg. Jul. Majest.* Gratianus *Discept. Forens. cap.* 411. *num.* 60. Idem Ciarlin. *d. lib* 2. *cap.* 147. *num* 16.

Tandem prodesse non potest, si dicatur, hanc Capellaniam esse tenuem, nec habere in redditibus ultra Ducatos 34. annuos; pœnam autem incapacitatis esse à Jure inflictam in beneficiis habentibus vel magnos redditus, vel dignitatem; in quibus intrat vitium ambitionis, & timor captandæ mortis. Siquidem respondetur, etiam ubi agitur de annuo re-
10 ditu Ducatorum 34. utrumque vitium intrare; ac sæpè homicidia committi ob minus lucrum, quàm Ducatos 34. & satis est dicere; quod lex canonica absque distinctione fecit dictam prohibitionem; &
11 ubi ipsa non distinxit, nec nos distinguere debemus. *l.* 3. *in fin. ff. De Offic. Præsid. l. De pretio. ff. De Public. in rem act.*

DISCORDIA VIII.

ARGUMENTUM.

Circa Parochiales Ecclesias Sancti Danielis, ac Sanctæ Julianæ de Padua, nec non Sanctæ Mariæ Villæ Maseratæ, Sancti Nicolai de Flumicello, Sancti Leonardi Insulæ Abbatis, ac Sancti Martini de Montesilice, Patavinæ Diœcesis, Utrùm essent unitæ, ac de Mensa Monasterii Sanctæ Justinæ Congregationis Casinensis, vel conferendæ forent per concursum, de quo diu litigatum est cum Episcopo, referuntur fundamenta utriusque Partis tàm in possessorio, quàm in meritis; & tandem compositio, ac transactio, quæ ab Innocentio Papa XI. fuit confirmata.

SUMMARIUM.

1 *Sancti Danielis Martyris Ecclesia Paduæ quomodo, & quando fabricata?*
2 *Lis acerbissima inter Episcopum Paduæ, ac Monachos Sanctæ Justinæ Anno* 1669.
3 *Sanctæ Julianæ Ecclesia Paduæ, ac aliæ prætensæ de Mensa Sanctæ Justinæ.*
4 *Juris assistentia sufficit pro manutentione faciendi concursum?*
5 *Possessio anterior est manutenenda.*
6 *Ultimus status attenditur in beneficialibus pro manutentione.*
7 *Concursus facti de beneficiis de Mensa non sunt manutenibiles.*
8 *Auri unciam annuam solvunt Casinenses Apostolicæ Sedi pro manutentione suorum Privilegiorum.*
9 *Collationes Episcopales Ecclesiæ Sancti Danielis, Sanctæ Julianæ, & aliarum.*
10 *Status collativus Parochialis excludit Unionem.*
11 *Vicarius vocatur, non autem Rector, qui est Parochus Ecclesiæ Unitæ.*
12 *Subjectio Ecclesiæ, non Unio quomodo cognoscatur?*
13 *Sententia facit Jus inter partes.*
14 *Donatio Ecclesiæ An faciat Unionem?* & num. 17.
15 *Verba* ad provisionem &c.
16 *Unio ab allegante est concludenter probanda.*
18 *Confirmationes Apostolicæ Ecclesiarum donatarum Monasterio probant Unionem.*
19 *Collationes Ecclesiarum factæ à Monasterio etiam in Mensibus reservatis denotant eas esse de ejus Mensa.*
20 *Visitationes Ecclesiarum per Abbatem factæ probant eas esse Unitas Monasterio.*
21 *Urbani VIII. Constitutio, quod in Ecclesiis dependentibus à Monasteriis Casinensibus Parochus ponatur ad nutum Abbatis.*
22 *Rota reverenter suscipit Declarationes S. Congreg. Cardinalium.*
23 *Præsumptio stat pro re judicata.*
24 *Innocentius XI. Anno* 1676. *creatus Papa.*
25 *Litis terminatio per transactionem inter Episcopum, ac Monasterium Sanctæ Justinæ de Padua Anno* 1677.
26 *Innocentii Papæ XI. confirmatio ejusdem Transactionis.*
27 *Ecclesiæ Sancti Danielis, ac Sanctæ Mariæ Maseratæ cessæ sunt Monasterio Sanctæ Justinæ, ut in eis ponat Parochos absque concursu.*
28 *Ecclesiæ Sanctæ Julianæ de Padua, Flumicelli, de Insula Abbatis, ac Sancti Martini de Montesilice concessæ Episcopo Patavino.*

VAcavit Anno 1669. die 14. Maii Parochialis Ecclesia Sancti Danielis Martyris, (quæ in inventione, & delatione ejus Sacri Corporis de Monasterio Sanctæ Justinæ ad Ecclesiam Cathedralem fabricata fuit ex publico Voto ab Ulderico Episcopo Pa-
1 tavino Anno 1065. ob prodigiosum subitaneum pondus illius piæ Sarcinæ, quod accidit in eo loco, ut narratur in Lectionibus Officii ejusdem Sancti Danielis) & dictâ vacatione attentâ Eminentissimus, ac Reverendissimus GREGORIUS Sanctæ memoriæ Cardinalis Barbadicus, tunc Episcopus Patavinus, exponere fecit Edicta pro concursu, quem etiam peregit, & ex competitoribus tanquam magis dignum præelegit adm. Rev. Franciscum Lazari Sacerdotem Patavinum Juris utriusque, ac Sacræ Theologiæ Doctorem: at Reverendissimus Dominus P. Vecchia de Venetiis Abbas ejusdem Monasterii Sanctæ Justinæ de Padua, ac Monachi omnes cum illo, prætendentes eandem

Digitized by Google

eandem Parochialem S. Danielis esse de Mensa sui
Monasterii, & ab immemorabili tempore ipsi Mo-
nasterio incorporatam, ac unicam, & per consequens
non esse ab Ordinario conferendam per concursum;
sed provisionem, ac electionem novi Parochi liberè
pertinere ad eosdem Abbatem, & Monachos, ab
ipsis statim electus fuit Rev. Joannes Baptista Fer-
racinus Sacerdos sæcularis, & præsentatus coram
Eminentissimo Episcopo pro examine, & approba-
tione ad dictam Parochialem, sed cum Episcopo exa-
2 minare recusante, orta est acerbissima lis, & mole-
stissima controversia inter præfatum Eminentissi-
mum Præsulem ex una, ac Monasterium S. Justinæ
ex alia parte; quæ quidem lis per annos plurimos dura-
vit, & Venetiis diversorum Judicum sententiæ di-
scordes pronunciatæ fuerunt, pro quarum executio-
ne utraque pars non immodicos conatus, cum peri-
culo scandalorum, assumpsit; præcipuè ob vacationem
interim sequutam aliarum Parochialium, quas Mo-
nachi asserebant ad Mensam Monasterii S. Justinæ
spectare, Curia verò Episcopalis ajebat, esse colla-
tivas, & per concursum ab Ordinario providendas;
3 videlicet Ecclesias S Julianæ de Padua, S. Leonar-
di de Insula Abbatis, S. Mariæ de Maserata, S. Ni-
colai de Flumicello, ac S. Martini de plano Monti-
silicis. Has igitur omnes prætendebat Emin. Episco-
pus esse conferendas per concursum, reservatâ colla-
tione, & Bullarum relaxatione Abbati, ac Mona-
sterio, quando vacaverint in quatuor Mensibus non
reservatis; itaut electio Parochi per concursum esset
semper facienda ab Episcopo juxta decretum Sacri
Concilii Tridentini *sess.* 24. *de Ref. cap.* 18. E con-
tra contendebat Abbas, ac Monachi S. Justinæ, eas-
dem sex Parochiales ab immemorabili tempore esse
unitas Monasterio, ac ejus mensæ incorporatas;
ideòque tanquam membra ejusdem Monasterii, &
ab eo prorsùs dependentes non esse comprehensas
in dicto Decreto Concilii Tridentini, neque confer-
ri posse per concursum; sed Parochos in eis esse de-
putandos ad liberam electionem Abbatis, ac Mona-
chorum, reservato examine, ac approbatione Curiæ
Episcopali, juxta dispositionem B. Pii V. in sua Consti-
tutione 47. quæ incipit, *Ad exequendum &c.* in §.
Volumus: ac aliorum Privilegiorum Congregationis
Casinensis, de quibus in proprio Bullario; quare ipsa
Curia, ac ipsum Monasterium cæperunt digladiari in
Judicio, & acriter contendere tùm super possessione,
tùm super meritis causæ.

In Judicio possessorio summariissimo Episcopatus
petebat manuteri in facultate faciendi concursum in
prædictarum sex Parochialium vacationibus: Primò
ex Juris assistentia, sibi proveniente ex eodem Con-
cilio Tridentino *sess.* 24 *cap.* 18. *de Ref.* & ex alia
Constitutione B. Pii Quinti Incipien. *In Conferendis*
4 *&c.* quæ in Bullario est *Const.* 33. cujus Juris assisten-
tiæ vigore Curia Episcopalis petebat manuteneri etiam
contra actus possessorios Monasterii ex doctrina Postii
de Manut. Observat. 45. *per totam*; Et Ferentilli
in addit. ad Burat. decis. 19. *Litt.* A. Secundò, quia
Episcopatus erat in possessione faciendi concursus,
quos ostendebat circa prædictas Parochiales, & præ-
cipuè circa hanc S. Danielis *Anno.* 1578. *Anno* 1606.
& Anno 1629. undè ei debebatur manutentio: Gra-
tianus *Discept. Forens. cap.* 870. *num.* 8. Rota coràm
Card. Cavalerio *decis.* 193. *num.* 6. & apud Postium
tom. 2. *decis.* 64. *num.* 8. *&* 9. Tertiò, quia circa Pa-
rochialem S. Danielis extabat Sententia Auditoris
Cameræ *de Anno* 1607. quæ præcipiebat excludi Pa-
rochum positum ab Abbate, & includi electum ab
Episcopo per concursum; ideò Episcopus attentâ re
judicatâ erat manutenendus. Rota coram eod. Card.
Cavalerio *d. decis.* 193. *num.* 6. Quartò, quia posses-
sio Episcopatus erat anterior possessione Monasterii,
5 ac Abbatis, qui tantùm *Anno* 1629. ac 1631. Sede
Episcopali vacante elegerat Parochum S. Danielis si-
ne concursu: at *Anno* 1578. & 1606. concursus facti
fuerant; ideò danda erat manutentio Episcopo ob
ejus anteriorem possessionem. Rota coram Card.
Othobono, qui postea fuit Papa Alexander VIII.
decis. 9. *num.* 14. *&* 15. & *decis.* 168. *num.* 6. 7. *&* 8.
Quintò, quia possessio Abbatis, ac Monasterii *de
Anno* 1629. *&* 1631. in electione Parochi S. Danielis
sine concursu fuerat cum mala fide. Ergò non ma-
nutenenda: Gratian. *d. cap.* 870. *n.* 15. *&* 16. *ac* 17. Me-
nochius *de Retinenda possess. remed. ult. à num.* 24.
& seqq. & Rota apud Postium *d. tom.* 2. *decis.* 225.
num. 23. Ac Sextò, quia prædictæ electiones Abba-
tis *de Anno* 1629. *&* 1631. factæ fuerunt, cum va-
casset Ecclesia S. Danielis in mense reservato Apo-
stolicæ Sedi, undè etiam ex hoc capite deneganda
erat manutentio eidem Abbati, ac concedenda Epi-
scopo: Rota coram Coccino *decis.* 51. & Genuensis
in Praxi Curiæ Episc. Neapolit. cap 87. *num.* 21.

E contra Abbas, & Monasterium S. Justinæ in-
sistebat in petenda manutentione eligendi Parochum
ad hanc Ecclesiam S. Danielis absque concursu: Pri-
mò, quia in ejus ultimis vacationibus de *Anno* 1629.
& 1631. ipse elegerat absque concursu, & ab eo
electi possessionem etiam temporalem ejusdem Paro-
chialis obtinuerant; in judicio autem possessorio
6 Summariissimo in materia beneficiali attenditur ulti-
mus status. Ludovisius *decis.* 77. & ibi Beltraminus
in Annot. num. 12. Marescottus *Var. resol. lib.* 1. *cap.*
55. Secundò quia etiam *de Anno* 1642. ad Parochia-
lem S. Mariæ Maseratæ Abbas elegit Parochum abs-
que concursu, & electus ab eo habuit possessionem
etiam temporalem beneficii, de Jure autem à manu-
tentione, & possessione unius beneficii infertur ad
manutentionem alterius, quod sit ejusdem naturæ,
prout est istud S. Danielis. Beltramin. *in Annot. ad
Ludovis. decis.* 557. *num.* 7. Tertiò, quia cum hæc
Parochialis S. Danielis, & aliæ quinque supra nomi-
natæ sint de Mensa Monasterii, concursus aliàs facti
à Curia Episcopali sunt irriti, ac nullius valoris, re-
7 sistente Constitutione 47. B. Pii Quinti; nec dare
possunt Curiæ Episcopali possessionem manutenibilem.
Postius de *Manuten. observ.* 43. *num.* 11. Rota apud
eundem *tom.* 2. *decis.* 186. Tondut *Resol. benef. tom.* 2.
part. 3. *cap.* 187. *num.* 13. Ibi: *nec in petitorio, nec in
possessorio*. Loterius *lib.* 2. *q.* 31. *num.* 25. Turricellius
de Unione cap. 4. *num.* 56. & Emin. Card. de Luca
de Parocho disc. 10. *num.* 3. atque *disc.* 11. *num.* 5.
nec non in *tract. de Benefic. disc.* 73 *num.* 38. Quar-
tò, quia extat Constituto specialis Urbani Papæ VIII.
diei 6. *Septembris* 1638. impressa in Bullario Casi-
nensi *tom.* 1. *Const.* 318. *pag.* 326. in qua confirman-
do decretum S. Congregationis Concilii Sanctitas sua
præcipit, ut in Parochialibus quoquomodo depen-
dentibus à Monasteriis Monachorum Casinensium
electio Parochi fiat ab Abbate, nec possint Epi-
scopi aliud prætendere, quàm examen, & approba-
tionem electi. Quintò, quia Congregatio Casinensis
solvit singulis annis Auri unciam Apostolicæ Sedi
in signum libertatis, & exemptionis à quacunque Ju-
8 risdictione Episcoporum, & pro manutentione om-
nium Privilegiorum à Sede Apostolica quocunque
tempore, præcipuè circa Ecclesias Parochiales Mo-
nasteriis Casinensibus unitas, contra quas Episcopi
nullam possessionem allegare possunt; ut in Consti-
tutione Eugenii IV. *diei* 23. *Februarii* 1434 impres-
sa in eodem Bullario Casinensi *tom.* 1. *Constit.* 59.
pag. 62. His, & aliis rationibus post diuturnum dis-
putationum, & Advocatorum conflictum, *Anno* 1671.
die 10. *Martii* Curia Episcopalis Patavina obtinuit ab
Illustrissimo, ac Reverendissimo Gradonico Episco-
po Tarvisino, Judice Apostolico delegato, Decre-
tum manutentionis pro faciendo concursu; & idem
Decretum fuit confirmatum in Nunciatura Apostoli-
ca Venetiarum *die* 16. *Septembris ejusdem Anni* 1671.
Porrò Abbas, ac Monasterium detulit hoc possesso-

Digitized by Google

rium Judicium ad Excellentissimum Collegium ; in quo disputato articulo possessionis *die 22. Augusti* 1672. sententiatum fuit ad favorem ipsius Abbatis, ac Monasterii, ac contra Curiam Episcopalem. Quapropter post varias, ac amaras vicissitudines circa possessionem, & in possessionis manutentione juxta sententias hinc inde obtentas, Advocatorum calami conversi sunt ad probandum meritum causæ, seu causarum harum.

Curia Episcopalis insistebat, Parochialem S. Danielis, ac alias S. Julianæ, S. Mariæ Maseratæ, Flumicelli, Insulæ Abbatis, ac S. Martini de Montesilice esse providendas per concursum, reservata collatione Abbati in quatuor mensibus non reservatis, juxta Concilium Tridentinum *d. sess. 24. cap.* 18. ex sequentibus argumentis.

Primò, Quia status harum Ecclesiarum erat collativus, & pluries tàm ante; quàm post Concilium Tridentinum collatæ fuerunt ab Apostolica Sede, & ab Episcopis Paduanis, Abbatibus S. Justinæ videntibus, & tacentibus, prout ex collationibus extractis ex Archivio Cancellariæ Episcopalis, quas Eminentissimus Cardinalis Episcopus exhibebat; videlicet
9 pro Parochiali S. Danielis *Anno* 1307. 15. *Januarii*. 1482. 6. *Julii*. 1524. 12. *Aprilis*. 1569. 16. *Augusti*. 1614. 12. *Aprilis*. Pro Ecclesia S. Julianæ. *Anno* 1492. 16. *Maii*. 1580. 8. *Januarii*. 1604. 28. *Octobris*. 1621. 5. *Septembris*. 1654. 15. *Februarii*. Pro Parochiali Ecclesia Villæ Maseratæ *Anno* 1396. 1404. 1409. Item *Anno* 1415. 24. *Augusti*. *Anno* 1482. 27. *Novembris*. *Anno* 1600. 25. *Junii*, & *Anno* 1613. 7. *Aprilis*. Pro Ecclesia S. Nicolai Villæ Flumicelli *Anno* 1583. 24. *Maii*. *Anno* 1584. 11. *Aprilis*. *Anno* 1605. 29. *Augusti*. Alias consimiles pro Ecclesiis Insulæ Abbatis, ac S. Martini de Montesilice ostendebat Curia Episcopalis, ex quibus inferebat, omnes Parochiales prædictas non posse dici uni-
10 tas Monasterio S. Justinæ, neque de ejus Mensa; quia status collativus excludit Unionem, ac Mensalitatem. Rota *decis.* 282. *part.* 6. *recent.* Ludovisius *decis.* 77. *num.* 4. & Othobonus *decis.* 179. *d. num.* 5. *usque ad num.* 7. ubi DD. ac aliæ Decisiones.

Secundò Ministri Episcopalis Curiæ negabant assertam mensalitatem, ac Unionem tùm Ecclesiæ S. Danielis, tùm aliarum quinque Parochialium; quia earum Parochi vocantur, ac semper vocati sunt Rectores, ipsique omnes percipiunt fructus, ac redditus beneficiorum suorum independenter ab ipso Monasterio, ut ex publicis æstimis illarum Ecclesiarum. Ergo beneficia illa non sunt unita, neque de Mensa Monasterii; quia in unitis Parochus non vocatur Re-
11 ctor, sed Vicarius, cui alimenta præstantur à Monasterio. Rota coram Ubaldo *Decis.* 138. *num.* 11. 12. & 13. coram Ludovisio *Decis.* 112. *num.* 4. & coram Othobono *d. Decis.* 179. *num.* 9. 10. & 11.

Tertiò, Quia iidem Rectores tenentur solvere quatuor libras ceræ Monasterio S. Justinæ quolibet anno, ut fatentur in prædictis suis publicis æstimis, quæ
12 solutio importat quidem subjectionem Ecclesiarum, sed excludit Unionem, ut probant DD. quos cumulat, & sequitur Rota coram eodem Ubaldo *d. Decis.* 138. *num.* 13. coram Ludovisio *Decis.* 77. *num.* 5. & 10. & coram Othobono *d. Decis.* 179. *num.* 18. & 19.

Quartò; Quia cum ab Episcopo Patavino electus fuisset per concursum ad Parochialem vacantem S. Danielis *Anno* 1606. Rev. Marius Mazzolenus; ab Abbate autem, & Monachis S. Justinæ præsentatus fuisset Rev. Tiberius Rossanus, controversia agitata fuit Romæ coram Auditore Cameræ Apostolicæ, qui *Anno* 1607. sententiavit ad favorem ejusdem Rev. Marii Mazzoleni, cujus sententiæ vigore tradita ei fuit possessio ejusdem Ecclesiæ S. Danielis, amoto ex ea prædicto Rev. Rossano. Ergo stan-
13 dum est jam decisis ad favorem concursus, quia Sententia facit Jus inter partes. Rota *part.* 9. *recent. decis.* 338. *num.* 2. *tom.* 2. & ex ea firmatus est status Ecclesiæ collativus, exclusâ Unione. Rota *d. part.* 9. *recent. decis.* 190. *num.* 7. *tom.* 1. ubi aliæ Decisiones, ac Doctores.

Quintò, Quia Abbas, ac Monasterium S. Justinæ dicunt hanc Ecclesiam S. Danielis, & alias quinque Parochiales sibi donatas fuisse ab Episcopis Paduanis, prout ex Instrumentis donationum exhibitis ab *Anno* 1076. citra. At ex donatione Ecclesiæ non in-
14 fertur ad Unionem; sed ad concessionem Juris conferendi. *cap. Dilectus* 34. *de Præbend.* Turricellius *de Unione cap.* 11. *num.* 71. ubi Decisiones Rotales. Quod Jus conferendi fuit postea restrictum à Concilio Tridentino *d. sess.* 24. *cap.* 18. ut per Abbatem, ac Monasterium fieri non possit, nisi præelecto per Episcopum in concursu. Vivian. *de Jurepatronat. lib.* 10. *tit.* 1. *num.* 31. Jordanus *tom.* 2. *lib.* 10. *tit.* 8. *num.* 46. & *eodem lib.* 10. *tit.* 7. *num.* 107. ubi declaratum ita fuisse à Sacra Congregatione, ejusque declarationes refert; prout etiam facit Garzias *de Benefic. part.* 9. *cap.* 2. *num.* 122. & 123. & advertit Rota *d. part.* 9. *recent. decis.* 377. *num.* 18. *tom.* 2.

Sextò, quia in Privilegiis Apostolicis confirmatoriis donationum Episcopalium, quæ à Monasterio S. Justinæ exhibentur, Parochiales prædictæ S. Danielis, S. Julianæ, & aliæ quatuor dicuntur spectare
15 *ad Provisionem, seu quamvis aliam dispositionem Abbatis*, quæ verba non denotant Unionem; sed simplicem collationem, seu institutionem Parochi ab ipso Abbate facienda, Tridentini Concilii forma servata, ut dicit Rota coram Card. Othobono *decis.* 223. *num.* 13. & 14. ubi aliæ Decisiones concordantes.

Septimò tandem, quia nullum est diploma, nullum Privilegium ex his, quæ præsentantur ab Abbate S. Justinæ, in quo expressè dicatur, Ecclesiam S. Danielis, aut aliarum aliquam esse unitam, vel de mensa illius Monasterii. Ideircò cum Unio sit
16 concludenter probanda. Rota coram Cardin. Seraphino *decis.* 1246. *num.* 2. coram Ludovisio *d. decis.* 77. *num.* 6. & coram Othobono *d. decis.* 179. inferebat, & insistebat Curia Episcopalis pro non Unione tùm S. Danielis, tùm S. Julianæ, ac aliarum Ecclesiarum, sed pro sola collatione prævio concursu; itaut in octo mensibus Sedi Apostolicæ reservatis Abbas, ac Monasterium S. Justinæ nullam haberet ingerentiam in deputatione Parochi ad easdem Ecclesias; in quatuor autem mensibus non reservatis, quandò in eis aliqua ipsarum vacaverit, faciendus esset concursus ab Episcopo, & per eum præelecto teneretur Abbas facere collationem, ac institutionem per traditionem Bullarum. Parisius *de Resignat. lib.* 8. *q.* 9. *num.* 99. Vivian. *d. lib.* 10. *cap.* 1. *num.* 31. Pyrrus Corradus *in Praxi benefic. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 7. præter alios DD. quos citat, & approbat Rota *part.* 9. *recent. decis.* 285. *num.* 28. & 29. *tom.* 1. & *decis.* 377. *d. num.* 1. & *seqq. tom.* 2.

Rationes verò, Jura, & fundamenta Reverendissimi Abbatis, ac Monasterii S. Justinæ demonstrantia Unionem, ac mensalitatem tùm Ecclesiæ S. Danielis, tùm S. Julianæ, aliarumque quatuor supranominatarum erant sequentia, quibus instabat pro exclusione concursus in ipsarum vacatione, & sibi ipsi, ac Monasterio decerni liberam electionem, ac præsentationem Parochi in quocunque mense ad præscriptum Constitutionis 47. B. Pii Quinti *Ad exequendum &c.* Et Declarationis S. Congregationis confirmatæ ab Urbano VIII. ut in sua *Constit.* 318. *Bullarii Casinen. tom.* 1.

Primò itaque ab Abbate, & Monasterio S. Justinæ ostendebantur donationes prædictarum Parochialium S. Danielis, S. Julianæ, S. Mariæ de Maserata, S. Nicolai de Flumicello, S. Leonardi de Insula Abbatis, ac S. Martini de Montesilice eidem Monasterio factæ à Gauslino Episcopo Paduano, *Anno* 970. ab Urso Episcopo *Anno* 1014. ab Ulderico

Anno

Anno 1076. atque à Joanne Episcopis Successoribus *Anno* 1153. quæ quidem donationes sunt amplissimæ, & *cum bonis*, *Decimis*, *ac omnibus pertinentiis* ad easdem Ecclesias spectantibus; quæ quidem verba
17 important perfectam Unionem, ut docent tàm Canonistæ antiqui, Calderinus *consil. 6. de Verb. Signif.* Hostien. *in cap. Exposuisti. in fin. de Præbend.* quàm moderni. Turricell. *de Unione cap. 4. num.* 44. Emin. Card. de Luca *de Paroch. disc.* 10. *num.* 6. *& disc.* 11. *num.* 3. quibus concordant infinitæ propemodùm Decisiones Rotales, ut videre est *part.* 1. *recent. decis.* 102. *& decis.* 626. *part.* 2. *recent. decis.* 204. *part.* 6. *recent. decis.* 21. *num.* 6. *part.* 9. *recent. decis.* 88. *num.* 5. *part.* 11. *recent. decis.* 305. *num.* 21. nec non *part.* 15. *recent. decis.* 49. *num.* 4.

Secundò Abbas, & Monasterium Sanctæ Justinæ exhibebant Confirmationes Apostolicas earundem donationum Callisti III. *de Anno* 1123. Alexandri III. *de Anno* 1164. *& de Anno* 1172. Eugenii IV. *de Anno* 1437. & aliorum Summorum Pontificum, qui recipientes sub eorum protectione Monasterium ip-
18 sum, ac omnia ejus bona, & Ecclesias, eas singillatim nominant, & demùm ipsi Monasterio illas concedunt, & confirmant; ex quibus concessionibus, ac confirmationibus Apostolicis resultat juridica probatio Unionis. Rota coram Card. Seraphino *decis.* 1304. *in fin.* Eadem Rota *part.* 4. *recent. decis.* 37. *num.* 6. *tom.* 1. prout etiam *part.* 11. *recent. decis.* 83. *num.* 3.

Tertiò constabat de innumeris propèmodum provisionibus earundem Parochialium liberè factis per Abbatem, & Monachos tàm antiquis, quàm modernis temporibus; ac incipiendo ab Ecclesia Sancti Danielis, ea collata fuerat ab Abbate *Anno* 1357. *die* 27. *Octobris*. *Anno* 1450. *die* 27. *Junii*. *Anno* 1476. *die* 28. *Junii*. *Anno* 1571. *die* 18. *Junii*. *Anno* 1578. *die* 20. *Decembris*. *Anno* 1629. *die* 27. *Julii*. *Anno* 1631. *die* 17. *Junii*. & *Anno* 1635. *die* 27. *Junii*. Similiter Parochialis Ecclesia Sanctæ Julianæ collata fuerat ab Abbate, ac Monachis *Anno* 1325. *die* 16. *Decembris*. *Anno* 1427. *die* 4. *Septembris*. *Anno* 1428. *die* 30. *Martii*. *Anno* 1455. *die* 4 *Februarii*. *Anno* 1565. *die* 18. *Januarii*. Item *Anno* 1567. *die* 7. *Decembris*; *ac Anno* 1654. *die* 13. *Novembris* (quæ tamen effectum non habuit, sed Ecclesiæ possessionem cum Litteris Apostolicis obtinuit præelectus ab Episcopo per concursum.) Aliarum quoque quatuor Ecclesiarum videbantur plurimæ Collationes Abbatiales, quæ hic brevitatis gratia non referuntur. Ex quibus scribentes pro Abbate deducebant, quod Unio
19 erat probata, ac mensalitas earundem Parochialium, cujus vigore antiquitùs eas Abbas liberè conferebat tàm in mensibus ordinariis, quàm reservatis, ut admittit Rota *part.* 1. *recent. decis.* 626. *num.* 5. ac *part.* 10. *decis.* 152. nec non *part.* 11. *decis.* 305. *num.* 15. & notant Card. Seraphin. *decis.* 1334. *num.* 3. Burattus *decis.* 172. *num.* 10. & Bichius *decis.* 336. *num.* 4. *&* 5.

Quartò allegabantur pro parte Abbatis, ac Monasterii Sanctæ Justinæ Visitationes prædictarum Parochialium Sancti Danielis, Sanctæ Julianæ, ac aliarum per ipsum Abbatem antiquis, ac modernis temporibus factæ, videntibus, & non reclamantibus
20 Episcopis Paduanis; & hinc formabatur aliud fundamentum in Jure validissimum pro Unione, ac mensalitate ipsarum Ecclesiarum, ut pluries respondit Rota, cujus decisiones allegat in his terminis Bichius *d. decis.* 336. *num.* 11.

Quintò considerabatur antedicta declaratio S. Congregationis confirmata ab Urbano VIII. *Anno* 1636. prout in *Constitut.* 318. *Bullarii Casinen. tom.* 1. in qua dictum fuit, in beneficiis, quæ sunt membra Monasteriorum Congregationis Casinensis, & ab eis de-
21 pendentia, Parochos non esse ponendos per concursum, sed ad nutum Abbatis. Porrò negari non potest, Ecclesiam Sancti Danielis, & alias prædictas Parochiales esse membra Monasterii Sanctæ Justinæ attentis donationibus, de quibus supra. Ergo Constitutio prædicta Urbani VIII. est circa illas servanda; nam etiam Rota reverenter suscipit, & exequi-
22 tur declarationes Emin. S. R. E. Cardinalium. Turricell. *de Unione cap.* 9. *num.* 23.

Sextò tandem Abbas, ac Monachi Sanctæ Justinæ innitebantur duobus judiciis Excellentissimi Collegii Venetiarum; in quo, disputatâ hac Unionis, & Mensalitatis materiâ, sententiatum fuit ad favorem Monasterii, & Abbatis Anno videlicèt 1630. *die* 22. *Aprilis* in causa Sancti Danielis; & Anno 1642. *die* 9. *Junii* in causa Sanctæ Mariæ Villæ Ma-
23 seratæ; quapropter cum de Jure præsumptio stet pro re judicata. *l. Cum hi*. §. *Si Prætor*. *ff. de Transaction.* Surdus *decis.* 69. *num.* 8. & Loterius *lib.* 2. *q.* 43. *num.* 73. nemo erat, qui non crederet, justitiam stare pro Monasterio, & Abbate, cujus defensores non omittebant evacuare fundamenta per Curiam Episcopalem in contrarium adducta, deducentes validas exceptiones ex Rotalibus Decisionibus supra citatis, quæ favent Monasteriis Unionem allegantibus, & repellunt Ordinarios ab insita in eis naturali cupiditate faciendi concursus.

Diù itaque altercatum est super prædictis sex Parochialibus inter Monasterium Sanctæ Justinæ ex una, & Emin. Antistitem Patavinum ex alia; & tandem *Anno* 1676. promoto ad Summi Pontifica-
24 tus apicem Innocentio XI; hac molestâ altercatione intellectâ, fuerunt ab eo Monachi Casinenses hortati, ut ad honestam compositionem, ac transactionem devenirent; quorum Procurator Generalis Romæ degens, cum aliis primariis Prælatis Congregationis Casinensis post maturas consultationes cesserunt Parochiales Sanctæ Julianæ, Sancti Nicolai de Flumicello, Sancti Leonardi de Insula Abba-
25 tis, ac Sancti Martini de Montesilice Emin. Cardinali Episcopo Patavino, ac ejus Episcopatui; à quo relictæ fuerunt Monasterio Sanctæ Justinæ aliæ duæ, scilicèt Sancti Danielis, ac Sanctæ Mariæ Villæ Maseratæ; & hæc amicabilis transactio fuit confirmata ab ipso Innocentio XI. juxta tenorem Brevis sequentis.

INNOCENTIUS PAPA XI.
ad perpetuam rei memoriam.

1677. 5. *Junii*.

Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Regimini Divinâ disponente clementiâ, licèt immeriti præsidentes, ad ea sedulò nostræ considerationis aciem dirigimus, per quæ inter omnes Christi fideles, præsertim Cardinalitia, Episcopalique dignitate fulgentes, aliasque etiam Regulares personas, sublatis quibuslibet litium fomentis, Pacis, & Concordiæ amænitas vigeat, ac personarum earundem juribus consulatur, nec non ea, quæ propterea providè facta fuisse dicuntur, ne in recidivæ contentionis scopulum relabantur, sed firma, & illibata persistant, libenter cum à Nobis petitur, Apostolicæ confirmationis munimine, roboramus, ac aliàs desuper statuimus, & ordinamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Sanè pro parte Ven. fratris nostri Gregorii S. R. E. Cardinalis Barbadici nuncupati, moderni Episcopi Paduani, & dilectorum filiorum Abbatis, & Monachorum Monasterii Sanctæ Justinæ Paduan. Ordinis Sancti Benedicti, Congregationis Casinensis Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum aliquæ exortæ fuerint Controversiæ, & differentiæ inter Curiam Episcopalem Paduan. seu illius Promotorem Fiscalem ex una, ac Abbatem, & Monachos prædicti Monasterii ex altera Partibus, de, &
26 super provisionibus Parochialium Ecclesiarum Sancti Danielis, & Sanctæ Julianæ, ac Sancti Leonar-

Digitized by Google

di de Insula Abbatis, atque Sanctæ Mariæ de Maserata, nec non Sancti Nicolai de Flumicello, ac Sancti Martini de Montesilice ad planum, respectivè Paduanæ Civitatis, vel Diœcesis, quas Curia Episcopalis, seu Promotor Fiscalis Collativas, & prævio Concursu eas quandocumque vacare contingeret, ad præscriptum Concilii Tridentini conferre; Abbas verò, & Monachi prædicti eidem Monasterio Sanctæ Justinæ unitas, absque Concursu conferendas esse, respectivè prætendebant. Tandem dictus Gregorius Cardinalis, & Abbas, ac Monachi prædicti Monasterii hujusmodi controversias, & differentias penitùs dirimere, ac terminare cupientes, & pro bono Pacis, ad infrascriptam sub Nostro, & Sedis Apostolicæ beneplacito devenerunt inter se concordiam, & transactionem, videlicèt; quod duæ ex
27 supradictis Parochialibus Ecclesiis, nempe Sancti Danielis, ac Sanctæ Mariæ de Maserata, etsi erectæ sint in Titulum collativum, attamen, ut unitæ prædicto Monasterio Sanctæ Justinæ de Padua, & earundem præsentatio collatio, & omnimoda alia dispositio, nullo præcedente Concursu, remaneant penès Abbatem, & Monachos dicti Monasterii, cum omnibus suis Juribus; approbatio verò ad Episcopum Paduan. pro tempore existen. spectet, & pertineat, ultra alia Jura eidem in Ecclesiis unitis spectan. Reliquæ verò quatuor Parochiales Ecclesiæ, videlicèt Sanctæ Julianæ, Sancti Leonardi de Insula Abbatis, Sancti Nicolai de Flumicello, &
28 Sancti Martini de Montesilice ad Planum, etsi unitæ sint, illarumque collatio, & provisio penès modernum, & pro tempore existentem Episcopum Paduan. cessantibus reservationibus, & affectionibus Apostolicis, remaneant, absque ulla præsentatione, & Jure Abbatis, & Monachorum; Decretis Conciliaribus, Juribus, Consuetudinibus, possessionibus, aliisque in contrarium quomodolibet facientibus, & ad favorem utriusque ex dictis Partibus, vel alterius earum quomodolibet disponen. non obstantibus, etiam si talia forent, quæ magis individuam, & specialem requirerent mentionem, & sub generalitate minimè comprehenderentur; quibus omnibus, quatenùs opus sit respectivè ad invicem, etiam Abbatis, & Monachorum prædictorum, medio juramento renuntiaverunt, & cesserunt, quod cum jam fuerit præsentatus ad Ecclesiam prædictam Sancti Danielis, certo tunc expresso modo vacan. vel deputatus in Vicarium per Abbatem, & Monachos prædictos quidam Sacerdos sæcularis, nondum tamen à dicto Gregorio Cardinali approbatus, Abbas, & Monachi prædicti dictum Sacerdotem iterum præsentare debeant dicto Gregorio Cardinali, pro habendo examine, & approbatione, cum declaratione in Actu dictæ novæ præsentationis, vel deputationis, per prædictos Abbatem, & Monachos facien. quod præsentatus prædictus pro hac vice tantùm ejus vita naturali durante, numquam à prædicta Ecclesia amoveri possit; quodque præsens Concordia partes ipsas tantumodò afficere debeat, & non alias; ita quod nullo quæsito prætextu, nullus ea uti possit, & præsertim Congregatio Parochorum Civitatis Paduan. ad derogandum, seu præjudicium minimum inferendum quoquomodo Juri, possessioni, & prærogativis prædictæ Ecclesiæ sæcularis Sancti Danielis, ejusque Rectoribus pro tempore existentibus, percipiendi emolumenta omnia, obventiones, fructus, distributiones, & alia quæcumque gerendi, faciendi, eisdem in dicta Congregatione competen. prout hactenus perceperunt, & fecerunt; immò omnia immunia, & illibata permaneant quo ad alios quoscumque ad hunc effectum in omnibus, & per omnia, ac si præsens Concordia numquam emanata fuisset; ac aliàs prout in Scripturis desuper confectis, pleniùs dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, Concordia hujusmodi pro bono Pacis inita sit, ob idque tàm dictus Gregorius Cardinalis, quàm Abbas, & Monachi prædicti plurimùm cupiant per Nos, & Sedem Apostolicam, ut infra approbari, & confirmari, ideò Nobis humiliter supplicari fecerunt, tàm dictus Gregorius Cardinalis, quàm Abbas, & Monachi prædicti, quarum ipsorum quieti in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur scripturarum prædictarum tenores etiam veriores, præmissis tamen minimè contrarias præsentibus, pro expressis habentes, ac dictum Gregorium Cardinalem, & Abbatem, ac Monachos prædictos specialis gratiæ favore prosequi volentes, dictosque Abbatem, & Monachos à quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à Jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Concordiam, & transactionem hujusmodi, & desuper confectas scripturas, & in eis contenta, licita tamen, & honesta, ut salvis reservationibus, & affectionibus Apostolicis, & sine aliquo illarum præjudicio, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, perpetuò approbamus, & confirmamus, illisque perpetuæ, & inviolabilis firmitatis Apostolicæ robur adiicimus, omnesque, & singulos tàm Juris, quàm facti, ac solemnitatum quantumvis substantialium, & de Jure requisitarum, ac in præmissis forsan omissarum defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, in eisdem supplemus, ipsamque Concordiam perpetuò validam, & efficacem fore, & esse, nec non illam per dictum Gregorium Cardinalem, ac Abbatem, & Monachos prædictos, aliosque, ad quos nunc spectat, & pro tempore spectabit, plenariè, & integrè observari, ne unquam quovis prætextu impugnare, nec ab illa recedi, seu resiliri posse, sicque, & non aliàs per quoscunque Judices Ordinarios, vel delegatos, aut Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & dictæ Sedis Nuntios, judicari, & definiri debere, irritumque, & inane decernimus, si secùs super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus præmissis, ac in Universalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis, editis, specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Cancellariæ Apostolicæ Regulis, nec non dictorum Monasterii, & Ordinis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, Privilegiis quoque Indultis, consuetudinibus, ac dictarum Ecclesiarum erectione, ac forsan unione, quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, & expressa de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales id importan. mentio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, latissimè, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris *die 5. Junii* 1677. Pontificatus Nostri Anno primo.

M. Thomasius

DISCORDIA IX.

ARGUMENTUM.

Jurispatronatus possessio manutenibilis non acquiritur ex unica præsentatione facta sine bona fide, ac sine scientia aliorum Patronorum; quorum successores sunt manutenendi privativè contra quoscunque. Naturalis Nepos non est capax Jurispatronatus familiæ, extantibus legitimis descendentibus ex ea. Manutentio danda est

Digitized by Google

da est Patronis docentibus de proprietate Jurispatronatus contra alios, illam non habentes.

SUMMARIUM.

1 *Manutentio danda est Patronis existentibus in possessione Jurispræsentandi.*
2 *Possessio Jurispræsentandi acquiritur ex unico actu.*
3 *Possessio ut acquiratur Jurispræsentandi, quatuor requisita requiruntur. Et quæ?*
4 *Mala fides quando cognoscatur in præsentante?*
5 *Asserenti incumbit onus probandi.*
6 *Scientia, ac patientia si desit veri Patroni, alius cum eo præsentans non acquirit possessionem Jurispræsentandi.*
7 *Possessio unius Patroni conservatur per præsentationem ab altero Patrono factam.*
8 *Possessio ob præsentationem factam juvat contra Patronos eam admittentes, non contra eorum successores.*
9 *Proprietas Jurispatronatus prævalet possessioni.*
10 *Eadem quomodo probetur?*
11 *Naturalem, ac illegitimum quem esse, quomodo probetur?*
12 *Enunciativa verba probant in antiquis. Et inter præsentes.* num. 14.
13 *Confessio Adversarii est probatio irrefragabilis.*
15 *Illegitimi, neque descendentes ab eis succedunt in Jurepatronatus familiæ.*
16 *Illegitimus heres institutus est capax Jurispatronatus.*
17 *Aditio hereditatis non præsumitur, sed est probanda.*
18 *Illegitimus Filius, vel Nepos heres fieri non potest cum legitimis, nisi in duodecima uncia.*
19 *Descendentes à Fundatore Jurispatronatus non possunt illud alterare.*
20 *Præscribere potest unus Patronus Jus præsentandi privativè contra alios.*
21 *Patroni negligentes in Jurepræsentandi illud amittunt.*
22 *Sententia lata in uno beneficio Jurispatronatus operatur etiam in alio beneficio ejusdem qualitatis.*
23 *Sententia, quæ transivit in rem judicatam, excludit in perpetuum Patronos à Jurepræsentandi.*
24 *Præsentatus à Patronis existentibus in possessione Jurispræsentandi, & docentibus de proprietate, est statim instituendus.*

IN causa vertente inter R. D. Alexandrum de Apolloniis electum, & præsentatum ad perpetuum simplex beneficium Ecclesiæ campestris Sancti Jacobi de Cumirano hujus Diœcesis Patavinæ per ejus fratres de Apolloniis habentes Juspatronatus, & Jus præsentandi ad dictum beneficium, & in cujus Juris possessione, vel quasi reperiuntur ex Una: & R. D. Antonium Rochesanum similiter ad idem beneficium simplex præsentatum ab Agesilao ejus Patre Rochesano; nec non à fratribus Lupatis, idem Juspatronatus, ac præsentandi habere prætendentibus Partibus ex altera; brevitati studendo, prout bonum consultorem decet; dico, quod debet obtinere R. D. Alexander Apollonius, & attento Judicio possessorio summariissimo jam intentato est statim instituendus in eodem simplici beneficio. Siquidem tùm ex antiquis, tùm ex novis Investituris, & aliis Juribus in actis causæ productis constat, Familiam DD. de Apolloniis esse, ac semper fuisse in possessione, vel quasi præsentandi ad hoc beneficium, quotiescunque vacaverit, prout fecit *Anno* 1513. *die* 7. *Maii* de persona Rev. alterius Alexandri Apollonii. *Anno* 1522. *die* 28. *Martii* de persona Rev. Bernardini Rombaldoni. *Anno* 1584. *die* 6. *Martii* de persona Rev. Mainardi Apollonii; & *Anno* 1631. *die* 8. *Decembris* de persona Rev. Alexandri Rochesani ultimi possessoris; & per consequens ipsi Domini de Apolloniis manutenendi sunt in possessione sua, & sic R. D. Alexander Apollonius præsentatus ab illis sta-
1 tim est instituendus, ut docent Vivian. *de Jurepatron. lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 10. Garzias *de benefic. part.* 5. *cap.* 5. *à num.* 1. *& seqq.* & Rota per ipsum relata *num.* 142. Postius *de Manutent. observ.* 32. *à num.* 4. *& seqq.* Item Rota apud eundem *in tom.* 2 *decis.* 332. *& decis.* 333. Ea ratione, quia institutio Clerici præsentati est fructus Jurispatronatus; fructus autem spectant ad bonæ fidei possessorem. *l. Bonæ fidei emptor. ff. De adquiren. rer. dom.* Abbas *in cap. Gravis. de Rest. Spoliat.* Rocchus *de Jurepatr. Verb. Competens. q.* 14. *&* 15. Lambertinus *eod tract. par.* 1. *libr.* 2. *q.* 3. *art.* 1. Et latè prosequuntur Vivianus, & Garzias locis supracitatis ex multitudine DD. nec non Postius *d. Observ.* 32. *sub num.* 7.

Cæterùm difficultatem facere videtur, quod licèt hæc vera sint, & absque dubio procedant respectu DD. Lupatorum, de quorum asserto Jurepatronatus nec respectu possessionis, nec respectu proprietatis ullo pacto constat: attamen respectu Domini Agesilai Rochesani insurgere videtur talis qualis possessio ob præsentationem ab eo factam ultimo loco simul cum Domina Joannetta de Apolloniis de persona dicti q. Rev. Alexandri Rochesani ultimi possessoris ejusdem beneficii *Anno* 1633. quæ effectum habuit, cum fuerit post præsentationem institutus, & possederit beneficium usque ad præsens; undè videtur, quod & ipse sit in possessione, vel quasi Juris præ-
2 sentandi; etenim quasi possessio acquiritur ex unico actu. Glossa *in cap. Cum Ecclesia Sutrina.* Ubi Innoc. & Abbas *de Causa posses. & propr.* Garzias *d. cap.* 5. *à num.* 59. *& seqq.* maximè, quando ex eo actu sequuta est institutio, ut in casu nostro. Vivian. *lib.* 11. *cap.* 6. *num.* 9.

Nihilominùs impediri non posse manutentionem Dominorum de Apolloniis, & institutionem Rev. Alexandri per eos præsentanti constanter affirmo, non obstante objecto prædicto, quod triplici responsione diluitur. Prima est, quod licèt Dominus Agesilaus *de Anno* 1633. præsentaverit ad hoc beneficium R. Alexandrum Rochesanum simul cum Domina Joannetta filia q. Domini Prosperi de Apolloniis, attamen possessionem aliquam Juris præseutandi non acquisivit; siquidem ad eam acquirendam quatuor re-
3 quisita sunt necessaria, scilicèt Bona fides, Scientia, & patientia veri Patroni, Institutio præsentati, & ejus continuatio in beneficio. Calderin. *cons.* 12. *de Jurepatr.* Garzias *d. part.* 5. *cap.* 5. *num.* 67. Vivian. *d. lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 30 *& seqq.* & docet etiam Massobrius *in sua Praxi habendi concurs. Prælud.* 7. *dub.* 17. *num.* 2. Porrò in nostro casu primum, & secundum requisitum deficit, nam Dominus Agesilaus præsentavit cum mala fide; nec Domina Joannetta de Apolloniis, aliivè ejusdem Familiæ habuerunt scientiam præsentationis per dictum Dominum Agesilaum factæ. Patet mala fides Domini Agesilai evidenter, quia licèt regulariter non præsumatur, tamen ubi alius possessor antiquior existit, tunc novus possessor sine titulo præsumitur in mala fide.
4 Menochius *de Recuper. possess. remed.* 13. *à num.* 63. Mascard. *conclus.* 224. *num.* 5. Garzias *d. cap.* 5. *num.* 84. Et certè in nostro casu de antiquiori possessione familiæ Dominorum de Apolloniis dubitari non potest ex Litteris patentibus in judicio productis, & ex præsentatione facta per ipsam Dominam Joannettam. Ulteriùs quia, quando is, qui nunquam antea præsentaverat, veniente vacatione, se ingerit in præsentando, ex illo actu, & prima præsentatione non potest acquirere possessionem; quia hoc facere non potest bona fide. Massobrius in terminis nostri casus *d. dub.* 17. *num.* 4. *&* 5. ubi reddit rationem dicens: *Is enim dicitur esse in bona fide, qui credit uti Jure suo, non autem alieno.* Modò hæc omnia concurrunt in casu nostro ad constituendum Dominum

num Agesilaum in mala fide; ipse enim se intrusit in hoc Jurepatronatus *dicto Anno* 1633. absque justo titulo, aut alio legitimo fundamento, existentibus in antiqua sua possessione Dominis Apolloniis; & propterea nullam potuit adipisci possessionem, cum id fecerit dolosè, & cum mala fide, exercens actum, quem sibi non competere sciebat; cum nec ipse, nec ascendentes ejus lineæ unquam illum exercuerint, tanquam incapaces; & ideò cum occupaverit rem non suam, scire debebat eam ad alios pertinere. Garzias *d. cap.* 5. *num.* 84. Mascardus *d. conclus.* 224. *num.* 15. Menochius *d. remed.* 13. *num.* 68. & sic deficiente bona fide, quæ est primum necessarium requisitum, cadit etiam asserta possessio. Massobrius ubi *supra d. num.* 4. & 5.

Sed id magis conspicitur ex defectu secundi requisiti, videlicèt ex defectu scientiæ, & patientiæ legitimi Patroni; constat enim evidenter, quod Domina Joannetta hoc non sciverit, ex eo quia ipsa non erat præsens, sed absens; nam vacante dicto beneficio *Anno* 1633. statim constituit suum Procuratorem ad præsentandum Rev. Alexandrum Rochesanum, qui postea cum fuerit ab Episcopo Paduano investitus, creditus fuit investitus vigore præsentationis factæ nomine Dominæ Joannettæ tantùm, non autem etiam præsentationis Domini Agesilai; quia si hoc scivisset, illicò suas fecisset contradictiones, & quatenùs pars adversa vellet se fundare in scientia, ac patientia ipsius Dominæ Joannettæ, deberet id probare; asse-
5 renti enim incumbit onus probandi. *l. Qui accusare C. de Eden. cap. Inter dilectos. De fide Instrum.* Undè fit, quod prædicta præsentatio Domini Agesilai, quia facta fuit clam, & occultè, absque scientia, & patientia Dominorum de Apolloniis, imò ipsis penitùs ignorantibus, & absentibus, non potest operari possessionem, vel quasi ad aliam præsentationem fa-
6 ciendam, ut in terminis nostri casus dixit Rota apud Ludovis. *decis.* 417. *per totam*. Et apud Verallum *decis.* 339. *part.* 2. quod latè prosequitur Garzias *d. cap.* 5. *à num.* 109. *& seqq.* ubi *sub num.* 127. ampliat hoc requisitum dicens, quod non solùm requiritur scientia, & patientia illius Patroni, qui præsentat, sed etiam aliorum Patronorum in possessione, vel quasi præsentandi existentium, licèt ea vice non præsentaverint ex Crescent. *decis.* 2. *De Jurepatron.* adeò ut in nostro casu non solùm probanda foret scientia Dominæ Joannettæ, sed aliorum etiam fratrum de Apolloniis, qui erant in sua possessione, quamvis non appareat, quod ea vice & ipsi præsentaverint d. Rev. Alexandrum Rochesanum; nam per præsentationem factam à Domina Joannet-
7 ta Compatrona conservati fuerunt in sua possessione, ut advertit Rota coram Ludovis. *d. Decis.* 417. *num.* 15. Et per consequens absque etiam eorum scientia, & patientia aliquod præjudicium eis generari non potuit per Dominum Agesilaum. Garzias ubi proximè *num.* 115. Vivian. *d. lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 14. & *lib.* 11. *cap.* 6. *num.* 10. 21. & 22. Rota in fine ejus operis *Decis.* 23. *num.* 8. & *Decis.* 42. *num.* 8. quibus adstipulatur Postius *d. Observ.* 32. *num.* 11.

Secunda responsio est contra assertam illam præsentationem Domini Agesilai *de Anno* 1633. quod dato etiam, licèt non concesso, probaretur scientia, & patientia Dominæ Joannettæ, & aliorum Patronorum de Apolloniis; & diceretur per eam Dominum Agesilaum acquisivisse possessionem, illa tamen nihil posset ei suffragari in præsenti judicio, quod per eum intentatur non contra Dominos Apollonios tunc viventes, ipsamque Dominam Joannettam, sed contra eorum descendentes, & successores in Jurepatronatus: & ratio est in promptu, quia possessio, vel quasi
8 solùm juvat contra admittentes; non autem contra eorum successores, quibus admittentes per talem admissionem præjudicare non possunt. Rota *part.* 1. *recent. decis.* 284. *num.* 8. Beltramin. *in addit.* ad Ludovis. *decis.* 417. *num.* 13. *in fine*. Quapropter quando etiam ea vice Dominus Agesilaus Rochesanus præsentasset bona fide, & cum scientia, ac patientia Dominorum de Apolloniis, allegare posset possessionem, vel quasi contra illos, qui *dicto Anno* 1633. vivebant; non etiam contra eorum successores, cum ipsi omnes jam sint defuncti. Emin. Card. de Luca *de Jurepatron. disc.* 63. *num.* 14. & Rota *part.* 11. *recent. decis.* 220.

Tertia verò principalis responsio, quæ prorsùs evellit Adversariorum prætensionem, & eos repellit ab hoc Jure præsentandi, illa est, quod neque Dominus Agesilaus Rochesanus, neque Domini de Lupatis aliquam proprietatem habent in hoc Jurepatronatus; nam tota residet penès Dominos de Apolloniis, qui sunt, & semper fuerunt unici, ac veri Patroni: undè fit, quod penitùs sunt licentiandi Adversarii, neque eorum præsentatio est admittenda, quamvis possessionem, vel quasi justificarent. Ratio autem est, quia quando constat de Jurepatronatus circa proprie-
9 tatem, hæc prævalet possessioni, & ultimus status non attenditur. Abbas in *cap. Consultationibus. n.* 9. *De Jurepatron.* Rota apud Seraphinum. *decis.* 950. *decis.* 1025. *decis.* 1227. & *decis.* 1495. Vivian. *lib.* 11. *cap.* 6. *num.* 23. M. Antonius Genuens. *in Praxi cap.* 100. *num.* 2. *in fine*. Garzias plures alios allegans *d. part.* 5. *cap.* 5. *num.* 45. atque Postius *d. observ.* 32. *n.* 8. De proprietate Dominorum de Apolloniis constat; quia hoc Juspatronatus antiquitùs fuit Domini Petri de Lamono, qui vivebat *de Anno* 1342. à quo illud relictum fuit Andreæ filio suo, ac descendentibus ab eo. Ex Andrea nata est Sara filia, quæ nupsit Jo. Rochesano, ex quo genuit Antonium; & ex isto natus est Alexander Rochesanus, qui *Anno* 1497. suum condidit testamentum, & in eo hæredes instituit tres suas filias legitimas, ac naturales, videlicèt Altamdonam, Imperatricem, atque Lauram; & simul cum ipsis Paulum Rochesanum Nepotem suum, filium Naturalem quondam Christophori Rochesani filii sui prædefuncti. Ex Imperatrice descendunt Domini de Apolloniis, ut ex arbore eorum descendentiæ. Ex Laura ortum habuit quondam dominus Franciscus de Aviano, qui suum votum in hoc Jurepatronatus cessit, ac donavit Dominis de Apolloniis, ut apparet ex Investituris per Adversarios in hac causa productis. Ex Altadona nata est Lucia, post cujus mortem ab intestato sequutam, ejus Votum Domini de Apolloniis per Jus accrescendi pariter acquisiverunt, cum ipsa nullum heredem capacem post se reliquerit, ut infra considerabimus.

Attenta igitur enarratorum veritate, quæ comprobatur tùm ex testamento ipsius Alexandri Rochesani de *d. Anno* 1497. bis in Judicio per Adversarios
10 præsentato, tùm ex Litteris patentibus Institutionum in hoc beneficio per hanc Curiam Episcopalem transactis temporibus concessis; nec non ex aliis Juribus pariter hinc indè in actis hujus causæ productis, dicitur concludenter constare de proprietate Jurispatronatus in Familia Dominorum de Apolloniis, descendentibus ab ipsa Domina Imperatrice; & quibus unita fuere Vota aliarum duarum sororum Lauræ, & Altedonæ; adeòut nullo modo liceat, de eorum bono Jure, titulo, ac proprietate hujus Jurispatronatus dubitare. Vivian. *d. lib.* 11. *cap.* 7. per totum. Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancell. Gloss.* 59. *num.* 19. ubi alii DD.

Porrò de non proprietate Domini Agesilai Rochesani Adversarii in hoc Jurepatronatus evidenter apparet, eo quia ipse descendit à prædicto Paulo Nepote antedicti Testatoris Alexandri, filio naturali, ac illegitimo Christophori filii ejusdem Alexandri Testatoris, prout in arbore descendentiæ, ac familiæ Rochesanæ. Quod autem ipse Paulus Rochesanus proavus ipsius Domini Agesilai fuerit filius naturalis, ac illegitimus, probatur tùm ex Instrumento præsentatio-

Digitized by Google

11 sentationis ad Hospitale Sanctæ Catharinæ Asyli de
persona ipsius Pauli factæ *Anno* 1523. *die* 16. *Martii*
per Dominum Franciscum de Aviano Patronum,
in quo quidem Instrumento ipse Paulus vocatur filius
naturalis; tùm ex processu per ipsos Adversarios *die*
14. *Junii* 1662. in hoc judicio præsentato; in quo
licèt datâ operâ cancellata fuerit in nonnullis locis
illa dictio *Naturalis*, tamen pluries adhuc legitur
absque cancellatione, & absque hæsitatione ipse Pau-
lus nuncupatur *filius Naturalis*. Undè fit, ut negari
non possit, eum non fuisse filium legitimum, sed
utique fuisse filium illegitimum quondam Christo-
phori Rochesani; illi enim dicuntur filii naturales,
qui nascuntur ex concubina, & quos sola natura ge-
nerat, non honestas conjugii, *cap. Liberi*, 32. *q.* 4.
Authent. Licet. C. de Natural. liber. & eum non fuis-
se legitimum, sed naturalem tantùm omninò creden-
12 dum est, non solùm quia sumus in antiquis, in qui-
bus verba enunciativa probant. Mascard. & ibi DD.
conclus. 622. *num.* 15. sed etiam quia extat ratihabi-
tio, & confessio ipsius Pauli relata in Instrumento
Investituræ Prioratus *de Anno* 1523. *die* 16. *Martii*
per ipsos Adversarios in hac causa producto, in quo
Domini de Apolloniis nominant ipsum Paulum fi-
lium naturalem, & ipse Paulus tanquam talis ac-
ceptat dictam Investituram; & sic confitetur, se esse
filium illegitimum; quæ quidem confessio est proba-
13 tio irrefragabilis. *l. Generaliter*. §. *Et siquidem*. *C.*
De Rebus credit. *l. ult. C. de Episc.* & hoc in ter-
minis nostri casus docet Menochius *consil.* 810. *n.* 33.
ex gratia videndus *vol.* 9. Et certè in casu nostro si
dictus Paulus Rochesanus non fuisset naturalis, at-
que filius illegitimus, nunquam passus esset, se ta-
lem nominari in prædicta Investitura Prioratus; ac
propterea cum talem nominationem approbaverit,
sequitur verè naturalem, ac illegitimum fuisse. Ma-
scard. *d. conclus.* 622. *num.* 28. ubi advertit, Verba
enunciativa certissimam probationem facere inter eas-
14 dem personas, inter quas fuerunt enunciata, &
num. 31. subdit illa eò fortius probare, quando hu-
jusmodi verba emittuntur à partibus præsentibus su-
per actu, in quo partes ipsæ possunt sibi præiudica-
re; nam tunc neque admittitur probatio in contra-
rium, ut per DD. ibi allegatos.
Cum igitur certa, evidens, & incontroversibilis
sit illegitimitas q. Pauli Rochesani, in necessariam
consequentiam venit, Dominum Agesilaum Roche-
sanum, qui ab ipso Paulo descendit, nullam habere
proprietatem in hoc Jurepatronatus; siquidem ipse
Paulus non fuit capax ejusdem; nam illegitimi in
15 Jurepatronatus non succedunt. Vivian. *lib.* 4. *cap.* 2.
*num.*68. Rochus *eod. tract. in Verb. Competens. q.* 2.
in princ. Lambertin. *lib.* 1. *part.* 2. *quæst.* 2. *art.* 26. &
27. Emin. Card. de Luca *de Jurepatron. disc.* 37. *n.* 8.
eâ ratione, quia illegitimi non dicuntur esse de pa-
rentela. Bartolus communiter receptus *in l. Tutela*.
ff. de Capit. diminut. Guido Pap. *Decis.* 536. neque
dicuntur de linea. Peregrinus *de Fideicom. art.* 22.
num. 81. Farinacius *de Inquisit. quæst.* 13 *à num.* 52. &
seqq. neque reputantur de familia. Jas. *in l. Sugge-
stioni*. *C. De Verb. Signific.* Idcircò descendentes ab
ipso Paulo Rochesano naturali, ac illegitimo & ipsi
incapaces remanent, in perpetuum hujus Jurispatrona-
tus. Decius *consil.* 163 *alias* 365 *num* 2 ubi reddit ra-
tionem dicens, cum bastardi non dicantur esse de
domo, idem dicendum est in Nepotibus, quamvis
legitimis, natis ex bastardis, quia nulla consequentia
potest esse legitima ex illegitimo nascendi principio.
l. fin. C. De Natural. liber. Alexand. *cons.* 174. *lib.* 5.
& Bartholom. Caora *cons.* 136. *in fin.*
Neque seipsos Adversarii juvare possunt, si dicant,
prædictum Paulum Rochesanum naturalem fuisse in-
stitutum hæredem à Domino Alexandro Rochesano
Avo suo simul cum ejus tribus filiabus Altadona,
Imperatrice, & Laura; & ita videri capacem hujus
16 Jurispatronatus per ea, quæ tradit Vivianus *d. lib.* 4.
cap. 2. *num.* 68. & considerat Emin. Card. de Luca
d. disc. 37. *de Jurepatron. num.* 7. ac ibi Rota *part.* 8.
recent. decis. 262. Quia respondetur: Primò, quod li-
cèt fuerit heres institutus prædictus Paulus, per hoc
non sequitur, consequutum fuisse hæreditatem, quia
ex scripturis Dominorum de Apolloniis constat, in-
stitutionem illam testamentariam fuisse impugnatam
à tribus illis filiabus testatoris, & ideò quatenùs Ad-
versarii se fundarent in hac qualitate hæreditaria, &
in doctrina Rotæ, ac Emin. Card. de Luca supra
allegati, deberent probare, se esse possessores hære-
ditatis q. Alexandri Rochesani simul cum ipsis Do-
minis de Apolloniis; nam aditio hæreditatis non præ-
17 sumitur non solùm in Nepote naturali; sed neque
in filio legitimo, qui cum habeat beneficium absti-
nendi, debet probare aditionem. Bart. *in l. Necessa-
rii. num.* 1. *ff. de Adquiren. hæredit.* Card. Mantica
decis. 198. *num.* 5. & 6. Tantò magis, quia de Jure
d. Paulus Nepos illegitimus non poterat ab Avo he-
res institui nisi in duodecima uncia per *text. in l. Ma-
ter*. *C. de Natural. liber.* quæ licèt loquatur de te-
18 stamento patris erga filium naturalem procedit etiam
de testamento Avi erga naturalem Nepotem, ut
advertit Azor. *in Summa De Natural. liber. num.* 4.
& 5. ac Speculator *in tit. de Succession. ab intest.* §. 1.
Vers. Quid igitur si habens filium.
Respondetur secundò, quod etiamsi Adversarii hæ-
redes forent prædicti Alexandri Rochesani Testato-
ris, per hoc non sequitur, quod sint capaces hujus Juris-
patronatus, quia ipse Alexander Testator non fuit
auctor, seu fundator hujus Jurispatronatus, sed Do-
minus Petrus de Lamone; & sic erat ejusdem Petri
Successor. Porrò indubitati Juris est, quod in Jure-
19 patronatus relicto familiæ, quamvis primus Fundà-
tor possit includere etiam descendentes naturales;
hoc tamen non licet cæteris descendentibus in præ-
judicium legitimorum ex traditis per Parisium *cons.*
48. *num.* 7. *lib.* 4. Ferretum *cons* 134 *num* 2. & Vivian.
lib. 4. *cap.* 9. *num.* 7. cumque prædictus Paulus natura-
lis non potuisset succedere ab intestato Alexandro
Avo suo stantibus tribus filiabus legitimis ejusdem
Alexandri; sic nec potuit ex testamento intrare in
hoc Juspatronatus in concursu cum filiabus legitimis
ex doctrina Menochii *cons.* 285 *per totum lib* 3 quem
approbavit Rota *part.* 4. *recent. tom.* 2. *decis.* 49. *num.* 3.
& 4. ubi aliæ Decisiones concordantes, ac firman-
tes, quod extantibus descendentibus ex linea legiti-
ma primi Fundatoris non admittentur descendentes
ex aliquo illegitimo ad Jus præsentandi simul cum
illis de legitima linea, etsi ipsi quoad se sint legitimi.
Respondetur Tertiò; quod dato, & non concesso,
quod olim tàm Paulus Naturalis, quàm Domini de
Lupatis admissi fuissent ad hoc Jus præsentandi; ni-
hilominùs nunc præsentare non possunt, attentâ præ-
scriptione contra illos per Dominos de Apolloniis
completâ; siquidem extra omne dubium est, quod
20 unus Patronus potest præscribere Jus præsentandi
exclusivè quo ad alium. Lambertin. *lib.* 1. *part.* 2.
quæst. 11. *art.* 4. & 5. Paulus de Cittadinis *part.* 6. *art.* 3.
quæst. 17. Lancellott. *de Attent. in Præfat. cap.* 4.
num. 651. Massobrius *Prælud.* 7. *dub.* 19. & aliis omis-
sis, Barbosa *de Offic. & pot. Episc. part.* 3. *alleg.* 72. *à
num.* 68. ubi alios cumulat, qui tenent quod per qua-
dragenariam Præscriptionem unus Patronus alium
excludit. Modò Domini de Apolloniis non tantùm
præscriptionem 40. annorum obiiciunt Dominis Ro-
chesanis, & Lupatis Adversariis, sed centum, ac
ducentorum annorum, in quibus ipsi semper præ-
sentaverunt tùm ad hoc beneficium Sancti Jacobi,
tùm ad Prioratum Sanctæ Catharinæ de Asylo, ex-
clusis DD. Rochesanis, ac Lupatis, qui sibi impu-
tare debent, quatenùs fuissent veri Patroni; si ob
negligentiam permiserunt, se excludi ab hoc Jure;
21 ad quod nunc regredi, seu ingredi non possunt. Vi-
vian.

Digitized by Google

vian. *lib.* 15. *cap.* 1. *num.* 8. Rota coram Card Seraphino *decis.* 1367. *in fin.* Eo fortiùs, quia Domini de Apolloniis semper præsentarunt videntibus, & scientibus DD. de Rochesanis, ac de Lupatis, qui nunquam reclamarunt, quamvis iidem Domini de Apolloniis dicerent in suis præsentationibus hoc Jus præsentandi ad seipsos tantùm spectare, & privativè quoad quoscunque alios; & ideò pro se habent Præscriptionem immemorabilem, ac pro Adversariis exclusivam. DD. quos allegat, & sequitur in his terminis Garzias *d. p.* 5. *cap.* 5. *num.* 116. & 117. His accedit Sententia, quàm centum ab hinc circiter annis sibi favorabilem reportarunt Domini de Apolloniis contra DD. de Lupatis, tunc volentibus habere vocem in præsentatione ad Prioratum Sanctæ Catharinæ, à qua præsentatione fuerunt ipsi de Lupatis exclusi, prout ex processibus per eos miraculosè in hac causa productis; cumque Juspatronatus, & præsentandi ad Prioratum illum idem sit cum hoc beneficio S. Jacobi, quia utrumque fundatum fuit, & relictum suis descendentibus à dicto Petro de Lamone; sententia, quæ
22 firmavit Jus in DD. de Apolloniis in uno, habet locum etiam in alio, & sic ab utroque censentur Adversarii exclusi. Rota *part.* 3. *recent. decis.* 172. *num.* 2. & *decis.* 492. *num.* 5. & Cardin. de Luca *de Jurepatr. disc.* 63. *num.* 25. Nec possunt ampliùs venire contra Sententiam, quæ transivit per tempus ita longum in rem judicatam; ut tradunt Rochus *de*
23 *Jurepatr. in Verb. Jus. num.* 11. Paulus de Cittadinis *eod. tract. part.* 9. *Quomodo transfertur Jus Patron. de uno ad alium num.* 24. & Vivianus *d. lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 18. Quare, cum asserta possessio DD. de Rochesanis non sit manutenibilis, cum in ea deficiat bona fides, ac scientia, & patientia DD. de Apolloniis in prædicta unica clandestina præsentatione *de Anno* 1633. ipsique DD. de Lupatis non habeant titulum, neque possessionem; & è contra Domini de Apolloniis sint in legitima, ac manutenibili possessione hujus Jurispatronatus, & doceant de ejus valido titulo, ac proprietate, quæ absorbet quamcunque possessionem Adversariorum carentium titulo, ac proprietate; sequitur esse de Jure investiendum
24 Clericum præsentatum ab iisdem DD. de Apolloniis, rejectâ præsentatione alterius clerici ab Adversariis facta. *cap. Dilectus de Causa poss. & propr.* Garzias *d. part.* 5. *cap.* 5. *num.* 45. & *num.* 70. Postius *d. Observat.* 32. *num.* 8. & Rota apud eundem *tom.* 2. *Decis.* 332. & *Decis.* 333. Et ita fuit judicatum pro DD. de Apolloniis, ac clericus præsentatus ab eis fuit statim institutus.

DISCORDIA X.

ARGUMENTUM.

Capellanum ad Altare S. Pauli in Ecclesia RR. Monialium S. Petri de Padua, ab eis electum cum obligatione personaliter celebrandi, & inserviendi, non posse per substitutum celebrare, ac inservire demonstratur.

SUMMARIUM.

1 *Monasterii S. Petri de Padua Antiquitas, Nobilitas, ac Religiositas.*
2 *Altare S. Pauli in Ecclesia S. Petri de Padua dotatum ab Uberto Cartusio Anno 1324.*
3 *Alexander Abbas Faninus electus Capellanus S. Pauli in Ecclesia S. Petri de Padua Anno 1635.*
4 *Consuetudo generalis est celebrare per substitutum, ubi id Testator non prohibuit.*
5 *Doctores sic docentes, & attestantes.*
6 *Rotæ Romanæ Decisiones idem decidentes de celebratione per substitutum.*
7 *S. Congregationis Concilii Declarationes idem terminantes.*
8 *Hæredes Testatoris non possunt alterare qualitates beneficii à Testatore positas.*
9 *Actus facultativi non inducunt necessitatem.*
10 *Juramentum quando non obliget?*
11 *Juspatronatus acquiritur vel ex Fundatione, vel ex Dotatione.*
12 *Patronus Capellaniæ potest ei imponere obligationes ad sui beneplacitum.*
13 *Consuetudo per 40. annos præscripta etiam contra Jus servanda.*
14 *Consuetudo inserviendi Capellæ personaliter est secundum Sacros Canones.*
15 *Sententia, quæ transivit in rem judicatam, habet Legis vigorem.*
16 *Concilii Trid. decreta duo de personali residentia in beneficiis simplicibus.*
17 *Impedimento justo cessante si injuncta sit Missarum celebratio, est personalis.*
18 *Personalis celebrationis obligatio etiam tacitè facta est observanda.*
19 *Rotæ Romanæ decisiones pro personali celebratione Missarum.*
20 *Obedientia consistit in adimplendis mandatis.*
21 *Juramentum personaliter residendi est licitum, & à Jure approbatum.*
22 *Perjurii pœna in beneplacito est privatio beneficii.*
23 *Factum proprium nemo impugnare potest.*
24 *Resistendum non est iis, quibus reverentia debetur.*
25 *Consuetudo particularis residendi prævalet generali de non residendo.*
26 *Sententia facit Jus quo ad omnes successores.*
27 *Georgius Cornelius Episcopus Patavinus Anno 1642. erat Auditor Rotæ Romanæ.*

DOminus Ubertus de Cartusio Nobilis Patavinus *Anno* 1324 dotavit Altare S. Pauli in Ecclesia Illustrissimarum, ac Reverendissimarum Monialium S. Petri de Padua; quarum Monasterium est anti-
1 quissimum, ac nobilissimum, cum in eo non admittantur nisi Virgines Nobiles Patavinæ; ac semper fuit prædilectum ab Episcopis hujus Urbis Antenoreæ, ob earum heroicas virtutes, Religiosam observantiam, & eximiam Sanctitatem; quibus DD. Monialibus prædictus Ubertus dotator cessit omne suum Juspatronatus circa ipsum Altare, & dedit plenam facultatem eligendi, ac instituendi Capellanum, qui Missam quotidiè celebret in eodem Altari; prout ex sequentibus verbis sui Testamenti:

Item considerans, quod in Ecclesia S. Petri prædicti sunt plura Altaria indotata, & destituta ministris; mandavit, & ordinavit, quod Domina Abbatissa Mo-
2 *nasterii S. Petri prædicti cum suis Sororibus per infrascriptum suum hæredem requiratur cum instantia, & reverenter, ut decet, ut ipsa dignetur, unum ex Altaribus positis in dicta Ecclesia Monasterii S. Petri deputare pro Domino Presbytero Luchesio, qui teneatur, & debeat singulis diebus, justo impedimento cessante, super ipso Altare Missam, & alia Solemnia celebrare ad honorem Dei, & specialiter in remissionem peccatorum ipsius Testatoris, & suorum agnatorum, & omnium fidelium defunctorum, & in ipsa Ecclesia Monasterii S. Petri alia divina officia celebrare horis competentibus, secundum quod faciunt alii Capellani, in dicta Ecclesia, & Monasterii S. Petri constituti. Et prædictus Presbyter Luchesius, & sui Successores teneantur, & debeant obedientiam, & reverentiam exhibere prædictæ Abbatissæ, & aliis canonicè succedentibus, secundum quod alii sui Capellani faciunt, & exhibent. Et quod institutio prædicti Presbyteri Luchesii, sive suorum successorum spectet ad prædictam Dominam Abbatissam, & correctio, collatio, & quævis ordinatio, ac ipsius beneficii dispositio. Et volens uberiorem gratiam facere, dedit, transtulit, ac cessit eidem Do-*

minæ

minæ *Abbatissæ recipienti, ut supra, & ex certa scientia omne Juspatronatus, & quod ex eo acquiritur, & quodcunque aliud Jus præsentandi, instituendi, vel aliter disponendi de ipso beneficio. Intendens, quod prædictum beneficium, & Altare sic dotatum, sit, & esse debeat liberum ab omni Jurepatronatus, & ex toto spectet cum omnibus suis Juribus ad prædictam Dominam Abbatissam, Conventum, & ejus Monasterium*. Hucusque Testator, ac ejusdem Altaris Sancti Pauli dotator.

Hac igitur attenta dotatione beneficii, seu Capellæ ordinatione, ejusque plenaria Abbatissæ, ac Monialibus Sancti Petri concessa dispositione, à tercentis hucusque transactis annis ipsæ elegerunt Sacerdotem, & Capellanum cum præcisa obligatione personaliter celebrandi Missam quotidianam ad ipsum Altare Sancti Pauli juxta mentem dotatoris prædicti, ac inserviendi in divinis officiis eidem Ecclesiæ Sancti Petri; obedientiamque, ac reverentiam præstandi iisdem DD. Abbatissæ, ac Monialibus; & inter alios, ultimò loco electus fuit R. D. Alexander
3 Abbas Faninus *die* 29. *Octobris* 1638. in cujus electionis publico Instrumento, ac Litteris patentibus per Abbatissam, & Moniales Sancti Petri relaxatis, hæc Verba continentur: *Habita priùs à dicto R. D. Alexandro promissione cum Juramento, manibus tactis Scripturis, quod Nobis, & Successoribus nostris fidelis, & obediens erit; & dictæ Capellaniæ in spiritualibus personaliter, & non per substitutum, semper, & laudabiliter juxta ordinata à Testatore, & consuetudinem, præsertim in solemnibus inserviet*. Et juxta tenorem hujus Investituræ, ac obligationis ipse R. D. Abbas Faninus Capellanus personaliter per annos jugiter 19. celebravit, ac Ecclesiæ Sancti Petri inservivit. At hoc anno 1657. cum obtinuerit Parochiale beneficium Archipresbyteratum Castri Guilielmi nuncupatum in Adriensi Diæcesi, ad cujus residentiam tanquam Parochus tenetur se conferre, prætendit retinere etiam hanc Capellaniam Sancti Pauli; & ei per substitutum in celebratione Missarum, ac Divinorum officiorum inservire; detrectantibus, ac reluctantibus Domina Abbatissa, ac Monialibus, iisque volentibus novum Capellanum, qui personaliter celebret, ac inserviat, eligere, ac investire. Ideò Quæritur, cui ratio, Jus, ac Justitia assistat? Abbati Fanino Capellano antedicto? An RR. Abbatissæ, & Monialibus? Et equidem Jus, ac Justitiam stare pro seipso contendebat Abbas Faninus Capellanus ex rationibus sequentibus.

Primò, Quia ex generali consuetudine totius Orbis Capellanus potest inservire Capellaniæ per substitutum, & celebrare facere Missas per alium, quando Fundator Capellaniæ expressè non dixerit, quod Ca-
4 pellanus celebret per seipsum. Sanchez *Consil. Moral. lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 33. *num.* 6. Bordonus *Variar. Resol. part.* 3. *resol.* 140. *num.* 10. Fagnanus in *cap. Ut Abbates. De Ætate, & Qual. à num.* 62. *& seqq.* ubi citat Magistrales allegationes Lapi ita docentis; Videlicèt *Allegat.* 35. *aliàs* 36. nec non *Allegat.* 116. *n.* 3. ac etiam *Allegat.* 117. *num.* 1. Porrò Dominus Ubertus de Cartusio, quando præcepit erigi, & dotari hanc Capellaniam ad Altare Sancti Pauli, non dixit, quod Capellanus sit obligatus celebrare, & divinis officiis inservire per seipsum, sed quod *teneatur, & debeat, singulis diebus, justo impedimento cessante, super ipso Altari Missam, & alia solemnia celebrare*. Ergo id facere potest etiam per substitutum.

Secundò, Quia sic docent tàm Theologi, quàm Canonistæ. Bonacina *de Sacram. disp.* 4. *quæst. ult. punct.* 7. §. 1. *num.* 1. Fagundez *in Quinque Eccl. præ-*
5 *cept. Præc.* 1. *lib.* 3. *cap.* 9. Diana *part.* 2. *tract.* 14. *resol.* 18. nec non *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 87. Quæ nunc repositæ sunt in Diana Coordinato *tom.* 2. *tract.* 1. *de Celebrat. Missar. resol.* 65. *& resol.* 66. Piasecius *in Praxi part.* 2. *cap.* 3. *art.* 5. *num.* 4. Barbosa *de Offic. & potest. Episc. alleg.* 24. *num.* 29. Garzias *de Benefic. part.* 7. *cap.* 1. *à num.* 85. Gratianus *Discept. Forens. cap.* 133. *num.* 1. & *in Decis. Marchiæ* 155. *num.* 4. & alii plurimi, quos citat, ac sequitur idem Barbosa *de Jure Eccles. Univ. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 30.

Tertiò, Quia ita pluries decisum est à Rota Romana non solùm in antiquis Decisionibus, quas refert Garzias *d. part.* 7. *cap.* 5. *num.* 79. *& num.* 94. sed etiam in modernis, ac recentioribus, videlicèt coram Merlino *Decis.* 825. *num.* 10. *&* 11. coram Bichio *Decis.* 13. *num.* 11. ubi ita loquitur reddendo rationem,
6 cur Capellanus possit per alium Missas celebrare: *Nam* (inquit) *cum Sacrosancti Sacrificii Altaris meritum procedat ex opere operato, in celebratione Missarum non censetur electa industria personæ celebrantis, quamvis verba fundationis in personam dirigantur; nisi ultrò fuerit dictum, quod Presbyter electus, seu Capellanus per seipsum celebrare teneatur*. Et idem repetit eadem Rota coram Bichio *decis.* 467. *num.* 19. ac etiam firmavit *part.* 2. *rec. decis.* 635. *num.* 2. *& decis.* 719. *num.* 3. Item *part.* 7. *rec. decis* 221. *num.* 16. *& part.* 8. *decis.* 182. *num.* 11. *& seqq.* Prout coram Priolo *decis.* 84. *num.* 9. & novissimè *part.* 19. *recent. decis.* 335. *à num.* 8. *& seqq.* ubi hæc Verba habentur: *Onus quotidiè celebrandi non arctat Capellanum ad residentiam præcisam, itaut non possit per alium idoneum illi æquè benè satisfacere, ut ex sententia* Jo. Calderini *in cap. super inordinata. De Præbend. probat in terminis* Lapus *allegat.* 35. *num.* 2. *& latiùs allegat.* 116. *num* 1. *Vers. Nec fortè dicat aliquis. Et per eadem ferè verba in seq. allegat.* 117. *num.* 2. *Vers. Dicit enim. quem secutus est* Felinus *in cap. Cum omnis. num.* 33. *Vers. Et hoc procedit. De Constitut.* & Cardinalis *in cap. De multa.* §. *ult. in fin. Vers. Quæro. De Præbend. & alii, quos refert* Alphonsus Ojeda *de Incompatibilit. benefic. part.* 2. *cap.* 1. *num.* 2. *Nisi ulteriùs fuerit dictum, quod Capellanus per seipsum celebrare teneatur*. Ergo inferebat Dominus Abbas Faninus contra RR. Moniales Sancti Petri; à Fundatore hujus Capellaniæ Sancti Pauli non fuit dictum, quod Capellanus teneatur celebrare per seipsum; possum itaque accedere ad Archipresbyteratum Castri Guilielmi; & huic Ecclesiæ Sancti Petri, ejusque Altari Sancti Pauli inservire per substitutum.

Quartò: Tantò magis, quia ita pluries declaratum est à Sacra Congregatione Concilii, ut testatur Garzias *part.* 7. *cap.* 1. *num.* 33. Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancell. Gloss.* 5. *num.* 88. Gratianus *Discept. Forens. d. cap.* 153. *num.* 12. Barbosa *in Decis. Apostolic. Collect.* 121.
7 *Verb. Capellania num.* 11. & plenissimè Fagnanus *in cap. Ut Abbates. De Ætat. & Qualit. tom.* 2. ubi à *num.* 65. *& seqq.* refert quatuordecim ejusdem S. Congregationis, cujus ipse fuerat Secretarius, declarationes; & tandem sub *num.* 87. ita concludit: *Si capella non sit in Cathedrali, aut Collegiata Ecclesia, sed in alia inferiori, in qua horæ Canonicæ non recitantur; tunc iterùm subdistingue: Nam aut in illius fundatione expressè, aut verbis æquipollentibus statutum est, ut Rector teneatur Missas dicere, & onera adimplere per seipsum; & lex fundationis adamussim servanda est, ut in cap.* 5. *sess.* 25. *Concil. Trid. & in resolutionibus, de quibus supra num.* 78. *Vers. Casus autem. Aut in fundatione Capellæ nihil de hoc tacitè, vel expressè cautum reperitur; sed simpliciter dictum est, ut Capellanus debeat Missas celebrare, vel divinis inservire; & tunc Capellanus non tenetur ordinem Presbyteratus assumere, nec Missas, vel divina officia celebrare per seipsum; sed potest ejusmodi oneribus per alium satisfacere*. In hac Capella Sancti Pauli (inferebat Abbas Faninus) simpliciter dictum est, ut Capellanus debeat Missam quotidiè celebrare, & divinis officiis inservire. Igitur permissum ei fuit, satisfacere his oneribus per substitutum.

Quintò, subdebat idem Capellanus Faninus, quod sibi non obstabat obligatio personaliter celebrandi, ac inserviendi, ab Abbatissa, ac Monialibus Sancti Pe-

 tri im-

Digitized by Google

tri imposita in Litteris suæ electionis, ac institutionis
ad eandem Capellaniam Sancti Pauli *die 29. Octobris*
1638. Siquidem hæredes Fundatoris, aut executores
Testamentarii, sivè alii deputati ad ejus voluntatem
8 exequendam non possunt alterare qualitates Capella-
niæ ab ipso Fundatore appositas. per *sext. in cap. Tua
nobis. & cap. Joannes. De Testam.* ut tradit Cardin.
Mantica *de Conjectur. ultim. volunt. lib. 3. tit. 3. num.8.*
& Vivianus *de Jurepatron. lib.14. cap. 3. à num. 6. &
seqq.* cumque Fundator non obligaverit Capellanum
ad personaliter celebrandum, & inserviendum; non
poterant Moniales executrices voluntatis ipsius Fun-
datoris talem obligationem addere, ac imponere.
Nec vim facere, quod alii Capellani prædecessores
personaliter celebraverint, & inserviverint; quia cum
personalis celebratio sit actus facultativus, censentur
spontè, & ob eorum commodum personaliter cele-
brasse, & ex eorum facto deduci non potest necessitas,
9 quæ obliget successores. Garzias *d. part.7. cap.1. num.
88.* Rota coram Merlino *Decis. 825. num. 24.* & co-
ram Bichio *Decis.467 num.20.* Nec pariter sibi præju-
dicare, ajebat, Juramentum, quod de personaliter
celebrando, ac inserviendo præstiterat Abbatissæ;
quia Juramenti validitas pendet ab actu, super quo
10 interponitur; itaut si actus ipse non sit obligatorius,
neque Juramentum pariat obligationem. *cap. De il-
lis. De Sponsalib.* S. Thomas *2.2. quæst.89. art.9. ad 2.*
Collegium Salmanticen. *de Matrim. tract.9. cap.2. n 4.
& 5.* Ex quibus omnibus concludebat ipse Capellanus
Abbas Faninus, se impediri non posse, quin mittat
substitutum, qui pro eo inserviat in divinis Ecclesiæ
Sancti Petri, & Missas celebret ad Altare Sancti
Pauli ejusdem Ecclesiæ; ut concedunt DD. quos no-
vissimè congerit Joan. Carolus Antonellus *De Juribus
Clericorum lib.2. part 6. cap. 6. num.16. & 17.* qui om-
nes tenent, quod quando Capellania non est in Ec-
clesia Cathedrali, vel Collegiata; & quando Funda-
tor non dixerit expressè, quod Sacerdos celebret per
seipsum, potest Capellanus celebrare, & inservire fa-
cere eidem Capellaniæ, per substitutum; & hoc idem
approbat Gobatus *in Theol. experim. tract. 3. num. 574.*

His tamen minimè obstantibus censui, Jus, ac
Justitiam stare pro Reverendissima Abbatissa, ac
Monialibus S. Petri; quæ quidem poterant devenire
ad electionem novi Capellani pro celebratione Mis-
sarum ad suum Altare Sancti Pauli, attentâ incapa-
citate celebrandi personaliter, quam incurrerat ipse
Abbas Faninus per acceptationem Archipresbyterá-
tus cum cura Animarum Castri Guilielmi per eum
factam. Rationes pro Monasterio Sancti Petri mili-
tantes erant sequentes.

Primò: Quia ipsæ Reverendissimæ Abbatissa, ac
Moniales sunt absolutæ Dominæ, ac Patronæ ejus-
dem Capellaniæ, & Altaris Sancti Pauli; quando-
quidem cum Juspatronatus acquiratur vel ex funda-
tione, vel ex dotatione. *cap. Filiis. 16. quæst.7. cap.3.*
11 *& cap. Nobis. De Jurepatronat.* Vivian. *eod. tract.
lib.2. cap.1. num.5.* & Antonellus *de Regim. Eccl. lib.3.
cap.6. §.3. per totum*; ipsis RR. DD. Abbatissæ, ac
Monialibus acquisitum est dominium, ac Jus prædi-
ctum tùm ex fundatione, quia ab ipsis ædificatum,
& fundatum fuit Altare Sancti Pauli in earum pro-
pria Ecclesia Sancti Petri; tùm deindè ex dotatione
facta per eundem Nob. Dominum Ubertum de Car-
tusio, qui dominium, ac Juspatronatus ex ea sibi
competens donavit iisdem DD. Abbatissæ, & Mo-
nialibus, ac in illas transtulit absolutè, ut in illis ver-
bis sui Testamenti: *Et volens uberiorem gratiam fa-
cere, dedit, transtulit, & cessit eidem Dominæ Ab-
batissæ, recipienti, ut supra, & ex certa scientia om-
ne Juspatronatus, & quod ex eo acquiritur, & quod-
cunque aliud Jus præsentandi, instituendi, vel aliter
disponendi de ipso beneficio. Intendens, quod prædi-
ctum beneficium, & Altare sic dotatum sit, & esse
debeat liberum ab omni Jurepatronatus, & ex toto
spectet cum omnibus suis Juribus ad prædictam Do-
minam Abbatissam, Conventum, & ejus Monasterium.*
Cum igitur Capella, & Altare Sancti Pauli sit res
propria Monasterii, & de ejus pleno Jure, ac domi-
nio, possunt Abbatissa, ac Moniales illam conferre
12 cum conditionibus, & obligationibus sibi benè visis.
l. In traditionibus. ff. de Pactis. Glossa *in Clem. 2. in
Verb. concessa. De Sepultur.* Bordonus *de Legatis piis
cap.12. num.8.* Et sicut ipse Dominus Ubertus de Car-
tusio Dotator posset, si viveret, obligare Capel-
lanum expressè ad celebrandum personaliter, & non
per substitutum; ita hanc potestatem habet Mona-
sterium, in quod translatum est omne Jus ipsius Do-
tatoris. *l. Hæredes. 23. ff. de Acquirend. vel amit-
tend. possess. l. Nihil. 24. ff. de Verbor. Signific.* præci-
puè per illa verba. *Et quod institutio spectet ad Domi-
nam Abbatissam, & correctio, collatio, & quævis
ordinatio, ac ipsius beneficii dispositio.* Et etiam per il-
la: *Et quodcunque Jus instituendi, vel aliter disponen-
di de ipso beneficio*, quæ quidem denotant, posse Ab-
batissam, ac Moniales ordinare, ac præcipere Ca-
pellano plus, quàm ab eodem Dotatore Altaris sit or-
dinatum, & præceptum; voluit enim, ut Monaste-
rium pleno Jure tanquam de re propria disponeret de
ipso Altare; & ideò Monasterium in ejusdem Alta-
ris, ac Capellæ collatione ponere potest conditiones
ad sui beneplacitum; quilibet enim in re sua est mo-
derator, & arbiter. *l. In re mandata. C. Mandati.*

Secundò, quia ad favorem Reverendissimarum
Abbatissæ, ac Monialium Sancti Petri viget consue-
tudo immemorabilis, quod Capellani instituti ad Al-
taria Ecclesiæ Sancti Petri celebrent, ac inserviant
per seipsos, personaliter, & non per substitutos, &
præcipuè in hac Capella, & Altare Sancti Pauli; ut
constat ex Instrumentis publicis collationum de eo-
dem factis per Monasterium ultrà centum annos;
13 quapropter si sola quadragenaria consuetudo legiti-
mè præscripta servari debet, quamvis contra, vel
præter Jus foret. *cap. Auditis. §. Quocirca. De Præ-
scriptionib. cap. fin.* & ibi Glossa *in Verb. Legitimè præ-
scripta. De Consuetud.* Cæsar de Panimollis *decis.15.
num. 8.* & Card. Mantica *decis. 284. num. 9.* quantò
magis observanda venit hæc consuetudo personaliter
celebrandi, & inserviendi in Divinis officiis in Ec-
clesia Sancti Petri, quæ est conformis Juri commu-
14 ni, & juxta mentem Sacrorum Canonum; ut in
terminis decisum fuit per Rotam *part.2. recent. decis.
375.* & notavit Fagnanus *in d. cap. Ut Abbates. de
Ætate, & Qualit.* & ibi Card. Parisius *lib.4. cons. 50.
num.19.* Gonzalez *ad d. Reg.8. gloss.5. num.107.* & Pax
Jordanus *lib. 4. tit. 1. num. 572.* nec non *lib. 10 tit.13.
num.126.* Nec potest allegare ignorantiam hujus con-
suetudinis, quia ei per Abbatissam, & Moniales no-
tificata fuit de Anno 1638. in collatione ejusdem
Capellæ, ut legitur in Litteris patentibus collationis
prædictæ, ibi: *Habita priùs à dicto R. D. Alexandro
Fanino promissione cum Juramento, manibus tactis
scripturis, quod Nobis, & successoribus nostris fidelis,
& obediens erit, & dictæ Capellaniæ in Spiritualibus
personaliter, & non per substitutum semper, & lau-
dabiliter, juxta ordinata à Testatore, & Consuetudi-
nem, præsertim in solemnibus inserviet.* Quapropter
irrefragabilis est hæc ratio consuetudinis, quâ attentâ
non potest Capellanus à personali celebratione desi-
stere, & ponere substitutum; ut benè firmat etiam
Garzias *de Benefic. part. 3. cap 2. num. 11. & 12.* ubi
præter DD. ponit etiam tres Decisiones Rotæ obli-
gantes Capellanum ad personale servitium Ecclesiæ
in vim consuetudinis. *& part.7. cap.1. num. 86. & 88.*
ubi cum egisset de substituto ponendo, excipit dicens:
*Licèt id non procedat, ubi liquidò constat de particu-
lari consuetudine in contrarium.*

Tertiò facit ad favorem Monasterii Sancti Petri,
& contra ipsum Abbatem Faninum Capellanum sen-
tentia super hoc puncto emanata in curia Episcopali
Patavi-

Digitized by Google

Patavinà, contra alium Capellanum ejusdem Altaris Sancti Pauli Prædecessorem de Anno 1549. quam Moniales exhibent; tunc enim cum prætenderet idem Capellanus celebrare, & inservire per substitutum; judicatum fuit, non posse; sed teneri aut personaliter celebrare, & inservire, aut Capellam dimittere; prout ex ipsius Sententiæ lectura apparet; quæ quidem cum sit in terminis terminantibus, ac transiverit in rem judicatam, & per annos centum, & ultra habuerit executionem, nefas est contrarium pe-
15 tere, quia ipsa sententia habet legis vigorem. *l. Cum quasi*. *§. Hi autem*. ubi Glossa. *ff. de Fideicom. libert.* Felinus *in cap. Rodulphus num. 37. de Rescript.* Nec adversus eam quis est audiendus. *l. Cum quæritur*, cum duobus seqq. *ff. De re judic.* nam res judicata pro veritate habetur. Mascard. *de Probat. conclus.* 1296. *à num.* 14. & facit de albo nigrum, ens de non ente; & de indebito debitum, ut plurimis congestis Doctoribus disserit Barbosa *Axiom.* 200. *per totum*.

Quartò, RR. DD. Abbatissæ, ac Monialibus favent duo expressi Canones Tridentini Concilii. Unus est *sess. 6. de Ref. cap.* 2. ubi sic statuit: *Episcopis inferiores quævis beneficia Ecclesiastica personalem residentiam de Jure, sivè consuetudine exigentia, in ti-*
16 *tulum, sivè commendam obtinentes ab eorum Ordinariis &c. residere cogantur*. Sed sic est, quod hæc Capella Sancti Pauli exigit residentiam Capellani tùm de Jure ex *texx.* apud Rotam *part. 2. recent. decis.* 375. *num.* 1. tùm de Consuetudine ex probatis supra *num.* 14. & ex re judicata ante Concilium *n.* 15. Ergo est cogendus ad residentiam, quam si facere nolit, est Capellanià privandus. Alter est *sess. 25. de Ref. cap.* 5. ubi sic præcipit: *Ratio postulat, ut illis, quæ benè constituta sunt, contrariis ordinationibus non detrahatur. Quando igitur ex beneficiorum quorumcunque erectione, seu fundatione, aut aliis constitutionibus qualitates aliquæ requiruntur, seu certa illis onera sunt injuncta in beneficiorum collatione, seu in quacunque alia dispositione, eis non derogetur*. At in collatione hujus Capellaniæ Sancti Pauli constitutum est, ne per substiturum ei inserviatur; sed hoc onus injunctum est Capellano, ut personaliter celebret, & divinis officiis in Ecclesia Sancti Petri per seipsum inserviat. Ergo huic constitutioni, & oneri non est derogandum; & vigore horum Decretorum Conciliariorum Capellanus est compellendus vel personaliter celebrare, & inservire, vel Capellaniam dimittere.

Quintò, Tantò magis quia hoc onus personaliter celebrandi, & inserviendi divinis officiis fuit tacitè injunctum Capellano Altaris S. Pauli ab ipsomet Testatore, ac Dotatore ex Declaratione Sacræ Congregationis relata à Fagnano *in cit. cap. Ut Abbates num. 78. de Ætat. & Qualit.* ob illam permissionem non celebrandi justo impedimento interveniente. Narrat ibi Fagnanus expositionem factam S. Congregationi de Capella dotata sub his conditionibus, videlicèt: *Ut beneficialis ipsius Ecclesiæ, seu Capellæ omni die, seu saltem quinquies in hebdomada Missam in dicta Ecclesia celebrare teneatur, justo tamen im-*
17 *pedimento cessante. Quæritur primò An dictum beneficium sit Sacerdotale? Secundò an provisus de hujusmodi beneficio possit aliud beneficium personalem residentiam requirens retinere? Sacra Congregatio ad Primum respondit, esse Sacerdotale. Ad secundum ex verbis fundationis teneri obtinentem hujusmodi beneficium per seipsum celebrare; neque posse cum eo aliud beneficium residentiam requirens obtinere*. Hucusque Fagnanus ejusdem Sacræ Congregationis Secretarius. Censuit itaque S. Congregatio, Capellanum illum debere celebrare per seipsum ex verbis fundationis, illis scilicèt, quibus Fundator indulget Capellano, ne celebret *justo interveniente impedimento*; quod quidem à DD. personale reputatur, tanquam concernens personam Capellani, quale est infirmitas, de qua Diana Coordinatus *d. tom. 2. tract. 1. resol.* 60. desumpta ex veteri inordinato *part. 4. tract. 4. resol.* 238. Idcircò cum Fundator, seu Dotator Capellæ requirat quotidianam celebrationem à Capellano justo impedimento cessante, censetur voluisse, ut ipsemet Capellanus sit obligatus celebrare personaliter, & non per substitutum: alioquin si consensisset, celebrandum, ac inserviendum fore per substitutum, incongrua fuisset illa indulgentia non celebrandi, justo impedimento infirmitatis occurrente; ex notatis per Bordonum *de Legatis piis d. cap. 6. num.* 64. ubi ita scribit: *Prima pars ex Capellanià collativà, quod Capellanus excusatur, & fructus facit suos, nec tenetur Missas supplere illis diebus, quibus est infirmus, intellige, si sit obligatus per seipsum celebrare*. Modò reflectamus ad verba testamenti Nobilis Dom. Uberti de Cartusio Dotatoris hujus Capellæ S. Pauli, qui loquens de obligatione Capellani sic est locutus: *Teneatur, & debeat singulis diebus, justo impedimento cessante, super ipso Altare Missam, & alia solemnia celebrare*. Ergo cum excusaverit illum à celebratione ob justum impedimentum: mens, & intentio ejus fuit, ut esset obligatus celebrare per seipsum, & non per substitutum, juxta declarationem supra relatam à Fagnano Sacræ Congregationis, Dianæ, Bordoni, ac aliorum DD. per eos allegatorum opinionem; ac ipsiusmet Fagnani observationem, qui *in d. cap. Ut Abbates num.* 76. subjungit hæc verba: *Observandum*
18 *est tamen ad hoc non requiri, ut in fundatione expressè sit cautum, ut Capellanus celebret per seipsum; sed satis esse, ut id verbis æquipollentibus ordinatum fuerit arg. cap. In his. De Verb. Signif. l. fin. ff. De Donat. quæ sub modo. l. Quid tamen. §. 1. ff. de Arbitris, & patet ex supradicta resolutione Sacræ Congregationis*: Et huic observationi adstipulatur etiam Rota *d. part. 19. rec. decis. 335. num.* 13. quæ pariter ita dicit: *Quamvis ad inducendam obligationem præcisè residendi non semper requiratur, quod in fundatione sit cautum, ut Capellanus teneatur celebrare per seipsum, sed sufficiat, quod verbis æquipollentibus talis desumi possit intentio Testatoris, ut colligitur ex quatuor exemplis adductis per eundem Fagnanum ibidem à num. 78. usque ad 81. in quibus eadem S. Congregatio censuit, Capellanum teneri ad residentiam, atque ad munia per seipsum explenda*. Constat itaque etiam ex mente Fundatoris, quod Abbas Faninus Capellanus non potest inservire huic Capellæ per substitutum.

Sextò, præter hucusque dicta tùm circa mentem Testatoris; tùm circa rem judicatam, & consuetudinem immemorabilem celebrandi, ac inserviendi personaliter in hac Capella Sancti Pauli, suffragantur etiam Decisiones Rotales, quæ expressè decernunt, non posse Capellanum celebrare per substitutum, si consuetudo sit in contrarium; prout videri potest apud Garziam *part. 3. cap. 2. num.* 11. ubi ponit Decisionem Rotæ in *Una Calaguritana Beneficii de Navarete 20. Junii* 1588. coram R. P. D. Pamphilio, in qua fuit dictum, quod *Beneficia etiam simplicia pos-*
19 *sunt ex statuto particulari, vel consuetudine alicujus Ecclesiæ personalem residentiam requirere*. Et idem fuit decisum in *Una Cæsaraugustana fructuum 4. Junii* 1600. Coram R. P. D. Corduba, quam pariter refert Garzias *d. part. 3. cap. 2. num.* 12. Plenius autem id firmatur à Rota *in Calaguritana Residentiæ de Enciso 17. Februarii* 1612. Coram R. P. D. Manzanedo, quæ habetur in *d. part. 2. recent. decis.* 375. in qua firmatur, quod *Quamvis beneficia simplicia ex generali consuetudine non requirant residentiam, ista tamen generalis consuetudo cessat, & revertimur ad Jus commune, (quod in omnibus beneficiis requirit residentiam personalem,) stante alia speciali consuetudine, vel statuto talem residentiam requirente juxta DD. hic allegatos*. Idcircò ob consuetudinem in hac Ecclesia S. Petri, ut Capellani personaliter celebrent, in Di-

Digitized by Google

viisque inserviant per seipsos, & non per substitutum; etiam ex sententia, ac auctoritate Rotæ Romanæ judicandum est ad favorem RR. DD. Abbatissæ, ac Monialium, & decernendum eas posse devenire ad electionem, & institutionem alterius Capellani, qui personaliter celebret, ac inserviat, cum ipse Abbas Faninus factus Parochus in Diæcesi Adrien. non possit de cætero personaliter hanc Capellam Sancti Pauli officiare.

Septimò, Hoc idem infertur ex eo, quod Fundator hujus Capellæ in suo Testamento præcepit, ut Capellani pro tempore eligendi *teneantur, & debeant obedientiam, & reverentiam exhibere prædictæ Abbatissæ, & aliis canonicè succedentibus secundum quod alii sui Capellani faciunt, & exhibent*. Quam quidem obedientiam, ac reverentiam spopondit ipsemet Abbas Faninus Capellanus in actu suæ electionis, ut legitur in illo, ibi: *Habita priùs à d. R. D. Alexandro promissione cum Juramento, manibus tactis Scripturis, quod Nobis, & Successoribus nostris fidelis, & obediens erit*. Obedientia autem, & reverentia con-
20 sistit in adimplendis mandatis illius, cui quis est obligatus obedire. S. Thomas *in 2. 2. q. 84. art. 1.* Cardinalis, & Abbas, quos citat, & sequitur Fagnanus *in cap. His quæ. à num. 8. & seqq. de Majorit. & Obed.* Cum itaque Monasterium S. Petri præceperit ipsi Capellano Fanino, ut personaliter celebret, ac inserviat huic Capellæ, ut in Litteris patentibus ejus electionis; ipseque promiserit obedire; nunc verò detrectet obedientiam præstare, prætendens contra voluntatem DD. Abbatissæ, ac Monialium ponere substitutum, pro celebratione Missarum, est ab iisdem DD. Abbatissa, ac Monialibus, tanquam Jurisdictionem habentibus in ipsum, puniendus, ac mulctandus privatione Capellæ, juxta auctoritatem sibi à Jure concessam in *cap. Dilecta. Eod. tit. de Major. & Obed.* ubi Barbosa, ac DD. ibi per eum congesti, de Superioritate, ac facultate Abbatissæ puniendi Capellanos inobedientes, eosque titulis suis privandi.

Octavò, Tantò magis, quia ipse Dominus Abbas Faninus Capellanus promisit cum Juramento personaliter celebrare, & inservire; ad cujus Juramenti observantiam est rigorosè obligatus, cum sit Juramentum licitum, & à Jure approbatum. Butr. Imola, Cardin. & aliis scribentes in *cap. Ex parte. & in cap. Significatum. De Præbend.* & concernat aug-
21 mentum Divini cultus, & bonum servitium Ecclesiæ Rota *d. part. 2. recent. decis. 375. num. 9. & 10.* ideòque volens nunc inservire per substitutum, fit perjurus, ac reus violati Juramenti; cujus violationis plures sunt pœnæ, quas refert Thesaurus *de Pœnis Ecclesf. part. 2. Verb. Perjurium*, sed præcipua est privatio beneficii vel ipso facto secundum Barbatiam *in cap. Cum non ab homine col. 2. de Judic.* & Rebuffum *de Pacif. possess. pag. 37. col. 2.* juxta
22 textum *in cap. Querelam. De Jurejur.* vel saltem per sententiam, ut tenent Innocent. *in cap. Inter dilectos. De Excessib. Prælat. in princ.* Felinus in *cap. 2. num. 3. de Rescript.* & DD. communiter *in d. cap. Querelam de Jurejuran.* Quapropter absque hæsitatione est judicandum contra prædictum Abbatem Faninum Capellanum, & in pœnam perjurii, in quod lapsus est, prætendens contra voluntatem RR. Abbatissæ, ac Monialium S Petri ponere in earum Ecclesia substitutum, est privandus dictâ Capellaniâ S. Pauli, cum declaratione, quod ipsamet RR. Abbatissa, & Moniales possint devenire ad electionem alterius Capellani. Garzias *de Benefic. part. 11. cap. 10. num. 167.* ubi plurimos DD. cumulat; & Rota coram Seraphino *decis. 1283. in fin.* Idem Thesaurus *de Pœnis Eccl. d. part. 2. Verb. Perjurium. Vers. Quarta pœna*; ubi hujus privationis reddit rationem legalem dicens: *Quia violans pactum, vel transactionem juratam dolo malo cum damno alterius, amittit jus, & actionem ex ea conventione, seu instrumento, ut rejiciatur à limine judicii, & amittat omne emolumentum ex dicto pacto, seu transactione. l. Si quis major. ubi DD. C. de Transact.* Seraphin. *decis. 1243. in fine*. Equidem Dominus Faninus acceptavit hanc Capellam, & Altare S. Pauli à DD. Monialibus, cum hoc pacto, & jurata obligatione celebrandi, & inserviendi per seipsum, & non per substitutum, ut in Litteris Institutionis ejus. Ergo cum in præsenti recuset per seipsum celebrare, & inservire, & prætendat ponere substitutum, factus est perjurus, & debet perdere omne emolumentum hujus Capellæ, & Altaris per ipsius judicialem privationem.

Nonò, Eò fortiùs, quia de Jure factum proprium nemo impugnare potest. *l. Post mortem ff. de Adoption. l. Sicut. ff. de Act. & obligat. cap. Veniens. De Filiis Presbyter. cap. Cum super. De Concess. Præben.* Thomas de Thomasettis *in Florib. leg. regul. 26.* Et cum ipse
23 Abbas Faninus fuerit institutus in hac Capella cum hac conditione inserviendi, ac celebrandi personaliter, juxta Juris Canonici dispositionem, nefas est post cursum Annorum 20. eam retractare. *cap. Factum legitimè. De Regul. Jur. in 6. l. In ambiguis. §. Non est novum. ff. eod.* Ipse enim sciens, & volens acceptavit eandem Capellam cum tali obligatione, scienti autem, & volenti non fit injuria. *l. 1. §. Usque adeò. ff. de Jurejur. l. Nemo præsumitur. ff. De Regul. Jur. cap. Scienti. eod. tit. in 6.* Ac denique quia tenetur reverentiam iisdem DD. Abbatissæ, atque Monialibus præstare juxta præceptum Testatoris, ac Dotatoris hujus Capellæ, ibi: *Et prædictus Presbyter Lucbesius, & sui successores teneantur, & debeant obedientiam, & reverentiam exhibere prædictæ Abba-*
24 *tissæ, & aliis canonicè succedentibus*. Crimen autem est, resistentiam facere adversus eos, quibus ex debito, & obligatione honor, & reverentia debetur. Farinacius *qu. 125. à num. 101. & seqq.* Cæsar de Panimoll. *decis. 22. Adnot. 8. num. 23.* Resistere verò dicitur ipse Capellanus Faninus, dum contra voluntatem Monasterii vult de facto ponere substitutum. Quare ex his omnibus concluditur in hac Discordia, Jus, & Justitiam stare pro RR. Abbatissa, & Monialibus, eundem autem Capellanum iniquè, ac injustè agere, tentando, & prætendendo retinere hanc Capellam, & Altare S. Pauli, cui non potest de cætero personaliter inservire, ob novam obligationem assumptam residendi in Castro Guilielmo Adrien. Diæcesis ad curam illarum animarum; & per consequens esse privandum dicta Capella; & decernendum, posse RR. Abbatissam, & Moniales ad alterius Capellani electionem devenire.

His ita firmatis ad favorem Monasterii non obstant argumenta ex adverso per Abbatem Faninum adducta. Non primum quod ex generali consuetudine inserviri potest Capellaniis per substitutum: quia deficit hoc fundamentum, quando contra dictam generalem consuetudinem extat particularis consuetudo
25 obligans ad inserviendum personaliter; ut in puncto respondet Rota *d. part. 2. recent. decis. 375. num. 2.* cujus verba retuli supra *num. 19.* & advertit Jordanus *libr. 4. tit. 1. num. 572. & libr. 10. tit. 13. num. 126.* In hac autem Capella S. Pauli, & in hac Ecclesia S. Petri consuetudo specialis est inserviendi, & celebrandi personaliter, non autem per alium, ut probatum est supra. Non secundum ex DD. contrarium asserentibus, quia omnes loquuntur, ubi non sit statutum, vel consuetudo obligans celebrare per seipsum. Gonzalez *d. Gloss. 5. num. 107.* Non tertium ex Decisionibus Rotæ Romanæ, quia illæ omnes Inhæserunt consuetudini generali inserviendi per alium; deficiente statuto, vel consuetudine particulari inserviendi personaliter, ut *in d. decis. 375. part. 2. rec.* & *decis. 335. part. 19.* Non Quartum ex declarationibus S. Congregationis emanatis ex eo, quod Fundatores Capellarum neque expressè, neque tacitè requirebant servitium personale: nam ubi expressè, vel

verbis

verbis æquipollentibus, ut in casu nostro, Fundatoris mens fuisse deprehenditur, ut Capellanus personaliter celebraret, prout quando eum ab onere celebrandi absolvit, justo interveniente impedimento, non admittitur substitutus, ut demonstratum est supra *num.* 17. Non Quintum, quod Moniales tanquam executrices Voluntatis Testatoris non possint imponere Capellano onera, quæ Testator non imposuit; quia, ut dictum est, Abbatissa, & Moniales S. Petri non sunt simplices executrices, sed Dominæ, ac Patronæ principales hujus Capellæ, & possunt in ejus collatione adjungere obligationes sibi benevisas, maximè concernentes bonum servitium Altaris, & Ecclesiæ suæ, ut dictum est supra *num.* 11. *&* 12. præterquamquod obligatio personaliter celebrandi est conformis menti Testatoris hujus Capellæ. Nec dici potest residentia facultativa illa, quam tot, & tanti Capellani Prædecessores præstiterunt in hac Capella; quia fuit præcisa, & cum obligatione tùm vigore consuetudinis particularis, tùm ex vi Juramenti, quod innixum dispositioni Sacrorum Canonum est omninò inviolabile; tùm demum ex re judicata *Anno* 1549. in casu consimili; quæ de se sola terminat hanc quæstionem ad favorem Monasterii; facit
26 enim Jus quo ad omnes Capellanos successores in eadem Capella. Rota *part.* 1. *recent. decis.* 78. & ideò juxta ejusdem tenorem sententiandum est contra ipsum Abbatem Faninum Capellanum; prout contra illum hoc Anno 1657. fuit sententiatum per gloriosæ memoriæ Illustrissimum, ac Reverendissimum Georgium Cornelium tunc Episcopum Patavinum, Prælatum sublimis intelligentiæ; qui fuerat Auditor
27 Rotæ Romanæ; cujus Decisiones aliquæ leguntur in *part.* 9. *recent. tom.* 1. *decis.* 104. *decis.* 111. *& decis.* 112. à quo Sapientissimo Antistite judicatum fuit, non posse prædictum Capellanum Faninum celebrare, & inservire Altari, & Capellæ S. Pauli per substitutum; ac attento Archipresbyteratu cum cura animarum per eum obtento in Adrien. Diæcesi posse RR. Abbatissam, ac Moniales devenire ad electionem novi Capellani, qui debeat personaliter inservire; prout per eas deventum fuit, & elegerunt R. D. Camillum Sancta Sophia Sacerdotem optimis moribus imbutum, virtutibus præditum, ac Nobilem Patavinum, in successorem, ac locum ejusdem Abbatis Fanini; ipseque Nobilis Dominus Sancta Sophia huic Altari, ac Ecclesiæ S. Petri personaliter inservivit, ac Missas per seipsum celebravit usque ad eius obitum, qui accidit Anno 1666. Interim D. Abbas Faninus resignaverat Archipresbyteratum Castri Guilielmi ob aeris adversitatem, & reversus erat Patavium: Audita morte R. D. Sanctæ Sophiæ supplex rogavit RR. Abbatissam, ac Moniales, ut vellent eum eligere ad eandem Capellam S. Pauli spondens per seipsum celebrare, ac inservire. Moniales æquè Nobiles, ac Religiosæ, *non reddentes* (ut ait Apostolus 1. *Petr.* 3. 9.) *malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed è contrario*, eum iteratò elegerunt in Capellanum ad idem Altare Sancti Pauli, in cujus personali servitio perseveravit usque ad mortem.

DISCORDIA XI.

ARGUMENTUM.

Agitur de justificatione Litterarum Apostolicarum impetrationis Abbatiæ S. Zenonis de Verona, uti vacantis ob non publicatam resignationem, neque susceptos Ordines Sacros à possessore Abbate. Referuntur exceptiones Abbatis, instantis, se manuteneri in possessione adversus impetrantem; præcipuè ex defectu Jurisdictionis Judicis Delegati, ex Regula de Annali, & Triennali, & aliis rationibus, quæ tamen omnes resolvuntur innumeris propemodum Decisionibus Rotæ Romanæ, ac Beneficialistarum eximiis doctrinis.

SUMMARIUM.

1 *Sententia R. P. D. Marci Marchiani Episcopi Feltren. in causa Abbatiæ S. Zenonis de Verona.*
2 *Litteræ Apostolicæ justificatæ sunt exequendæ.* Et num. 7.
3 *In alternativis sufficit alterum ex narratis probare.*
4 *Resignatio beneficii est publicanda intra sex menses à die Gratiæ Signatæ.*
5 *Publicationem non fuisse factam duobus modis probatur.*
6 *Ordines non fuisse susceptos quomodò probetur?*
8 *Appellatio admissa cum clausula si, & in quantum, An impediat executionem sententiæ.*
9 *Executor Litterarum Apostolicarum non admittit Appellationem suspensivam.*
10 *Clausula sine præjudicio executionis sententiæ præservat Jurisdictionem Judicis, à Quo.*
11 *Contradictor legitimus ut quis sit ad impediendam executionem sententiæ, quæ requirantur?*
12 *Gregoriana Constitutio de Publicandis Resignationibus quid operetur?*
13 *Citatio non est necessaria pro dando mandato immissionis relaxato in sententia.*
14 *Signatura Justitiæ Papæ cognoscit, an Sententia Delegati Apostolici sit exequenda?*
15 *Regula de Jure Quæsito quando cesset? Et quando Regula de Annali?* num. 16.
17 *Gregoriana Constitutio de Publicandis resignationibus derogat prædictis Regulis.*
18 *Præsumptiones cessant, ubi docetur de diligentiis factis.*
19 *Præsumptio resultans ex Regula de Triennali admittit probationem in contrarium.*
20 *Ordinum susceptio non præsumitur.*
21 *Resignatario, qui non publicavit Resignationem non datur manutentio in possessione beneficii.*
22 *Manutentio in beneficio quando sit deneganda possessori?*
23 *Petitorium quando absorbeat possessorium?*

DIù possederat insignem, ac opulentam Abbatiam S. Zenonis Veronæ Illustrissimus, ac Reverendissimus Victor Abbas Grimanus, Vir nobilitate Prosapiæ inter Nobiles Familias Venetas conspicuus, opibus, ac amicitiis præclarus; sed eximiis virtutibus, præcipuè Magnanimitate egregius; quippè talis, de quo dici poterat;

Qui valet adversis oneratam ducere vitam;
Et tolerare magis scit mala, quàm fugere.

Hic diffamatus fuerat Anno 1660. quod nunquam Ordines Sacros suscepisset, juxta obligationem sibi impositam in Bullis Apostolicis, quando eandem Abbatem ex resignatione sibi facta acceperat: prout etiam quod Resignationem ipsam juxta Constitutionem Gregorii XIII. non publicaverat. His de causis dictum fuit Romæ hanc Abbatiam ipso jure vacare; ideò eam à Summo Pontifice Alexandro VII. impetravit Eminentissimus, ac Reverendissimus Franciscus Cardinalis Barberinus; & Litteris hujus Impetrationis coram Illustrissimo, ac Reverendissimo Nuncio Apostolico Venetiarum, Judice, ac Executore specialiter Delegato præsentatis, vocatus fuit in judicium ipse Nobilis Vir Abbas Grimanus ad videndum easdem Litteras justificari, se privum dicta Abbatia declarari, ac Eminentissimum Cardinalem impetrantem in possessionem immitti, prout, non obstantibus exceptionibus ipsius Domini Abbatis Grimani,

Digitized by Google

mani, ab eodem Nuncio Apostolico Venetiarum tandem sententiatum, ac judicatum fuit cum relaxatione cujuscunque mandati debiti, & opportuni. Appellavit ab hac sententia Dominus Grimanus Abbas ad Sanctam Sedem, à qua obtinuit hanc causam committi Illustrissimo, ac Reverendissimo Marco Marchiano tunc electo Episcopo Feltrensi, Anno scilicet 1662. cum antea per Annos 40. & ultrà fuisset celeberrimus Sacrorum Canonum in hoc Publico Gymnasio Patavino Professor, & Lector; ac mei ipsius Magister, ac Praeceptor humanissimus; simulque in hoc Episcopatu Patavino Vicarius Generalis, à quo in eadem Curia Episcopali ascitus fui, post Doctoratus mei Lauream acceptam, ad advocandum, & ad munus Promotoris Fiscalis ejusdem Curiae exercendum sub magno Antistite GEORGIO CORNELIO tunc gloriosae memoriae Episcopo Patavino, pietate, munificentia, ac Virtutibus omnibus ornatissimo. Itaque fuit iterùm disputata causa Venetiis coram praefato Episcopo Feltrensi, Judice Delegato Apostolico, qui post multiplices Advocatorum hinc indè disputationes, ac Juridicas allegationes confirmavit Sententiam Nunciaturae Apostolicae Venetiarum contra Illustrissimum Abbatem Grimanum, & ad favorem Eminentissimi Cardinalis Barberini; cumque voluisset publicam rationem reddere sententiae suae per sequens Votum ab eo extensum, ac typis impressum; censui illud hùc ponere tanquàm opus tanti Viri, ac Legali doctrina ornatum; plurimisque Decisionibus Rotae Romanae, ac Auctorum de Re beneficiaria scribentium auctoritatibus munitum; in obsequium Nominis, ac Virtutis supradicti Praeceptoris mei, cujus quidem Sententia, ac Votum est hujusmodi.

SENTENTIA, ET VOTUM

Illustrissimi, & Reverendissimi D.

MARCI MARCHIANI
Episcopi Feltren.

Judicis, Commissarii, & Delegati Apostolici in Causa Veronen. Abbatiae Sancti Zenonis.

Inter Eminentiss. & Reverendiss. D. Franciscum Episcop. Portuen. Cardinalem Barberinum nuncupat. S.R.E. V. Cancellarium, & Abbatiae S. Zenonis Majoris Veronae, perpetuum Commendatarium.

Et

Illustrissimum D. Victorem Abbatem Grimanum.

Die Lunae 4. Mensis Junii 1663.

Illustrissimus, & Reverendiss. D. Marcus Marchianus Episcopus Feltren. Judex delegatus, & Commissarius Apostolicus, visis, &c. ac auditis ad saturitatem, etiam in allegationibus Juris, Advocatis utriusque Partis, &c. decrevit, declaravit, & sententiavit, benè processum, judicatum, & exequutum ad favorem Eminentissimi, & Reverendiss. D. Cardinalis Francisci Barberini, per Illustrissimum, & Reverendissimum DD. Nuntium Apostolicum Venetiarum
1 Judicem delegatum Apostolicum, cujus propterea decretum, sivè sententiam cum indè secutis fore, & esse confirmandum, seù confirmandam duxit, prout confirmavit, & confirmat: & è contra malè, & perperàm fuisse parte, & nomine Illustrissimi D. Victoris Abbatis Grimani appellatum, & de nullitate dictum, & ità, & c. omni, &c. cum relaxatione cujuscunque mandati executivi desuper necessarii, & opportuni omni, &c.

{ Marcus Marchianus Episcopus Feltren. Judex Commissarius Apostolicus delegatus.

Stephanus Rosata N. A. Canc. Mand.

Et quidem fundamenta, & rationes sunt.

Quia

Litterae Apostolicae ad favorem Eminentissimi Domini Cardinalis Barberini, de Abbatia, seu Commenda Sancti Zenonis Veronae, uti justificatae, veniunt
2 de jure exequendae, *cap. Si capitulo, ubi gloss. verbo exequat. de Concess. praebend. in 6.* Rota *decis.* 628. *num.* 6. *part.* 4 *recent.*

Etenim Duo alternativè narrantur, verificanda scilicet, vel quod Illustrissimus Dominus Abbas Victor Grimanus non susceperit ordines infrà annum, vel quod non publicaverit suam resignationem infrà sex menses ad praescriptum Constitutionis Gregorii XIII. & cum utrumque fuerit probatum, consequens est, ut praedictae Litterae executioni mandentur.

Et licèt in alternativis sufficiat alterum ex narratis probare pro justificatione gratiae. Duran *decis.*
3 265. *num.* 26. Penia *decis.* 613. *num.* 2. Mantic. *decis.* 81. *num.* 4. Merlin. *decis.* 178. *num.* 5. & 252. *num.* 3. quos sequitur Lotter. *de Re benef. lib* 3. *quaest.* 8. *num.* 14. Attamen cum hic utrumque etiam fuerit probatum, necessariò dicemus gratiam ipsam plenè fuisse justificatam. Et quidem non publicatio evidenter probatur, quia Litterae Apostolicae ipsius Illustrissimi Domini Victoris Grimani, quae erant publicandae fuerunt expeditae fermè per duos annos post terminum ad publicandum; nam ipse gratiam obtinuit die prima Octobris 1638. & Litterae fuerunt expeditae sub die septima Augusti 1640. & nihilominùs verum est tempus sex
4 mensium ad publicandum computandum esse à die datae. Paris. *de Resignat. lib.* 11. *quaest.* 2. *num.* 14.

Porrò in hac materia, per Rotam, & Doctores duo dantur modi ad hoc probandum; quorum primus est partis confessio: alter, & quidem longè tutior est, quando ostenditur Litteras fuisse expeditas post tempus ad publicandum in praedicta Constitutione Gregoriana praefixum. Rot. *in una Ripana coram* Sacrato *apud* Garz. *de benef. par.* 2 *cap.* 3. *n.* 316. & *coram* Gregor.
5 *dec.* 210. *num.* 4. & *coram* Buratto *Decis.* 948. *num.* 6. & observat Lotter. *cit. lib.* 3. *quaest.* 21. *num.* 15. & *seqq.* ubi vocat hunc modum irrefragabilem. Haec verò probatio clarè deducitur ex attestationibus officialium Cancellariae Apostolicae, prout in processu, quibus deferendum est, tanquam de propriis actibus, & de rebus, ad eorum officium spectantibus. Buratt. *decis.* 910. *num.* 8. Seraphin. *decis.* 792. *num.* 2. & 3. & *alii communiter.*

Sic pariter altera, & secunda vacatio, quae resultat ex decreto Litterarum resignationis factae in favorem dicti Domini Abbatis, ut scilicèt infrà annum teneatur suscipere ordines sacros, etiam presbyteratum; aliàs beneficium vacet eo ipso, quod ipse non est execu-
6 tus, probatur ex diligentiis adhibitis in libris Ordinariorum, nempè Patriarchae Venetiarum, & Episcopi Veronen. quae diligentiae juxtà stylum sufficiunt ad probandam hanc negativam non susceptionis Ordinum. Surd. *Decis.* 231. *num.* 1. Paris. *de Resignat. lib.* 2. *quaest. ultima num.* 53. & *seq.* & *num.* 67. Gregor. *decis.* 139. *num.* 5 Nec relevat, quod potuerit cum litteris dimissorialibus sui Ordinarii suscipere Ordines sacros ab aliis Episcopis, in quorum dioecesibus existunt aliae Abbatiae, quas possidet, nàm aut ipse de tempore suae Gratiae ob resignationem Abbatiae, de qua agitur, habebat alios titulos, & dicendum est, ipsum, dùm acceptavit Decretum de se promovendo, tunc temporis non fuisse promotum, aut verò dictos titulos tunc non obtinebat? & hoc casu vel à suo Ordinario, vel ab aliis cum litteris dimissorialibus illius debuit promoveri, & non ab aliis. Garz. *de Benef. part.* 2. *cap.* 4. *num.* 1. ubi refert resolutionem Sacri Concilii, & consequenter factis diligentiis in libris sui dioecesani, quòd non extant ordinationes, neque dimissoriales, probatur negativa non promotionis nec coram ipso, nec coram alio Episcopo. Garz.

loco

Digitized by Google

loco citato. Igitur justificatis Litteris Apostolicis Eminentissimi Domini Cardinalis, illæ meritò fuerunt per Illustrissimum Dominum Nuntium Apostolicum executioni demandatæ, quo fit ut illius sententia sit confirmanda cum inde secutis. Si quidem Litteræ
7 Apostolicæ hoc habent privilegium, ut justificatæ executioni demandentur; ità ut à Signatura non soleat admitti appellatio suspensiva, ut dicit *Rota coram Cocino decis.* 349. *num.* 2. *&* 431. *num.* 3. *& in Bononien. Archipresbyteratus* 23. *Martii* 1645. *in fine coram Eminentissimo Domino Cardinali Corrado*, *& in Bienen. Prioratus* 22. *Maii* 1656. *in principio coram Verospio*, & probat latè *Gonzal. ad regulam* 8. *in annot. contra nullitatem sub num.* 220. *Garz. de Benef. part.* 1. *cap.* 5. *num.* 570. Barbos. *clausula* 160. cum pluribus aliis, qui idem tenent.

Nec officiunt, quæ pro nullitate allegantur. Nam prima nullitas prætensa ex defectu jurisdictionis in exequendo mandatum, in vim dictæ sententiæ per admissionem appellationis, quasi per illam Executor à se abdicaverit omnem jurisdictionem, non subsistit; quia non admisit appellationem simpliciter, in quibus terminis procedunt doctrinæ allegatæ in contrarium, sed cum clausula, si, & in quantum, quæ operatur ut in hac materia executionis Litterarum Apostolicarum, & immissionis appellatio censeatur rejecta. Redolph. *in praxi parte prima cap.* 13. *n.*240. *cum seq.* ibi dicta clausula operatur, quatenus de jure dicta appellatio esset admittenda, & non aliàs. Ro-
8 land. *cons.* 77. *num.*18. *lib.* 2. ubi quod dicta clausula operatur quòd Judex perseveret in sua jurisdictione. Osasch. *decis. Pedemont.* 5. *num.*9. ubi pariter quòd nihilominùs Judex perseverat in sua jurisdictione. *Rot. decis.* 333. *num.*12. *part.*4. *tom.*2. *recent.* ubi in fortiori casu, quando judex admiserat appellationem, dando Apostolos reverentiales.

Neque aliud firmat *Ferentil. in addit.* ad Buratt. *decis.* 556. *sub num.* 15. qui in contrarium allegatur, quia *in sequenti num.* 16. affirmat, quòd in casu non appellabili, ut hic, continentur etiam refutatorii, quatenus appellationi non sit locus. *Rot. in Fanen. tutelæ decis.* 426. *num.*25. *part.* 5. *recent.* quod latiùs firmat Scacc. *de Appellat. quæst.*17. *limit.*6. *membr.* 7. *n.* 100. ubi alios allegat; & licèt adducatur fides Cancellarii Nuntiaturæ, qua prætenditur probari appellationem fuisse admissam ad utrumque effectum, respondetur, illam esse suspectam, neque relevare, cum sit facta de re extrajudiciali, neque pertinente ad ejus officium. Post. *ubi supra observ.* 102. *num.* 23. *& seq.* Grat. *discept. foren. cap.*604. *num.*21.

Cæterùm quod hic versemur in materia inappellabili constat; quia agitur cum Executore Litterarum
9 Apostolicarum, quo casu non admitti appellationem suspensivam notum est apud omnes, scilicet propter illarum reverentiam, ut dictum est, & pluribus probat Gonzal. *ad regulam* 8. *in annot. contra nullitatem sub num.* 220. Garz. & Barbos. *supra allegat.* & affirmat Durandus *decis.*60. *num.*42. *&* 48.

Quod multò magis procedit stante quod Illustrissimus Dominus Grimanus post dictam appellationem adivit Signaturam Justitiæ petendo, illam alteri committi, & Signatura rescripsit cum clausula sine præjudicio executionis Litterarum Apostolicarum, quæ præservat Judici à quo jurisdictionem procedendi ad executionem mandati de immittendo relaxati in sen-
10 tentia. Gonzal. *ubi proximè num.* 224. Garz. *citato cap.*5. *num.*573. Barbos. *cit. clausula* 160. *num.*4.5. *&* 8. *& pluries firmavit* Rot. apud Caval. *decis.*4. *num.* 3. Card. Ottob. *decis.* 416. *num.*2. *part.* 5. nam Signatura solet rescribere cum dicta clausula quando per executorem fuit cognitum, & pronunciatum super executione, ad hoc ut nullo modo impediatur per appellationem, ut hic servatum est, quod advertit Lotter. *ubi supra citat. lib.* 3. *quæst.*2. *num.*32. *& seq. & num.* 36. Coccin. *decis.*144. *num.*8. *cum duobus seqq.* neque enim per sententiam Executor dicitur functus officio suo, ut ex adverso supponitur, sed tantum per immissionem provisi in possessionem, donec, & usquequo habeat fructus, & remaneat in possessione pacifica. latè Garz. *de Benefic. part.*6. *cap.*2. *num.* 146. *usque ad finem*. facit gloss. *in cap. quærenti de officio delegat.* quæ in *verb. ad integrum annum* ita loquitur, *sed post sententiam nullam cognitionem assumere debet, cum jàm non habeat nisi meram executionem*, & loquitur de Executore, quam gloss. admittit simpliciter Felin. *ibi in fine post alios*. Siquidem post Signaturæ rescriptum, Executor efficitur merus atque talis, cui nudi facti executio dicatur commissa. Innoc. & Butr. *in cap. de cætero de re jud.* ubi Abbas Felin. & alii. Covar. *Practicar. quæst.* 16. *n.* 5. & hanc doctrinam dicit comunem Menoch. *de Arbitr. lib.*1. *casu* 38. *num.* 20. & novissimè Salgad. *de Regia Protect. part.*4. *cap.* 3. *num.* 3. aliter enim litteræ non haberent exitum. *gloss. allegata in dicto cap. quærenti*, *facit Text. in l. ult. ff. ne quid in loco publico*, *& firmavit Rot. apud* Marchesf. *de commiss. part.*1. *fol.*964. *num.*7. Barb. *de clausulis clausul.*159. *num.*9. ubi quod Judex à quo potest absque vitio attentatorum ad executionem procedere, *& cit. clauf.*160. *ubi num.* 4. *dicit*, nec impedit, quin Judex à quo procedat ad ulteriorem executionem. Gonz. *ubi supra num.*224. Garz. *de Benefic. part.*1. *cap.*5. *num.*573. Lotter *ubi supra cit. lib.*3. *quæst.*2. *à num.*32. *& seq.* Beltram. *in addit. ad decis. Greg.* 23. *num.* 4. ubi etiam quòd non obstante inhibitione potest Judex à quo exequi absque vitio attentatorum, *& in Leodien. Abbatissatum coram Ghyslerio* 15. *Decembris* 1643.

Neque refert quod dicitur, Illustrissimum Dominum Abbatem Grimanum fuisse habitum pro legitimo Contradictore, quo casu Executor fuerit effectus mixtus, & ordinariè procedere debebat, & ab ejus sententia datur appellatio ad utrumque effectum ex Garz. *cit. cap.*2. *num.*110. Redolph. *ubi supra part.*2. *cap.* 8. *num.* 79. ubi allegat Rotæ decisiones; quoniam ad hoc, ut quis dicatur legitimus Contradictor ad impediendam executionem duo copulativè requiruntur, quod scilicèt possideat sine vitio, & quod habeat parem, & legitimum titulum consimilis provisionis Apostolicæ, omninò validè: aliàs si vitiosè possideat, vel non habeat consimilem titulum, aut titulus sit nullus, seù invalidus numquàm dicitur legitimus
11 Contradictor, hæc sunt formalia verba *Rotæ in Avellina Canonicatus* 27. *Martii* 1651. facit alia Rotæ *decis. Boven. Abbatiæ* 3. *Julii* 1645. *& latè in Vintimilien. Cappellaniæ* 30. *Martii* 1635. *coram Motmanno* ibi, *& comparens non fuerit legitimus Contradictor*, *&c.* Ideòque Illustrissimus Dominus Grimanus non potest dici legitimus Contradictor, quia ob non publicationem in tempore, & ob ordines non susceptos, illius titulus fuit redactus ad non titulum, quam rationem in suis terminis ponderavit *Rot. in citat. decis. & in alia* 225. *num.* 21. *cum seq. part.* 7. *recentior.* ubi quòd eatenus possessor cum titulo Apostolico dicitur legitimus Contradictor, quatenus posset ex dicto titulo in concursu cum alio proviso à Papa obtinere immissionem, aliàs satis est quod audiatur ipse possessor, & discutiatur ejus titulus in judicio executivo, quia si non erit talis, & sufficiens non erit deneganda immissio dicto proviso, quòd in casu præsenti fuit à Judice Executore observatum.

Et quamvis Constitutio Gregoriana non inducat novam vacationem ex non publicatione; attamen resolvit jus quæsitum resignatario, & sustinet præcedentem vacationem per resignationem, elisa dumtaxat gratia provisionis facta resignatario, in ejus scilicèt odium, eo quia non publicavit. Lotter. *cit. lib.* 3.
12 *quæst.*21. *num.*26. *usque adeò*, ut nec titulus coloratus remaneat. Paris. *de Resignat. lib.*2. *quæst.*6. *tom.*2. *num.* 76. qua etiam ratione respondetur supposito quod allegabatur de regula de jure quæsito, &c. quæ hic cessat

Digitized by Google

mani, ab eodem Nuncio Apostolico Venetiarum tandem sententiatum, ac judicatum fuit cum relaxatione cujuscunque mandati debiti, & opportuni. Appellavit ab hac sententia Dominus Grimanus Abbas ad Sanctam Sedem, à qua obtinuit hanc causam committi Illustrissimo, ac Reverendissimo Marco Marchiano tunc electo Episcopo Feltrensi, Anno scilicèt 1662. cum antea per Annos 40. & ultrà fuisset celeberrimus Sacrorum Canonum in hoc Publico Gymnasio Patavino Professor, & Lector; ac mei ipsius Magister, ac Praeceptor humanissimus; simulque in hoc Episcopatu Patavino Vicarius Generalis, à quo in eadem Curia Episcopali ascitus fui, post Doctoratus mei Lauream acceptam, ad advocandum, & ad munus Promotoris Fiscalis ejusdem Curiae exercendum sub magno Antistite GEORGIO CORNELIO tunc gloriosae memoriae Episcopo Patavino, pietate, munificentia, ac Virtutibus omnibus ornatissimo. Itaque fuit iterùm disputata causa Venetiis coram praefato Episcopo Feltrensi, Judice Delegato Apostolico, qui post multiplices Advocatorum hinc indè disputationes, ac Juridicas allegationes confirmavit Sententiam Nunciaturae Apostolicae Venetiarum contra Illustrissimum Abbatem Grimanum, & ad favorem Eminentissimi Cardinalis Barberini; cumque voluisset publicam rationem reddere sententiae suae per sequens Votum ab eo extensum, ac typis impressum; censui illud hùc ponere tanquàm opus tanti Viri, ac Legali doctrina ornatum; plurimisque Decisionibus Rotae Romanae, ac Auctorum de Re beneficiaria scribentium auctoritatibus munitum; in obsequium Nominis, ac Virtutis supradicti Praeceptoris mei, cujus quidem Sententia, ac Votum est hujusmodi.

SENTENTIA, ET VOTUM

Illustrissimi, & Reverendissimi D.

MARCI MARCHIANI
Episcopi Feltren.

Judicis, Commissarii, & Delegati Apostolici in Causa Veronen. Abbatiae Sancti Zenonis.

Inter Eminentiss. & Reverendiss. D. Franciscum Episcop. Portuen. Cardinalem Barberinum nuncupat. S.R.E. V. Cancellarium, & Abbatiae S. Zenonis Majoris Veronae, perpetuum Commendatarium.
Et
Illustrissimum D. Victorem Abbatem Grimanum.

Die Lunae 4. Mensis Junii 1663.

Illustrissimus, & Reverendiss. D. Marcus Marchianus Episcopus Feltren. Judex delegatus, & Commissarius Apostolicus, visis, &c. ac auditis ad saturitatem, etiam in allegationibus Juris, Advocatis utriusque Partis, &c. decrevit, declaravit, & sententiavit, benè processum, judicatum, & exequutum ad favorem Eminentissimi, & Reverendiss. D. Cardinalis Francisci Barberini, per Illustrissimum, & Reverendissimum DD. Nuntium Apostolicum Venetiarum
1 Judicem delegatum Apostolicum, cujus propterea decretum, sivè sententiam cum indè secutis fore, & esse confirmandum, seù confirmandam duxit, prout confirmavit, & confirmat: & è contra malè, & perperàm fuisse parte, & nomine Illustrissimi D. Victoris Abbatis Grimani appellatum, & de nullitate dictum, & ità, & c. omni, &c. cum relaxatione cujuscunque mandati executivi desuper necessarii, & opportuni omni, &c.

Marcus Marchianus Episcopus Feltren. Judex Commissarius Apostolicus delegatus.

Stephanus Rosata N. A. Canc. Mand.

Et quidem fundamenta, & rationes sunt.
Quia

Litterae Apostolicae ad favorem Eminentissimi Domini Cardinalis Barberini, de Abbatia, seu Commenda Sancti Zenonis Veronae, uti justificatae, veniunt
2 de jure exequendae, *cap. Si capitulo, ubi gloss. verbo exequat. de Concess. praebend. in 6.* Rota *decis.* 628. *num. 6. part. 4 recent.*

Etenim Duo alternativè narrantur, verificanda scilicèt, vel quod Illustrissimus Dominus Abbas Victor Grimanus non susceperit ordines infrà annum, vel quod non publicaverit suam resignationem infrà sex menses ad praescriptum Constitutionis Gregorii XIII. & cum utrumque fuerit probatum, consequens est, ut praedictae Litterae executioni mandentur.

Et licèt in alternativis sufficiat alterum ex narratis probare pro justificatione gratiae. Duran *decis.*
3 265. *num.* 26. Penia *decis.* 613. *num.* 2. Mantic. *decis.* 81. *num.* 4. Merlin. *decis.* 178. *num.* 5. & 252. *num.* 3. quos sequitur Lotter. *de Re benef. lib* 3. *quaest.* 8. *num.* 14. Attamen cum hic utrumque etiam fuerit probatum, necessariò dicemus gratiam ipsam plenè fuisse justificatam. Et quidem non publicatio evidentèr probatur, quia Litterae Apostolicae ipsius Illustrissimi Domini Victoris Grimani, quae erant publicandae fuerunt expeditae fermè per duos annos post terminum ad publicandum; nam ipse gratiam obtinuit die prima Octobris 1638. & Litterae fuerunt expeditae sub die septima Augusti 1640. & nihilominùs verum est tempus sex
4 mensium ad publicandum computandum esse à die datae. Paris. *de Resignat. lib.* 11. *quaest.* 2. *num.* 14.

Porrò in hac materia, per Rotam, & Doctores duo dantur modi ad hoc probandum; quorum primus est partis confessio: alter, & quidem longè tutior est, quando ostenditur Litteras fuisse expeditas post tempus ad publicandum in praedicta Constitutione Gregoriana praefixum. Rot. *in una Ripana coram* Sacrato *apud* Garz. *de benef. par.* 2 *cap.* 3. *n.* 316. *& coram* Gregor.
5 *dec.* 210. *num.* 4. *& coram* Buratto *Decis.* 948. *num.* 6. & observat Lotter. *cit. lib.* 3. *quaest.* 21. *num.* 15. *& seqq.* ubi vocat hunc modum irrefragabilem. Haec verò probatio clarè deducitur ex attestationibus officialium Cancellariae Apostolicae, prout in processu, quibus deferendum est, tanquam de propriis actibus, & de rebus, ad eorum officium spectantibus. Buratt. *decis.* 910. *num.* 8. Seraphin. *decis.* 792. *num.* 2. & 3. *& alii comuniter.*

Sic pariter altera, & secunda vacatio, quae resultat ex decreto Litterarum resignationis factae in favorem dicti Domini Abbatis, ut scilicèt infrà annum teneatur suscipere ordines sacros, etiam presbyteratum; aliàs beneficium vacet eo ipso, quod ipse non est execu-
6 tus, probatur ex diligentiis adhibitis in libris Ordinariorum, nempè Patriarchae Venetiarum, & Episcopi Veronen. quae diligentiae juxtà stylum sufficiunt ad probandam hanc negativam non susceptionis Ordinum. Surd. *Decis.* 231. *num.* 1. Paris. *de Resignat. lib.* 2. *quaest. ultima num.* 53. *& seq. & num.* 67. Gregor. *decis.* 139. *num.* 5 Nec relevat, quod potuerit cum litteris dimissorialibus sui Ordinarii suscipere Ordines sacros ab aliis Episcopis, in quorum dioecesibus existunt aliae Abbatiae, quas possidet, nàm aut ipse de tempore suae Gratiae ob resignationem Abbatiae, de qua agitur, habebat alios titulos, & dicendum est, ipsum, dùm acceptavit Decretum de se promovendo, tunc temporis non fuisse promotum, aut verò dictos titulos tunc non obtinebat? & hoc casu vel à suo Ordinario, vel ab aliis cum litteris dimissorialibus illius debuit promoveri, & non ab aliis. Garz. *de Benef. part.* 2. *cap.* 4. *num.* 1. ubi refert resolutionem Sacri Concilii, & consequentèr factis diligentiis in libris sui dioecesani, quòd non extant ordinationes, neque dimissoriales, probatur negativa non promotionis nec coram ipso, nec coram alio Episcopo. Garz.

loco

Digitized by Google

loco citato. Igitur juſtificatis Litteris Apoſtolicis Eminentiſſimi Domini Cardinalis, illæ meritò fuerunt per Illuſtriſſimum Dominum Nuntium Apoſtolicum executioni demandatæ, quo fit ut illius ſententia ſit confirmanda cum inde ſecutis. Si quidem Litteræ
7 Apoſtolicæ hoc habent privilegium, ut juſtificatæ executioni demandetur; ità ut à Signatura non ſoleat admitti appellatio ſuſpenſiva, ut dicit *Rota coram Cocino deciſ. 349. num. 2. & 431. num. 3. & in Bononien. Archipresbyteratus 23. Martii 1645. in fine coram Eminentiſſimo Domino Cardinali Corrado, & in Bienen. Prioratus 22. Maii 1656. in principio coram Veroſpio*, & probat latè *Gonzal. ad regulam* 8. *in annot. contra nullitatem ſub num.* 220. *Garz. de Benef. part. 1. cap. 5. num.* 570. Barboſ. *clauſula* 160. cum pluribus aliis, qui idem tenent.

Nec officiunt, quæ pro nullitate allegantur. Nam prima nullitas prætenſa ex defectu juriſdictionis in exequendo mandatum, in vim dictæ ſententiæ per admiſſionem appellationis, quaſi per illam Executor à ſe abdicaverit omnem juriſdictionem, non ſubſiſtit; quia non admiſit appellationem ſimpliciter, in quibus terminis procedunt doctrinæ allegatæ in contrarium, ſed cum clauſula, ſi, & in quantum, quæ operatur ut in hac materia executionis Litterarum Apoſtolicarum, & immiſſionis appellatio cenſeatur rejecta. Redolph. *in praxi parte prima cap.13. n.240. cum ſeq.* ibi dicta clauſula operatur, quatenus de jure dicta appellatio eſſet admittenda, & non aliàs. Ro-
8 land. *conſ.77. num.18. lib. 2.* ubi quod dicta clauſula operatur quòd Judex perſeveret in ſua juriſdictione. Oſaſch. *deciſ. Pedemont.5.num.9.* ubi pariter quòd nihilominùs Judex perſeverat in ſua juriſdictione. *Rot. deciſ.333. num.12. part.4. tom.2. recent.* ubi in fortiori caſu, quando judex admiſerat appellationem, dando Apoſtolos reverentiales.

Neque aliud firmat *Ferentil. in addit.* ad Buratt. *deciſ.556. ſub num.15.* qui in contrarium allegatur, quia *in ſequenti num.16.* affirmat, quòd in caſu non appellabili, ut hic, continentur etiam refutatorii, quatenus appellationi non ſit locus. *Rot. in Fanen. tutele deciſ.426. num.25. part.5. recent.* quod latiùs firmat Scacc. *de Appellat. quæſt.17. limit.6. membr. 7. n.* 100. ubi alios allegat; & licèt adducatur fides Cancellarii Nunciaturæ, qua prætenditur probari appellationem fuiſſe admiſſam ad utrumque effectum, reſpondetur, illam eſſe ſuſpectam, neque relevare, cum ſit facta de re extrajudiciali, neque pertinente ad ejus officium. Poſt. *ubi ſupra obſerv. 102. num. 23. & ſeq.* Grat. *diſcept. foren. cap.604. num.21.*

Cæterùm quod hic verſemur in materia inappellabili conſtat, quia agitur cum Executore Litterarum
9 Apoſtolicarum, quo caſu non admitti appellationem ſuſpenſivam notum eſt apud omnes, ſcilicet propter illarum reverentiam, ut dictum eſt, & pluribus probat Gonzal. *ad regulam* 8. *in annot. contra nullitatem ſub num.* 220. Garz. & Barboſ. *ſupra allegat.* & affirmat Durandus *deciſ.60. num.42. & 48.*

Quod multò magis procedit ſtante quod Illuſtriſſimus Dominus Grimanus poſt dictam appellationem adivit Signaturam Juſtitiæ petendo, illam alteri committi, & Signatura reſcripſit cum clauſula ſine præjudicio executionis Litterarum Apoſtolicarum, quæ præſervat Judici à quo juriſdictionem procedendi ad executionem mandati de immittendo relaxati in ſen-
10 tentia. Gonzal. *ubi proximè num.* 224. Garz. *citato cap.5. num.573.* Barboſ. *cit. clauſula 160. num.4.5. & 8. & pluries firmavit* Rot. apud Caval. *deciſ.4. num.* 3. Card. Ottob. *deciſ.416. num.2 part.5.* nam Signatura ſolet reſcribere cum dicta clauſula quando per executorem fuit cognitum, & pronunciatum ſuper executione, ad hoc ut nullo modo impediatur per appellationem, ut hic ſervatum eſt, quod advertit Lotter. *ubi ſupra citat. lib. 3. quæſt.2. num.32. & ſeq. & num.* 36. Coccin. *deciſ.144. num.8. cum duobus ſeqq.* neque enim per ſententiam Executor dicitur functus officio ſuo, ut ex adverſo ſupponitur, ſed tantum per immiſſionem proviſi in poſſeſſionem, donec, & uſquequo habeat fructus, & remaneat in poſſeſſione pacifica. latè Garz. *de Benefic. part.6. cap.2. num. 146. uſque ad finem*. facit gloſs. *in cap. quærenti de officio delegat.* quæ in *verb. ad integrum annum* ita loquitur, *ſed poſt ſententiam nullam cognitionem aſſumere debet, cum jàm non habeat niſi meram executionem*, & loquitur de Executore, quam gloſs. admittit ſimpliciter Felin. *ibi in fine poſt alios*. Siquidem poſt Signaturæ reſcriptum, Executor efficitur merus atque talis, cui nudi facti executio dicatur commiſſa. Innoc. & Butr. *in cap. de cætero de re jud.* ubi Abbas Felin. & alii. Covar. *Practicar. quæſt. 16. n. 5* & hanc doctrinam dicit comunem Menoch. *de Arbitr. lib 1. caſu 38. num.* 20. & noviſſimè Salgad. *de Regia Protect. part.4. cap.3. num.* 3. aliter enim litteræ non haberent exitum. *gloſſ. allegata in dicto cap. quærenti, facit Text. in l. ult. ff. ne quid in loco publico, & firmavit Rot. apud* Marcheſ. *de commiſſ. part.1. fol.964. num.7.* Barb. *de clauſulis clauſul.159. num.9.* ubi quod Judex à quo poteſt abſque vitio attentatorum ad executionem procedere, *& cit. clauſ.160. ubi num. 4. dicit*, nec impedit, quin Judex à quo procedat ad ulteriorem executionem. Gonz. *ubi ſupra num.224.* Garz. *de Benefic. part.1. cap.5. num.573.* Lotter *ubi ſupra cit. lib.3. quæſt.2. à num.32. & ſeq.* Beltram. *in addit. ad deciſ. Greg. 23. num.* 4. ubi etiam quòd non obſtante inhibitione poteſt Judex à quo exequi abſque vitio attentatorum, *& in Leodien. Abbatiſſatum coram Ghyslerio 15. Decembris 1643.*

Neque refert quod dicitur, Illuſtriſſimum Dominum Abbatem Grimanum fuiſſe habitum pro legitimo Contradictore, quo caſu Executor fuerit effectus mixtus, & ordinariè procedere debebat, & ab ejus ſententia datur appellatio ad utrumque effectum ex Garz. *cit. cap.2. num.110.* Redolph. *ubi ſupra part.2. cap. 8. num.79.* ubi allegat Rotæ deciſiones; quoniam ad hoc, ut quis dicatur legitimus Contradictor ad impediendam executionem duo copulativè requiruntur, quod ſcilicèt poſſideat ſine vitio, & quod habeat parem, & legitimum titulum conſimilis proviſionis Apoſtolicæ, omninò validè: aliàs ſi vitiosè poſſideat, vel non habeat conſimilem titulum, aut titulus ſit nullus, ſeù invalidus numquàm dicitur legitimus
11 Contradictor, hæc ſunt formalia verba *Rotæ in Avellina Canonicatus 27. Martii 1651.* facit alia Rotæ *deciſ. Boven. Abbatiæ 3. Julii 1645. & latè in Vintimilien. Cappellania 30. Martii 1635. coram Motmanno* ibi, *& comparens non fuerit legitimus Contradictor, &c.* Ideòque Illuſtriſſimus Dominus Grimanus non poteſt dici legitimus Contradictor, quia ob non publicationem in tempore, & ob ordines non ſuſceptos, illius titulus fuit redactus ad non titulum, quam rationem in ſuis terminis ponderavit *Rot. in citat. deciſ. & in alia 225. num. 21. cum ſeq. part. 7. recentior.* ubi quòd eatenus poſſeſſor cum titulo Apoſtolico dicitur legitimus Contradictor, quatenus poſſet ex dicto titulo in concurſu cum alio proviſo à Papa obtinere immiſſionem, aliàs ſatis eſt quod audiatur ipſe poſſeſſor, & diſcutiatur ejus titulus in judicio executivo, quia ſi non erit talis, & ſufficiens non erit deneganda immiſſio dicto proviſo, quòd in caſu præſenti fuit à Judice Executore obſervatum.

Et quamvis Conſtitutio Gregoriana non inducat novam vacationem ex non publicatione; attamen reſolvit jus quæſitum reſignatario, & ſuſtinet præcedentem vacationem per reſignationem, eliſa dumtaxat gratia proviſionis facta reſignatario, in ejus ſcilicèt odium, eo quia non publicavit. Lotter. *cit. lib. 3.*
12 *quæſt.21. num.26. uſque adeò*, ut nec titulus coloratus remaneat. Pariſ. *de Reſignat. lib.2. quæſt.6. tom.2. num.* 76. qua etiam ratione reſpondetur ſuppoſito quod allegabatur de regula de jure quæſito, &c. quæ hic ceſ-

ſat

Digitized by Google

sat ex prædictis; & propterea Executor remansit merus in exequendo, gratiam Eminentissimi Domini Cardinalis ad plenum justificatam, dum ei constitit non esse Illustrissimum Grimanum Contradictorem legitimum, *ut in dicta Vintimilien. Canonicatus*, & est *decis.* Peniæ 1453. *num.* 6.

Nec subsistit quod Judex delegatus perdat jurisdictionem, illamque transferat in Judicem, ad quem causa est devoluta, quià id non proceditin hoc casu, in quo Illustrissimus Dominus Nuntius, uti Executor Apostolicus pronunciavit pro immissione, & Signatura causam commisit cum dicta clausula sine præjudicio, &c. quià tunc, ut dictum est, causa dicitur commissa in devolutivo tantùm, quo casu Executor potest procedere non obstante appellatione, ut colligitur ex jam dictis, & probant decisiones allegatæ, & præcipuè illa *Vintimilien.* ibi. *sed potuit procedere ad executionem litterarum non attenta appellatione Possessoris exhibentis titulum non legitimum*.

Secunda Nullitas prætensa ex defectu citationis in relaxatione mandati de immittendo pariter tollitur, quia in Sententia, sive Decreto decernitur, & relaxatur mandatum ibi: *tenore præsentis Decreti dictam gratiam exequi, & respectivè Dominum Cardinalem ad dictam possessionem immitti voluit, & mandavit cum relaxatione cujuscumque mandati desuper necessarii, & opportuni, & ità, &c.* quo stante pro consi-
13 gnatione mandati non requiritur nova citatio. Gabriel. *de citat. conclus.* 1. *num.* 131. ubi de magis communi Honded. *cons.* 20. *num.* 45. *lib.* 1. & pluries tenuit Rot. *in decis.* 365. *num.* 5. *part.* 1. *& decis.* 445. *num.* 2. *ad medium part.* 2. *& decis.* 503. *num.* 3. *part.* 3 *recent.* & plenissimè *in Romana fidei commissi de Capiteferreo* 10. *Junii* 1644. *coram Eminentissimo Corrado ibi. non obstat demùm, quòd non præcesserit citatio ad videndum relaxari mandatum, quià hæc specialitèr comprehensa legitur in citatione ad sententiam, in qua etiam ipsum mandatum fuit relaxatum*. Neque contrarium dicit Redolph. *dicto cap.* 13. *num.* 595. qui ex adverso allegatur, quia loquitur ibi de sententia suspensa per appellationem, quam posteà pars non fuit prosecuta, quò casu servantur termini de quibus ibi. quod tamen secùs est, quando agitur de sententia, cujus executio non suspenditur per appellationem, ut hic, quod idem Redolph. exprimit *in præcedenti num.* 590. *cum duobus seqq.*

Tertia Nullitas prætenditur ex eo, quia non potuit Signatura Justitiæ se ingerere stante controversia coram Illustriss. Domino Nuntio pro executione suæ sententiæ. Hæc pariter resolvitur facili negotio, quia cum ipse in hac causa esset Executor Apostolicus, & sic delegatus à Summo Pontifice, per consequens ad ipsum Summum Pontificem, & ad Signaturam Justi-
14 tiæ, quæ illum repræsentat, spectabat cognoscere an appellatio suspenderet vel ne? Vestrius *in Prax. lib.* 1. *cap.* 3. *in principio, & num.* 1. Scacc. *de Judic. lib.* 1. *cap.* 19. *& cap.* 64. *num* 14. *&* 18. cumque ab ipsa Signatura fuerit rescriptum sine præjudicio, &c. ejus rescriptum attendi debet, ex quo, ut dictum est, conservatur jurisdictio Executoris, & in his terminis loquitur Redolph. *cit. part.* 1. *cap.* 13. *num.* 490. *vers.* 6. *pr. casu signatura ibi*. Et de commissione appellationis à sententia executoris litterarum Apostolicarum Seraph. *decis.* 1484. *à num.* 2. *& seq. & num.* 491. *cum seq.* ità inquit, & operatur hujusmodi clausula, quod causa appellationis sit tantum commissa ad effectum devolutivum, non autem suspensivum, & ob id præservat Jurisdictionem Judicis, à quo, ut possit ad ulteriora procedere in executione, nec valeat aliquo modo à Judice ad quem impediri ad quod probandum adducit *DD. & Rotæ decisiones*.

Neque obstant regulæ de jure quæsito, &c. de annali, & de triennali, nàm quo ad primum jam ex dictis constat illam cessare: quia jus quod habebat Il-
15 lustrissimus Dominus Abbas dicitur resolutum ex non publicatione in tempore, & ex non susceptione ordinum, maximè quia constat de intentione Papæ, volentis præjudicare eidem Domino Abbati, & ideò hæc regula non potest applicari. Rot. apud Seraph. *decis.* 762. *num.* 4. *&* 5. *& decis.* 1082. *à n.* 6. *& seq.* Gonzal. *ad regul.* 8. *gloss.* 36. *à num.* 47. *usque ad* 51.

Regula verò de annali non obstat quia in Bulla provisionis Eminentissimi Domini Cardinalis fuit facta sufficiens mentio, & expressio temporis possessionis
16 ibi: *Jam à pluribus annis commendatum existit, &c.* & circa nobilitatem Domini Abbatis satis fuit denominatio personæ, cujus nobilitas hoc ipso innotescit: quod verò ipse non fuerit citatus, tempore quo Eminentissimus Dominus Cardinalis impetravit Sanatoriam, corruit, quia ad validitatem gratiæ sufficit, quòd fuerit facta mentio de litis pendentia. Garz. *de Benefic. cit. part.* 2. *cap.* 3. *num.* 301.

Præterea tam dicta regula de annali, quam altera regula de triennali, in qua præcipuè insistitur, non habent locum in casu isto: cum utrique derogetur in Constitutione Gregoriana supra citata ibi: *Constitutiones de annali, & triennali possess. nec præsumptæ, aut tacitæ retrocessiones, etiam per diuturnum continuatæ possessionis hujusmodi tollerantiam, nec omne aliud jus, vel beneficium ullo tempore suffragetur*, ex
17 quibus verbis, regulæ de annali, & de triennali, quinimò, & ulteriori possessioni dicitur derogatum, quod observavit Ricc. *in Prax. variar. resol. tom.* 1. *resol.* 447. *num.* 4. *& seq.* Paris. *de Resignat. lib.* 2. *quæst.* 6. *tom.* 2. *sub num.* 76 *&* 92. ubi assignat rationem: quia transacto tempore ad publicandum non remanet titulus resignatariis nec coloratus, neque eisdem juvat continuatio per multum tempus, tamquam æquipollens publicationi: quia prohibetur omne æquipollens post Constitutionem Gregorianam. idem Paris. *ibi. num.* 38. *qui num.* 89. *cum seq.* concludit resignatarium non excusari à publicatione, neque juvari regula de triennali, atque ità communitèr practicari, & verba Parisii *in num. cit.* 76. sunt hæc, *& sic Resignatarius non juvatur regula de annali; neque si possederit per triennium regula de triennali, quia nullus ei remanet titulus nec etiam coloratus prout requirit regula, immo neque etiàm possessio ad multum tempus attenditur*. quod repetiit *eodem num.* 89. Garz. *cit. part.* 2. *cap.* 3. *num.* 313. *ad medium*, & quod Gregoriana habeat locum in resignatario expressè affirmavit Lotter. *cit. quæst.* 21. *num.* 6. *cum pluribus seq. & præcipuè num.* 26. ibi ratio autem necessitatis, quod procedit ex identitate rationis, nempè quia sicuti Resignans, ita Resignatarius privatur omni titulo, ut dictum est, atque ideò neque triennali juvari debet. Gomes *ad cit. regulam de triennali q.* 18. *per tot* & in terminis Leo *in Thesauro fori Ecclesiastici par.* 2. *cap.* 4. *de resignat. num.* 30. *& seq. & est decis.* Rotæ 4. *Julii* 1640. *sub num.* 3. *quæ est* 252. *par.* 8. *recentior.*

Præter quam quod ex illa regula de triennali nil aliud resultat ad favorem Domini Abbatis, quam præsumptio secutæ publicationis, vel dispensationis, vel alterius tituli, & indulti, quæ tamen præsumptio ces-
18 sat ex diligentiis adhibitis in libris ubi solent registrari, de quibus in processu. Gregor. *decis.* 242. *num.* 6. *&* 7. & in quibus fuerunt servatæ omnes solemnitates requisitæ, de quibus loquitur Lotter. *de re benef. lib.* 2. *q.* 46. *à num.* 46. *& seq.* si quidèm perquisitiones fuerunt factæ in omnibus registris tàm Datariæ, quàm Secretariæ Brevium, prævio Judicis decreto, parte citata juxtà *decis.* Verall. 265. *par.* 1. quo etiam fit, ut possibilitas dispensationis seù restitutionis in integrum, aut alterius similis gratiæ excludatur ex traditis per Lotter. *cit. q.* 21. *num.* 34. *& est decis.* Rotæ 305. *num.* 3. *par.* 3. *diversor.* Quæ probatio negativa per diligentias admittitur contra possessorem triennalem, immò, & decennalem. Rota apud Cassad. *decis.* 8. *num.* 2. *super dicta regul.* Achill. *decis.* 9. *num.* 4. paritèr super eadem regula, *& in cit. decis.*

Digitized by Google

decis. 243. apud Gregor. & comprobat Lotter. cit. q. 21. num. 10. & 15. qui num. 35. docet Resignatarium ad hunc effectum teneri docere, sibi fuisse indultum à Papa, ne teneatur publicare, vel sibi fuisse prorogatum tempus ad publicandum, & illud nec dum fuisse elapsum, vel etiam concessam restitutionem adversus lapsum temporis, & licèt parte Illustrissimi Domini Abbatis fuerit in processu allegata similis dispensatio, cum tamen non fuerit probata, constat nullam in ejus favorem remanere præsumptionem.

Ex quibus non adversatur decis. Rotæ in Legionen. Canonicatus 27. Septembris 1640. coram Tarraconen. In qua fuit dictum obstare regulam de triennali, per quam præsumitur possessorem obtinuisse restitutionem ad publicandum, Etenim in eo casu negativa non fuerat probata per diligentias, quia officiales solùm perquisierant, an adessent aliæ Litteræ provisionis, nec constabat fuisse expeditas alias Litteras ex aliis diligentiis factis in Cancellaria, & in Camera, ut hîc.

Et quod præsumptio resultans ex dicta regula de triennali admittat probationem in contrarium expressè tenet Gomes. ad dictam Regulam num. 23. vers. secus si aliqua ibi. Et quia constaret de Ordinibus malè susceptis, & num. 24. vers. Sed tamèn prima opinio ibi. Productum fuerat instrumentum Ordinis subdiaconatus suscepti post lapsum anni, & in cit. decis. Gregor. 242. num. 6. & 7. ibi. Præsumptio ex triennali excluditur per diligentias, quia præsumptio vincitur à veritate: & fortasse non desunt aliæ decisiones ultra Doctorum traditiones, quibus docetur veritatem prævalere præsumptioni. Garz. cit. cap. 3. num. 317. cum seq. Paris. in eodem tract. lib. 2. cit. q. 14. num. 56. & seq.

19

Pariterque cessat præsumptio susceptionis Ordinum stantibus diligentiis adhibitis in libris ordinationum, ut suprà diximus.

Non obstat quod dicitur per incuriam Cancellarii potuisse omitti adnotationem ordinationis, quia ista possibilitas non attenditur, ubi probata est negativa ex inspectione librorum, quæ sanè probatio concludit, donec contrarium probetur ex dictis supra, & tenuit Rot. decis. 216. num. 10. par. 6. recent. maximè quia susceptio Ordinum non præsumitur. Calder. cons. 12. num. 1. de jud. Carolus de Grass. de Effect. Cleric. in proemio num. 184. & 193. cum aliis per eum allegatis.

20

Demùm dum concluditur in petitione, Illustrissimum Dominum Abbatem Grimanum esse manutenendum in possessione, cum se numquam habuerit pro spoliato; hoc assumptum non potest substineri, quia in prædictis constat illum neque justum titulum habere, neque possessionem manutenibilem; siquidem, ut dictum est, titulus reductus est ad non titulum vel resolutus est ex omissione publicationis, & non susceptionis Ordinum in tempore, stante præcipuè

21 decreto irritante tàm in Bullis resignationis, quàm in Bulla Gregorii XIII. quod possessionem inficit; quæ propterea non est manutensibilis, nam data nullitate tituli possessio habetur prò vacua. Rota in Mediolanen. beneficior. 28. Martii 1661. coram Albergato vers. secundò placuit dominis responsio, &c. Cumque Signatura Justitiæ commisetit causam cum clausula sine præjudicio, &c. licet Judex appellationis possit concedere manutentionem, quando Executor nulliter processit, secus tamen est si ritè, & rectè processerit, ut hic; tunc enim Possessor in vim mandati Judicis debet manuteneri, non ille qui ex dicto facto Judicis fuit omni possessione privatus. Gregor. Decis. 91. ex num. 2. ubi adden. num. 13. Judex enim ritè, & rectè procedendo privat tàm civili, quàm naturali possessione. Rot. in Lucana Prædii 16. Februarii 1657. coram Panziroio. Et nihilominus in hoc judicio manutentionis est necessaria possessio; latè per Posth. cit. Tract. observ. 15. num. 1. 2. 3. & 4. per tot.

Pariter non obstat decis. citata 252. par. 8. recentior. ubi num. 4. & seq. innuitur prius dandum esse mandatum de manut. antequam doceatur de titulo, & jam in casu, quando adest Decretum irritans, quia ibi resignatarius allegabat impedimentum propter quod Litteras non potuit publicare in tempore, quod non est in nostro casu, in quo nullum impedimentum per Illustrissimum Dominum Abbatem allegari potuit: prætèr illud quod ibi Decretum irritans fuit appositum in genere, & non super certo beneficio prout hic, quo casu Rota ibi censuit Decretum irritans privare resignatarium omni Juris effectu, & possessionem haberi pro vacua, ut dictum est, & tenet Posth. de manuten. observ. 46. ubi quod infecta possessio non sit manutenibilis num. 1. & Doctores, & Rotæ decis. allegat, & num. 4. dicit, quod Decretum irritans irritat, inficit, vitiatque possessionem, dominium, & titulum, quod etiam firmat num. 8. post plurimos quos allegat, & n. 13. loquitur in specie de resignatario, qui non publicavit. Rebuff. in Prax. in reg. de publican. gloss. 17. & in additionibus fol. 536. vers. & sic possess. &c. qui demum n. sequenti concludit, quod sine difficultate hæc procedunt, quando Decretum irritans apponitur super certo corpore. Rot. in cit. decis. Legionen. beneficii num. 4.

Ulterius cum Dominus Abbas passus sit executionem à Judice Executore, qui processit Juris Ordine servato, & nunc coram Judice ad quem det de injustitia, non debet manuteneri; nam cum manutentio pendeat à negotio principali, & sic à Justitia, vel in-

22 justitia Sententiæ, quæ ex prædictis redditur valida, & justa; ideò cum ipso negotio principali debet causam expedire. Rot. in Romana de Bombellis coram Sacrato, quæ est 9. post tractatum Postii mand. de manutenen. num. 31. ipseque Postius eodem Tract. observat. 43. num. 6. qui n. seq. dicit, quod si manutentio pendet à validitate tituli non est danda, nisi prius apparuerit de titulo. Gregor. decis. 283. num. 5. & quatenus allegetur in contrarium decis. Seraph. 1471. illa non obstat, quia ibi qui petebat manuteneri erat in possessione, & dum loquitur de Decreto irritante supponit contradictorem legitimum, qualis non est D. Abbas Grimanus, ut diximus; sed neque in dicta decisione concurrunt circumstantiæ, de quibus hic, quæ statum causæ prorsus diversificant.

Hinc doctores dicunt, quòd quando ab utraque parte deducuntur jura concernentia petitorium, tunc petitorium absorbet possessorium. cap. in litteris ubi

23 Abbas latè de restit. spoliat. & notatur in cap. cum dilectus de caus. possess. & propriet. & in cap. ad decimas ubi gloss. magna de restit. spoliat. in 6. & Franc. ibi col. pen. in fine. Quod procedit etiam si agens possessorio protestatus sit, quod intendit prosequi solum possessorium, itaut judex debeat judicare super possessorio tantum, quia adhùc si passus fuerit deduci in judicium articulum proprietatis, Judex debet judicare super utroque. Capic. decis. 28. & 62. Gramat. decis. 15. quæ omnia verificantur in hoc casu, ut constat ex processu, probè autem hoc noverunt patrocinantes causam Illustrissimi D. Grimani, qui tandem mutato consilio institerunt restitui, & reintegrari, quod manifestè pugnat cum mandato de manutenendo, in quo intrat interdictum retinendæ, quod nihil habet commune cum interdicto recuperandæ, & cum remedio reintegrandæ. §. retinendæ, & §. recuperandæ instit. de interdicto, & cap. reintegrandæ 3. q. 1. cum similibus. Menoch. de recup. remed. quintodecimo per tot.

Et demùm quia hic videtur obstare exceptio notoria defectus sui juris, & tituli, quæ admittitur contra agentem interdicto uti possidetis, præsertim si petat aliquid, quod debeat restituere per regulam Dolo, &c. de regul. juris in 6. & in l. dolo facis ff. de doli except. & plures allegat. Ferret. in suo Cons. 95. num. 10. maximè, quia beneficia non possunt haberi

Digitized by Google

fine titulo. *cap. Ex frequentibus extrà de instit. cap. 1. de regul. juris in 6. ubi gloss. & doctores.*

Et ita sentio pro confirmatione sententiæ, & mandati Illustrissimi Nuntii Executoris Apostolici, cum ritè, & rectè processerit ad immissionem Eminentissimi Domini Cardinalis vigore Litterarum Apostolicarum prædictarum.

DISCORDIA XII.

ARGUMENTUM.

Jus nominandi Capellanum pro celebratione Missarum per Testatorem suis Commissariis tantummodò relictum, iisdem mortuis, spectat ad Ecclesiam, in qua Missæ ab ipso Testatore ordinatæ sunt celebrandæ.

SUMMARIUM.

1 *Joannes Galvanus celeberrimus Juris Civilis Professor in Publico Gymnasio Patavino.*
2 *Capellanus est nominandus à Monialibus, in quarum Ecclesia est Missas celebraturus.*
3 *Industria personæ ubi est electa; ea mortua hæredes non sunt vocati ad illud munus.*
4 *Patrono sine hærede moriente, Juspatronatus extinguitur; & Ecclesia libera remanet.*
5 *Juspatronatus non transit in Fiscum nisi cum universitate bonorum.*
6 *Jus nominandi Capellanum acquiritur vel constructione Altaris, vel ejusdem dotatione.*
7 *Contentum sequitur naturam continentis.*
8 *Patroni si duo sint; & unus moriatur sine hærede, Juspatronatus totum remanet in altero Patrono.*
9 *Patrono non disponente de Jurepatronatus censetur illud relinquere Ecclesiæ.*
10 *Dubium pro favore Ecclesiæ resolvendum.*
11 *Commodum sentire non debet, qui onus non sentit.*
12 *Sacerdos non debet celebrare in Ecclesia Monialium ipsis invitis.*

Dominus Benedictus Salonius condidit suum Testamentum de Anno 1658. in actis Justi Antonii Frizerii Publici Notarii Patavini, in quo factis pluribus legatis, creavit suos Commissarios, ac Executores Nobiles Viros Joannem Galvanum, (qui fuit
1 in hoc Publico Gymnasio Patavino celeberrimus Juris Civilis Interpres, & in materiis criminalibus eximius Consultor) & Andream Saviolum; mandando per eos de reliquis ejus bonis institui unam Capellaniam perpetuam Missæ quotidianæ, celebrandæ in illa Ecclesia, & per illum Sacerdotem, prout ipsis DD. Commissariis, & Executoribus videbitur. Anno 1660. die 15. Julii iidem DD. Commissarii in Instrumento Publico, in actis ejusdem Notarii Justi Antonii Frizerii, determinarunt Ecclesiam RR. Monialium S. Mariæ Matris Domini hujus Civitatis Paduæ, in qua celebranda sit dicta Missa quotidiana perpetua; & elegerunt in Capellanum pro hac celebratione adm. Rev. Damianum de Tessariis Civem Patavinum. Nunc, defunctis iisdem Commissariis, & sequuto obitu ejusdem adm. Rev. Capellani de Tessariis.

Requisitus fui, ut pro Veritate respondeam, ad quem de Jure spectet nominatio, & electio novi Capellani? Utrùm ad Hæredes DD. Galvani, & Savioli Commissariorum defunctorum? Vel ad duos Commissarios novos Deputatos ab Excellentissimo Prætore Paduæ ad instantiam prædicti Presbyteri Damiani de Tessariis? Vel potius ad ipsas RR. Mo-
2 niales S. Mariæ Matris Domini? Dixi, electionem, ac nominationem Capellani spectare ad ipsas Moniales S. Mariæ Matris Domini, exclusis omninò hæredibus Galvanis, & Saviolis, nec non assertis novis Commissariis, ut supra creatis.

Quandoquidem Hæredes DD. Galvani, & Savioli Commissariorum defunctorum nullum Jus habere in hac nominatione Capellani patet ex eo, quod Testator illos non vocavit, sed facultatem hanc impertivit tantummodò ipsis suis Commissariis, eligendo eorum industriam, & personam, tùm ad determinandam Ecclesiam, tùm ad nominandum Capellanum: & ideò mortuis ipsis Commissariis, talis
3 facultas expirat, & non transit ad eorum hæredes. *l. Inter artifices. 31. ff. de Solutionib. cap. Quoniam Abbas. De Offic. & pot. Judic. Deleg.* & notant omnes DD. Inter quos Antonius Pichardus *Instit. lib. 3. tit. 26. §. Solvitur. num. 3.* Paulus de Castro in casu consimili *lib. 2. consil. 177.* & ex Theologis Diana Coordinatus *tom. 6. tract. 9. resol. 29* quæ in ejus opere veteri existit *part. 8. tract. 5. resol. 26.* Sanchez *in Consiliis Moralib. tom. 2. lib. 4. cap. 1. dub. 41.* ubi *num. 3.* ita scribit: *Tertiò dico, quod hoc officium non transit ad hæredes, quia censetur electa industria personæ, nisi Testator, qui executorem constituit, hoc expresserit.* Sic Franchus *d. cap. 2. de Testam. §. sanè num. 6. & ibi Glossa Verb. Mortuo.* Sylvester *V. Testamentum 2. dub. 4. dic. 1.* Armilla *Verb. Executor num. 4.* Tabiena *ibi num. 1.* Angelus *num. 8.* Rosella *Verb. Restitutio 15. num. 6.*

Quo verò ad Commissarios novos, ab Excellentissimo Prætore creatos ad instantiam, & requisitionem Presbyteri de Tessariis, constat illos nullum Jus habere in hac nominatione Capellani ob duas rationes. Prima est, quod quando quis habet Juspatronatus, & moritur sine hærede, illud Juspatronatus ex-
4 tinguitur, & Ecclesia remanet libera cum potestate eligendi de per se ministros in officiis divinis necessarios. Vivian. *de Jurepatr. lib. 15. cap. 1. num. 16.* Igitur cum in hoc casu Testator nullum hæredem reliquerit, & solis Commissariis suis Jus eligendi dederit, iis mortuis, Jus eligendi Capellanum expirat quo ad alios quoscunque, & restat in Ecclesia, ubi Missæ sunt celebrandæ. Secunda ratio est, quia Excellentissimus Prætor eatenus videtur creasse illos duos novos Commissarios, quatenus, Excellentiæ suæ dictum fuit, ac suppositum à Presbytero Damiano Tessario, illud Juspatronatus ob mortem Commissariorum Testamentariorum devolutum fuisse ad Fiscum, & ideò malitiosè creare fecit duos parentes suos, ut eis hoc Jus lucraretur. Sed suppositum est falsum;
5 quia de Jure Juspatronatus non transit ad Fiscum nisi cum Universitate bonorum. Glossa *in cap. Filiis. 16. q. 7.* Lambertin. *de Jurepatr. lib. 3. q. 8. art. 8.* Peregrinus *de Jure Fisci lib. 5. tit. 1. num. 72.* ubi DD. cumulat. Idcircò Decretum Excellentissimi Prætoris est nullum, nunquam enim intellexit favere malitiæ prædicti Presbyteri, qui falsò exposuit, nullum extare, qui possit exequi voluntatem Testatoris: & tamen extat Monasterium S. Mariæ Matris Domini, quod nunquam moritur; & eò magis apparet de dolosa intentione ejusdem Presbyteri, quia annotare fecit in publico æstimo hujus Civitatis bona ipsius Capellaniæ inter bona suæ familiæ de Tessariis, affectando non tàm usurpationem Jurispatronatus, quàm eorundem bonorum Capellaniæ.

Igitur Jus nominandi Capellanum spectat ad Moniales S. Mariæ Matris Domini, & ad earum Monasterium ex pluribus rationibus. Prima est, quia dum Commissarii Testamentarii deputarunt earum Ecclesiam pro celebratione prædictæ Missæ quotidianæ, & ipsæ Moniales acceptarunt dictam Capellaniam, statim acquisiverunt Jus nominandi Capellanum post obitum Presbyteri de Tessariis ab iisdem Commissariis jam nominati; Siquidem Jus nominan-
6 di Capellanum acquiritur vel fabricando Altare, in quo Missæ celebrentur, vel illud dotando. Abbas *in cap.*

Digitized by Google

in cap. Ad audientiam num. 11. De Eccles. ædifican.
Rochus *de Jurepatron. In Verb. Et dotavit num.* 23.
& Felinus *in cap. Cum Venerabilis. num.* 37. *de Ex-*
ceptionib. ubi ita scribit: *Capellaniæ fundatæ in Eccle-*
sia spectante ad præsentationem Abbatis, spectant etiam
ad præsentationem ejusdem, quia contentum sequitur
7 *naturam continentis, quod tenet Rota in antiq. decis.*6.
de Rebus Eccl. non alien. & decis. 14. *de Jurepatron.*
Modò benedictus Salonius Testator dedit bona pro
dote hujus Capellaniæ, & celebrationis Missæ quo-
tidianæ: at Moniales Sanctæ Mariæ Matris Do-
mini dederunt locum, & Altare pro celebratione
ejusdem Missæ; & per consequens factæ sunt Com-
patronæ cum ipso Salonio, cujus Commissariis Te-
stamentariis defunctis, quibus dederat, eorum vita
8 durante, Jus nominandi Capellanum, totum Jus
transivit in easdem Moniales per jus accrescendi,
seu, ut DD. dicunt, per jus non decrescendi. Vivian.
de Jurepatron. lib. 14. *cap.* 2. *num.* 41. ubi alios cumu-
lat, ac Rotam allegat.

Secunda ratio est, quia Fundator, seu Dotator hu-
jus Capellaniæ nec sibi, nec alteri, nisi Commissa-
riis suis, eorum vita durante, reliquit Jus nominan-
di Capellanum, quo casu censetur de Jure eum vo-
luisse, ut post mortem Commissariorum prædictum
Jus transiret totum in Ecclesiam, in qua Missæ in
9 perpetuum celebrandæ forent pro suffragio animæ
suæ. Gigas *consil.* 47. *num.* 15. ubi DD. casus enim
omissus relinquitur dispositioni Juris communis. Ro-
ta post d. Vivian. *decis.*62. *num.* 6. At de Jure com-
muni Jus nominandi Capellanum spectat ad Eccle-
siam, in qua constituta est Capellania, ut probatum
est supra *num.* 7.

Tertia ratio est, quia in dubiis pro Ecclesia est
judicandum. Alex. *lib.* 2. *consil.* 121. Tiraquell. *de Pri-*
vil. piæ causæ Privil. 148. Genuensis *in Practicab.*
10 *Eccles. quæst.* 141. & Ciarlinus *lib.* 1. *cap.* 10. *num.*86.
tantò magis quia certissimum est, utrosque adversa-
rios non fuisse in mente Testatoris, neque eum ipsis
Jus aliquod voluisse impertire.

Quartò valdè proficit RR. DD. Monialibus ratio
illa naturalis, quod qui sentit onus, debet & commo-
dum sentire; & è contra commodum habere non pos-
11 se, qui nullum onus sentiunt. *cap. Qui onus. De Reg.*
in 6. At Moniales sentiunt incommodum providendi
tùm Altari, tùm Capellano de Paramentis sacris, &
aliis utensilibus pro Missæ Sacrificio. E contra hæ-
redes Commissariorum; ac Commissarii noviter crea-
ti à Prætore nullum incommodum sentire possunt ex
hac celebratione. Ergo ad eos pertinere non debet jus
nominandi Capellanum, qui celebret; & esset ma-
12 gnum inconveniens, ut accederet ad Ecclesiam Mo-
nialium Sacerdos aliquis ad celebrandum ipsis invitis
in perpetuum. Quare ex his omnibus concludo Jus
nominandi Capellanum ad ipsas Moniales tanquam
Patronas Ecclesiæ, ac Altaris spectare debere.

DISCORDIA XIII.

ARGUMEMTUM.

Differitur, Utrùm Episcopus possit confer-
re alicui Clerico duo beneficia simplicia, in
mense non reservato vacantia; quæ ab Episco-
pis Prædecessoribus fuerant Seminario ex nunc,
prout ex tunc, quando vacaverint, unita?
Amplectitur opinio Affirmativa, & demonstra-
tur, eundem Clericum post mortem Episcopi
collatoris non posse molestari à Seminario, præ-
cipuè si sit pacificus Possessor Triennalis.

SUMMARIUM.

1 *Cardinalis Barbadici Episcopi Patavini desiderium ditandi Seminarium puerorum redditibus Ecclesiasticis.*
2 *Episcopus an conferre possit beneficia vacantia, quæ antea fuerant unita Seminario?* & num. 7.
3 *Unionem nondum effectum sortitam potest Episcopus suspendere.*
4 *Unio aufert potestatem conferendi beneficia unita.*
5 *Non entis nullæ sunt qualitates.*
6 *Unionis completæ, & non completæ differentia.*
8 *Papæ collatio beneficiorum unitorum, tacita Unione, non est valida.*
9 *Resignatio ad favorem beneficii etiamsi antea uniti, per Papam admissa, semper valet. Et cur?*
10 *Uniri non possunt beneficia, quovis modo, dum vacant, Papæ reservata.*
11 *Papa nunquam intendit conferre beneficia unita, nisi Unio sibi exprimatur.*
12 *Regulæ Cancellariæ Apostolicæ* 36. *de Possessore Triennali tenor.*
13 *Quando ortum habuerit?*
14 *Regulæ ejusdem de Triennali possessore effectus.*
15 *Unitum sibi beneficium qui prætendit, si conferatur, appellare debet à collatione.*
16 *Regula de Triennali an juvet contra disposita à Concilio Tridentino?*
17 *Incompatibilia beneficia retinens non juvatur Regula de Triennali. Et cur?*
18 *Ignorantia Unionis præsumitur in possessore beneficii uniti.*
19 *Papa per suas Regulas Cancellariæ derogat etiam decretis Concilii Tridentini.*
20 *Unita beneficia non vacant, quando scilicèt Unio fuit completa.*
21 *Seminarium Patavinum pluribus beneficiis simplicibus ditatum.*

DEsiderium ditandi Seminarium puerorum redditi-
bus Ecclesiasticis, ad effectum educandi in illo
magnum alumnorum numerum; quos scientia, bo-
nitate, ac disciplina Ecclesiastica piè, ac optimè im-
butos posset constituere in animarum Pastores, in-
1 explebile fuit in Eminentissimo Gregorio Cardinali
Barbadico Episcopo Patavino. Hinc vix Eminentia
sua adepta erat possessionem hujus Episcopatus An-
no 1664. cum intellexerit à Ministris Seminarii an-
te duodecim circiter annos vacasse duo beneficia Ec-
clesiastica simplicia, Canonicatus nuncupata; quæ
olim de Anno 1620. unita fuerant eidem Seminario
ex nunc, prout ex tunc, cum eorum contingeret
vacatio, à gloriosæ memoriæ Illustrissimo, ac Re-
verendissimo Marco Cornelio tunc Antistite Padua-
no, juxta formam, ac decretum Sacri Concilii Tri-
dentini *sess.* 23. *de Ref. cap.* 18. sed illa tempore va-
cationis securæ, non fuisse tradita, & consignata
Seminario per Illustrissimum, ac Reverendissimum
Georgium Cornelium Episcopum Eminentiæ suæ
immediatum Prædecessorem; sed ea collata fuisse
Auctoritate sua Ordinaria adm. Reverendo Jo.
Baptistæ Riccio Veneto, nunc Archipresbytero Con-
sylvarum hujus Diæcesis, qui de factò in præsenti
ea retinebat. Statim idem Eminentissimus Cardi-
nalis Barbadicus Episcopus Patavinus Successor re-
putans hoc magnum piaculum, requisivit à Ministris
Curiæ suæ, inter quos titulo Auditoris ego quoque
numerabar, *Nùm de Jure valida fuerit collatio eo-*
2 *rundem duorum simplicium beneficiorum, facta per Epi-*
scopum Prædecessorem eidem Archipresbytero Riccio?
& An Intervenientes Seminarii petere possent exe-
cutionem Unionis prædictorum duorum beneficio-
rum, multò antequam vacarent, juxta Tridentinum
Concilium firmatæ; itaut Seminarium ponendum sit
in possessionem ipsorum, prævia ejusdem adm. Rev.

Riccii spoliatione? Omnes responderunt, collationem illam fuisse nullam; Archipresbyterum Consylvarum esse spoliandum illorum duorum beneficiorum possessione; eamque sollicitè tradendam Seminario. Summoperè Eminentiæ suæ hæc arrisit opinio: attamen contra illam ego steti, asseverans, collationem illam, etsi non laudandam, attamen non impugnandam; & in puncto Juris, ac in terminis justitiæ dixi, Archipresbyterum Consylvarum non esse molestandum tanquam duobus fortissimis innixum fundamentis.

Primum erat, quod Illustrissimus, ac Reverendissimus Georgius Cornelius Episcopus Prædecessor potuit validè conferre dicta duo beneficia, non obstantibus decretis Unionis conscriptis ab Antistitibus antiquioribus; siquidem quando Unio beneficiorum nondum est sortita suum effectum, potest Episcopus il-
3 lum suspendere, & prorogare post mortem illius Clerici, cui vult illa conferre; & ideò habet adhuc potestatem illa conferendi; prout in terminis hujus casus tenet, & docet Zerola *in Praxi Episc. part.2. in Verb. Unio §. ult.* quem sequitur Pax Jordanus *tom.2. lib.10. tit.32.num.39.* & hoc idem ante illos scripsit Staphileus *de Litteris gratiæ in Rubric. de formis mand. de Provid. form.2. num.7. pag. mihi 54.*

Nec obstare dicebam, quod alii Ministri Eminentiæ suæ exaggerabant, nempè Ordinarium non posse conferre beneficia, quæ priùs fuerint unita, ex doctrina Gambari *de Offic. Leg. lib.5. cap.1. num.47.* nam
4 Unionis natura est, ut auferat collationem, & conferendi potestatem, Gonzalez *ad Reg.8. Cancell.gloss.5. §.7. num.20.* Undè dici solet, quod per Unionem infertur præjudicium perpetuum Ordinario collatori. Gambar. ubi proximè *num.33.* Et quod beneficium unitum non potest ampliùs vacare; censetur enim extinctum, & non esse ampliùs in rerum natura; & ita non posse in posterum ab Ordinario conferri;
5 quia non entis nullæ sunt qualitates. *l. Ejus. ff. Si certum pet.* Caputaquen. *decis.339. part.3.* Gonzalez *d. Gloss.5. §.7 num.9.*

Quoniam respondebam, hæc omnia procedere, quando Unio fuit ad executionem deducta, & suum sortita est effectum; nempè quando post mortem possessoris beneficiorum, ille, qui sibi factam fuisse Unionem prætendit, petit, & obtinet pro executione Unionis, se in eorum possessionem induci: tunc
6 enim adepta possessione, & completa Unione, illa beneficia ampliùs conferri non possunt, & dicuntur extincta, nec esse ampliùs in rerum natura; prout sic distinguendo notat idem Gonzalez *d. Gloss.5. §.7. num.40.* Petrus Gregorius Tholosanus *in tract. de Benefic. cap.20. num.15. Vers. In casu tamen.* & Flaminius Parisius *de Resignat. Benefic. lib.2. quæst.9* ubi beneficia unita resignari posse demonstrat, antequam Unio sit effectum sortita. Porrò in casu nostro Seminarium Patavinum nunquam adeptum fuerat possessionem prædictorum simplicium beneficiorum; cum statim fuerint ab Ordinario collata post mortem primi possessoris; & hoc non erat ei prohibitum facere, ut
7 probatum est supra ex doctrina Staphilei, Zerolæ, & Jordani. Quapropter Seminarium non potest se fundare in natura Unionis, quia ipsa non sortitur suum effectum, nisi obtenta possessione; & antequam obtineatur, non est vetitum Episcopo suspendere illius effectum per novam collationem; ea ratione, quia nullum Jus effectualiter tollitur, licèt suspendatur, & differatur ad tempus.

Multò minùs subsistere affirmabam, quod considerabant alii Ministri Curiæ Episcopalis ad favorem Seminarii, & contra Archipresbyterum possessorem illorum duorum beneficiorum; videlicèt, non potuisse Episcopum Prædecessorem, attentâ præcedenti Unione, ea illi conferre; quandoquidem etiamsi prædicta collatio facta fuisset per Papam, tacitâ ipsamet
8 Unione, & absque illius derogatione, collatio nulla foret; ut dicit Rota *decis.3. de Rer. permut. in antiquis*, hanc reddens rationem, quia aliàs Unio remaneret inefficax, ob frequentes, & reiteratas collationes beneficiorum unitorum, quod est absurdum, cui Papa non consentit, nisi sibi expressè Unio significetur, & ei velit derogare, & hoc sivè provideat de beneficiis unitis motu proprio, sivè ad petitionem partis, ut olim scripserunt etiam Geminianus *in cap. Postulasti. num.26. Vers. crederem. de Rescript.* & post eum Marianus Socinus *in eod. cap. Postulasti. num.46.* Felinus *in cap. In nostra, num.23. corollar.26. de Rescript.* & Boerius *Decis.346. in fine.*

Nam etiam ad hoc objectum, quod videbatur fortissimum, pariter respondebam cum hac distinctione. Vel Papa confert beneficium antea unitum, eò quia Possessor supplicat illud resignare ad favorem certæ personæ, & resignatio admittitur à Papa, & sic il-
9 lud confert? Et in hoc casu nulla consequentia deduci potest ad favorem Seminarii, & contra Archipresbyterum Consylvarum; nam Papa quando admittit resignationes beneficiorum ad favorem certæ personæ, semper in Bullis inserit clausulam quarumcunque Unionum suspensivam; & ideò sivè Unio sit ei expressa, sivè non; semper est Unioni derogatum in resignationibus, ut pluribus citatis novissimè docet Fagnanus *in cap. Sicut unire. num.27. & seqq. De Excessib. Prælat.* & pluries tenuit Rota, ut in *part.1. rec. decis.38 num.2.* & coram Merlino *decis.713.* ubi *num.4.* alias Decisiones, ac DD. citat concordantes, prout facit Adden. *ad Gregor. XV. decis.159 num.9.* Vel Papa confert beneficium unitum, non ex resignatione ad favorem, sed vel per simplicem cessionem possessoris, aut ejusdem decessum, & obitum? Et in hoc casu tale beneficium censetur vel reservatum, vel affectum; Papa enim non confert beneficia, nisi ex reservatione, seu affectione ad se spectantia: attenta itaque reservatione, vel affectione nihil obstat Unio præcedens, cum ex Constitutione
10 Clementis VIII. confirmata ab Urbano VIII. *die 15. Julii 1642.* per aliam suam Constitutionem Incipien. *Quamvis fel. rec. Clemens Papa VIII. &c.* quæ in Bullario novissimo inter illas Urbani VIII. est *Const.288.* prohibitum sit unire etiam Seminario beneficia quomodolibet, dum vacare contingant, Sedi Apostolicæ reservata, vel affecta; quod etiam notat idem Fagnanus in *d. cap Sicut unire. num.37.* & nos infra *Discord.76 num.10. & 11.* Quod si Papa conferat beneficium antea unitum, sed non reservatum, motu proprio (qui tamen casus est merè metaphysicus, ac speculativus) & nihil sciens de Unione ei non deroget, & sic ejus collatio non valeat, juxta Geminian. Socin. Felin. & Rotam in *antiquis Decis.3. de Rer. permut.* quo tempore non erat prohibita Unio beneficiorum reservatorum; adhuc respondeo, talem
11 collationem Papæ non valere, ex defectu suæ intentionis, quia nunquam intelligit conferre unita beneficia, nisi id sibi exprimatur: at non sequitur ex hoc, quod si conferantur ab Episcopo notitiam Unionis præcedentis habente, ejus collatio non valeat; quia valida est, ex Zerola, Jordano, & aliis DD. in *num.3.* allegatis; nullus enim est canon, qui expressè prohibeat Episcopo, ne suspendat effectum Unionis nondum effectum suum sortitæ, per novam illius beneficii collationem; talis enim collatio non destruit Unionem; sed illius solam causat dilationem, ut benè explicat Rota *Decis.4. de Reb. Eccl. non alien. in antiquis.*

Secundum fundamentum, cui innitebatur Archipresbyter Consylvarum, & propter quod dicebam, non posse Seminarium agere contra illum, erat Regula de Triennali possessore, quæ est *la 36.* inter
12 Regulas Cancellariæ Apostolicæ; cujus talis est tenor. *Item statuit, & ordinavit idem Dominus Noster, quod si quis quæcunque beneficia Ecclesiastica, qualiacunque sint, absque Simoniaco ingressu, ex quovis ti-*

Digitized by Google

*vis titulo, Apostolica, vel ordinaria collatione, aut
electione, & electionis hujusmodi confirmatione, seu
præsentatione, & institutione illorum, ad quos benefi-
ciorum hujusmodi collatio, provisio, electio, & præsen-
tatio, seu quævis alia dispositio pertinet, per Trien-
nium pacificè possederit; (dummodò in beneficiis hujus-
modi, si dispositioni Apostolicæ ex reservatione gene-
rali in corpore Juris clausa reservata fuerint, se non
intruserit) super eisdem beneficiis taliter possessis mo-
lestari nequeat.* Hanc Regulam transcribit etiam San-
chez de verbo ad verbum *Consilior. Moral. lib.2. cap.1.*
13 *dub.* 20 ubi advertit, hanc Regulam ortum habuisse
in Concilio Basiliensi de Anno 1431. quod etiam no-
tavit Felinus *in cap. Sicut. De Sent. & Re judic. num.*
31. & Cassador. *decis.6. n.10. ad Reg. Canc. pag.* 214.
Modò hujus Regulæ effectus est cohibere quascun-
que molestias tàm in judicio petitorio, quàm in pos-
sessorio, adeò quod justificata triennali pacifica pos-
sessione, Judex aliud facere non possit, quàm pro-
14 nunciare non esse procedendum ad ulteriora propter
resistentiam Regulæ. Loterius *de Re benefic. lib.* 2.
quæst.53. num.7. Et pacificum triennalem possessorem
nullatenùs molestari posse, uno ore clamant omnes
DD. quos citat Chochier *in Comment. hujus regulæ.*
Riccius *resol.452. vol.2. lib.3.* & Sanchez *d. lib.2. cap.1.
à dub.20. & seqq.* concludens *in dub.21.* hanc Regu-
lam non solùm juvare in foro fori, sed etiam in fo-
ro conscientiæ, quam opinionem professi sunt etiam
Gomez *de Triennali quæst.42.* Navarrus *lib.3. consilior.
tit. de Præbend. consil.41. & 42.* & Rebuffus *de Paci-
fic. possessor. à num.7. usque ad* 28.
Cæterùm prædictus Archipresbyter Consylvarum
erat in pacifica possessione cum bona fide, & justo titulo
non solùm per triennium, sed etiam per decennium.
Ergo ab Intervenientibus Seminarii molestari non
debebat, qui sibi imputent, cum per tam longum
temporis spatium non reclamaverint adversus Epi-
scopi collationem; à qua appellare debebant, vel
15 contra illam aliquem judicialem actum ab initio in-
troducere, ut advertit Sanchez *d. dub.20. sub num.* 1.
in fine; & Gonzalez in terminis nostri casus *d. Gloss.5.
§.7. num.10.* ubi rationem reddit per hæc verba, di-
cens: *Ultra quod tunc Unio negari potest, cum pos-
sessor sit titularis, & verè, ac propriè possederit be-
neficium tanquam titulare, & non unitum; nullaque
ratio est, quare Regula de Triennali locum non habeat,
sicut, & Regula de Annali, quæ etiam procedit in
beneficio unito.* Cassador. *decis.13. num.2.* Gomez *in
Reg. de Annali quæst.25.* Mandosius *ibid. quæst.14.*
Opponebant consulentes pro Seminario, quod Re-
gula de Triennali locum non habebat in his, quæ
repugnant Decretis S. Concilii Tridentini, ut refert
16 Barbosa *de Jure Eccles. Univ. lib.3. cap.13. num.194.*
& ante illum Garzias *de Benefic. part.11. cap.5. num.*
379. Sed ego replicabam doctrinam Garziæ, ac Bar-
bosæ esse intelligendam circa incompatibilitatem be-
neficiorum, quorum si plura incompatibilia quis re-
tineat etiam per triennium, non juvatur Regula de
Triennali, resistente Concilio Tridentino *sess.7. de
Ref. cap.4. & sess.24. cap.17.* atque *sess.25. cap.15.* ut
decisum affirmant etiam à Sacra Congregatione &
17 ratio est evidens, quia beneficia incompatibilia va-
cant ipso Jure. *cap. De multa. De Præbend. cap. Exe-
crabilis. §. Qui verò. Extravag. Com. de Præben.*
Et qui præsumit ea de facto retinere, est in ma-
la Fide. Gomez *de Triennali poss. quæst.* 31. *Vers.
Et advertendum est.* Id enim est expressum in
Jure, & in iis, quæ in Jure sunt expressa, ignorantia
non præsumitur. *cap. 2. de Constitut. lib.* 6. Et ideò
ob malam fidem, & vacationem ipso Jure introdu-
ctam in pluralitate beneficiorum incompatibilium Re-
gula de Triennali non juvat. At casus noster valdè
diversus est, tùm quia per Concilium Tridentinum
non est statutum, quod Episcopus conferre non va-
leat beneficia in suis mensibus vacantia, sub pœna
nullitatis; si à suis Prædecessoribus fuerint unita Se-
minario; quando adhuc Unio non fuit executioni de-
mandata, nec est effectum sortita; cum enim id re-
missum sit ad ejus arbitrium, potest, si voluerit,
effectum Unionis suspendere, & beneficia alicui cle-
rico conferre, ut ex Jordano, ac Zerola supra pro-
bavi. Tùm etiam quia in nostro casu Archipresby-
ter Riccius est possessor bonæ fidei; ipse enim igno-
ravit antiqua decreta Unionis, nec ea scire teneba-
18 tur; cumque sibi fuerint beneficia illa ab Ordinario
collata videntibus, scientibus, ac tacentibus ministris
Seminarii; & semper pacificè ea possederit per de-
cennium, & ultra; utique juvatur Regula de Trien-
nali; quæ si cessaret in omnibus decretis contrariis
Concilii Tridentini, esset omninò frustratoria, ut
ait Sanchez *d. lib.2. cap.1. dub.34. num.* 5. Qua-
propter cum ipsa sit Constitutio Apostolica, facta
motu proprio à Summo Pontifice contra negligen-
tes petere jus suum intra Triennium, & in favo-
rem publicum, ne incerta sit possessio beneficiorum,
dicendum est, eam locum habere etiam in his, quæ
contrariantur Tridentino Concilio, cujus decretis per
19 hanc Regulam censetur Papa derogare, ut benè ait
Fagnanus *in cap. Nonnulli. de Rescript. à num.* 28.
& seqq. tom. 1. itaut ab ea excludantur tantummo-
dò Simoniaci, & qui se intrudunt in beneficiis Apo-
stolicæ Sedi vel affectis, vel reservatis.
Insistebant adhuc defendentes Seminarium, quod
collatio per Episcopum facta de duobus illis beneficiis
fuerit nulla, quia dixit, ea vacare; certum est au-
tem, quod beneficia Unita, qualia illa erant, non va-
20 cant, cum jam per Unionem fuerint suppressa, ac
extincta. *Clem. Frequens. § Quidam etiam. De
Excessib. Prælat.* Gomez *ad Regul. de Trienn. q.* 8. Sed
iterùm repetebam, Unionem non extinguere, nec
supprimere beneficium, nisi sit consummata, ac per-
fecta per traditionem possessionis beneficii uniti ei,
cui fuerat antea unitum, ex clara doctrina Loterii
d. lib. 1. q. 28. num. 191. *& num.* 202. nec non Garziæ
part. 12. cap. 2. num. 97. ubi ait: *Falsum est, Unio-
nem factam de beneficio non vacante impedire ejus va-
cationem pro prima vice.* Ideò potuit Episcopus Cor-
nelius Prædecessor Emin. Cardinalis Barbadici prædi-
cta beneficia conferre, quando per mortem possesso-
ris vacarunt, etsi priùs fuissent ex decretis antiquorum
Episcoporum Seminario unita; nam collatio impedi-
tur tantummodò postquàm Unio habuit suum effe-
ctum, idest quando Seminarium obtinuit possessionem
beneficiorum sibi antiquitùs Unitorum, ut latè dis-
serunt Theodosius Rubeus *in Singularib. part. 2. Verb.
Beneficium §. 29. & part. 3. in Verb.* Alphonsus Soto
§. 2. pag. 126. Gonzalez *glos. 5. § 7. num.* 40. Tho-
losan. *de Benefic. cap. 20. num.* 15. & Parisius *de Re-
signat. lib. 2. q.* 9. Ex quibus concludebam, non posse
molestari prædictum Archipresbyterum, sed expectan-
dum ejus obitum, quo eveniente dabitur executio
Unioni. Postposita fuit opinio mea; & intentatò Ju-
dicio ab Intervenientibus Seminarii contra eundem
Archipresbyterum in Nunciatura Venetiis, sed repor-
tarunt Sententiam sibi contrariam, sicut ego prædi-
xeram. Non post multos Annos obiit Archipresby-
21 ter, & Seminarium cepit possessionem duorum illo-
rum beneficiorum simplicium, ac aliorum plurium,
quæ ei Emin. Cardinalis Barbadicus Episcopus uni-
vit, & sic sicut patientia obfuerat Seminario, ita illi
fuit ipsa proficua.

DISCORDIA XIV.

ARGUMENTUM.

Capellania, relicta pro celebratione Missarum
in Ecclesia Collegiata, etiam uni ex Canonicis
dari

Digitized by Google

dari potest. Hic tamen votare non valet ad sui favorem; neque Laicus ministet Fabricæ. Et potest dari amovibiliter.

SUMMARIUM.

1 *Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ potest habere Capella-*
niam cum sola obligatione Missarum in eadem Eccle-
sia ordinatam.
2 *Canonici non debent esse pejoris conditionis aliorum*
Sacerdotum.
3 *Eleemosyna danda pauperibus potest retineri ab Execu-*
tore sibi, si sit pauper.
4 *Eligere seipsum nemo potest.*
5 *Capellanus an sit eligendus amovibilis, vel perpetuus?*
6 *Capituli appellatione veniunt soli Canonici.*
7 *Ordinatus, qui non est in sacris, non potest habere Votum*
in Capitulo.

N. N. Testator ordinavit, & dotavit Capellaniam, seu officiaturam Missarum pro anima sua in Collegiata Estensi celebrandarum, deinde in testamento subjunxit hæc Verba: *Che il medesimo Capitolo elegga un Sacerdote di buona Vita, e Costumi, al quale dia l'entrada de sudetti luochi, con obligatione, che celebri quattro Messe alla Settimana nella Chiesa del Domo di Este.*

Qua ordinatione stante dubitare contigit de sequentibus dubiis, quibus breviter ut sequitur, ego putavi de Jure respondendum.

Primò. An ad dictam Capellaniam, & officiatu-
ram possit per Capitulum eligi unus ex Canonicis ejus-
1 dem Collegiatæ, qui sit Sacerdos, & nullam aliam
Missæ obligationem habeat?

Respondi Affirmativè; quia Canonici prædicti
Capituli non debent esse pejoris conditionis aliorum
Sacerdotum ex eo, quod Capitulum suum sit institu-
2 tum executor, seu ei datum Jus eligendi Sacerdotem,
qui celebret. Igitur sicut potest quemcunque Sacer-
dotem bonæ vitæ, & morum eligere, ita etiam unum
Canonicum ex gremio Capituli, qui sit ejusdem bonæ
vitæ, & morum; nam deputatus etiam ad eleemosy-
3 nam dandam pauperibus; potest sibi applicare, si
pauper sit. S. Thom. 2. 2. *q.* 32. *art.* 9. *ad* 3. Diana
par. 8. *tract.* 5. *res.* 46. Quæ in Coordin. est *tom.* 6.
tract. 9. *resol.* 57.

Secundò. An Canonicus prætendens dictam Capellaniam possit suum Votum sibi in electione dare?

Respondi negativè; quia cum per electionem Capi-
tuli sit eligendus Sacerdos, qui celebret; nemo po-
4 test eligere seipsum. *cap. Per tuas. De Jurepatron. cap. Qualiter, & quando. De Elect.* Tondut. *Resol. benefic. par.* 1. *cap.* 82. *num.* 8

Tertiò. An dictus Capellanus debeat esse perpetuus, vel possit eligi amovibilis; itaut de anno in annum Capitulum valeat novum Canonicum, qui Missas prædictas celebret, deputare?

Respondi, esse in libertate Capituli, vel perpe-
tuum Capellanum eligere, vel de anno in annum il-
5 lum mutare; tùm quia Executores semel electa perso-
na, cui eleemosyna est danda, possunt variare, &
aliam eligere. Card. de Lugo *de Just. tom.* 2. *disp.* 24. *sect.* 16. *num.* 338. tùm etiam quia natura, & qualitas harum Capellaniarum Laicalium, quæ non sunt fundatæ cum auctoritate Episcopi, & sunt simplices officiaturæ Missarum, est, ut Capellani sint amovibiles. Pignatell. *tom.* 3. *consult.* 7. *num* 15. Diana *par.* 1. *tract.* 2. *resol.* 32. Quæ in Coordin. est *tom.* 9. *tract.* 2. *resol.* 44.

Quartò. An Massarius fabricæ dictæ Collegiatæ, qui est persona laica, possit concurrere cum Capitulo ad dictam electionem?

Respondi Negativè. Primò quia appellatione Ca-
6 pituli veniunt soli Canonici. Rota apud Seraphin.
decis. 426. *num.* 4. apud Rojas *decis.* 62. *num.* 6. Pignatell. *tom.* 4. *consult.* 82. *num.* 4. Secundò, quia in Cathedralibus, & Collegiatis nemo potest jus eligendi habere, qui non sit constitutus in Ordine sacro Sub-
7 diaconatus. Conc. Trid. *sess.* 22. *cap.* 4. Fagnan. *in Cap. Quia propter.* §. *illud autem. num.* 6. *de Elect.* Tondut *par.* 2. *cap.* 171. *num.* 1. *& seqq.*

DISCORDIA XV.

ARGUMENTUM.

Ostenditur, quando simplex Clericus sit capax Capellaniæ cum onere Missarum? & quando pro ea obtinenda, non sit necessaria ætas Annorum 25. neque ordo Presbyteratus.

SUMMARIUM.

1 *Capellania opulentissima ad Altare B. M. V. in Eccle-*
sia S. Jacobi de Padua.
2 *Petrobellus Sculazionus institutus in eadem Capellania*
Anno 1690.
3 *Auctor factus Vicarius Generalis Patavinus d. An-*
no 1690.
4 *Capellania cum onere Missarum, si habeat pinguem*
dotem potest servire pro Patrimonio ad Ordines Sa-
cros suscipiendos.
5 *Alexander Mantuanus Vicarius Patavinus laudatus.*
6 *Capellania cum onere Missarum quando simplici Cle-*
rico dari possit?
7 *Clericus Annor. 14. potest esse Capellanus cum obliga-*
tione Missarum.
8 *Capellania, quando pro Patrimonio ad Ordines sit ad-*
mittenda?

ANno 1440. Rev. Bartholomæus de Torniego Ar-
chipresbyter S. Eufemiæ de Burgo Ricco in suo
testamento disposuit, ut infra videlicet: *Ordinavit*
d. Testator, quod post mortem ipsius Testatoris, & Magda-
lenæ ejus Sororis, per infrascriptos suos Commissarios,
& hæredes eligatur Unus Capelianus, qui Missas ce-
lebrare teneatur super Altare B. M. V. sito in Ecclesia
S. Jacobi de Padua; cui Altari jussit, & ordinavit
1 *Testator, quod per infrascriptos suos Commissarios,*
& hæredes dentur, & assignentur per dotem ipsius Altaris, & Capellæ. Primò Una possessio 42. *Camporum cum curtivo, & domibus in Villa Cavedini Paduani districtus. Item una Domus in qua habitat nunc ipse Testator. Item una alia possessio in Villa S. Georgii à perticis Camporum* 58.

Deinde concessit suis hæredibus, & descendentibus Jus eligendi, & præsentandi dictum Capellanum his Verbis: *Qui habeant cum consilio Guardiani Fratalea Universitatis S. Jacobi Pontis Molendinorum eligere dictum Capellanum, investiendum in dicta Capella Altaris B. M. V. & deindè præsentare Ordinario, qui ipsum investire debeat de hujusmodi Capella, & Altari. Qui Capellanus, vult dictus Testator, sit Paduanus, & vocetur Capellanus Fratalea Sancti Jacobi, & B. Mariæ.*

Per duo Sæcula cum dimidio electi sunt Capella-
ni; & sequuta vacatione Anno 1690. de Mense Octo-
bri per mortem ultimi possessoris dictæ Capellaniæ,
qui erat Archipresbyter Montisilicis, fuit electus Rev.
2 Petrobellus Sculazionus Clericus Patavinus Anno-
rum viginti circiter, & fuit præsentatus coram Reverendissimo Alexandro Mantuano tunc Vicario Generali Patavino, qui Viso testam. servatis servandis investivit dictum Clericum in prædicta Capellania, & eam illi contulit; prout ex Bullis collationis *diei* 11. *Novembris* 1690.

Paulò post fuit suscitata Lis contra dictum Cleri-

cum

Digitized by Google

cum Sculazionum à quodam Competitore, asserente se de linea Testatoris, & potiora Jura habere in præsentatione ad dictam Capellaniam, sed mortuo Reverendissimo Vicario Mantuano, & me in Vicaria-
3 tu, per Eminentissimum, & Reverendissimum Præsulem Gregorium Card. Barbadicum d. Anno 1690. constituto, ego quoque servatis servandis audivi causam, & illam terminavi ad favorem prædicti Clerici Sculazioni, licentiando ejus competitorem, & illi perpetuum silentium imponendo, cum nullum Jus ei competeret ad dictam Capellaniam.

Subinde dictus Clericus Sculazionus factus Possessor pacificus *die* 9. *Augusti* 1693. petiit à me declarari,
4 dictam Capellaniam, tanquam pinguissimam dotem habentem, posse ei pro Patrimonio deservire, itaut ad ejus titulum esset ordinandus; quam instantiam tanquam justam, & juri consonam admisi.

Nunc mihi exponitur ad Syndicatum revocari tùm collationem prædictæ Capellaniæ, quasi invalidè factam ob defectum Ordinis Sacerdotalis, seu Annorum 25. in dicto Clerico Sculaziono; tùm Decretum, quo illa fuit approbata pro Patrimonio.

Quo ad validitatem collationis, satis esset respondere, fuisse collatam à Vicario Mantuano, cujus praxim, & theoricam circa beneficialia nefas videtur
5 impugnare, cum fuerit in utraque versatissimus. Et quatenus scrupulus versetur in defectu ætatis, vel Ordinis Sacerdotalis, in ipso Clerico Sculaziono tempore collationis prædictæ Capellaniæ; observentur verba Testatoris, qui simpliciter mandavit institui Capellanum; ex qua forma Verborum, Capellaniam
6 non esse Sacerdotalem, sed simplex beneficium, ad cujus consecutionem sufficere Annos 14. in Clerico, centies declaravit S. Congregatio Concilii, sententiavitque Rota, ut docent tàm Beneficialistæ, quàm Moralistæ; ut videre poterit quicunque de hac veritate dubitare voluerit, apud Garziam *par.* 7. *cap.* 1. *n.* 85. Gratian. *Discept. forens. decis.* 155. *num.* 5. Perez de
7 Lara *de Capellan. lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 8. Tondut *Resol. benefic. part.* 1. *cap.* 31. Fagnan. *in cap. Ut Abbates num.* 95. *De ætate, & qualit.* Gonzal. *glos.* 5. *à n.* 74. *usque* 90. Pacem Jordan. *lib.* 10. *tit.* 13. *num.* 117. Monetam *de Commut. Ultimar. Volunt. cap.* 10. *n.* 140. & 141. Quarantam *in Summa Bullar. Verb. Servitium Capellaniæ*. Dianam *part.* 2. *tract.* 14. *resol.* 18. & *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 227. Castropal. *tom.* 2. *tract.* 13. *disp.* 1. *punct.* 6. *num.* 18. Barbos. *allegat.* 24. *num.* 43. Tambur. *de Sacrif. Missæ lib.* 3. *cap.* 4. §. 2. *num.* 5. Et novissimè supradictam conclusionem, quod sufficiat ætas 14. Annorum in Clerico firmat Rota coram Bichio *decis.* 467. *à num.* 19. & *seqq.* ubi infinitas alias Decisiones cumulat, & Doctores.

Stante igitur valida collatione facta per Reverendissimum Vicarium Mantuanum prædictæ Capellaniæ, subsistit etiam meum Decretum, ut possit deservire
8 pro Patrimonio, quia cum sit beneficium Ecclesiasticum, & habeat pro Dote Campos centum, & ultra, domos, & livellos, ut constat ex publicis æstimis; satis est ad victum ipsius Clerici, juxta mentem Concilii Tridentini *sess.* 21. *cap.* 2. & Synodalium Constitutionum hujus Diæcesis Patavinæ, requirentium Ducatos tantùm quadraginta. Quare &c.

DISCORDIA XVI.

ARGUMENTUM.

Arguitur de nullitate Unio simplicis beneficii Anno 1630. facta per Vicarium Capitularem Ecclesiæ Patavinæ, Sede Episcopali vacante, Præbendæ Theologali ex pluribus defectibus; & præcipuè ex defectu legitimæ causæ, ac solemnitatum; atque ob vacationem illius beneficii sequutam in Mense Apostolicæ Sedi reservato. Ideò Emin. Card. Episcopus Patavinus non potest assertæ Unioni executionem dare, neque possessionem ejusdem simplicis beneficii Canonico Theologo illam postulanti concedere.

SUMMARIUM.

1 *Unio duorum beneficiorum simplicium facta præbendæ Theologali de Padua Anno* 1630.
2 *Qualitas, in qua se fundat Actor, est ab eo probanda.*
3 *Unioni repugnat status beneficii collativus.*
4 *Verba enunciativa Cancellarii Episcopi non probant.*
5 *Vicarius Capitularis an possit facere beneficiorum Uniones?*
6 *Dictio* Ipse *est personalissima.*
7 *Confirmatio sequitur naturam rei confirmatæ.*
8 *Unio requirit consensum Capituli Ecclesiæ Cathedralis.*
9 *Solemnitates requisitæ in Unione debent concludenter probari.*
10 *Præbendæ Theologalis indigentia est justa causa uniendi ei beneficia.*
11 *Unio evertitur ex falsitate causæ, ob quam fuit facta.*
12 *Bibliotheca Vaticana possidet beneficia simplicia in Diæcesi Patavina.*
13 *Rei evidentia prævalet præsumptionibus.*
14 *Unio dissolvitur, si cesset causa indigentiæ, ob quam fuit facta.*
15 *Clem. VIII. & Urbani VIII. Constitutiones prohibentes unionem beneficiorum Sedi Apostolicæ reservatorum.*
16 *Unitum beneficium si vacet in Mense reservato, Unionis executio est ad aliam vacationem differenda.*

PEr obitum Nobilis Veneti Roberti Abbatis Papafavæ hoc Anno 1668. die 28. Mensis Januarii sequutum, vacavit Simplex beneficium, Canonicatus nuncupatum, in Ecclesia Sancti Laurentii Consylvarum hujus Paduanæ Diæcesis, quod ipse R. D. Abbas Papafava diù possederat; qua vacatione auditâ per R. D. Beltraminum Canonicum Theologalis Præbendæ in hac Cathedrali Ecclesia Patavina; ipse accessit ad Eminentissimum Cardinalem Gregorium Barbadicum Episcopum Patavinum, & petiit, se, ac Præbendam suam Theologalem mitti in possessionem illius simplicis beneficii, ut supra vacantis, vigore Unionis de eo dictæ Præbendæ suæ factæ, usque de Anno 1630, juxta decretum Unionis, à Vicario Capitulari, tunc Sede Episcopali Patavina vacante, factum, quod exhibebat: Quapropter Eminentia sua, convocatis coram se Ministris suæ Curiæ petiit ab eis, quid Juris? & quid respondendum prædicto Canonico Theologo super antedictâ ejus instantiâ? Omnes dixerunt, non esse exaudiendum, sed prorsùs licentiandum ex sequentibus motivis.

Primò, Quia ipse Dominus Canonicus Theologus non probat, hoc simplex beneficium esse unum illorum, de quibus loquitur asserta Unio videlicet illud, quod priùs vacaverit à die præfatæ Unionis,
1 cujus hæc erant verba: *Unimus, & perpetuò unita esse volumus duo perpetua simplicia beneficia Ecclesiastica, Canonicatus, seu Clericatus, primò vacatura, seu fortè vacantia in Sancti Laurentii de Consylve, Sancti Martini de Tribano, Sanctæ Margaritæ de Colzinaria, & Sancti Jacobi de Vigo Roveo Plebibus Parochialibus: Itaut primi duo Canonicatus, seu Clericatus, nuncupati, sivè unus in una, & alius in alia; sivè ambo in aliqua ex dictis Ecclesiis, qui primò vacabunt, vel nunc vacant, ex nunc &c. sint, & intelligantur eidem Theologali Præbendæ unita, & perpetuò incorporata.* Hujus Decreti verbis attentis, cum ad purificationem assertæ Unionis requiratur, hæc quali-

Digitized by Google

qualitas prioris vacationis; pluraque sint beneficia simplicia, quæ in dictis quatuor Plebanis Ecclesiis ab eo tempore citra vacaverint; utique ipsi Canonico Theologo incumbit onus probandi, quod hoc simplex beneficium possessum à d. Nobili Veneto Roberto Abbate Papafava, prius omnium vacaverit;
2 nam qualitas, quæ est de intentione actoris, ab ipso est justificanda. *l. 4. §. Hæc autem actio. ff. De Vi bonor. raptor.* Felinus *in cap. Auditis num.33. de Præscript.* Card. Parisius *conf.* 152. *num.*5. *lib.*4. Loterius *de Re benefic. lib.*1. *quæst.*37. *num.*50. Potissimùm quia hujus simplicis beneficii ultimus status est collativus; per quem concludenter explioditur asserta Unio, cui
3 nil magis repugnat, quàm suppositio collativi status. Loter. *d.lib.*1. *quæst* 28. *num.*104. & ubi agitur de beneficiis, eorum ultimus status est attendendus. *cap. Cum de beneficio. De Præbend. in* 6. Pyrrhus Corradus, alios DD. cumulans in sua *Praxi benefic. lib.*1. *cap.*6. *num.*311. *& lib.*2. *cap.*8. *num.* 51. *&* 52.

Nec suffragantur prædictæ instantiæ Acta Visitationis Episcopalis de Anno 1634. in quibus asseritur, sextum Canonicatum Ecclesiæ Sancti Laurentii Consylvarum possideri à Canonico Theologo vigore præfactæ Unionis. Tùm quia asserta possessio tunc erat litigiosa, ut deprehenditur ex antecedenti mandato citationis *diei* 28. *Augusti* 1634. in quo affirmatur, eam impugnari ab Illustrissimo, ac Reverendissimo Joanne Delphino Episcopo Bellunen. &
4 sic Acta prædicta non probant Unionis effectuationem, potissimùm cum eorum verba sint verba enunciativa prolata à Cancellario Episcopi, quæ probationem non faciunt, præcipuè stante defectu possessionis ejusdem enunciatæ. Mascard. *de Probat. conclus.*547. *num.*6. *&* 7. nec non *conclus.*551. *num.* 9. latè Garzias *de Benefic. part.*12. *cap.*2. *num.*270. Tùm etiam quia ex eis non constituitur identitas ejusdem Canonicatus, seu simplicis beneficii, quod in præsenti vacat; imò colligitur diversitas, cum ibi appelletur Canonicatus sextus, & ille, quem possidebat Dominus Abbas Papafava, nominetur primus. Menochius *conf.* 202. *num.*102. Ludovis. *decis.* 578. *num.* 1. idem Loterius *lib.*3. *quæst.*4. *num.*55. Idcircò cum deficiat identitas beneficii, & qualitas prioris vacationis, inanis est instantia Domini Canonici Theologi.

Secundò: Sed ubi etiam constaret de ipsius beneficii identitate, adhuc reiicienda esset instantia ex defectu Auctoritatis illius, qui fecit Unionem, nempè Vicarii Capitularis, Sede Episcopali Paravina vacan-
5 te, cui Vicario hæc facultas uniendi non competebat juxta veriorem sententiam DD. quos allegat Barbosa *in Collect. ad Concil. Trid. sess.* 24. *cap.* 15. *num.* 6. *&* 7. & Pax Jordanus *tom.*2. *lib.*10. *tit.*32. *num.*30. ubi permittit, contrariam opinionem procedere posse in Unionibus æquè principalibus, in quibus non fit suppressio, aut extinctio tituli beneficii uniti: at ubi unus titulus extinguitur, prout in casu nostro, omninò tenet, Vicarium Capitularem unire non posse, quia quodammodò alienatur, & restringitur jus Episcopi; & potestas ejus conferendi tale beneficium; quod reviviscere ampliùs, seu vacare non potest; & hoc idem tenet Azorius *part.*2. *lib.*3. *cap.* 38. *quæst.*9. & Pavinius *de Offic. & pot. Capit. Sede Episc. vac. part.*2. *quæst.*3. *num.*17. quos sequitur Loterius *d. lib.*1. *quæst.*28. *num.* 140. ubi aliam etiam reddit rationem dicens; nam Unio est de reservatis Episcopo, & implicat alienationem, & extinctionem tituli, quæ Sede Vacante ideò in specie est ipsi Capitulo prohibita; ut est *tex. in cap.* 1. *Extra Ne Sede Vacante.* & singulariter attento Concilio Trident. *sess.*5. *cap.*1. *de Ref.* ubi ait, quod *hanc Unionem faciat vel Me-*
6 *tropolitanus, vel Episcopus ipse*; quæ dictio est personalissima. Alex. *conf.*75. *num.*6. *lib.*6. Alciatus *Respons.*424. *num.*3. & Menochius *conf.*452. *num.*44. *vol.*5.

Nec suppleri potest defectus ille per acta ejusdem Visitationis Episcopalis, in quibus Dominus Episcopus Patavinus, *dicto Anno* 1634. videtur dictam Unionem ratam habere, & confirmare: nam ipse Episcopus nihil addens substantiæ illius Unionis, relationem tantùm habuit ad primævum statum illius beneficii, qui cum ab initio esset collativus; confirma-
7 tio, quæ sequitur naturam rei confirmatæ, nullum producit effectum quo ad validandam assertam Unionem. Geminian. *in cap. Cum in illis. §. Cum autem sub num.*3. *de Præben. in* 6. Nam confirmatio actum confirmatum non regulat, sed regulatur ab illo. Glossa *in cap. Apostolicæ. in Verb. Præferri. De Præben. in* 6. Loterius *lib.*2. *quæst.*54. *num.*64. Et cuique manifestum est, confirmationem non fieri de eo, quod nullum est. *l. Adoptio. ff. de Adoptionib. l. Ejus, qui in Provincia. ff. Si cert. pet.*

Tertiò: sed ulteriùs quamvis asserta Unio facta fuisset ab habente legitimam auctoritatem, nihilominùs sustineri non posset ob defectum solemnitatis, quæ consistit in specifica citatione, tractatu, & con-
8 sensu Capituli Ecclesiæ Cathedralis. *cap. Pastoralis in fin. De Donation. Clem. si una. De Reb. Eccl. non alien.* Concil. Trid. *sess.*24. *de Ref. cap.*15. Barbosa *de Offic. & pot. Episc. alleg.* 66. *num.*29. Qui quidem consensus cum requiratur à Concilio per modum solemnitatis, in ipso actu, & expressè adhiberi debet. Bursattus *conf.*185. *lib.*2. *num.*14. Garzias *d. part.*12. *cap.* 2. *num.* 145. *& num.*203. Barbosa *d. alleg.*66. *num.*34. itaut non sufficiat, si singulariter præstetur à Canonicis, sed ab iis simul in unum congregatis, prævio tractatu, & discussione causæ, propter quam Unio fieri prætenditur. *cap. Tua. & ibi Glossa. Verb. Tractatus. De his. quæ fiunt à Prælat. sine consens. capit.* Et nos infra *in Discord.*76. *n.*25. ubi *texx. & DD.* allegavimus ita notantes, ac docentes. Hæc solemnitas non fuit servata à Vicario Capitulari in celebratione assertæ Unionis, cum præmissa tantùm generali citatione Capituli ad instantiam Canonici Theologi illius temporis, absque alio Capituli tractatu, vel assensu univerit beneficium prædictum Theologali Præbendæ; & quamvis in decreto Unionis legatur hæc clausula *Visis necessariò videndis, & adhibitis necessariò adhibendis*, non tamen per eam justificantur solemnitates
9 de jure requisitæ; quia expressio citationis, tractatus, & consensus Capituli debet esse nominatim, specificè, ac individualiter præstitus, non autem genericè, vel præsumptivè. Oldrad. *conf.*262. *num.* 4. Jordanus *d. lib.*10. *tit.*32. *num.*64. ubi subdit, quod non creditur Instrumento Unionis dicenti solemnitates intervenisse; sed opus est, quod ipsæ solemnitates appareant, & numerentur, quia Instrumentum non debet continere verba Juris, sed facti. Innocent. *in cap. Quoniam. de Probat.* & aliis citatis Loterius *lib.* 1. *quæst.* 28. *num.*152.

Quartò: Verùm circumscriptis etiam supradictis defectibus corruit asserta Unio ob non justam causam; quandoquidem facta fuit prætextu tenuitatis Præbendæ Theologalis, & ad consulendum indigentiæ Canonici Theologi, prout decernit Concilium Tridentinum tùm *in cit. sess.*24. *de Ref. cap.*15. tùm præcisè *in cap.*1. *de Ref. sess.*5. ibi: *Et quatenùs in ipsis*
10 *Ecclesiis nulla, vel non sufficiens Præbenda foret.* Quæ tamen causa indigentiæ, seu tenuitatis Præbendæ non verificatur, cum adeò pinguis ea esset, ut non solùm decenti statui Canonici Theologi sustinendo sufficeret, sed etiam non leve onus Pensionis commodè perferret; undè ex falsitate causæ evertitur tota Unio. *cap. Exposuisti. De Præbend.* Rota *decis.* 65.
11 *num.*17. *part.*2. *divers.* Loterius *d. lib.*1. *q.*28. *n.* 141. *& seqq.* ubi *num.*146. testatur, quod si appareat, causam non fuisse veram, Unio est ipso Jure nulla, exemplo rei minoris, quæ licèt possit alienari ex causa per Judicis decretum approbata, si tamen postmodum liqueat, causam esse falsam, decreto non obstante alienatio est nulla in tantum, ut res ipsa non in-

Digitized by Google

non intelligatur exiisse de dominio minoris. *l. Magis puto. §. ult. ff. de Rebus cred.* Et hoc simili utitur Oldrad. *consf.260. sub num.1. Vers. Sed hic causa inopiæ.* & concordat Barbosa *allegat.67. num. 5. cum seqq.* & Fagnan. *in cap. Exposuisti. De Præbend. n. 15. tom.4.*

Nec valet ad justificandam tenuitatem hujus Præbendæ adducere aliam Unionem ei factam *de Anno* 1574. & confirmatam *Anno* 1597. de duobus aliis simplicibus beneficiis, quæ postea evanuit, ob eorum apprehensionem factam Auctoritate Apostolica per
12 Bibliothecam Vaticanam, in cujus præcedentis Unionis non completæ locum facta videtur hæc alia Unio de *Anno* 1630. Quoniam respondetur, quidquid fuerit de viribus hujus Præbendæ Theologalis antiquo illo tempore, neminem posse inficiari, præsentem illius sufficientiam, quæ ex æstimo bonorum ejus colligitur esse supra Ducatos 500; & ideò non est opus præsumptionibus antiquis, ubi adest rei evidentia,
13 quæ prævalet cuicunque probationi. *l. Si irruptione in fin. ff. Finium regundor.* Menochius *de Arbitr. Judic. casu 526. à num.5. & seqq.* ac Mascard. *de Probat. quæst.8. num.4. & 5.* Præterquamquod non est novum in Jure, quod si tractu temporis Præbenda tenuis efficiatur pinguis ob meliorationem camporum, vel excrescentiam fructuum, aut quotidianarum di-
14 stributionum, non solùm Unio non completa, non sit complenda; sed etiam adimpleta dissolvatur. *cap. Cum M. de Constit. Clem. Ne in agro. §. Ad hæc. De Statu Monachor.* Pyrrhus Corrad. *in Praxi benef. lib.2. cap 15. à num. 42. & seqq.* ea ratione fundamentali, quia de Jure Uniones sunt odiosæ tanquam exorbitantes, & per consequens restringendæ. *cap. Sanctorum. 70. dist.* Fagnanus *in cit. cap. Exposuisti. num.15. de Præbendis tom.4.*

Quintò tandem ultra omnia hucusque perpensa contra petitionem, & instantiam Domini Canonici Theologi Beltramini, considerabant Ministri Curiæ Episcopalis, esto quod prædicta Unio fuisset benè facta, & quod hæc Præbenda Theologalis laboraret inopia, non posse Eminentiam suam in præsenti vacatione secuta in Mense Januario Sedi Apostolicæ reservato, eidem Unioni executionem dare, resisten-
15 te Constitutione Clementis VIII. renovata ab Urbano VIII. *die 15. Julii* 1642. quam transcribit etiam Fagnanus *in cap. Sicut unire. num. 49. De Excessib. Prælat.* & de eadem ego mentionem feci supra in *Discord. XIII. num. 10.* Per has enim Constitutiones Apostolicas prohibitum est Episcopis, etiam S. R. E. Cardinalibus Indultariis unire, vel uniones admittere beneficiorum quorumcunque vacantium in Mensibus Apostolicæ Sedi reservatis: quare Unio, etiam legitimè ordinata, est suspendenda, & ejus effectus
16 est ad aliam vacationem reservandus. Loterius *d. lib. 1. quæst.28. num.201. & quæst.29. num.42.* At cum constet de ipsius Unionis nullitate, nullo modo est audiendus Canonicus Theologus super illius executione, quamvis vacatio contingeret in mense non reservato, ex traditis per Card. Seraphin. *decis.1309. num.2.* & per Loterium *lib.3. quæst.8. num. 87.*

DISCORDIA XVII.

ARGUMENTUM.

Beneficia Concistorialia, quorum fructus taxati sunt in libris Cameræ Apostolicæ, non possunt conferri ab Ordinariis, quamvis S.R.E. Cardinalibus habentibus Indulta.

SUMMARIUM.

1 *Beneficia Concistorialia sunt Summo Pontifici reservata.* & num. 4.

2 *Beneficia Concistorialia dicuntur, quæ scripta sunt in libro Cameræ Apostolicæ.*

3 *Beneficia Concistorialia conferri possunt à Papa etiam extra Concistorium.*

5 *Beneficia Concistorialia non comprehenduntur in Indultis S. R. E. Cardinalium.*

MOnasterium Sancti Andreæ de Carmignano Paduanæ Diæcesis, quod est simplex, sed pingue beneficium, vacavit Anno 1675. per obitum Presbyteri Pauli Abbatis Gherardi illius ultimi possessoris de Mense Aprili sequutum; cumque plures è familiaribus Eminentissimi, ac Reverendissimi S. R. E Cardinalis Gregorii Barbadici tunc Episcopi Patavini, ac Indultarii illud affectarent, & ab Eminentia sua consequi concupiscerent, ab eadem tanquam Auditor, & fidelis Minister ejus, fui requisitus, Utrùm prædictum Monasterium ad ejus collationem, ac dispositionem spectaret? Respondi Negativè: Siquidem spectabat ad Apostolicam Sedem, & ei erat reser-
1 vatum, ac expressè ab Indulto Eminentiæ suæ exceptum. Quod esset Papæ reservatum patebat, quia de Anno 1626. reperiebatur notatum, ac taxatum in Libris Cameræ Apostolicæ; & ex hoc necessariò sequebatur illud esse beneficium Concistoriale, & de eo Concistorialiter per Papam esse providendum ex tra-
2 ditis per Amyden. *de Stylo Datariæ lib. 1. quæst. 18. num.21.* & per Loterium *de Re benefic. lib.1. quæst.26. num.51. & 52.* ubi allegat Decretum S. Congregationis, & Rotam *part.3. divers. decis. 540.*

Opponebant mihi alii studentes, quod ultimò Papa Urbanus VIII. contulerat hoc Monasterium extra Concistorium; & per resignationem ad favorem prædicti ultimi possessoris, ab ejus Patruo in manibus Sanctitatis suæ factam. Sed respondebam, ex dicta resignatione Monasterium non desistere esse Concistoriale, quia manus Papæ non est alligata, ut ait
3 Loterius *d. quæst.26. num.47.* & qualitas Concistorialitatis semel impressa semper durat, etsi Papa provideat extra Concistorium. Idem Loterius *d. lib. 1. q. 26. num.53. & 56.* nam ex descriptione, & taxatione beneficii in libris Cameræ semper infertur ad qualitatem prædictam Concistorialitatis. Vestrius *in Praxi lib.1. cap.1. num.2.* & Parisius *de Resignat. benefic. lib.2. quæst.2. num. 10.*

Hac attentâ qualitate affirmabam, Eminentiam suam neque tanquam Ordinarium Patavinum, neque tanquam Cardinalem Indultarium posse de dicto Monasterio providere. Non tanquàm Ordinarium, quia beneficia Concistorialia sunt reservata per Regulam
4 secundam Cancellariæ Apostolicæ, quod advertit etiam Loter. *d. lib.1. q.26. num.43.* Nec tanquam Cardinalem Indultarium, quia in Indulto Eminentiæ suæ excipiuntur expressè Beneficia Concistorialia; siquidem ubi concedit facultatem disponendi etiam de Monasteriis, ac beneficiis Regularibus, ita loquitur: *Et Regularia beneficia, ac hujusmodi Monasteria: Non ta-*
5 *men Concistorialia, neque Conventum habentia, nec quorum fructus in libris Cameræ taxati reperiuntur.* Idcircò subjungebam Eminentissimo Antistiti Hero meo, res extra controversiam est, cum habeamus verba clara Indulti prohibentis provisionem horum beneficiorum Concistorialium. Abstinuit Eminentissimus Cardinalis Episcopus ab hujus collatione Beneficii, pro cujus fructibus colligendis, ac conservandis deputavit in Œconomum Rev. Bernardum Manfrinum Parochum Villæ de Villa contiguum eidem Monasterio Carmignani; qui post decem circiter annos rationes reddidit eorundem fructuum Eminentissimo, ac Reverendissimo Leandro Cardinali Coloredo, cui Innocentius Papa XI. prædictum Monasterium contulerat,

Digitized by Google

DISCORDIA XVIII.

ARGUMEMTUM.

Institutio in beneficiis soli Episcopo competere debet: adeòut neque in limine fundationis, vel dotationis beneficiorum, post Tridentinum Concilium, inferioribus Episcopo reservari possit.

SUMMARIUM.

1 *Joannis Baptistæ Veri Canonici Paduani ortus, educatio, ac indoles.*
2 *Marci Cornelii Episcopi Patavini Anno* 1608. *liberalitas in pauperes.*
3 *Cardinalis Franciscus Barberinus recipit in suum secretarium d. Jo. Bapt. Verum.*
4 *Canonicus Pœnitentiarius Paduæ fit d. Jo. Baptista Verus Anno* 1655.
5 *Historiam rerum Venetarum scripsit Jo. Baptista Verus.*
6 *Canonici Veri opera pietatis plura. Et quæ?*
7 *Bibliotheca per Canonicum Verum donata Capitulo Cathedralis Paduæ.*
8 *Capellanias duas Canonicus Verus volebat instituere, Sed non fecit. Et cur?*
9 *Institutio in beneficiis ex Concil. Trid. reservanda est soli Episcopo.*
10 *Barbosa* alleg. 72. num. 187. in fin. *declaratus.*
11 *Augmentum Divini Cultus in Ecclesia quando fieri dicatur?*
12 *Cathedralis Ecclesiæ Patavinæ ingens numerus Ministrorum.*
13 *Institutio beneficiatorum si spectet ad Inferiores Episcopo causat lites. Et cur?*
14 *Missa boni Sacerdotis magis prodest, quàm mali.*
15 *Animæ Testatorum à Purgatorio non liberantur, si Missæ ab eis ordinatæ non celebrentur.*

Reverendissimus Joannes Baptista Verus Canonicus Patavinus Vir fuit ortus humilitate, sed indolis
1 excellentia, ac fortunæ prosperitate admirabilis valdè. Inter alumnos pauperes Seminarii Patavini puer Annorum decem receptus fuit Anno 1608. ab Illustrissimo, ac Reverendissimo DD Marco Cornelio tunc Episcopo, in eleemosynis dandis, in alendis egenis,
2 in puellis maritandis, nulli SS. Antistitum antiquorum temporum inferiore. Ibi continuò educatus, lingua latina, ac liberalibus scientiis eruditus, post mortem Præsulis Cornelii, transivit Romam; & in familiam Eminentissimi, ac Reverendissimi Francisci
3 S. R. E. Cardinalis Barberini, ob calami, ac characterum præstantiam, ingeniique felicitatem, ad munus Secretarii, & ad scribendas Litteras responsivas Eminentiæ illius fuit cooptatus. Ibi diù permansit, ac laudabiliter vixit; diversaque beneficia simplicia tùm in hac Diæcesi Patavina, tùm alibi à munificentia Urbani Papæ VIII. (Cardinali Barberino Nepote, ac ejus Hero clementissimo intercedente) obtinuit. Tandem Anno 1655. Canonicatum Pœniten-
4 tiarium, cujus Præbenda inter pinguiores numeratur, in hac Paduana Cathedrali Ecclesia adeptus inter Canonicos est adscriptus, Postindè ad hanc Antenoream Urbem, Patriam suam reversus, ac de minimis hujus amplissimæ Basilicæ Clericis ejus Senator, & Canonicus factus, plura Virtutis, ac Pietatis testimonia dedit: nam Historiam Rerum Ve-
5 netarum typis quater impressam publicavit, in qua Stylum L. Julii Flori imitatus, sicut ille res à Romanis gestas quatuor libris restrinxit, sic Verus ipse Venetæ Reipublicæ gloriosa facinora sex in libris collecta, ab Anno Quingentesimo usque ad Millesimum Sexagesimum Nonum, summa Latini sermonis puritate, ac mirabili brevitate descripsit. Pietatis ejusdem Canonici Veri insignia fuere Sanctorum qua-
6 tuor Paduæ Patronorum Prosdocimi, Danielis, Antonii, ac Justinæ Lectionum secundi Nocturni compositio, ipsarum à Sacra Rituum Congregatione approbatio, &, ut in eorum Sanctorum Officiis à Clero Patavino recitarentur, impetratio: sicut etiam aliorum Sanctorum Antistitum Paduæ Maximi, Fidentii, ac Bellini Lectiones; in quorum omnium quoque laudem elegantes Hymnos composuit, aliorumque Sanctorum, ac Sanctarum gesta narravit, etsi, ut in Breviario Romano insererentur, obtinere non valuerit. Ditissima plurium Librorum Bibliothe-
7 ca Capitulum Paduanum donavit. Menstruam Indulgentiam pro visitantibus Altaria septem in eadem Cathedrali ab Apostolica Sede impetravit In perpetuum; & pro candelis in iisdem Altaribus accendendis, die pro Indulgentia præscripto, stipem annuam abundantem reliquit. Inter cætera autem devotionis pia opera cogitavit duas Capellanias in hac eadem Cathedrali Ecclesia Patavina fundare, erigere, ac dotare pro duobus Capellanis, qui Missam quotidianam pro anima sua celebrarent, in choro interessentiam haberent, ac personale servitium præstarent; sed quia horum Capellanorum non solùm electionem ad Canonicos, & eorum Capitulum spectare vole-
8 bat, in quocunque mense vacarent; sed etiam eorum institutionem, Episcopo penitùs excluso, hanc secundam conditionem ei concedere recusavit Eminentissimus, ac Reverendissimus Gregorius Cardinalis Barbadicus Episcopus hoc Anno 1674. quare orta Discordia, recursum habuit ipse Canonicus Verus ad Sacram Congregationem Concilii pro obtinenda institutione Capellanorum prædicta ad favorem Reverendissimi sui Capituli; & requisitus Eminentissimus Antistes ab eadem Sacra Congregatione de motivis denegatæ concessionis, ad eandem Sacram Congregationem transmisit sequens Responsum, quod à me Auditore Eminentiæ suæ fuit compactum.

Tria sunt, quæ obstant fundationi duarum Capellaniarum cum onere Missarum, & residentiæ in Choro, quam facere cupit in Ecclesia Cathedrali Patavina Dominus Joannes Baptista Verus Canonicus Pœnitentiarius; reservando non solùm electionem Capellanorum, sed etiam eorum institutionem RR. DD. Canonicis, & Capitulo in quocunque Mense.

Primum est, quia Sacrum Concilium Tridentinum *sess.* 24. *de Ref. cap.* 12. prohibet institutionem beneficiatorum reservari aliis, quàm Ordinario: ibi: *In casu autem fundationis, aut dotationis, hujusmodi*
9 *institutio Episcopo, & non alteri inferiori reservetur.* Licèt Dominus Canonicus Verus detrectat obedire Tridentino Concilio volens reservare institutionem Capellanorum DD. Canonicis; licèt enim ante Concilium id toleraretur, ut notant Maceraten. *libr.* 1. *resol.* 12. *num.* 4. Garzias *de Benefic. part.* 9. *cap.* 3. *num.* 6. Vivian. *de Jurepatron. lib.* 12. *cap.* 3. *num.* 9. *&* 10. ac Pyrrhus Corradus *in Praxi Benefic. lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 26. post Concilium id ampliùs non licet, ut prædicti omnes DD. testantur.

Nec suffragantur Canonico Vero verba Barbosæ *de Offic. & potest. Episc. alleg.* 72. *num.* 187. in fine dicentis: *Et ideò in ipsa fundatione conditionem apponi*
10 *posse, quod institutio spectet ad inferiorem, de consensu tamen Episcopi, resolvunt Abbas in cap. Cum dilectus. notab.* 3. *de Consuetud.* Rochus *d. quest.* 12. *num.* 25. Lambertinus *de Jurepatron. lib.* 2. *part* 1. *q.* 9. *princip. art.* 1. *num.* 55. *&* 96. *quos refert, & sequitur* Mat. Antonin. *Var. resolut. lib.* 1. *resol.* 12. *num.* 4. Quia Doctores prædicti ita scripserunt de fundationibus beneficiorum factis ante Tridentinum Concilium, Donatus de Marinis *cap.* 124. *num.* 8. Riccius *part.* 4. *decis.* 75. & Squillant. *part.* 3. *cap.* 15. *num.* 51. secùs autem omnes scribunt post Concilium; tùm quia ejus verba sunt clara, & excludunt hanc conditionem, ut inferioribus Epi-

bus Episcopo possit reservari Institutio, etiam in limine fundationis beneficii: ibi: *In casu autem fundationis*. tùm etiam quia sic declaravit Sacra Congregatio Concilii, ut testatur Fagnanus, qui fuit ejus Secretarius *in cap. Cum Ecclesia Vulterana. num. 32. de Elect. tom. 2.*

Secundum obstaculum est, quia causa finalis augendi Divinum cultum in hac Cathedrali Patavina Ecclesia, quam astruit Dom. Canonicus Verus per fundationem duarum harum Capellaniarum, non est vera. Siquidem augmentum Divini cultus intrat,
11 ubi Ecclesia patitur defectum Ministrorum, ut benè probat Loterius *de Re Benefic. lib.1. quæst.28. num.64.* At in Cathedrali Patavina (ultra triginta Canonicos, sex Mansionarios, ac sex Custodes Choro adstrictos) extant Capellani quinquaginta, quibus incumbit onus non solùm celebrandi Missas in dicta Ecclesia, sed etiam Choro personaliter interessendi:
12 & ulteriùs extant aliæ triginta Commissariæ, quæ sunt Capellaniæ manuales cum obligatione Missarum. Item Anniversaria centum, & novem annuatim in eadem Ecclesia cum Nocturno, ac Laudibus Defunctorum, ac Missa cantata de Requiem persolvenda. Idcircò attentis tot, & tantis quotidianis Sacrificiis, atque Ministris, cessat prætensa ratio augendi Divinum cultum per fundationem aliarum Capellaniarum. His addenda est tenuitas distributionum quotidianarum, quæ ad prædictum ingentem Capellanorum numerum spectant; quibus si alii duo junguntur, de iisdem participaturi, non parùm offenduntur, ob eorum portionum diminutionem. Præterquàmquod ubi electio, ac Institutio Capellanorum spectant ad Capitulum, excluso Episcopo, non rarò evenit, ut eligantur Clerici non digni, quibus
13 deindè Episcopus cogitur denegare collationem Ordinum, undè oriuntur lites, ac dissensiones, quarum plura sunt exempla. Igitur multiplicatio Capellanorum non causat augmentum Divini cultus; quandoquidem multitudine Sacrificiorum non propitiatur Deus. *cap. Scriptum.* 14. *q.* 5. & meliùs est habere in Ecclesia paucos ministros bonos, quàm multos malos, ut dicit Glossa *in cap. Unico. in Verb. Nimiam. De Religios. Domib. in 6.*

Tertium, quod obstat prædictæ Capellaniarum fundationi, est incertitudo suffragii, cui ipse Dominus Canonicus Verus post obitum se exponit; tùm ex periculo electionis Capellanorum debitam probitatem morum non habentium, quorum Missa minùs
14 proderit animæ suæ; quia magis fructuosa est Missa celebrata à bono Sacerdote, quàm à malo. *cap. Ipsi Sacerdotes.* 1. *quæst.*1. S. Thomas *part.*3. *q.*82. *art.* 6. tùm ex probabili omissione Sacrificiorum juxta praxim hujus Cathedralis, in qua (dormitantibus illis, ad quos spectat videre, an Capellani plenè suis oneribus Missarum satisfaciant) plurima omittuntur Sacrificia, ut in ultima Visitatione Episcopali repertum est; undè fit, ut animæ fundatorum Capellaniarum diutiùs in Purgatorio detineantur, ut notat Quartus *in Rubric. Missal. part.*1.*tit.*5.*dub.*17. Bonacina *de Sacram.*
15 *Euchar. disp.*4. *q. ult. punct.* 7. §. 5. & Diana Coordinatus *tom.*4. *tract.*1. *resol* 39. qui sub *num.*8. ita scribit: *Certum est autem fructum Sacrificii ex opere operato nonnulli unquam applicari, nisi Sacrificio actu peracto: sicque licèt defunctus testamento Missas dicendas reliquerit, nihil tamen ei prosunt; sed per satisfactionem totum debitum solvere debet. Undè patet, Consanguineos, & sæpè Sacerdotes plurimùm nocere animabus Purgatorii, Missæ Sacrificia diù nimis retardando; dum interim anima in vanum refrigerium expectans, gravissima patitur; & fortè tunc solùm fiunt Sacrificia, cùm debitam pœnam exolvit.* His in Sacra Congregatione Concilii maturè consideratis, Instantia Domini Canonici Veri de reservanda institutione Capitulo fuit rejecta; nec ampliùs de Capellaniis fundandis est actum.

DISCORDIA XIX.

ARGUMENTUM.

Qualitas Civica desiderata in Sacerdote eligendo ad Capellaniam, satis est, si verificetur vel ex Privilegio, vel ex Domicilio, aut ex Beneficio ibi obtento.

SUMMARIUM.

1 *Bergomenses habitantes Venetiis ex Privilegio censentur Cives Veneti.*
2 *Civis ex Privilegio est capax beneficii dandi Civibus illius loci.*
3 *Rotæ decisiones quando sunt in terminis, veniunt omninò attendendæ.* Et num. 6.
4 *Domicilio longævo acquiritur Civica qualitas illius loci.*
5 *Origo, ac longa habitatio pari passu ambulant quoad Civicam qualitatem.*
7 *Beneficium habens in aliqua Civitate dicitur Civis ejusdem Civitatis.*
8 *Ferrariensis Civis dicitur, qui Ferrariæ Capellaniam habet.*
9 *Testatoris voluntas dubia interpretanda est secundum Jus commune.*

PEr obitum Rev. Julii Savioli Sacerdotis Patavini Anno 1693. vacavit quædam Capellania in Ecclesia Cathedrali Paduæ, cujus Fundator antiquitùs demandaverat electionem Capellani esse faciendam, cum hac conditione his præcisis verbis expressa; *Ut in dicta Capellania instituatur unus idoneus Sacerdos Venetus, vel Paduanus.* DD. Electores nominarunt ad ipsam Capellaniam Rev. Guilielmum Scalvinonum ex genitoribus Bergomensibus natum Bergomi, sed in puerili ætate delatum Venetias à Patre, ubi mercaturæ causa domicilium fixit, & filium educavit. Dubitatum fuit, An electio ipsius personæ ad prædictam Capellaniam esset legitima, & canonica? & Utrùm de Jure in eadem Capellania esset instituendus? Ego respondi Affirmativè; ea ratione, quia licèt idem Rev. Scalvinonus natus sit Bergomi, tamen factus est Civis Venetus tùm ex Privilegio, tùm ex domicilio, tùm etiam ex Sacris Ordinibus ab Illustrissimo, ac Reverendissimo Patriarcha Veneto obtentis; & unus ex his tribus modis sufficit pro obtinendo beneficio, quod Civi alicujus loci tantùm sit conferendum ex communi Canonistarum doctrina, per Sacram Romanam Rotam pluries approbata.

Primò itaque Rev. Scalvinonus prædictus, etsi Bergomi natus est Civis Venetus ex Privilegio per Serenissimum Dominium Venetiarum concesso Anno
1 1426. omnibus Bergomensibus; quibus domicilium Venetiis figentibus in præmium eorum eximiæ industriæ, ac in negotiando integritatis benignè indulsit, ut Cives Veneti haberentur. Hoc stante Privilegio Electores, de quibus supra, per electionem Rev. Scalvinoni ad præfatam Capellaniam dicuntur elegisse Sacerdotem Venetum, ut in puncto docet Loterius *de Re benefic. lib.* 1 *q.* 25. *num.*79. & 80. his verbis: *Tales Cives ex Jure speciali, puta ex Privilegio, non fictè, & impropriè, sed verè, & propriè sumpto voca-*
2 *bulo Cives sunt, ut latè scripserunt* Decian. *conf.* 44. *num.* 13. *lib.* 4. & Cephalus *in conf.* 451. *num.* 16. 27. 30. & 60. *præcipuè in favorabilibus, ut post* Barbatiam *in conf.* 23. *num* 9. *vol.* 1. *dixit* Boerius *decis.* 13. *num.* 20. *quem probavit* (notetur) *in terminis capacitatis beneficiorum Civibus tantùm destinatorum Rota in una Bononien. Canonicatus* 31. *Junii* 1610. *coram b. m. Dom. Penia: & in alia simili Bononien. Canonicatus* 28. *Junii ejusdem anni coram Reverendissimo Dom.*

Digitized by Google

Coccino. Itaque ex hoc primo capite, idest ex Privilegio Rev. Scalvinonus est Civis Venetus capax prædictæ Capellaniæ ex punctuali doctrina Loterii insignis beneficialistæ, roborata per citatos Doctores,
3 ac duas Decisiones Rotales, quarum auctoritatem, cum sint in terminis nostri casus, esse omninò sequendam advertit idem Loterius *lib.* 1. *q.* 1. *n.* 84.

Secundò Rev. Scalvinonus capax est ejusdem Capellaniæ, quia est Civis, ac Sacerdos Venetus ratione domicilii; cum enim post mortem Patris semper habitaverit Venetiis unà cum fratribus suis; qui ibidem omnia sua bona transtulerunt, animo ibi semper habitandi; prout semper habitarunt, non solùm per decennium, sed per viginti, triginta, ac ultra annos; ex hac longæva, ac semper firma habitatione
4 effecti sunt Cives Veneti, ad tradita per Barbosam *de Jure Eccles. Univ. lib.* 1. *cap.* 33. *num.* 25. & per Antonellum *de Loco legali lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 18. & 19. ex qua civilitate ordines etiam à Patriarcha Venetiarum tanquam sibi subditus, ac Diæcesanus suus suscepit, juxta textum *in Cap. Cum nullus*. 3. *De Tempor. Ordinat. in* 6. Siquidem Clericus natus in una Diæcesi, in aliam Diæcesim domicilium transferens, dicitur clericus loci, in quo habet domicilium, non autem loci, in quo est natus. Garzias *de Benefic part.* 7. *cap.* 9. *n.* 19. ubi ita scribit exemplificando: *Ut quis verè dicatur esse Diæcesis Abulensis, satis est ibi habere vel originem, vel domicilium, vel beneficium. d. cap. Cum nullus*. Ratio autem hujus dicti est, quia pari passu ambulant origo, & domicilium, ut advertit etiam Pax Jorda-
5 nus *tom.* 2. *lib.* 10. *tit.* 15. *num.* 9. affirmans, quod si clericus natus Veronæ ponit domicilium Vicentiæ, appellabitur clericus Vicentinus; & si impetret beneficium à Papa, & dicat, se esse clericum Vicentinum, impetratio est valida juxta Rotam Romanam *decis.* 76. *aliàs* 628. *De Rescript. in antiquis*. Quæ cum sit punctualis, & decisiva præsentis dubitationis, est om-
6 ninò attendenda tùm ob ejus auctoritatem, tùm ob celebres Canonistas, quos allegat, ita dicens: *Si quis est oriundus de aliqua Diæcesi, & habet domicilium, vel beneficium in alia Diæcesi: si impetrat beneficium dicendo, se clericum Diæcesis beneficii, & non originis, talis gratia valet, nec est surreptitia. Pro hoc facit, quod notat Archidiaconus in cap. Dilectus. super Verb. Actor, & Reus. De Rescript. lib* 6. *& cap. Cum nullus. De Tempor. Ordin. & cap. Oritur*. 71. *dist. & ibi etiam Hugo, & Guilielm. Pro hoc etiam cap. Cum decorem. De Instit.* Quibus postea adhæsit Mandosius *in Regul. Canceliar. ad reg.* 16. *q.* 42. *num.* 8. Ex his sequitur, quod Rev. Scalvinonus verè, & propriè est Sacerdos Venetus ratione longissimi domicilii, quod Venetiis semper habuit; & per ejus electionem in nihilo contraventum est voluntati Fundatoris hujus Capellaniæ, dum præcepit ad eam eligendum esse Sacerdotem, vel Venetum, vel Patavinum.

Tertiò: sed ulteriùs ipse est Venetus Sacerdos, quia obtinuit Venetiis Capellaniam in titulum in Ecclesia Sanctissimæ Trinitatis; in qua tanquàm Ecclesiastico beneficio fuit institutus ab Illustrissimo, ac Reve-
7 rendissimo Patriarcha Venetiarum; cujus tituli beneficialis vigore d. Rev. Scalvinonus dicendus est Civis, ac Sacerdos Venetus, circumscriptis etiam Privilegio, ac Domicilio facientibus eum esse talem. Siquidem nemo inficiari potest, quod de Jure Clericus beneficiatus in una Civitate dicatur esse Civis illius Civitatis, & gaudeat omnibus habilitatibus, & Indultis concessis Civibus originariis. Carolus de Grassis *De Effectib. Cleric. in Præfat. num.* 369. ubi undecim Doctores sic concorditer scribentes adducit. Et idem affirmat Bellettus *Disquisit. Clerical. par.* 1. *de Discipl. cleric.* § 2. *num.* 15. ubi alios cumulat.

Quartò: in terminis autem præsentis nostri casus, videlicèt habilitatis pro obtinendo beneficio ex Apostolico Indulto solis Civibus Ferrariensibus concedendo, hoc novissimè decisum fuit à Sacra Rota Romana *part.* 9. *recent. decis.* 127. in qua cum disputaretur, an Sacerdos, qui non erat natus Ferrariæ, sed ibi diu domicilium habebat, & Capellaniam obtinuerat, An, inquam, ipse esset capax beneficii Paro-
8 chialis, pro Civibus Ferrariensibus tantummodò institui? Rota respondit affirmativè, allegans in *d. Decis.* 127. plurimos DD. ita docentes. Ergo etiam in nostro casu Rev. Scalvinonus factus Sacerdos Venetus primò ex Privilegio Excellentissimi Senatus; secundò ob longævum domicilium; & tertiò ex institutione ad Ecclesiasticam Capellaniam in Ecclesia SS. Trinitatis Venetiarum, ac promotionis ad Ordines Sacros ad ejusdem titulum, nunc tanquam Civis, ac Sacerdos Venetus est capax hujus Capellaniæ Patavinæ requirentis hanc qualitatem, scilicèt, ut ad eam eligendus sit vel Venetus, vel Patavinus Sacerdos.

Quintò nec refragatur, si quis dicat, Fundatorem intellexisse de Sacerdote Veneto, vel Paduano ex origine; non autem ex Privilegio, vel domicilio, aut ordinatione. Nam respondetur, quod si voluisset Fundator, ut talis qualitas ex sola origine proveniret, id dixisset: quapropter cum se non restrinxerit ad solam originem; sed generaliter dixerit,
9 ut eligatur Sacerdos Venetus, vel Patavinus, ejus voluntas generaliter pariter est intelligenda sivè ex Privilegio, sivè ex domicilio, aut alio modò secundum interpretationem Sacrorum Canonum, qui cum æqualiter admittant ad beneficia Sacerdotes, qui Cives sint alicujus loci uno ex prædictis modis, non est restringenda hæc qualitas ad solam originem; quia quando Voluntas Testatorum est dubia, semper interpretanda venit secundùm Juris communis dispositionem, ut latè demonstrat Card. Mantica *de Interpret. ult. Volunt. lib.* 3. *tit.* 1. *num.* 23. Quare depositis scrupulis hujus Curiæ Episcopalis, fuit Rev. Scalvinonus institutus in prædicta Capellania, & à Reverendissimo Capitulo benignè ad servitium Chori admissus.

DISCORDIA XX.

ARGUMENTUM.

Sex Mansionariæ Curatæ in Ecclesia Cathedrali Patavina, quæ vacant in Mensibus Apostolicis, Sede tamen Apostolica vacante per præcedens obitum Papæ, non sunt conferendæ à Cardinali Episcopo Indultario, sed à Capitulo Paduano, tùm ob ejus immemorabilem consuetudinem conferendi easdem Mansionarias in omnibus Mensibus non reservatis; tùm ob curam Animarum, quæ habitualiter residet in eodem Capitulo, cujus ipsi sex Mansionarii sunt simplices Vicarii, deputati ad exercitium ejusdem curæ; & per consequens eligendi à Capitulo juxta Constit. 47. B. Pii V. Incipien. *Ad exequendum*.

SUMMARIUM.

1. *Innocentius Papa XI. obiit Anno 1689. de mense Augusto die 12.*
2. *Capitulum Paduanum eligit seu Mansionarios pro Cura Animarum Ecclesiæ Cathedralis.*
3. *Menses omnes sunt liberi, & non reservati, mortuo Pontifice.*
4. *Beneficia inferiora in Ecclesia Cathedrali de Jure conferuntur ab Episcopo.*
5. *Præscriptio est odiosa, nec extenditur de Mense ad Mensem.*
6. *Possessio eligendi Mansionarios in quatuor Mensibus ordinariis non suffragatur pro eis eligendis in aliis* Men-

Digitized by Google

Mensibus, etiam Apostolica Sede vacante.

7 *Laurentius Cromer, ac Franciscus de Lazaris ambo DD. Electi Masionarii ab Emin. Card. Episcopo Patavino.*

8 *Menses omnes sunt liberi respectu Ordinarii Cardinalis Indultarii.*

9 *Gratia concessa non expirat per mortem concedentis.*

10 *Mansionarii Cathedralis Patavinæ usque ad Annum 1600. semper electi à Capitulo.*

11 *Indulti Cardinalitii vis, & effectus.*

12 *Cura Animarum Cathedralis Paduæ residet in habitu in Capitulo.*

13 *Cathedralis Ecclesia Patavina est Curata.*

14 *Cura Animarum est apud Capitulum, quando ea exercetur à pluribus.*

15 *Decimarum collectio est signum Parochialitatis.*

16 *Capituli Paduani vigilantia in tuendis Juribus suis.*

17 *Funeralium perceptio est certum signum Parochialitatis in Collegio.*

18 *S. Urbani Ecclesia Paduæ fabricata à Monachis Prataleæ Anno 1213.*

19 *Capitulum Paduanum dat omnia necessaria pro Sacramentis ministrandis in Ecclesia Cathedrali.*

20 *Congruæ assignatio est signum Parochialitatis in assignante.*

21 *Mansionarii Patavini participant de distributionibus Canonicorum.*

22 *Capitulum faciens præcepta circa Curam Animarum habet illam habitualiter in seipso.*

23 *Parochus, qui non est principalis in Cura, non potest livellare bona Parochiæ.*

24 *Œconomi in Mansionariis Patavinis, dum vacant, deputantur à Capitulo.*

25 *Mansionarii Cathedralis Paduæ in pluribus sunt subjecti Capitulo; & tenentur ei obedire.*

26 *Cura Animarum in Ecclesiis Collegiatis de Jure est apud Collegium.*

27 *Concursus non est faciendus in provisione Mansionariorum Cathedralis Paduæ.*

28 *Mansionariæ Cathedralis Patavinæ providentur juxta Bullam 47. B. Pii V.*

29 *Electio Mansionariorum spectat ad Capitulum de Jure in omni mense.*

30 *Collationes Episcopales factæ contra Const. 47. B. Pii V. non præjudicant Capitulis neque in petitorio, neque in possessorio.*

31 *Alexander Papa VIII. obiit Anno 1691. Mense Februar.*

32 *Litteræ patentes Institutionis Episcopalis de una Mansionaria Curata Ecclesiæ Cathedralis Paduæ.*

VAcante Apostolicâ Sede Anno 1689. per obitum Sanctæ Memoriæ Innocentii Papæ XI. vacavit de
1 Mense Augusto una ex sex Mansionariis Curatis Ecclesiæ Cathedralis Patavinæ per mortem Reverendi Marci Græci; unde celebris Discordia orta est tùm inter Reverendissimum Capitulum ejusdem Cathedralis ex Una; ac inter Curiam Episcopalem super electione novi Mansionarii ex altera; tùm inter Ministros ejusdem Curiæ circa legales rationes, ac juridica fundamenta ejusdem electionis. Prædictum Capitulum Paduanum cum esset in pacifica possessio-
2 ne eligendi omnes sex Mansionarios, qui in eadem Cathedrali curam Animarum exerceant, quando eorum mors accidit in mensibus non reservatis, affirmabat sibi ipsi competere electionem, etsi mors Rev. Marci Græci evenerit in Mense Augusto, fretum ea ratione, quod præcesserat obitus Summi Pontificis, qui diem suum clausit extremum *die 12. Augusti d. Anno 1689.* ut notat Palatius *in Gestis Romanor. Pontific.* in Appendice ad Vitam Innoc. XI. *tom. 4. pag. 77. num. 31.* & adhuc Sedes Apostolica vacabat, ideóque Mensis Augustus non erat reservatus, quia per mortem Summi Pontificis cessant reservationes Mensium, & hi omnes evadunt Menses liberi, ordinarii, & non reservati, ut tradunt Gonzalez *ad Reg. 8.*
3 *Cancell. §. 5. Proemiali num. 48.* Antonellus *de Temp. Legali lib. 3. cap. 1. num. 43.* & Caputaquen. *decis. 214. num. 4. part. 2.* Quapropter Canonici capitulariter congregati statim elegerunt in novum Mansionarium Rev. Horatium Leonium Sacerdotem Patavinum Juris Utriusque Doctorem.

E contra una pars Ministrorum Curiæ Episcopalis opinabatur, electionem prædicti Mansionarii non ad Capitulum, sed ad Eminentissimum Episcopum spectare ex sequentibus rationibus. *Primò*, ajebant, quia Capitulum fundat se vel in Jure communi, vel in Præscriptione. Si in Jure communi? non potest eligere, sed electio pertinet ad Episcopum; nam ex Juris
4 communis dispositione beneficia inferiora in Ecclesia Cathedrali, qualis est hæc Mansionaria, conferenda sunt ab Episcopo. Abbas in *cap. Cum Ecclesia Vulterana sub num. 8. Vers. in tertio membro, De Elect.* Loterius *de Re Benefic. lib. 2. q. 21. num. 20. & 21.* ubi Rota coram Penia *in Placentina Voti 20. Novembris 1602.* Si Capitulum Paduanum fundat se in Præscriptione, non potest in hac vacatione de Mense Augusto eligere; quia electiones Capitulares ad has Mansionarias Curatas sunt in quatuor Mensibus ordinariis factæ, videlicet in Martio, Junio, Septembri, & Decembri; & cum Præscriptio sit odiosa, non
5 extenditur de Mense ad Mensem; sed servanda est Regula dicens, Tantum præscriptum, quantum possessum, ut ait Rota coram Card. Seraphino *Decis. 1404. num. 2.* Tondut *Resol. benefic. lib. 1. cap. 9. n. 99.* Barbosa *Axiom. 185. num. 2.* Et ideò possessio eligendi Mansionarios in dictis quatuor Mensibus non potest
6 suffragari Capitulo pro facienda eorum electione in Mensibus Apostolicis, etiam cessantibus reservationibus. Postius *de Manutent. observ. 73. num. 55.* Rota *part. 1. divers. Decis. 713. num. 9.* & Thomas Trivisanus in Decisionibus Venetis *lib. 2. Decis. 54. n. 28. & 29.* ubi scripsit ad favorem Cardinalis Episcopi Patavini contra Capitulum, quod prætendebat ex præscriptione conferendi Canonicatus conferre etiam Primiceriatum, & tamen fuit judicatum ad favorem Cardinalis Episcopi. *Secundò* considerabant, qui pro Eminentissimo Episcopo absolutè tenebant, quod Eminentia sua erat in possessione conferendi has Mansionarias Ecclesiæ suæ Cathedralis, vacantes in Mensibus Apostolicis, excluso penitùs Capitulo, prout constat ex electione de persona Rev. Laurentii Cro-
7 meri Sacræ Theologiæ Doctoris, nec non Rev. Francisci de Lazaris pariter Doctoris Theologi, ac in utroque Jure, & aliorum; igitur erat manutenenda. Trivisan. *d. decis. 54. num. 12.* ubi DD. & quamvis tunc Sedes Apostolica non vacaret, attamen Menses Apostolici respectu Eminentiæ suæ non erant reservati, ex communi DD. placito docentium Cardinales Ordinarios non esse comprehensos in Regula Nona Cancellariæ Apostolicæ reservatoria Men-
8 sium, sed eos conferre beneficia in dictis Mensibus vacantia Auctoritate Ordinaria. Rota *part. 3. rec. decis. 635. num. 3.* Gonzalez *ad d. Regul. gloss. 24. num. 68.* & Garzias *De Benefic. part. 5. cap. 1. num. 34. & num. 624.* *Tertiò* addebant, quod præter ordinariam Auctoritatem, quam habebat Eminentissimus Episcopus, ejus Indultum Apostolicum de conferendis beneficiis vacantibus in octo Mensibus Apostolicis ei suffragabatur, etiam mortuo Papa; quia prædictum
9 Indultum est gratia; hæc autem non expirat, sed durat post mortem concedentis. *cap. Si cui. de Præbend. in 6.* Gonzalez *gloss. 12. à num. 33. & seqq.* Barbosa *de Jure Eccl. Univers. lib. 1. cap. 2. num. 81* quapropter in casu consimili hanc opinionem amplexa fuit Rota coram Verallo *part. 2. decis. 214.*

Nihilominùs alia pars Ministrorum Episcopalis Curiæ, inter quos ego quoque numerabar, & qui rem profundiùs considerantes, soli veritati, ac justitiæ studebant, nec Eminentissimi Præsulis, (juxta veritatem, ac justitiam consilium postulantis) facultatem amplia-

Digitized by Google

ampliare curabant; his rationibus non obstantibus, sustinebant, electionem spectare ad Canonicos, & eorum Capitulum etiam in hac vacatione de Mense Augusto ob duas potentissimas rationes. *Una* erat, quod in præteritis sæculis usque ad Annum 1600. Capitulum elegerat Mansionarios hujus Ecclesiæ Pa-
10 tavinæ in omnibus Mensibus, & illos Episcopus confirmaverat, prout ex Actis authenticis utriusque Cancellariæ, Episcopalis, ac Capitularis; undè retorquetur argumentum contra Curiam Episcopalem desumptum ex Regula Tantum præscriptum, quantum possessum; quia Capitulum jam præscripserat Jus eligendi Mansionarios in omnibus Mensibus, cum scientia, ac patientia Episcoporum Patavinorum, qui nunquam reclamarunt; imò Mansionarios electos à Capitulo, & sibi præsentatos semper examinarunt, & ad Curam Animarum exercendam approbarunt; & sic cadit quidquid dicebat altera pars Ministrorum Episcopalium de assistentia Juris Communis, aut de Præscriptione Capitulari ad quatuor Menses tantùm. Nec vim faciebat Indultum Cardinalitium, quia ve-
11 rè, & propriè per ipsum removetur obstaculum Regulæ reservatoriæ Mensium, nec plus concedit Cardinali Ordinario, quàm id, quod antè dictam Regulam ei competebat. Rota coram Ludovisio *decis.* 99. *in fin. & decis.* 291. *num.* 2. *& part.* 2. *recent. decis.* 642. atque *part.* 4. *rec. decis.* 702. *num.* 2. quod latè prosequitur Garzias *de Benefic. part.* 5. *cap.* 1. *à num.* 647. ubi ait, quod mortuo Papa omnes menses dicuntur ordinarii, & *num.* 791. refert alias Decisiones Capitulo Canonicorum favorabiles, quibus concludenter firmatur, quod si Capitulum doceat, se solitum fuisse eligere in omnibus mensibus ante Regulam reservatoriam Mensium, potest, mortuo Papa, disponere de beneficiis etiam in Mensibus Apostolicis vacantibus.

Alia potentissima ratio, excludens Eminentissimum Ordinarium ab electione hujus Mansionarii erat, quia si benè ponderentur hæ sex Mansionariæ Curatæ Ecclesiæ Cathedralis Patavinæ, reperiuntur esse de Mensa Capituli, quia Curam animarum in habitu retinet
12 apud se ab antiquissimis temporibus, concesso tantùm exercitio ejusdem Curæ ipsis Mansionariis; & ob hanc mensalitatem Mansionarii sunt eligendi in omnibus Mensibus à Capitulo juxta Constitutionem 47. B. Pii V. cum sola obligatione illos præsentandi Ordinario pro examine, & approbatione; atque expediendi Bullas Apostolicas in Dataria, quando vacatio contingit in Mensibus Papæ reservatis; ad tradita per Pignatellum *tom.* 9. *Consult.* 150. ubi DD. & alii citati infra *num.* 29.

Quod Cathedralis Ecclesia Patavina sit Parochialis, inficiari nemo potest, cum habeat sub se ultra quatuor millia animarum, quæ ad illam accedunt pro recipiendis Sacramentis; ex quorum administratione, ac receptione Parochialitas comprobatur, ut
13 docent Frances *de Eccles. Cathedr. cap.* 21. *num.* 24. Gratian. *Discept. forens. cap.* 865. *num.* 11. Tondut *Resol. benefic. par.* 1. *cap.* 63. *à num.* 21. *& seqq.* Barbosa *de Parocho cap.* 15. *num.* 3. Fagnan. *in cap. Inter cætera num.* 33. *de Offic. Ordinar.* & Pignatellus *tom.* 1. *Consult.* 145. Quod autem earundem animarum cura habitualis resideat penes Capitulum, sex autem Mansionarii, qui illam exercent, habeant tantummodò merum exercitium, at non sint Parochi principales, & independentes; sed simplices ministri, aut Vicarii ejusdem Capituli, quod verè, & propriè est Parochus, & in se Jus Parochiale ipsius Ecclesiæ Cathedralis infitum habet, probatur evidentissimè, & irrefragabiliter ex sequentibus signis, rationibus, ac argumentis.

Primò ex pluralitate eorundem Mansionariorum, qui sex sunt, & à quibus Cura animarum ipsi Cathedrali Ecclesiæ Patavinæ subjectarum exercetur. Siquidem regula infallibilis est, ac ab omnibus Canonistis, atque Romana Rota centies approbata, quod
14 quando in aliqua Collegiata Ecclesia plures sunt, qui simul Curam animarum exercent, Cura ipsa habitualiter stat, & residet in Capitulo, ut magistraliter scripsit Oldrad. *consil.* 67. quem sequuti sunt omnes DD. longa serie allegati per Gonzalez *gloss.* 6. *num.* 71. & per Barbosam *de Paroch. cap.* 1. *num.* 54. quibus novissimè adhærent Fagnanus *in cap. Ex parte. num.* 13. *de Offic. Vicarii tom.* 2. Emin. Cardin. de Luca *de Benefic. disc.* 44. *num.* 5. *& disc.* 60. *num.* 6. Pignatellus *tom.* 9. *Consult.* 150. ubi plenè de hoc signo, ac argumento; & idem firmat Rota *part.* 18. *recent. decis.* 516. *num.* 2.

Secundò: ex antiqua possessione, ac exactione Decimarum ex fructibus nascentibus in terris contiguis, ac annexis mœnibus Civitatis Paduæ, quas annuatim colligit Capitulum ejusdem Ecclesiæ Cathe-
15 dralis, ut ex publicis æstimis tàm antiquis, quàm modernis Canipæ ipsius: est autem argumentum certum, quod ille habeat Curam animarum in habitu, qui habet Jus exigendi Decimas. Tondut. *part.* 3. *cap.* 141. *num.* 7. Emin. Card. de Luca *de Paroch. disc.* 10. *num.* 6. & ibi Burattus *decis.* 214. *num.* 4. & Rota *part.* 2. *recent. decis.* 579. *& decis.* 710. utrobique *num.* 3.

Tertiò: ex laudabili attentione, quam Capitulum Paduanum semper habuit in custodiendis iisdem Decimis, & coercendis via judiciali debitoribus, illas solvere detrectantibus; ut constat ex sententiis in hac
16 materia favorabilibus obtentis de Annis 1169. 1192. & 1202. nam etiam istud est signum Parochialitatis residentis habitualiter in ipso Capitulo. Barbosa *de Parocho cap.* 28. §. 2. *à num.* 7. *& seqq.* ubi innumeros DD. ac Decisiones Rotales cumulat. Præcipuè ex sententiis, quas idem Capitulum reportavit contra Regulares, qui sub prætextu Privilegiorum recusabant solvere Decimas eidem Capitulo antiquitùs assignatas ob animarum Curam, de quibus sententiis constat de Annis 1228. & 1238. & ex eis desumitur, quod animarum Cura habitualiter residet in Capitulo. Rebuffus *de Decimis quæst.* 14.

Quartò: ex incontrovertibili signo funeralium, quæ semper percepit, & in præsenti percipit idem Capitulum, omnium Defunctorum, quorum corpora sepelienda deferuntur ad Ecclesiam Cathedralem; de quorum funeralium perceptione extat etiam Statutum factum ab ipso Capitulo de Anno 1333 Por-
17 rò esse argumentum certum, & Infallibile, quod Cura animarum est in habitu apud Capitulum ex funeralium perceptione, scribunt DD. quos citat, & sequitur Loterius *lib.* 1. *quæst.* 20. *n.* 126. Emin. Card. de Luca *de Paroch. disc.* 22 *num.* 7. Rota *part.* 11. *rec. decis.* 204. *num.* 8. eadem Rota coram Card. Celso *Decis.* 135. *num.* 4. *&* 5. nec non coram Card. Cerro *Decis.* 450. *num.* 3. & Novissimè *in Romana Funeralium die* 30. *Januarii* 1696. coram R. P. D. Molines, impressa post Antonellum *De Juribus Clericor. Decis.* 13. *num.* 5. Hinc Capitulum Paduanum semper vindicavit quæcunque præjudicia attentata contra ipsum ab aliis Ecclesiis in materia eorundem funeralium, ut apparet ex Sententiis ad favorem Capituli secutis contra Equites Melitenses, ac alios Regulares *Annis* 1240. 1324. *&* 1325. His accedit transactio, seu conventio inita inter prædictum Capitulum, ac Priorem Parochialis Ecclesiæ Sancti Leonardi de Padua circa modum dividendi funeralia *Anno* 1499. quam quidem conventionem facere non potuisset, nisi habitualem Curam animarum Ecclesiæ Cathedralis Capitulum in se retineret, ut ait Rota coram Coccino *decis.* 81. *n.* 3. & Pignatellus *tom.* 9. *d. Consult.* 150. *num.* 6.

Quintò confirmatur hic habitus Curæ animarum in Capitulo, ex præcautione per ipsum adhibita Anno 1213. adversus Monasterium, ac Monachos Ca-
18 sinenses Prataleæ, quando impetrarunt facultatem fabricandi Ecclesiam Sancti Urbani cum Curte, seu

Hospi-

Hospitio in hac Civitate Paduæ intra limites Paro-
chiæ Ecclesiæ Cathedralis; voluit enim Capitulum
ejusdem Cathedralis, ut fieret inter se, ac Monachos
prædictos publicum Instrumentum, in quo spopon-
derent, prout spoponderunt, in nihilo se esse præju-
dicaturos Juribus Parochialibus ejusdem Cathedralis.

Sextò, demonstratur ulteriùs evidentissimè, quod
ipsum Capitulum est verus Parochus, retinens in se
habitualiter animarum Curam ex contributione,
quam facit sex Mansionariis illam exercentibus, om-
19 nium rerum, quibus opus est pro ejusdem Curæ exer-
citio; videlicèt olei, Candelarum in die festo Purifi-
cationis Deiparæ, Olivi in Dominica Palmarum,
Suppellectilis sacræ, ac aliarum rerum pro admini-
stratione Sacramentorum occurrentium, quas contri-
buere tenentur Parochi; ex hac enim contributione
resultat probatio habitualis Curæ animarum perma-
nentis in Capitulo, ex Juribus, & Doctoribus, quos
allegat, & sequitur Rota *part. 3. recent. decis. 99. n. 3.
& 8.* & novissimè *part. 18. decis. 516. num. 8. & 9.*

Septimò, ex assignatione congruæ, quam Capitu-
lum fecit sex Mansionariis prædictis, ut curam ani-
marum exercerent, ex propriis bonis ejusdem Capi-
20 tuli; & ex promissione facta servandi, ac manute-
nendi illæsam, ac immunem eandem Congruam ab
aquarum incursibus, à litium dispendiis, & ab aliis
molestiis, prout ex Statuto de Anno 1226. Est au-
tem Regula certissima in Jure, quod ex assignatio-
ne congruæ sequitur Curam animarum habitualiter
stare apud assignantem; & beneficium Curatum, pro
quo assignata est ipsa Congrua, esse de Mensa Ca-
pituli, ac eidem unitum. Rota post Murgam *de
Parocho decis. 7. num. 7.* nec non *decis. 8. num. 2. & 3.*
& in his terminis eadem Rota coram Emin. Card.
Seraphino *decis.* 1304. *num. 5.* & ibi textus *in cap.
Sicut. De Supplend. neglig. Prælat. & in cap. Avari-
tiæ. & cap. De Monachis. De Præbend.* Rebuff. *de
Congrua num. 15.* & Crescentius *decis. 1. de Offic. Vicar.*

Octavò, accedunt distributiones quotidianæ de
Mensa Capituli, ad quarum participationem idem
Capitulum benignè admittit ipsos Mansionarios Cu-
ram animarum facientes, quæ eis deserviunt pro
21 augmento Congruæ; & sic multò magis stabilitur,
illos in eadem Cura esse meros Vicarios, ac Mini-
stros Capituli, cui competit tanquam principali Pa-
rocho ipsa animarum cura. Tondut *Resol. benefic.
part. 3. cap. 187. num. 6. & 7.* & ibi Rota *part. 1. recent.
decis. 102. num. 6. & part. 3. decis. 99. num. 5. & part. 4.
decis. 352. num. 8. recent.*

Nonò, faciunt ad hunc effectum habitationes, ac
domus Parochiales intra claustrum Cathedralis Ec-
clesiæ per Capitulum assignatæ iisdem Mansionariis,
ut commodè vocari possint à Parochianis diù, no-
ctùque ad Sacramenta ministranda; ex his enim ar-
guitur, quod Cura habitualis animarum sit penes
ipsum Capitulum. Rota *part. 4. recent. decis.* 316.
22 *tom. 2. & part. 11. recent decis.* 204. Attentis præcipuè
regulis, præceptis, ac jussionibus frequenter ab eo-
dem Capitulo factis circa modum exercendi Curam
prædictam ipsis Mansionariis, ut legitur in Statutis
Capitularibus de Annis 1333. 1439. 1467. 1493. 1496.
& 1505. Tondut *Resol. benefic. part. 1. cap. 68. num. 3.*

Decimò, multò magis apparet, Capitulum hujus
Cathedralis Paduanæ esse verum Parochum, & ha-
bere in habitu apud se Curam animarum; Mansio-
narios verò illam exercentes esse ejus Vicarios, ac
meros ministros, ex recursu habito ad ipsum Capitu-
lum pluribus vicibus pro dandis in emphytheusim
aliquibus terris de ratione earum Mansionariarum. Si-
quidem extra controversiam est apud omnes, quod
si ipsi Mansionarii essent Parochi principales, & in-
23 dependentes à Capitulo, potuissent livellare, vel per-
mutare aliqua bona suorum titulorum de sola licen-
tia Episcopi, vel Sedis Apostolicæ absque consensu
Capituli, ut scribit Redoanus *de Reb. Eccl. non alien.
quæst. 26. num. 6.* Fagnanus *in cap. Nulli. num. 11. eod.
tit.* & legitur apud Capellam Tholosan. *decis.* 98.
Cæterùm cum pro faciendis dictis livellationibus,
vel permutationibus opus fuerit requirere, ac obti-
nere consensum Capituli, sequitur ipsum esse Paro-
chum principalem, & apud illud residere Animarum
Curam; ut doctè considerat Loterius *lib. 1. quæst. 28.
num. 19.* & dixit Rota *part. 2. recent. decis. 288. num 4.*

Undecimò, & eo ampliùs respectu immemorabilis
consuetudinis, quam habet ipsum Capitulum Padua-
num deputandi Œconomos tàm pro collectione fru-
24 ctuum, quàm pro supplemento Curæ Animarum,
quando aliquis Mansionarius prædictæ Ecclesiæ Ca-
thedralis moritur; itaut nunquam Episcopus se in-
gesserit in tali deputatione, etsi ei demandata à Tri-
dentino Concilio *sess. 24 de Ref cap. 18.* Siquidem il-
lud non habere locum quando Cura animarum est
in habitu apud Collegium, & à multis simul exer-
cetur, decisum referunt Barbosa *ad d. Concil. Trid.
cap. 18. num. 39.* & Garzias *de Benefic. part. 9. cap. 2.
num. 11.*

Duodecimò, conspicitur hæc Parochialitas innixa
in Capitulo etiam reflectendo ad infrascriptas obli-
gationes Mansionariorum, quæ demonstrant, eos non
esse Parochos principales, sed simplices ministros,
ac servitores Capituli in exercitio Curæ animarum,
videlicèt: 1. Quia tùm Bulla Eugeniana, & Gre-
goriana, quibus ab Eugenio IV. & à Gregorio XIII.
fuit reformatum Capitulum Paduanum; tùm Con-
stitutiones Synodales, quando loquuntur de his Man-
sionariis Ecclesiæ Cathedralis Patavinæ, adhibent
25 has voces, *Serviant. Exerceant.* 2. Quia ipsi Man-
sionarii jurant obedientiam Capitulo. 3. Quia ex iis-
dem Bullis, ac Statutis Capitulum habet facultatem
castigandi Mansionarios, si sint in cura animarum
negligentes. 4. Quia prohibiti sunt substituere ali-
quem pro exercitio ejusdem Curæ, etiam pro brevi
tempore, sine licentia Capituli. 5. Quia tenentur
saltem duo Mansionarii dormire in Canonica, idest
in domibus contiguis Ecclesiæ Cathedrali, ob repen-
tinas occasiones ministrandi Sacramenta Parochianis
eidem Ecclesiæ subjectis. 6. Quia ipsi Mansionarii
habent facultatem à Capitulo exercendi Curam pro-
miscuè in tota Parochia, quamvis sint portiones di-
stinctæ inter illos. 7 Quia iidem Mansionarii voca-
re non possunt ad funera mortuorum alios Sacerdo-
tes, quàm illos à Capitulo præscriptos. 8. Quia An-
no 1498. orta Discordia super præcedentia inter
Parochos Civitatis Paduæ ex una, & Mansionarios
Ecclesiæ Cathedralis ex alia; Capitulum Canonico-
rum litem in se suscepit, & Mansionariorum jura
defendit. 9. Quia ab eodem Capitulo concessum est
iisdem Mansionariis, ut possint habitare extra por-
tiones Parochiales sibi assignatas, dummodò degant
intra confinia Parochiæ totius Ecclesiæ Cathedralis.
10. Quia, licèt in hac Cathedrali Patavina sint sex
Mansionarii Curati, non tenent sex libros Baptis-
morum, neque sex libros Matrimoniorum; sed unus
liber communis est omnibus, quia unus tantùm est
Parochus, nempè Capitulum; cujus ministri, Vica-
rii, & repræsentantes sunt iidem Mansionarii. 11. Quia
hi in funeribus ducendis non utuntur Stola, quæ
cum sit signum Jurisdictionis, ac Superioritatis, non
stat in eis, sed in Capitulo: nam apud ipsum, ut
diximus, habitualiter consistit Jus Parochialitatis, &
cura animarum. Et 12. prohibitio facta à Capitulo
in Statutis, ne quis fiat Mansionarius Curatus, qui
annum 30. non habeat, ex qua prohibitione, prout
ex aliis supra relatis signis subjectionis elucet aucto-
ritas, & potestas Capituli tanquam Parochi princi-
palis super ipsos Mansionarios, qui verè, & propriè
sunt dependentes, substituti, ac ad serviendum Ca-
pitulo electi in exercitio curæ animarum, quæ stat
in habitu apud ipsum Capitulum; siquidem ex qua-
litate obedientiali, quæ est in ipsis Mansionariis, &
ex supe-

Digitized by Google

ex superioritate, ac Jurisdictione Capituli super illos benè deducitur Jus Parochiæ consistere apud Capitulum. Gloss. *in cap. Olim. il 3. De Restit. Spoliat.* Albericus *in Dictionar. Verb. Majoritas attenditur. Vers. Item obediendo.* Alex. *cons.* 43. *num.* 3. *lib.* 1. Loterius *lib.* 1. *q.* 16. *num.* 121. & Rota *part.* 18. *recent. decis.* 741. *num.* 7.

Decimò tertiò, valdè conducit ad hunc intellectum communis omnium Canonistarum doctrina; quod cura animarum, quæ est in Ecclesiis Cathedrali-
26 bus, seu Collegiatis, non consistit apud particulares personas illam exercentes, sed apud Collegium, & Capitulum, juxta celebre *Consilium* 67. Oldradi; & Romani *consil.* 235. *num.* 2. & 3. Marian. Socin. *in cap. Sicut unire. num.* 125. *De Excess. Prælat.* Rebuff. *in Praxi Benefic. tit. De non promotis intra Annum. num.* 64. & 65. & decisum refert Puteus *lib.* 1. *decis.* 282. quem citat, & sequitur Fagnanus *in cap. Ex parte. num.* 14. *de Officio Vicarii tom.* 2. firmans hanc doctrinam; ex qua oportet concludere, quod hi sex Mansionarii Cathedralis Ecclesiæ Patavinæ non sunt Rectores, neque Parochi independentes, sed prorsùs subjecti Capitulo, apud quod est in habitu cura animarum; qui quidem non exercent ipsam curam nomine proprio, sed nomine ejusdem Capituli; ut etiam scribit inter modernos Tondut *Resol. benefic. part.* 1. *cap.* 1. *num.* 1. & 2.

Decimò quartò, & Ultimò, facit, quia hæ Mansionariæ Curatæ Patavinæ non sunt providendæ per concursum, ut post longam disputationem resolvit Sacra Congregatio Concilii, quam etiam approbavit Sum-
27 mus Pontifex Gregorius XIII. ut testatus idem Fagnanus *in cap. Cum sit ars. à num* 19. & *seqq. De Ætate, & qualit. d. tom.* 2. ea præcipua ratione, quia hæ Mansionariæ non dicuntur vacare, cum earum cura sit habitualiter apud Capitulum; de quo non est locutum Concilium Tridentinum *sess.* 24. *de Ref. cap.* 18. & illæ sunt conferendæ juxta formam Constitu-
28 tionis 47. B. Pii V. *Incipien. ad Exequendum.* ut latè probat Tondutus *part.* 3. *cap.* 187. *num.* 12. & 13. Et ibi Gonzalez *ad Reg.* 8. *gloss.* 5. §. 3. *num.* 48. & *seqq.* Rota coram Card. Cavalerio *Decis.* 595. per totam. Eadem Rota *part.* 6. *recent. decis.* 16. *num.* 15. ubi alias Decisiones concordantes cumulat, ac decreta S. Congregationis Concilii relata per Garziam *de Benefic. part.* 9. *cap.* 2. *num.* 294. & *seqq.*

Ex his igitur omnibus considerationibus, signis, ac argumentis ego, cum aliis Ministris Curiæ Episcopalis opinionem meam sequentibus, concludebam, quod Eminentissimus Cardinalis Barbadicus Episcopus Patavinus, etsi Indulto Pontificio fultus conferendi beneficia in Mensibus Apostolicis, non poterat conferre hanc Mansionariam, quæ vacavit de Mense Augusto, Sede Apostolica vacante; hac præcipuâ, & nervosâ ratione, quia nominatio Mansionarii in omnibus
29 Mensibus spectabat ad Capitulum Paduanum tanquam verum, & antiquum Parochum; in quo stat, & residet in habitu Cura animarum, cujus nudum exercitium ab eo commissum, ac demandatum fuit his sex Mansionariis; & idcircò ipsi sunt eligendi in omnibus Mensibus, etiam vivente Papa, ab eodem Capitulo juxta prædictam Bullam 47. B. Pii V. quæ *in* §. 4. reservat Episcopis Ordinariis solam facultatem examinandi Mansionarium electum à Capitulo, cum obligatione eidem electo examinato, & approbato expediendi Litteras Apostolicas in Dataria, & solvendi annatam pro portione fructuum certorum, ut latiùs in *d. Bulla* 47. juxta quam millies ita sententiavit Rota, cujus Decisiones ponit Garzias *d. part.* 9. *cap.* 2. *num.* 309. & 310. & habentur *part.* 1. *rec. decis.* 102. *part.* 2. *decis.* 204. *part.* 4. *decis.* 37. & *decis.* 580. *part.* 6. *decis.* 16. prout etiam coram Merlino *decis.* 95. & *decis.* 625. coram Bichio *decis.* 336. coram Priolo *decis.* 184. & coram Buratto *decis.* 214.

Nec suffragari posse Eminentiæ suæ provisiones factas præteritis annis de his Mansionariis pariter dicebamus; quia earum qualitate, & naturâ in præsenti detectâ, idest quod sunt Vicariæ conferendæ in omnibus Mensibus ad electionem Capituli juxta antedi-
30 ctam Constitutionem 47. B. Pii V. quæ habet decretum irritans, provisiones illæ, ab Eminentia sua factæ vigore Indulti, erant erroneæ, nec poterant præjudicare bono Juri ipsius Capituli sivè in petitorio, sivè in possessorio, ut latè prosequitur Loterius *lib.* 2. *q.* 31. *num.* 25. & *seqq.* Tondut *d. part.* 3. *cap.* 187. *num.* 13. Turricell. *de Unione cap.* 4. *num.* 56. Eminentiss. Card. de Luca *de Paroch. disc.* 11. *num.* 5. Rota *part.* 4. *rec. decis.* 580. *num.* 24. *tom.* 2. Item *part.* 5. *decis.* 443. *num.* 7. Item *part.* 6. *decis.* 16. *num.* 19. Item *part.* 9. *decis.* 330. *num.* 29. Item *part.* 11. *decis.* 305. *num.* 30. prout etiam coram Cardin. Cavalerio *d. decis.* 599. *num.* 5. Coram Merlino *decis.* 313. *n.* 8. & coram Bicchio *decis.* 203. *num.* 15. & *decis.* 211. *num.* 6. & 7.

His rationibus diù certatum est inter ministros Curiæ Episcopalis, quorum alii, ut dixi, rem gratam facere putabant Eminentissimo Episcopo, illum excitando ad impugnandam electionem Capitularem; alii verò pro veritate, ac justitia scribentes, ejus Eminentiæ meliùs inservire opinabantur, illam ab injusta discordia avertentes. Tandem Anno 1691. per
31 mortem Summi Pontificis Alexandri VIII. cum Eminentia sua Romam ivisset ad Conclave, ibi à principalibus Beneficialistis consilium petiit super hac discordia; & ipsi, benè perpensis juribus, ac fundamentis supra enarratis, responderunt; Jus, ac Justitiam stare pro Capitulo; quapropter idem Eminentissimus Cardinalis Episcopus per suas Litteras *diei* 16. *Junii* 1691. mihi Vicario suo Generali commisit, ut Rev. Horatium Leonium electum, ac præsentatum à Capitulo, Romæ examinatum, & idoneum repertum, ad Curam Animarum in hac Ecclesia Cathedrali Patavina exercendam admitterem, prout feci, & apparet ex sequentibus Litteris.

JOANNES CLERICATUS Juris Utriusque Doctor, Præpositus Tituli Sanctissimæ TRINITATIS de Padua, & Eminentissimi, ac Reverendissimi in CHRISTO Patris, & Dom. Dom. GREGORII, S. R. E. Presbyteri Cardinalis BARBADICI, Episcopi Patavini, Comitisque Saccensis in Spiritualibus, & Temporalibus Vicarius Generalis,
32 & ad infrascripta ab EMINENTIA SUA, specialiter Deputatus &c. Dilecto Nobis in Christo Rev. Horatio Leonio J. U. D Sacerdoti Patavino Mansionario Curato hujus Ecclesiæ Cathedralis salutem in Domino sempiternam.

Vitæ, ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, super quibus personam tuam novimus insignitam, Nos inducunt, ut Tibi reddamur ad gratiam liberales. Vacante itaque Mansionaria, & Præbenda, cui imminet Cura Animarum per mortem q. Rev. Marci Græci die 17. Mensis Augusti Anni 1689. Apostolica Sede vacante, extra Romanam Curiam illius ultimi possessoris defuncti; cujus, dum pro tempore vacat, cessantibus reservationibus Apostolicis, electio personæ idoneæ ad Reverendissimum Capitulum dictæ Ecclesiæ, Institutio verò prælibato Eminentissimo, ac Reverendissimo Domino Cardinali Episcopo, Nobisvè ejus Vicario Generali, ex forma Statutorum ejusdem Ecclesiæ Paduanæ spectare dignoscitur: Tibi Rev. Horatio Leonio antedicto, qui à Reverendissimo Capitulo Paduano die 21. Mensis Augusti 1689. non extantibus Regulis Cancellariæ Apostolicæ, ob mortem S. M. INNOCENTII PAPÆ XI. & tunc Sede Apostolica vacante, electus, & deindè per Litteras patentes ipsius Capituli die 4. Septembris 1689. præsentatus fuisti; quique per RR. DD. Examinatores Almæ Urbis examinatus, & approbatus, habilisque, & idoneus ad ipsam Mansionariam Curatam regendam, & gu-

Digitized by Google

& gubernandam pariter fuisti judicatus, præmissorum meritorum tuorum intuitu gratiam specialem facere volentes, Te antedictum Rev. Horatium Leonium, ut supra electum, & præsentatum, ac coram Nobis constitutum per medium Rev. Gasparis Mobilis Procuratoris tui in præsentia Nostra genuflexi, humiliter petentis, & tuo nomine devotè recipientis, de supradicta Mansionaria, ac Præbenda Curata, quam dictus q. Rev. Marcus Græcus possidebat, sublatis impedimentis, quorum causa hucusque Institutio hæc fieri non potuit, & locum non habentibus Optionibus R. R. Laurentii Cromer, & Antonii Petri Mariæ Mansionariorum ejusdem Ecclesiæ, qui suas Præbendas dimittere noluerunt, aliisque Mansionariis, & Custodibus senioribus optare non curantibus, & nolentibus, & adhuc dicta Mansionaria, & Præbenda sub regimine Œconomi extante, cum omnibus juribus, & pertinentiis suis, Auctoritate Ordinaria nostra, & etiam ex speciali commissione Eminentissimi, ac Reverendissimi Domini Cardinalis Episcopi Patavini instituimus, & investimus; eamque Tibi conferimus, & assignamus, ac per Biretti crucei capiti dicti tui Procuratoris impositionem de ea institutum, & investitum esse volumus per præsentes. Recepto ab eodem Procuratore, nomine tui, solitò juramento, de parendo videlicèt mandatis Sanctæ Matris Ecclesiæ, Eminentissimo, ac Reverendissimo Domino Cardinali Episcopo Patavino, ac Successoribus suis canonicè intrantibus; bonaque dictæ Mansionariæ non alienandi, imò alienata si quæ sunt pro posse tuo recuperandi. Quocirca Universis Presbyteris, Clericis, & Tabellionibus quibuscunque per Civitatem, & Diæcesim Paduanam, ac aliàs ubilibet constitutis, Tenore præsentium committimus, & mandamus, quatenùs ipsi cum per d. Rev. Gasparem Mobilem Procuratorem tuum antedictum, nomine tuo, fuerint requisiti, vel aliquis eorum requisitus fuerit, ipsum in corporalem possessionem dictæ Mansionariæ Curatæ, & annexorum fructuum, juriumque, ac pertinentiarum ejus ponant, & inducant, ac inductum defendant, amoto exindè quolibet illicito detentore, Tibique de ejusdem Mansionariæ Curatæ, ac annexorum fructibus, redditibus, proventibus, Juribus, & obventionibus Universis integrè respondeant, & faciant, quantum in eis est, ab aliis responderi. Contradictores quoscunque Auctoritate Nostra Ordinaria compescendo. In Quorum omnium, & singulorum fidem, ac Testimonium præmissorum has præsentes Litteras, manu nostra firmatas fieri, & per Cancellarium Episcopalem infrascriptum subscribi, sigilloque Episcopali muniri mandavimus.

Actum, & datum Paduæ in Episcopali Palatio Anno Nativitatis Dominicæ Millesimo, Sexcentesimo, Nonagesimo primo; Indictione XIV. die verò Sabbathi 30. Mensis Junii, Sede Apostolica vacante. Præsentibus DD. Paulo Adamo S. T. D. Clerico Diacono de Plebe Sacci, & Jacobo Vioto Clerico Acolytho Patavino, Testibus adhibitis, vocatis, & specialiter ad præmissa rogatis.

§ Joannes Clericatus Præpositus Vicarius Generalis &c.

Loco ✠ Sigilli.

Joannes Fabris Cancell. Epise. mandato.

In Christi Nomine Amen. Per hoc publicum possessionis documentum cunctis pateat evidenter, & sit notum, quod Anno ab ejusdem saluberrima Nativitate 1691. Ind. XIV. die verò Sabbathi 30. Mensis Junii, Sancta Sede Pontificia vacante per mortem f. r. SS. D. N. Alexandri Papæ VIII. sic requisitus Illustrissimus, ac Reverendissimus D. Antonius Lauredanus Patricius Venetus, J. U. D. Archipresbyter Ecclesiæ Cathedralis Paduæ, vigore Partis Rev. Capituli ejusdem diei, se contulit unà cum Procuratore adm. Rev. Horatii Leonii J. U. D. Mansionarii Curati in Ecclesia ipsa, in Choro ejusdem; ibique prævia adoratione ad Altare majus, deosculatione in medio, & ad utrumque cornu ipsius Altaris, pulsatione tintinabuli, & assignatione Stalli competentis in Choro, posuit, & induxit eundem Rev. Procuratorem nomine Rev. Leonii ejusdem instantem, in actualem, & corporalem possessionem Mansionariæ in dicta Ecclesia vacantis per obitum Rev. Marci Græci ultimi ejusdem Mansionariæ Rectoris, & possessoris, eumque in pacifica possessione reliquit, nemine contradicente, ac servatis de more servandis. Præsentibus R. D. Angelo de Bianchi Capellano ipsius Ecclesiæ, & R. D. Hieronymo Arigonio Sacerdote Nuncio Rev. Capituli Testibus &c.

Bernardinus Ajacius Rev. Capituli Cancellarius

DISCORDIA XXI.

ARGUMENTUM.

Electio Canonici ad Præbendam Theologalem spectat ad Episcopum, quamvis vacatio ejusdem Præbendæ eveniat in Mensibus Capitularibus.

SUMMARIUM.

1 *Theologalis Præbenda erecta est in Collegiata Plebis Sacci Anno 1665.*
2 *Electio Canonici Theologi in Mensibus Ordinariis spectat ad Episcopum.*
3 *Intrusionibus via non est aperienda.*
4 *Concordia inter Episcopum Paduanum, & Capitulum Plebis Sacci de Anno 1578. circa electionem Canonicorum.*
5 *Manutentio sine possessione non datur.*
6 *Possessio absque bona fide non juvat.*
7 *Observantia Concordiæ in una parte facit eam valere etiam in alia.*
8 *Concordia inter Episcopum, & Capitulum circa electionem ad beneficia de Jure est licita.*
9 *Canonicatuum collatio in Collegiatis de Jure spectat ad Episcopum.*
10 *Institutio comprehendit sub se collationem beneficii.*
11 *Electio Episcopalis ad beneficium dat Jus in re electo.*
12 *Possessionis traditio habet vim collationis beneficii.*
13 *Intrusus dicitur in beneficio qui capit possessionem sine legitima electione.*
14 *Consuetudo, quæ stat pro Episcopo in electione beneficiatorum dicitur favorabilis.*
15 *S. Congregationis Concilii Decreta circa electionem Canonici Theologi.*

PLura sunt Castra in Diæcesi Patavina muris cincta, & Turribus ornata, quæ ob populi multitudinem; opum, ac negotiationum abundantiam, parvarum Urbium nomen merentur; eo magis, quia ad eorum regimen à Serenissima Republica Veneta unus è Senatoribus, qui *Potestas* dicitur, deputatur. Inter hæc præcipuum censetur Castrum *Plebis Sacci*, sic nominatum vel ab ejus Territorio, quod antiquitùs *Saccisca* nuncupabatur, ut scribit Eques Ursatus *in Hist. Patav. part. 1. lib. 3. pag. 171.* vel à flumine dicto *Siocco*, seu *Siacco*, quod apud illud transibat, ut prædictus Historicus Patavinus ibidem advertit, subdens *pag. 183.* quod Berengarius Rex Italiæ Castrum hoc Episcopatui Patavino Anno 898. donavit. Alii tamen Scriptores volunt, Titulum Comitis Plebis Sacci ab Henrico III. Imperatore Anno 1089. impertitum esse Miloni Episcopo Patavino, qui in

Digitized by Google

qui in ipso fundavit Ecclesiam Collegiatam ad honorem S. Martini, institutis in ea decem Canonicatibus, atque uno Archipresbyteratu; quamvis ipse Milo fabricam non potuerit perficere morte præventus, quam deindè complevit Anno 1110. Petrus Tergola Episcopus Patavinus successor; ut testatur antiquissima inscriptio in muro ejusdem Ecclesiæ his verbis exarata:

Præsulis est, Templi, finitio tempore Petri.
Milo fundavit Vir, Præsul, & Imperialis.
MXC. MCX.

Quod latiùs prosequuntur alii Patavini scriptores Scardeonius *lib.* 1. *Class.* 2. Cavatius *lib.* 2. Portenarius *lib.* 2. *cap.* 8. Idem Ursatus *d. part.* 1. *lib.* 4. *pag.* 254. 257. & P. M. Salomonius *Agr. Pat. pag.* 291.

Ex prædictis decem Canonicatibus tertius suppressus fuit ab Eugenio Papa IV. Anno 1434. & ejus fructus assignati fuere Fabricæ Ecclesiæ expendendi in suppellectilibus sacris, ac aliis rebus necessariis pro Sacrificiis, ac Divino cultu. Ultimus verò à B. Pio V. fuit dissectus, & ex eo formatæ duæ Præbendæ Diaconalis, ac Subdiaconalis pro assistentia, dum Archipresbyter solemniter celebrat. Remanserunt itaque octo Canonicatus, quorum quatuor vocantur Curati, quia præter residentiam in Choro exercent unà cum Archipresbytero Curam Animarum. Alii quatuor dicuntur non Curati, quia eorum possessores residere tantummodò in Choro tenentur. Emin. Cardinalis Barbadicus Episcopus Patavinus Anno 1665. unum ex his erexit in Præbendam Theologalem; & ejus vacatione sequuta die 21. Martii 1668. Canonici, & Capitulum Plebis Sacci statim elegerunt R. Petrum Gonzardum in Canonicum, Eminentissimus Episcopus elegit R. Bellinum Lanfrancum Theologum. Super qua Discordia Ego ita scripsi.

Stante erectione Canonicatus non curati in Theologalem, facta in insigni Collegiata S. Martini Plebis Sacci per Eminentissimum Cardinalem Barbadicum Episcopum Paduanum in Visitatione *Anno* 1665.
1 *die* 23. *Novembris* ad præscriptum S. Tridentini Concilii *de Reform. sess.* 5. *cap.* 1. Quæ etiam fuit illicò notificata toti Capitulo, prout legitur in Actis ejusdem Visitationis: Necessariò pronunciandum venit contra assertam electionem ad eundem Canonicatum vacantem attentatam per illos de Capitulo; tanquam destitutam omni legitimo fundamento; cum in casu, de quo agimus, tàm electio, quàm collatio pleno Jure spectet ad Eminentissimum Cardinalem Episcopum.

Quod electio ad præbendam Theologalem Vacantem in mense Ordinarii pertineat ad ipsum Episcopum, ex pluribus declarationibus S. Congregationis testantur omnes Doctores, videlicet Garzias *de*
2 *Benef. part.* 5. *cap.* 4. *num.* 162. Gonzalez *gloss.* 9. §. 2. *num.* 83. Barbosa *de Pot. Episcopi allegat.* 56. *num.* 4. *& de Canonic. & Dignitatibus. cap.* 27. *n.* 12. Pyrrhus Corradus *in sua Praxi beneficiaria lib.* 2. *cap.* 5. & Novissimè Illustrissimus D. Prosper Fagnan. *in cap. Quia nonnullis n.* 39. *de Magistris tom.* 6. Et ideò cùm non possit Capitulum Plebis Sacci allegare ignorantiam ejusdem erectionis, nec aliquo Canonico fundamento niti in electione facienda ad dictam Theologalem Præbendam, ea est prorsùs
3 reiicienda; ne via Intrusionibus aperiatur, & inferiores audeant impugnare decreta S. Concilii, quod est maximum absurdum. *l. Ille à quo. §. tempestivum. ff. ad Trebellian. l. Nam Magistratus. ff. de Arbitr.* Rota penes Postium *post tractat, de Manuten. decis.* 639. *num.* 11.

Nec potest idem Capitulum se tueri prætextu Possessionis, quia allegare non potest, se elegisse Canonicum Theologum post dictam erectionem, cùm hæc fuerit prima Vacatio; neque etiam quod elege-
4 rit ante ejus erectionem in Theologalem; nam in concordia inita cum Episcopo *de Anno* 1578. 18. *Julii* tàm electio, quàm collatio Canonicatuum non curatorum, & Archidiaconatus relicta fuit eidem Episcopo in mensibus Ordinariis, permissa tantùm electione ipsi Capitulo circa Canonicatus curatos. Ex his alterum duorum sequitur; nempè quod Capitulum Plebis Sacci aut nunquam elegit in Vacatione Canonicatuum non curatorum? Aut si elegit, id fecit mala fide, absque titulo, & sine scientia Episcopi? Primo casu, si non elegit, allegare non potest possessionem; & deficiente possessione perperàm pe-
5 tit manuteneri; quia manutentio sine possessione non datur. *§. retinendi. Instit. de Interdict.* Rota *decis.* 4. *num.* 11. *part.* 2. *divers.* Aut elegit, & de possessione docet; & hoc nihil relevat, quia Possessio non acquiritur contra Ordinarium absque bona fide, &
6 ejus scientia. Postius *de Manuten. observ.* 33. *num* 2. *Vers. & contra Ordinar.* Loter. *lib.* 2. *qu.* 45. *numer.* 13.

Nec vim facit, si Capitulum dicat; quod non constat de observantia dictæ concordiæ in ea parte, quæ dat electionem Episcopo in Canonicatibus non curatis: quia cum fuerit observata, & effectuata in ea parte, quæ disponit circa Canonicatus curatos ad favorem capituli, intelligitur habere observan-
7 tiam, & effectuationem etiam in partibus tangentibus favorem Episcopi juxta Doctrinam Oliverii Beltramini in *addit. ad Ludovis. decis.* 557. *num.* 9. & Postii *observat.* 73. *num.* 151.

Nec pariter relevat illa Obiectio, quod non intervenerit Beneplacitum Apostolicum super dicta Concordia. Siquidem respondetur, dictam clausulam non inferri de necessitate, sed de honestate, nam dicta Concordia non est in Jure prohibita per ea, quæ tradit Barbos. *de Jure Ecclesiastico Univers.*
8 *lib.* 1. *cap.* 32. *num.* 15. *&* 16. ubi ex Doctoribus ibi cumulatis ostendit; quod interveniente consensu Episcopi, potest Capitulum statuere circa ardua, & tangentia statum Ecclesiæ, & Jura ipsius Episcopi juxta Rotam apud Cæsar. de Grassis *decis.* 4. *num.* 4. *de his quæ fiunt à Major. part. capit.* & apud Cassador. *decis.* 22. *sub num.* 3. *de Præbend.* Et in terminis casus nostri, quod pluriès resolutum fit, provisionem Canonicatuum ex consuetudine, vel ex Concordia esse solius Episcopi, testatur Rubeus *in suis singular. part.* 1. *circa decis. Pamphilii in una Majoricen. Sacristiæ. pag. mihi* 449. omninò videndus. Frustrà igitur Capitulum refugit ad remedium Manutentionis, cum etiam ex justa conventione electio spectet ad Episcopum.

Collatio autem ejusdem Canonicatus multò minùs pertinere potest ad ipsum Capitulum. Quandoquidem, cum ex Decretis S. Congregationis spectet ad eum, ad quem ante erectionem spectabat; constat eam nunc ad Episcopum pertinere, quia multiplici Jure olim ad eundem spectabat. Primò enim
9 de Jure communi collatio Canonicatuum in Ecclesiis Collegiatis pertinet ad Episcopum. Loter. *lib.* 2. *q.* 21. *num.* 135. Barbos. *de Canonic. & Dignit. cap.* 14. *num.* 15. Secundò hoc idem statutum fuit in erectione hujus Collegiatæ *de Anno* 1437. *die* 15. *Martii*, & confirmatum per Bullam Eugenii IV. *die* 26. *Septembris ejusdem anni*. Tertiò idem decernitur in præfata concordia *Anni* 1578 & fatetur ipsummet Capitulum tùm in Instantiis factis in Cancellaria Episcopali à suo Procuratore *die* 26 *Aprilis* 1668. Paduæ, tùm in Actis assertæ electionis Petri Gonsardi *die* 11. *dicti Mensis*, ubi decernit, petendam esse Institutionem ab Eminentissimo, & Reverendissimo Car-
10 dinali Episcopo; Institutio enim comprehendit sub se collationem. Loter. *lib.* 2. *q.* 1. *n.* 11. ubi Jura allegat.

Et equidem, si collatio hujus Canonicatus spectabat ad Episcopum antequam erigeretur in Theologalem, & nullo modo pertinebat ad Capitulum, quomodo audet hoc prætendere post hanc erectionem, si omnes Doctores testantur ex Decretis S. Congregationis eam esse

Digitized by Google

eſſe faciendam ab illo, cui ante erectionem competebat?

Sed ſupponamus rem impoſſibilem, Videlicèt, quod in præſenti caſu electio tantùm competat Eminentiſſimo Cardinali Epiſcopo, collatio verò, ſeu Inſtitutio eidem Capitulo: Nihilominùs Capitulum debet in cauſa ſuccumbere; etenim electio ita competens Epiſcopo non eſt ille ſimplex actus, qui fit à pluribus in Collegio, & dat tantummodò jus ad rem; ſed eſt electio Anomala, largo modo ſic appellata, quæ cum requirat neceſſariam Inſtitutionem Theologi electi, ſtatim ei tribuit Jus in re,
11 & habet intrinſecùs proviſionem, ut eruditè obſervat Loter. *lib.* 2. *q.* 18. *num.* 14. *& ſeqq.* & Rota *in antiquis deciſ.* 1. *de Elect.* Ex quo fit, quod etiamſi Eminentiſſimus D. Cardinalis Epiſcopus habuiſſet ſolam electionem, Jure optimo potuiſſet dare litteras patentes Canonico Theologo electo Auctoritate ſua ordinaria; nec per eas vulneraſſet Jura Capituli, quatenùs in eo fuiſſet facultas Inveſtiendi electum; nam cum comparuerit in Capitulo idem Theologus, & exhibitis litteris ſuæ electionis petierit recipi, & in poſſeſſionem mitti, tenebatur Capitulum illum recipere, & in poſſeſſionem inducere, & ſic facta fuiſſet collatio, & Inſtitutio ab eodem Capi-
12 tulo; nam quicunque habet facultatem conferendi, per traditionem poſſeſſionis cenſetur conferre, & inveſtire. Abbas *in cap. Auctoritate. num.* 9. *de Inſtitut.* & Loterius *d. lib.* 2. *quæſt.* 1. *num.* 24. *&* 25. *& ſeqq.*

Porrò ipſum Capitulum renuit recipere Theologum ab Epiſcopo electum, & attentavit electionem ad ſe non pertinentem, & nullo Juris Ordine ſervato, induxit, ſeu veriùs intruſit aſſertum electum à ſeipſo in materialem poſſeſſionem Canonicatus contra formam Sacrorum Canonum, adeò-
13 ut excuſari non poſſit à pœna Intruſionis juxta Doctrinam Gigan. *de Intruſo num.* 33. *&* 39. cum ille præcipuè dicatur intruſus, qui abſque Litteris capit poſſeſſionem, nec non qui titulum, & poſſeſſionem recipit à non habente Auctoritatem conferendi, ut in caſu noſtro, *cap. fin. de Exceſſib. Prælat. cap. Quia diverſitatem.* & ibi Abb. *in* 2. *notabil. de Conceſſ. Præbend.* & proptereà cum nullum Jus, nullaque penitùs ratio ſtet pro dicto Capitulo; ſed omnia Jura militent pro Epiſcopo, tùm reſpectu Sacrorum Canonum, Declarationum Sacræ Congregationis, & antiquæ conſuetudinis hujus Collegiatæ circa collationes; pronunciandum eſt ad favorem Eminentiſſimi Cardinalis, & ejus Menſæ Epiſcopalis, quæ cenſetur in poſſeſſione vel quaſi Juris con-
14 ferendi, maximè quia in his materiis ea eſt plurimùm favorabilis. Loter. *lib.* 2. *q.* 32. *num.* 105. Et hujuſmodi conatibus inferiorum adverſus Superiores ſuos obviari publica ſimul, & privata utilitas ſuadet. *l. Si libertus.* 16. *ff. de Jure Patron.* Menoch. *conſ.* 758. *num.* 3. Quare &c.

Quod autem verum ſit, pluries fuiſſe reſponſum à Sacra Congregatione Concilii, quod electio Canonici ad Præbendam Theologalem vacantem in Menſibus Ordinariis ſpectet ad Epiſcopum, non autem ad Capitulum, præter Declarationes, quas referunt DD. ſupracitati *num.* 2. obſerventur etiam
15 illæ, quas in forma authentica habuit Eminentiſſimus Cardinalis Barbadicus à Secretario ejuſdem Sacræ Congregationis occaſione præſentis Diſcordiæ; quæ habentur infra poſt *Diſcord. XLIII.*

Concordiæ verò initæ de Annis 1578. & 1620. Inter Epiſcopos Paduæ ex una, ac Capitulum Plebis Sacci ex alia, ſuper electione Canonicorum illius Collegiatæ, de quibus in præſenti Diſcordia, fuerunt ſequentes.

Exemplum ſumptum ex Actis ejuſdem in Curia Epiſcopali Paduæ tenoris qui ſequitur, videlicet.

IN Nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti Amen. Anno ab ejuſdem Nativitate 1620. Indictione tertia die martis 21. menſis Iulii, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Pauli Div. Prov. PP. Quinti Anno XVI. Paduæ in Palatio Epiſcopali.

Coram Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo in Chriſto Patre, & D. D. Marco Cornelio Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopo Paduan. Comiteq. Saccen. &c.

Comparuerunt Illuſtres, & Adm. RR. DD. Franciſcus de Garzonibus Archidiaconus, Jo: Antonius Maſſinonus J. U. D; ac Fabricius de Sartis Canonici Eccleſiæ Collegiatæ Sancti Martini Plebis Sacci Patavin. Diœc. à R. Capitulo ipſius Eccleſiæ deputati, prout de eorum electione, & deputatione apparet in Actis Sp. Dom. Hieronymi de Martinis Notarii d. Capituli diei 19. menſis Julii 1620; quam actualiter præſentarunt, & actualiter una cum ipſo deputationis actu Amplitudini ſuæ Illuſtriſſimæ, & Reverendiſſimæ præſentarunt eorum ſcripturam in ſoleo deſcripta, incipien. *coram Vobis Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo D. D. Marco Cornelio &c.* & finien. *inſtituere dignetur, & prædicta omnia cum proteſt.* & expoſuerunt, petieruntque, & inſteterunt in omnibus, prout in ſcriptura ipſa tenoris infraſcripti, ac præſentarunt quandam ſcripturam tranſactionis incipien. 1578. *Indictione ſexta die verò* 25. *Julii.* & finien. *ego Marcus Quærengus Notarius, & Cancellarius Epiſcopatus Paduæ de prædictis rogatus in fidem* tenoris, ut in ea, inſtantes, ut ſuprà, omni meliori modo &c.

Qui quidem Illuſtriſſimus, & Revendiſſimus Dominus Epiſcopus prædictis auditis, & intellectis, ea admiſit, ſi, & in quantùm &c. offerens ſe paratum pro terminatione litis aſſertam concordiam, & tranſactionem acceptare, & approbare, quatenus tamen, & non aliàs, ſit notificata per dictos Adm. RR. DD. Procuratores eorum Capitulo legitimè congregato, adhoc, ut meliùs informati, & conſulti ſpecificè deliberare poſſint, an ipſam intendant approbare, & acceptare, & ad hunc effectum poſſint mandatum ſpecificum cum intentione concordiæ, & tranſactionis eidem Capitulo benè viſæ tranſmittere Capitulariter, & legitimè congregato, & hoc præfatus Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus D. Epiſcopus dixit, & admiſit omni melioti modo &c.

Tenor ſcripturæ præſentatæ cum tranſactione, & cum actu Capitulari pariter, ut ſuprà præſentato, ſequitur videlicet.

Coram Vobis Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo D. D. Marco Cornelio Dei, & Apoſtolicæ Sedis Gratia Epiſcopo Paduan. &c. Comiteq. Saccen. &c.

Comparent Illuſtres, & Adm. RR. DD. Franciſcus de Garzonibus Archidiaconus, Jo: Antonius Maſſinonus J. U D. ac Fabricius de Sartis à Capitulo Collegiatæ Eccleſiæ Sancti Martini Plebis Sacci ad infraſcripta peragen. ſpecialiter electi, & deputati, prout de eorum electione, & deputatione apparet in Actis Sp. D. Hieronymi de Martinis Notarii publici, & dicti Capituli Cancellarii die 19. inſtantis menſis Julii 1620. quam actualiter exhibuerunt, & Amplitudini ſuæ Illuſtriſſimæ, & Reverendiſſimæ expoſuerunt, quod aliàs orta lite, & differentia inter

bon. mem. Illustrissimum, & Reverendissimum D.D. Federicum Cornelium tunc Episcopum Patavinum, & Capitulum dictæ Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Martini Plebis Sacci super eo, quod dictus Illustrissimus, & Reverendissimus D.D. Episcopus prætendebat, ad ipsum spectare, & pertinere collationem Canonicatus tunc vacantis in dicta Collegiata per mortem q. R. Angeli Rebellini, & dictum Capitulum prætendebat electionem ipsius Canonicatus esseque tàm vigore Constitutionis Apostolicæ, quàm antiquæ consuetudinis in possessione, vel quasi eligendi Canonicos, quotiès vacare contigisset, & in locum dicti R. Angeli Rebellini elegerunt Presbyterum David Monticulum, quem etiam præsentaverant, & institui instabant in dicto Canonicatu, & Præbenda; Tandem sub die 15. Julii 1578. devenerunt ad Transactionem, in qua convenerunt, quod vacantibus quatuor Canonicatibus tunc possessis per RR. Vincentium Gallo, Jo: Baptistam Monticulum, Andream de Carrariis, & tunc vacan. per mortem R. Angeli Rebellini, qui sunt omnes Canonicatus Curati, vel ipsorum aliquo, per cessum, vel decessum, vel quemlibet alium modum vacan. electio ipsorum Canonicatuum liberè spectaret ad dictum Capitulum, institutio verò ad Illustrissimum, & Reverendissimum Episcopum, qui servatis servandis teneretur electiones pro tempore per dictum Capitulum faciendas admittere, electosque in Canonicatibus, & Præbendis instituere, vacantibus verò aliis tribus, vel quolibet ipsorum Canonicatuum possessorum per RR. Silvium Paduan. Marinum de Fabris, & Antonium Marini, qui sunt omnes Canonicatus simplices, ac Archidiaconatu, liberè electio, & collatio spectaret ad Illustrissimum, & Reverendissimum Episcopum, & ut in dicta Transactione per sp. D. Marcum Querengum Notarium Publicum Patav. & Cancellarium Episcopalem stipulata, quam etiam actualiter produxerunt. Exposuerunt præterea mensibus proximè elapsis per mortem R. D. Antonii Galli vacasse Canonicatum, qui fuerat aliàs dicti q. Andreæ de Carrariis, & sic de spectan. vigore dicti concordii ad dictum Capitulum, à quo propterea electus fuit Adm. R. D. Antonius Mazzalorso, & præsentatus Amplitudini suæ Illustrissimæ, & Reverendissimæ, ut dictam præsentationem confirmaret, ipsumque præsentatum in dicto Canonicatu institueret cum juribus, & pertinentiis suis, quod cum hucusque factum non fuerit, quapropter ne Ecclesia diutiùs in Divinis patiatur, omnes suppliciter denuò omni debita reverentia petunt, & instant, ut virtute dicti concordii, ac aliorum suorum ad dictum suum Capitulum spectan. & pertin. ac omni alio meliori modo, dictam electionem admittere, electumque in dicto Canonicatu, & Præbenda instituere cum omnibus Juribus, & actionibus instituere dignetur, & prædicta omnia cum protest.

1578. Indictione sexta die verò 15. Julii in Villa Noventæ in Domo Reverendissimi Patriarchæ Aquilejen.

Essendo nelli tempi passati frà gli Reverendissimi Vescovi di Padova, e l'Arciprete, e Capitolo della Chiesa Collegiata di San Martino di Piove di Sacco per occasione, e provisione delli Canonicati vacanti seguiti diversi litigii, cosi per quelli, che si addimandano Residenti, come per gl'altri eccettuati nella Bolla di Eugenio fel. mem. Papa Quarto, e di presente essendo occorsa la vacanza di uno delli detti quattro per morte di Prè Angelo Rebellino altre volte provisto all'elettione del detto R. Capitolo, e di più havendo il medesimo fatto la nuova elettione di P. David Monticulo Sacerdote di detto luogo, & instando presso Monsignor Reverendissimo Federico Cornaro Vescovo di Padova per l'istitutione, pretendendo detto Capitolo per le Constitutioni Apostoliche, & antiqua consuetudine essere in possessione, vel quasi eligendi, & all'incontro pretendendo Monsignor Reverendissimo Federico Cornaro Vescovo di Padova, che à Lui tocchi la collatione di tal Canonicato; Per fuggir le liti, e provedere & adesso, e per il tempo avvenire al quieto servigio di detta Collegiata con pace, e concordia santa così Monsignor Reverendissimo Vescovo, come il detto Arciprete, & il R. mis. Hercole Roberto Antonio Intervenienti per nome del R. Capitolo sono convenuti all'infrascritto concordio di essere inviolabilmente servato da dette Parti, e Successori perpetuis temporibus &c. Primo che detto eletto per il Canonicato vacante habbi l'institutione, e confirmatione da S.S. Reverendissima, dovendo però contentarsi con prestar libero consenso, che sopra gli frutti di detto Canonicato, e Prebenda sia riservata pensione di Scudi trenta di lire sette l'uno à chi parerà alla Santità di Nostro Signore, obligando se, e li successori à pagar conforme al comandamento di Sua Beatitudine senza però alcun pregiuditio di qualsivoglia ragione di esso R. Capitolo.

Poi, che de cætero sempre, che occorrerà la vacatione di alcuno de' quattro Canonicati hora posseduti per mis. Vicenzo Gallo, mis. Gio: Battista Monticolo, mis. Andrea de Carrariis, & il Subdiaconato, al quale dal Rev. Capitolo è stato eletto mis. P. David Monticolo, Canonicati compresi nella Bolla di Eugenio PP. Quarto S. Mem. per cessum, vel decessum, vel quemlibet alium modum vacandi, l'elettione sia del R. Arciprete, e Capitolo, & Monsignor Reverendissimo Vescovo servatis servan. sia obligato ad instituire liberamente l'eletto: mà occorrendo vacare qualsivoglia degl'altri trè Canonicati hora posseduti per il R. D. Silvio Badoer, mis. Marco de Fabris, e mis. P. Antonio Marini, e così anco l'Archidiaconato, l'elettione senz' alcun' impedimento trà di Monsignor Reverendissimo Vescovo, non dovendo una parte perturbar l'altra per qualsivoglia via, e modo, e di quest'ultima conventione dovendosene congiontamente supplicar alla Santità di Nostro Signore per la confirmatione, e perpetuo stabilimento, super quibus &c. *Præsens copia concordat cum originali, ideò &c.*

Ego Marcus Querengo Notarius, & Canc. Episcopatus Paduæ de prædictis rogatus in fidem &c.

In Nomine Domini Nostri Jesu Christi Amen. Anno ab ejusdem Nativitatis 1620. Indictione tertia die Lunæ 27. mensis Julii Pontificatus SS. in Christo Patris, & D. N. D. Pauli Div. Prov. PP. V. Anno XVI.

Essendo che per la vacanza del Canonicato Curato del q. R. D. Antonio Gallo, Monsignor Illustrissimo, e Reverendissimo Marco Cornaro Vescovo di Padova l'habbi conferito al R. D. Antonio Mazzalorso, in vigor della qual collatione il detto Mazzalorso ne hà preso il possesso pacifico, si come di presente si mantiene, e pretendendo il Capitolo, e Canonici di Piove di Sacco, che l'elettione di questo Canonicato si aspetti ad'esso per molte ragioni allegate, e particolarmente in vigor d'una concordia fatta con il Vescovo Cardinale Fedrigo Cornaro buona mem. fin del 1578. con l'occasione di lite frà esso Capitolo, e Cardinale Vescovo per queste collationi di Canonicati, e perciò volendo il Capitolo mantener, e conservar il suo Jus & in vigor di detta concordia, per esser questo Canonicato Curato, hà perciò fatto l'elettione, e nominatione nel medesimo Mazzalorso, e domandato l'institutione à Monsignor Illustrissimo Vescovo, il quale hà differito effettuarla, pretendendo, che la collatione libera di tutti li Canonicati, e benefici di Piove di Sacco totalmente spetti à S.S. Illustrissima, e per quest'effetto havendo viste le scritture, e pretensioni, sì del Capitolo, come di S.S. Il-

Digitized by Google

S.S. Illustrissima, per levar occasione di lite, e spese, e conservar buona intelligenza, e paterna charità con detto Capitolo, in esecutione anco delle molte Instanze fatteli in nome di detto Capitolo, acciò S.S. Illustrissima vogli fermar, e stabilir la detta concordia, e particolarmente vedendo la procura ultimamente fatta da esso Capitolo nelli molto RR. Signori Francesco Garzoni Archidiacono, Gio: Antonio Massinoni Dottor di Legge, e Fabritio Sartis Canonici di esso Capitolo presentata in mia presenza à S.S. Illustrissima, e data à me Nodaro per inserirla nel presente instromento, S.S. Illustrissima hà risoluto venir alla presente Concordia, e Transatione, riservando perciò sempre, che sii necessario, e non altrimente il beneplacito della Santa Sede Apostolica.

Di qui è, che costituiti avanti di me Nodaro publico, e testimonii infrascritti à ciò particolarmente chiamati, e pregati li sopradetti molto RR. Signori Garzoni Archidiacono, Massinoni, e Sarti Canonici Procuratori, e Noncii del Capitolo sudetto di Piove di Sacco, come dalla procura consta per l'instromento, come sopra, presentato, e rogato li 24. del corrente Mese di Luglio nelli Atti di D. Girolamo Martini Nodaro di Padova, e del detto Capitolo, che quì à basso sarà registrato, e l'Illustrissimo, e Reverendissimo Monsignor Marco Cornaro Vescovo di Padova havendo ben' inteso il tenor di detta Concordia insinuata à S.S. Illustrissima dalli Procuratori del Capitolo, tanto sotto il dì 21. del corrente, come nelli atti della Cancellaria Episcopale, quanto sotto il dì detto 24. del presente mese di Luglio, quale contiene, che delli Canonicati Curati spetti la nominatione d'essi al R. Capitolo, & institutione, & approbatione à Monsignor Illustrissimo, e Reverendissimo Vescovo di Padova, e la collatione, e total dispositione dell' Archidiaconato, & altri Canonicati non Curati siano liberamente à collatione di S.S. Illustrissima, e Reverendissima; spontaneamente, & in ogni miglior modo, che di ragione possono, e gli competisse le predette Parti di nuovo accettano, approvano, e ratificano il senso, e mente della predetta concordia, cioè, che in futurum occorrendo vacanza delle Dignità, e Canonicati nella Collegiata di Pieve di Sacco, la collatione dell'Archidiaconato, e Canonici non Curati sia libera, & assoluta dispositione di Monsignor Illustrissimo, e Reverendissimo Vescovo di Padova privativè quoad Capitulum, ita, & taliter, che non ci habbi interesse alcuno: e la nominatione, & elettione delli quattro Canonicati Curati spetti al prefato Capitolo, riservando però l'istitutione, & approbatione di essi nominati à S.S. Illustrissima. Promettendo l'una Parte, e l'altra osservar le cose predette in ogni miglior modo, e promettendo li prefati Nontii, e Procuratori à ogni semplice requisitione di Monsignor Illustrissimo Vescovo, e tante volte, quanto sarà necessario, far ratificar il presente Instromento dal detto Capitolo, obligandosi ciascuna delle Parti non reclamare, mà il tutto sempre approbare, osservare, e non contravenire nella più ampla forma della Rev. Camera Apostolica, nè sotto alcun' pretesto anco di haver ritrovato di nuovo instromenti, scritture, prove, e ragioni, nè per altra ragione, ò causa imaginabile, anco sotto pretesto di fraude, e restitutione in integrum resultante per qualunque capo anco d'enormissima Lesione, ei per quel capo, si qua mihi justa causa videbitur, per se, ò per altri, direttamente, ò indirettamente in giuditio, nè fuori di giuditio, e renontiando con giuramento in pectore al beneficio della restitutione in integrum resultante per qualunque capo, & alla dispositione della legge, *Cum ij*. & alla legge, *De ijs. ff. & C. de transact.* & ad'ogni legge, ch'habbi luoco in questo proposito, & à qualunque dispositione, e dispensa Apostolica, & in somma ad'ogni cosa in contrario: mà il tutto, come sopra, osservare sotto obligo delli beni del Vescovato, e del Capitolo respettivamente presenti, & futuri di qualunque sorte, super quibus &c. Acta fuere præmissa Anno, mense, & die, quibus suprà Paduæ in Episcopali Palatio in Camera solitę Audientię suprascripti Illustrissimi, & Reverendissimi Domini Episcopi, Præsentibus Marco, & Adm. R. ac Exc. J. U. D. Domino Jo: Dominico Pignata Patavin. J. U. D. & D. Jo: Baptista Casoni Lunen. Sarzanen. Dioec. Fam. suprascripti Illustrissimi D. Episcopi Testibus ad præmissa specialiter vocatis, & rogatis L. D.

Segue il tenor di detta Procura presentata.

In Dei Nomine Amen. Anno Millesimo sexcentesimo vigesimo, Indictione tertia die Ven. 24. mensis Julii. In Sacrario Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Martini Plebis Sacci, Præsentibus R. q. Jacobo Bassino D. Matthæi, & D. Vincentio de Gonzis q. D. Jacobi testibus notis, vocatis, & specialiter rogatis &c. Convocato il Capitolo di detta Collegiata secondo il solito legitimamente per l'atto infrascritto, nel quale intervennero li molto RR. Signori Francesco Garzoni Archidiacono, Angelo Albanese, Gio: Antonio Massinoni Dottore, Gio: Battista Beccari, Gio: Bronzarino, e Fabricio Sartis Canonici benemeriti di detta Collegiata, tutti Capitolarmente congregati, essendo numero sufficiente à poter deliberare, havendo inteso, e sentito quanto hanno esposto li predetti Signori Archidiacono, Massinoni, e Sartis Noncii, e Procuratori mandati à Padova più volte à trattare con Monsignor Illustrissimo Vescovo nostro sopra la confirmatione dell'elettione fatta da esso Capitolo del R. Mazzalorso, e pretendendo esso Monsignor Illustrissimo, che la sua collatione sia effettuata, e che il Capitolo non habbi il jus eligendi, e perciò non intendendo confirmare, nè instituire il detto R. Mazzalorso, & essendosi trattato con S.S. Illustrissima di stabilire, & approvar il tenor della Concordia, e Transatione già trattata con bon. mem. dell' Illustrissimo Cardinale Federigo all'hora Vescovo nostro, la cui copia li prefati RR. Canonici havendola nelle proprie mani lessero più volte, & havendo sopra essa fatto diligente consideratione, e discorso, il cui tenore è il seguente, videlicèt.

Hic cadit tenor concordii insertus de verbo ad verbum, prout suprà in præsenti Procuratorum instantia.

Quale Concordia, e Transatione havendo molto bene detti molto Reverendi Signori Canonici intesa, e considerata, e sopra di essa più volte discorso, e trattato, di commun consenso, e concordia, spontaneamente, & in ogni miglior modo, che possono, per dar fine à ogni lite, e per fuggir le spese, desiderando terminare ogni differenza, e controversia, che per alcuna occasione, e causa potesse nascere, & occorrere per causa di collatione di Prebende, e Canonicati, e volendo esser sempre uniti, e concordi con Monsignor Illustrissimo Vescovo, fanno loro procuratori, fattori, e Noncii li molto Reverendi Signori Archidiacono, Massinoni, e Sartis Canonici soprascritti presenti, e tal carico accettanti, alli quali danno ampla, e libera facoltà, e potestà di trattare, stabilire, e terminare ogni differenza per questo conto, & anco stipular il senso della prefata Concordia, cioè, che per l'avvenire la nominatione, & elettione delli Canonicati Curati spetti liberamente al loro Capitolo, e l'institutione, & approvatione à Monsignor Illustrissimo: e la collatione delli altri Canonicati non Curati sia liberamente di Monsignor Illustrissimo Vescovo, senza che il loro Capitolo possa pretendere ragione alcuna, promettendo ciascuno di essi notificar, approvar, & emologare quanto haveranno detti Signori Archidiacono, e Canonici trattato,

tato, stabilito, e stipulato con Monsignor Illustrissimo, si come adesso ratificano, approvano in ogni miglior modo, riservando sopra di ciò il beneplacito della Santa Sede Apostolica, quatenùs opus sit, e non aliter, ratificando ancora quanto fin'hora è stato fatto dalli sopradetti Signori Nontii, e Procuratori già eletti, avanti Monsignor Illustrissimo, del che dissero detti Signori molto Reverendi Canonici esserne da essi Procuratori à pieno informati. Alle quali tutte cose da esser attese, & osservate, detti molto Reverendi Signori Constituenti, e Procuratori si obligorono con li Signori Successori suoi, e beni del loro Molto Reverendo Capitolo presenti, e da venire. L. D. O. M.

Ego Hieronymus Martinius publicus Veneta Auctoritate Notarius Paduæ, & suprascripti Adm. R. Capituli Cancellarius præmissis omnibus interfui, eaque rogatus scribere scripsi, & publicavi, in hancque publicam formam aliena manu redigi feci, aliis occupatus negotiis, & in fidem propria manu, signo, & nomine meis consuetis appositis me subscripsi L.D.O.M.

Exemplum antescriptum cart. quinque concordat cum Actis in Curia Episcopali Paduæ existen. Ita est.

Faustus Davinius Not. Episcopalis Paduæ scripsit, & subscripsit in fidem &c. 30. Aprilis 1676.

Gregorius Mis. Div. Tit. S. Thomæ in Parione S.R.E. Presb. Cardinalis Barbadicus Episc. Patavinus Comesque Sac.

Universis, & singulisque fidem facimus, & attestamur, supascriptum R.D. Faustum Davinium esse talem, qualem se supra scripsit, & fecit, cui hic, & ubique indubia fides adhibenda est. In quorum &c. Paduæ ex Episcopali Palatio die 30. Aprilis 1676.

Jo. Andreas Barazzolius Not. Episcop. &c.

DISCORDIA XXII.

ARGUMENTUM.

Ostenditur aliud esse, si Juspatronatus Ecclesiasticum competat Capitulo in Ecclesia Curata; & aliud si habeat in habitu curam Animarum ejusdem Ecclesiæ tanquam sibi subjectæ, ac unitæ. In primo casu Ecclesia est providenda per concursum: quo peracto, in mensibus ordinariis electio dignioris spectat ad Capitulum; institutio autem ad Episcopum. In mensibus autem reservatis Capitulum nullam habet ingerentiam in ejusdem Ecclesiæ provisione; quia facto concursu, Sedes Apostolica confert Ecclesiam digniori prælecto per Episcopum.

SUMMARIUM.

1 *Clemens Papa X. electus Papa Anno 1670.*
2 *Status ultimus beneficiorum attendendus.*
3 *Ecclesia Crucis copertæ Imolen. Diœc. erecta in Parochialem Anno 1612.*
4 *Juspatronatus acquirit, qui dat fundum pro fabricanda Ecclesia.*
5 *Regula Nona Cancellariæ capit beneficia Jurispatronatus Ecclesiastici.*
6 *Capitulum eligit Curatos in omni mense, si habeat in se habitualiter curam animarum.*
7 *Capitulo, danti fundum pro erigenda Parochiali reservatur Jus nominandi Parochum, sed non unitur Parochia.*
8 *Juspatronatum Ecclesiasticum habentes eligunt digniorem ex approbatis in concursu.*
9 *Animarum Cura nisi per expressum injungi potest alicui.*
10 *Dictio Ipsi est personalissima.*
11 *Dictio Aliæ importat diversitatem in substantia, sed identitatem in qualitate.*
12 *Unio Curæ Animarum facta Capitulo excludit concursum.*
13 *Vicarius in Cura Animarum propriè quis sit?*
14 *Nomina Rectoris, Curati, seu Vicarii sunt synonima?*
15 *Unionis Curæ Animarum exclusio ex quibus inferatur.*

CUm essem Romæ Anno 1670; & in Dataria Sanctissimi D. N. Clementis Papæ X. tunc electi es-
1 set Discordia beneficialis inter Capitulum Civitatis Imolæ, prætendentis Parochialem Ecclesiam Crucis coopertæ nominatam, esse de Mensa, ac sibi unitam; & per consequens non posse conferri per concursum; sed ad liberam electionem ejusdem Capituli ex Una; atque inter electum, prævio concursu, ab Episcopo Imolensi, asserente necessarium esse concursum juxta Sacri Concil. Trident. Decretum *sess. 24. de Ref. cap. 18.* & negante dictam Unionem, ac mensalitatem ex alia, requisitus fui ab Illustrissimo, ac Reverendissimo Datario, dicere meam opinionem; visisque Scripturis utriusque partis, ac prædictâ Discordiâ benè perpensâ, super illa ita pro Veritate, ac Justitia scripsi.

Attentâ provisione Apostolicâ concessâ electo in concursu Anno 1669. de Ecclesia Parochiali Crucis coopertæ, Imolen. Diæcesis, quæ vacaverat per obitum in Mense reservato, potest absque scrupulo deveniri ad consimilem Apostolicam provisionem, stante nova vacatione per obitum in Mense pariter reservato sequuta, & novo concursu per Ordinarium ad formam S. Concilii Tridentini, & Apostolicarum Constitutionum facto, non obstante asserta instantia, seu appellatione introducta per Capitulum Imolen. prætendens habere Jus præsentandi Parochum ad dictam Ecclesiam, examinandum absque concursu, & per Ordinarium ad curam animarum exercendam ad-
2 mittendum, ea ratione quia ultimus status prædictæ Ecclesiæ est collativus, qui in beneficialibus attenditur, ut est vulgatum Axioma apud Beneficialistas, & firmant omnes scribentes in his discordiis, ac præcipuè Loterius *de Re Benefic. lib. 1. q. 34. per totam*. Rota *part. 1. recent. decis. 578. num. 1.*

Cæterùm cum Illustrissimus, ac Reverendissimus Datarius pro sua egregia integritate, ultra ultimum statum hujus beneficii, velit doceri de bono jure ipsius etiam super meritis; iis pariter attentis, ac à me maturè consideratis, affirmo supradictam provisionem Apostolicam esse concedendam electo per Ordinarium in concursu; nam apertè constat ex de-
3 creto erectionis in Parochialem hujus Ecclesiæ factæ per Episcopum Imolen. *Anno* 1612. eam esse de Jurepatronatus Ecclesiastico dicti Capituli Imolen. acquisitum ex fundatione, ob concessum fundum, & Ecclesiam ipsam Crucis coopertæ, pro beneficio curato
4 in ea erigendo; ad tradita per Lambertinum *De Jurepatron. lib. 1. part. 1. q. 2. art. 2.* Vivianum *eod. tract. lib. 2. cap. 1. num. 5.* & Loterium. *lib. 2. quæst. 7. num. 1.* & per consequens in vacationibus per obitum extra Romanam Curiam evenientibus faciendum esse concursum juxta d. Decretum Sacri Tridentini Concilii *sess. 24. de Ref. cap. 18.* & cum vacatio de præsenti acciderit in Mense reservato, provisio est recipienda ab Apostolica Sede per
5 ipsum electum in concursu, stante Regula Nona Cancellariæ, quæ capit beneficia Iurispatronatus Ecclesiastici, quamvis spectantia ad electionem, seu præsentationem Capitulorum. Rota *part. 9. recent. decis. 285. num. 28. & 29. tom. 1.* Et *part. 14. recent. decis. 152.*

Ex his sequitur, esse prorsùs injustam instantiam Capi-

Digitized by Google

Capituli dicentis, ipsum beneficium curatum Crucis
coopertæ esse conferendum ad sui præsentationem in
quocunque mense absque concursu; quia hoc procederet,
quando non esset collativum; & ita fuisset annexum,
ac incorporatum Mensæ Capitulari, ut animarum
cura saltem habitualis posita foret in Capi-
6 tulo; exercitium verò tantum ipsius Curæ esset in Vi-
cario juxta doctrinam Loterii *d. lib.* 2. *q.* 31. *num.* 21.
Barbosæ *de Jure Eccl. Univ. lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 34.
& Pyrrhi Corradi *in Praxi benefic. lib.* 3. *cap.* 9. *num.*
47. quam pluries canonizavit S. Congregatio Concilii,
& Rota pro decisione similium discordiarum, ut
videre est *part.* 1. *rec. decis.* 102. *num.* 9. *part.* 2. *decis.*
710. & coram Card. Cavallerio *decis.* 595.

Quod autem cura animarum ad Capitulum neque
in habitu spectet, desumitur evidenter ex actis erectionis
in Parochialem hujus Ecclesiæ, cui fuerunt subjecti,
& assignati populi aliarum Parochialium adjacentium
ob majorem commoditatem percipiendi Sacramenta;
& ideò cum ante hanc erectionem Capitulum
nullam curam animarum gereret in iisdem populis,
& in ipsa erectione nulla cura ei sit imposita, sed
7 tantummodò Jus eligendi, & præsentandi Recto-
rem, ob assignatum fundum Ecclesiæ, Ecclesiamque
ipsam materialem, sit ei reservatum, salva Episcopi in-
stitutione, sequitur, Capitulo Juspatronatus Ecclesia-
sticum concessum fuisse, quod requirit concursum in
provisione ejusdem Ecclesiæ, ad hoc ut in mensibus
ordinariis, celebrato per Episcopum concursu, Ca-
pitulum quem digniorem inter competitores approba-
8 tos ab examintoribus judicabit, præsentet Episcopo;
à quo in eadem Parochiali Ecclesia instituatur; ad
præscriptum *d. cap.* 18. *sess.* 24. Concilii Tridentini
Vers. Si verò Jurispatronatus Ecclesiastici erit, &c. In
mensibus verò Apostolicis, (prout in præsenti Di-
scordia.) nihil spectet ad Capitulum, ut in puncto de-
cisum est à Rota *part.* 4. *recent. decis.* 640. *tom.* 3.

Neque suffragatur Capitulo Jus, seu possessio, quod
antea habebat in dicta Ecclesia, & fundo Crucis coopertæ,
quæ forsan ante erectionem in Parochialem
poterat censeri membrum Capituli, & ei subjecta, ac
annexa, undè videatur inferendum etiam nunc Parochialem
ipsam esse de mensa ejusdem Capituli, & sic
esse conferendam ad ejus electionem sine concursu jux-
ta Bullam XLVII. B. Pii V. *In Conferendis &c.* de
qua Rota *part.* 1. *recent. decis.* 102. & *part.* 2. *decis.*
204. & Pyrrhus Corradus *d. lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 28.

Nam respondetur ex præcedenti Jure, seu possessione
dictæ Ecclesiæ, ac ejus fundi, resultare ad favorem
Capituli tantummodò Juspatronatum Ecclesiasticum,
quod acquiritur vel per concessionem fundi, vel per
constructionem Ecclesiæ, ut probatum est supra in
Discord. 4. *num.* 25. ubi DD. non autem mensalita-
9 tem, seu Unionem Curæ Mensæ Capitulari; quia
Episcopus erigendo dictam Ecclesiam in Parochialem
de consensu Capituli non transmisit curam Animarum
in ipsum Capitulum; sed constituit beneficium
Curatum stans de per se, & cujus tota cura esset in
Rectore hujus Ecclesiæ, ut advertit eadem Rota *de-
cis.* 102. *num.* 8. *part.* 1. *recent.* Et ideò ipse Episco-
pus non dixit, populos ab aliis Parochiis tunc segregatos,
suppositos esse velle ipsi Capitulo; sed ipsi Ec-
10 clesiæ Crucis coopertæ, quæ dictio *Ipsi* personalissi-
ma est. Menoch *cons.* 452. *num.* 44. imò expressit
eandem Ecclesiam potituram fore omnibus prærogativis,
quibus potiuntur, & gaudent aliæ Ecclesiæ
Parochiales Imolens. Diœcesis; quæ sicut stant de per
se, nec sunt de Mensa Capituli; ita hæc Ecclesia
Crucis coopertæ dici non potest de eadem Mensa; di-
11 ctio enim *aliæ* importat quidem diversitatem in sub-
stantia, sed identitatem in qualitate. Fagnanus *in
cap. Significantibus num.* 49. *De Offic. Deleg.* Etid-
circò Episcopus expresse reservavit sibi institutionem,
& confirmationem, quæ est de natura Jurispatrona-
tus, non autem beneficii uniti, seu de Mensa Capitu-
12 li; ubi enim est Unio, seu Mensalitas beneficii cessat
institutio, ac confirmatio; & sufficit sola approbatio
Episcopi pro exercitio Curæ animarum, & admini-
stratione Sacramentorum. Garzias *de Benefic. part.* 1.
cap. 2. *num.* 93. Pyrrhus Corradus *d. lib.* 3. *cap.* 9.
num. 28.

Minùs relevat id, quod Capitulum astruit, videli-
cèt quod Parochus hujus Ecclesiæ Crucis coopertæ
ab initio erectionis ejus in Parochialem vocatus fuit
13 Vicarius; ex quo videtur deducendum, esse mini-
strum, ac servitorem Capituli, non habentem in
se totam Curam, sed duntaxat ejus exercitium ad tra-
dita per Vitalin. *in Clem.* 1. *num.* 7. *De Offic. Vicar.*
& per Rotam *part.* 1. *recent. decis.* 102. *num.* 5. ac
coram Card. Cavalerio *decis.* 599. *num.* 7. Siquidem
respondetur, denominationem Vicarii, aut Recto-
ris, sive Curati non esse considerabilem, quia sunt
14 synonima vocabula, quæ adinvicem usurpantur.
Rota *d. part.* 1. *recent. decis.* 102. *num.* 5. & *part.* 2.
decis. 204. *num.* 6. ac etiam *part.* 4. *decis.* 37. *num.* 9.
Turricelles *de Unione cap.* 11. *num.* 78. & 79. ideò
tota ratio stat in ostendendo, An cura animarum
injuncta fuerit ipsi Capitulo; itaut illam retineat in
se habitualiter cum obligatione eam exercendi per
aliquem ministrum. In præsenti Discordia talis obli-
gatio non est imposita Capitulo, cui nec datum est onus
solvendi congruam ipsi Vicario; quapropter manife-
stè constat totam Curam animarum esse in ipso Re-
ctore, qui tenetur ferre omnia onera Parochialitatis
independenter à Capitulo, & obtinet omnia emolumen-
15 ta ejusdem Curæ; ex quibus omnibus benè infertur
ad exclusionem prætensæ Unionis, ac Mensalitatis,
& firmatur status collativus cum sola qualitate Ju-
rispatronatus Ecclesiastici, non excludentis concur-
sum. Vivian. *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 2. & Pyrrhus Cor-
rad. *lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 1. & 2. nec impedientis effe-
ctum *Regulæ* 9. *Cancellariæ*, quæ præcipit in va-
cationibus beneficiorum in Mensibus reservatis ele-
ctionem, ac provisionem non esse faciendam à Patronis
Ecclesiasticis, sed à Summo Pontifice; & cum talis
sit præsens vacatio Parochialis Crucis coopertæ, danda
est provisio Apostolica electo per Ordinarium in
concursu, rejecta contradictione Imolensis Capituli,
omni jure, ac justitia carente.

DISCORDIA XXIII.

ARGUMENTUM.

Collatio secundi beneficii incompatibilis est
concludenter probanda ad effectum, ut sententietur
super privatione primi. Testes extrajudicialiter
examinati, & absque citatione partis
non probant. Servitium Ecclesiæ receptitiæ
absque institutione canonica non causat incompatibilitatem.
Quomodo procedendum sit contra
Canonicos irresidentes.

SUMMARIUM.

1 *Actore non probante res debet remanere penes possessorem.*
2 *Testes extrajudicialiter examinati non probant.*
3 *Examen testium non citata parte nihil valet.*
4 *Beneficium secundum debet obtineri in titulum, ut vacet primum.*
5 *Consuetudo non residendi in Canonicis an sit à Tridentino abrogata?*
6 *Canonici irresidentes quomodo sint mulctandi, & ad residentiam adigendi?*
7 *Canonicatus absque fructibus possidentes, pœnis arbitrariis sunt ad residentiam compellendi.*

Penden-

PEndente discordiâ coram Illustrissimo, ac Reverendissimo Petro Martyre Rusca Ordinis Minorum Conventualium Sancti Francisci Episcopo Caprularum Anno 1671. inter nonnullos Canonicos illius Cathedralis ex una, & Rev. Joannem Beolinum pariter Canonicum ex alia, petentibus primis prohiberi eidem Beolino accessum, & ingressum in Choro tanquam exutum Canonicatu ob assequutionem alterius beneficii incompatibilis cum Cura Animarum in Villa de Ronchis penès Venetias; per cujus assecutionem ipso jure, ajebant, vacare prædictum Canonicatum ex decreto S. Tridentini Concilii *sess.24. de Ref. cap.12.* requisitus de mea opinione à prædicto Antistite, respondi, Canonicos Actores bonum Jus non fovere.

Quandoquidem ipsi non probabant assertam assecutionem secundi beneficii incompatibilis; & ideò Rev. Beolinus non poterat sententiari, esse privatus suo Canonicatu; neque impediri in exercitio Jurium Canonicalium, in quibus imò erat manutenendus. Postius *de Manutent. observ.10. num.36.* nam actore non
1 probante res debet remanere penes reum conventum. Idem Postius *Observat.1. num.12. & 13.* Non erat autem probata assecutio secundi beneficii incompatibilis, tùm ex defectu probationis judicialis, quia Canonici actores exhibebant examen testium extrajudicialiter examinatorum; qui propterea de Jure non
2 probant. *cap. 1. & 2. Ut lite non contest.* Farinacius *de Testib. q.76.* maximè quia deficiebant in eorum examine requisita necessaria ad examinandos testes ad perpetuam rei memoriam, de quibus idem Farinacius *in cit. quæst.76. à num. 129. & seqq.* imò assertum examen ex pluribus constabat esse nullum, & potissimùm quia factum fuerat absque citatione par-
3 tis, & coram Judice incompetenti. Farinacius *ibid. num.133. & 142.* tùm postea ex defectu concludentis probationis, cum testes non dicerent, Rev. Beolinum obtinuisse in titulum perpetuum assertum beneficium curatum de Ronchis; qui titulus perpetuus est necessarius ad inducendam incompatibilitatem, ex qua suc-
4 cedat vacatio primi beneficii, ut docent omnes Canonistæ, inter quos Riccius *Decis.153.* & Garzias *de Benefic. part.11. cap.5. §.1. num.181.* ubi plures Rotæ decisiones allegat; cum quibus concordat novissimè Fagnanus *in cap. Cum jamdudum. num.42. de Præbend.* ubi advertit, quod servitium Ecclesiæ receptitiæ, pro quo non levantur Bullæ, nec ulla fit institutio, aut confirmatio, non dicitur incompatibile cum alio beneficio: & idcircò quamvis Rev. Beolinus exercuerit curam animarum in dicta Villa de Ronchis, præsumendum est, id fecisse absque titulo beneficiali, & sine institutione Canonica; ac solummodò tanquam Capellanum mercenarium ex sola approbatione Ordinarii ad tempus limitatum, cum retentione sui Canonicatus.

Multo minùs poterat sententiari, eundem decidisse à Canonicatu; vel illo privari ex defectu residentiæ, eò quia per notabile tempus à Cathedrali Caprularum absens fuerat. Nam, quamvis velint Doctores à Sacro Concilio Tridentino abrogatam esse
5 consuetudinem non residendi, quæ adhuc Caprulis viget, etiamsi Canonicus nullos habeat redditus, ut ait Fagnanus *in cap. Licet. num.40. de Præbend.* hæc tamen doctrina non transit absque dubitatione, attenta declaratione contraria S. Congregationis ejusdem Concilii, de qua ipsemet Fagnanus *in cap. Cum omnes. num.26. de Constitut.* Nihilominùs admissa etiam abrogatione prædictæ consuetudinis non residendi; & supposita rigorosa obligatione Canonicorum Caprulensium faciendi actualem residentiam in illa Cathedrali, & Choro interessendi diebus singulis; tamen si aliquis Canonicus non resideat, non est statim privandus Canonicatu, ut petebant adversarii prædicti Canonici Beolini; sed est procedendum contra illum ad præscriptum Concilii Tridentini *in cap. 12. §. Præterea. sess.24. de Ref.* ubi statuitur, ut Ca-
6 nonici absentes ultra tempus ibi permissum, primo anno priventur dimidia parte fructuum; & si iteràm perseveraverint irresidentes, secundo anno priventur omnibus fructibus, crescente verò contumacia, ac durante etiam tertiò anno, tunc procedatur ad privationem beneficii; adeò ut in præsenti, vigore Concilii Tridentini, non possunt Canonici irresidentes privari suis Canonicatibus, nisi post tres annos, & præmissis priùs tribus illis intimationibus, ac mulctis, ut differit Fagnanus *in cit. cap. Licet. num.25. & 26. de Præbend. & in cap. Ex tuæ. num.14. De Cleric. non residen.*

Et quia replicabant Canonici Caprularum, eorum titulos Canonicales esse absque Præbendis, ac fructibus, nec posse contra irresidentes servari formam prædictam à Concilio Tridentino præscriptam; ad-
7 huc respondebam; non posse statim procedi ad privationem tituli; sed pœnis arbitrariis agendum esse ab Ordinario, ut Canonicos adstringat ad residentiam citra tamen privationem Canonicatus ad tradita per Garziam *part.3. cap.2. num.153.*

DISCORDIA XXIV.

ARGUMENTUM.

Capellanus eligendus Sacerdos, eligi potest, etsi Sacerdotium actualiter non habeat, dummodo in ea sit ætate, ut intra annum possit ordinari Sacerdos.

SUMMARIUM.

1 *Catharum est Urbs munitissima Dalmatiæ subjecta Reipublicæ Venetæ.*
2 *Capellanus ad Altare Sancti Hieronymi in Cathedrali Patavina à quibus sit eligendus?*
3 *Clericus quando possit eligi ad Capellaniam Sacerdotalem.*
4 *Fundatores Capellaniarum censentur se confirmare Juri Canonico.*
5 *Beneficia Sacerdotalia de Jure conferri possunt simplici Clerico, qui sit in ætate, ut intra annum possit ordinari Sacerdos.*

EPiscopus Cathari, (quæ est Urbs munitissima Dalmatiæ ad sinum Rizonicum, qui indè dicitur *Golfo di Cataro* habens arcem in colle, subjectaque Se-
1 renissimæ Reipublicæ Venetæ in temporalibus, in spiritualibus autem Archiepiscopo Ragusino) cum esset infirmus Patavii Anno 1405. testamentum fecit, & in eo fundavit, & dotavit unam Capellaniam in Ecclesia Cathedrali Patavina ad Altare Sancti Hieronymi, & voluit electionem, & nominationem Capellani, qui certas missas per omnem hebdomadam ad dictum Altare pro ejus anima, & suorum Parentum celebraret, ac in Choro personaliter divina officia persolveret, esse faciendam à RR. DD.
2 Archipresbyteris Paduano, & Saccensi; ab Illustrissimo, & Excellentissimo Prætore Urbis Paduæ, & à Seniore ex Almo Collegio DD. Juristarum; quibus Electoribus ipse Fundator imposuit, *ut succedentibus vacationibus hujus Capellaniæ, ad ipsam eligerent unum bonum Sacerdotem.*

Modò dubitare contingit hoc anno 1694. in quo evenit casus electionis novi Capellani, Utrùm DD. Electores prædicti possint eligere, & nominare unum Clericum in minoribus Ordinibus constitutum, attingentem annum ætatis suæ vigesimum septimum, benemeritum ob servitium præstitum laudabiliter per plures annos in Ecclesia Cathedrali Patavina; quamvis non sit adhuc Ordinatus Sacerdos ob paupertatem suam, & defectum Patrimonii? In hoc dubio nonnul-

Digitized by Google

nonnulli Doctorelli negabant; alii asserebant; & hac discordiâ ad me tanquam Vicarium Generalem
3 Patavinum pro terminatione delatâ; respondi, ac declaravi, quod absque scrupulo prædictus Clericus potest ad hanc Capellaniam eligi, ac nominari, quia satisfit menti, & ordinationi Fundatoris, si eligatur, ac nominetur Sacerdos aptitudine, quamvis non sit Sacerdos actu, qui intra annum possit Sacerdotium sumere; ut in puncto docent Perez de Lara *de Capellan. lib.2. cap.5. num.16.* Gratianus *Discept. Forens. cap.133.* Parisius *de Resignat. benefic. lib. 3. quæst.9. num.3.* Gonzalez *gloss. 5. ad Reg.9. Cancellar. num.74. & 104.* Ferretus olim Serenissimi Dominii Veneti Consultor *consil.* 305. Cevallus *in Commun. contra Commun. quæst.* 693. *num.* 10. ubi Canonistas ita docentes cumulat; quibus adhærent Theologi, quos citat, & sequitur Diana Coordinatus *tom.3. tract.3. resol.* 113. Quæ in ejus opere antiquo, ac inordinato habetur *part.4. tract.4. resol.* 227. & novissimè hanc doctrinam amplectitur doctissimus P. Bordonus *de Legatis Missarum cap.6. num.*47. hanc reddens ra-
4 tionem quia Fundator, præcipuè Ecclesiasticus, & Antistes censetur se conformare Juri Canonico, ac communi. At de Jure Canonum omnia beneficia Sacerdotalia, imò etiam Parochialia, & Curata, possunt conferri ei, qui non est Sacerdos actu, dum-
5 modò sit talis aptitudine; videlicèt si sit in ætate, itaut possit ordinari Sacerdos intra annum juxta *text. in cap. Cum in cunctis. De Elect. in cap. Ei, cui. De Præben. in 6. & in Concil. Trid. sess. 22. cap. 4. & sess.24. cap.12. de Reform.*

DISCORDIA XXV.

ARGUMEMTUM.

Ad tollendos abusus resultantes ex multiplicitate Canonicorum Caprularum, hinc indè vagantium, & non residentium, traduntur tria remedia; præviâ declaratione materiæ concernentis Canonias, ac Præbendas Canonicales tàm in Ecclesiis numeratis, quàm in non numeratis; & tàm in Canonicis numerariis, quam in supernumerariis.

SUMMARIUM.

1 Caprulæ *Insula ubi sit constituta.*
2 *Caprulensis Episcopatus qui, & quot sint proventus?*
3 *Congregatio Canonicorum Sancti Georgii in Alga quando suppressa?*
4 *Petrus Martyr Rusca Episcopus Caprularum adauxit proventus Anno* 1670.
5 *Canonia, ac Præbenda inter se differunt.*
6 *Canonia quid sit?*
7 *Præbendæ descriptio, ac definitio.*
8 *Præbenda propriè dicitur, ubi bona sunt divisa. Portio ubi sunt indivisa.*
9 *Ecclesiæ Collegiatæ aliæ numeratæ, aliæ non. Et quæ utræque?*
10 *Canonici supernumerarii quando recipi possint sine Præbenda?*
11 *Vacatio Canonicatuum non datur in Ecclesia non numerata.*
12 *Canonici numerarii, & supernumerarii qui sint? & discrimen inter eos.*
13 *Canonici supernumerarii an participent de quotidianis distributionibus?*
14 *Canonici in Cathedralibus tenentur personaliter residere.*
15 *Consuetudo non residendi in Cathedralibus, & Collegiatis abrogata est à Tridentino Concilio.*
16 *Canonici non residentes mortaliter peccant.*
17 *Canonicatus sine Præbenda existentes; vel cum nimis tenui, abolendi.*
18 *Canonicorum sine Præbenda qui sint abusus?*
19 *Canonicatuum Caprulensium nulla habetur authentica institutio.*
20 *Canonici Caprularum olim duo, aut tres tantùm erant.*
21 *Beneficium sine redditibus resignari non potest.*
22 *Corpus sine anima non dicitur homo, sed cadaver.*
23 *Canonicus, qui non habet Præbendam, non est recipiendus in Capitulum.*
24 *Impetrari non potest Canonicatus supernumerarius.*
25 *Canonicatus sine Præbendis sufficientibus restringendi sunt ad parvum numerum.*
26 *Caprulensium Canonicorum proventus in quibus consistant?*
27 *Canonici duo, vel tres sufficiunt in Collegiata.*
28 *Canonicorum reditus vel in Præbendis distinctis, vel in Massa communi consistere possunt.*
29 *Ordines Sacri per Episcopum singulis Canonicatibus sunt assignandi.*
30 *Melius est habere paucos Ministros bonos, quàm multos malos.*
31 *Residentia Episcoporum, ac Parochorum est de Jure divino.*
32 *Josephi Abbatis Scarellii, electi Episcopi Caprularum, mors repentina.*
33 *Vincentii Caraffæ Generalis VII. Soc. Jesu pulchra sententia circa repentinam mortem promotorum ad Dignitates.*
34 *Episcoporum officia, ac obligationes quæ sint? & ubi legendæ?*

INsula quædam exigua in mari Adriatico existit *Caprulæ, vulgò Caborle* nuncupata, proxima Littori
1 Fori Julii, quadraginta circiter milliaribus distans à Venetiis; à Concordia duodecim; & quatuor ab ostio Romati fluvii, qui ex Carnorum alpibus inter Liquentiam, idest *la Livenza*; & inter Tilamentum, nempè *il Tagliamento* flumina fluens, ipsum Mare Adriaticum subiit. In hac Insula extat Urbs parva quidem, sed Episcopalis sub Patriarcha Aquilejensi; cujus Episcopatus modici olim erant proventus consistentes in aliquibus incertis piscationibus propè ipsam
2 Insulam, nec non in Ducatis Venetis quinquaginta tantùm, quos ex Livello, seu (ut nos dicimus) ex affictu longo annuatim Episcopus exigebat à Serenissima Familia DD. Francisci Mauroceni Ducis Venetiarum; sed Anno 1670 adaucti fuere proventus ipsi per industriam Illustrissimi, ac Reverendissimi Petri Martyris Ruschæ tunc Caprularum Antistitis, occasione suppressæ Congregationis Canoni-
3 corum Sæcularium Sancti Georgii in Alga per Summum Pontificem Clementem Nonum factæ: siquidem cum eo tempore à Nunciatura Apostolica Venetiarum venderentur bona stabilia ejusdem suppressæ Congregationis, ut pretium consignaretur Serenissimæ Reipublicæ, in defensionem Regni, ac Urbis Candiæ à Turcis obsessæ, impendendum; prædictus Reverendissimus Rusca Antistes, impetratâ affrancatione illius Mauroceni Livelli, totum ejus capitale, unà cum aliâ sui ipsius pecuniâ dedit in pretium diversorum camporum ejusdem Congregationis suppressæ, quos in agro Tarvisino existentes ab eadem
4 Nunciatura Apostolica sibi venditos, nomine sui Episcopatus acquisivit: quorum redditus frumenti, vini, ac honorantiarum summam Ducatorum ducentorum aureorum annuam excedebant. Porrò in illo tempore ipsa Cathedralis Ecclesia Caprularum non solùm bonis temporalibus erat, ut supra, depauperata, sed reperiebatur etiam Ministris Ecclesiasticis destituta: quamvis enim multiplices essent Clerici tùm Venetiis, tùm alibi qui se Canonicos Caprulares nominarent, tamen paucissimi ibi residebant; sed ferè omnes in diversis Diœcesibus tanquam Capellani, vel Curati animarum morabantur, ut

Digitized by Google

narratum fuit supra in *Discord. XXIII.* Quapropter prælibatus Illustrissimus, ac Reverendissimus Petrus Martyr Rusca Episcopus huic abusui accurrere cupiens, illumque de sua Cathedrali evellere cogitans, petiit à me; quibus juridicis remediis uti posset? Respondi, tria esse remedia, quæ singula de per se suffragari poterant religiosæ menti, & commendabili desiderio ipsius Præsulis. Cæterùm quia materia hæc non est ita plana pro faciliori eorundem remediorum intelligentia, nonnulla præmissa esse notanda, & attendenda dixi.

Primum Præmissum est, quod in Canonicis Cathedralium, ac Collegiatarum duo diversa jura con-
5 siderantur, videlicèt Canonia, & Præbenda. Moneta *de Optione Canon. cap.7. quæst.1.* Barbosa *de Canonic. & Dignit. cap.12. num.1.* & Fagnanus *in cap. Cum M. Ferrariensis. num.25. de Constitut, tom. 1.* & habentur textus *in cap. Eam te. De Rescript. & in*
6 *cap. Dilectus il 2. de Præbend.* Canonia est Jus spirituale, per quod receptus in Canonicum habet stallum in Choro, vocem in Capitulo, & in iis, quæ debent capitulariter fieri; sicut sunt tractatus electionis, alienationis, ac similia, quæ collegialiter aguntur, & recensentur *in cap. Proposuit. De Concess. Præbend. in cap. Pro illorum; & cap. Dilecto. de Præbend.* ac declarantur ab Host. & Bald. *in cit. cap. Cum M. Ferrariensis num.4. & 13.* & à Card. Seraphino *Decis.474. num.2.* Præbenda verò est Jus spirituale re-
7 cipiendi certos proventus in Ecclesia, cui præbendatus deservit, competens ex officio divino tanquam uni de Collegio. Glossa *Verb. receperint in d. cap. Cum M. Ferrariensis.* Loterius *de Re benefic. lib.1. q. 19. num.17.* Moneta *d. cap.7. q.1. num. 13.* ubi dicit, Præbendam consistere in facultate percipiendi fructus beneficii Ecclesiastici; prout est, colligere Decimas, primitias, & oblationes, quæ facultas descendit è Canonia per necessariam sequelam; quia ex quo quis habet Canoniam, sivè Officium, debet etiam habere Præbendam, sivè beneficium. *cap. Relatum. cap. Dilectus, 1. & 2. de Præbend. cap. Si quis. & cap. Eos. 81. dist.* Et sicut obligatio est mater actionis, & parit actionem. *l. Licet 42. §. Ea obligatio. ff. de Procurat.* ita Canonia est mater Præbendæ, & eam parit, ac se habet sicut mater ad filiam. Hostien. *in Summ. tit. de Præbend. num.1.* Barbosa *ubi supra num.10.* Et Canonicus non debet stare, saltem diu, sine Præbenda. *cap. Si quis objecerit. 1. q.3. d. cap. Relatum.* & ibi Fagnanus *num. 8. de Præbendis.* Loterius *d. lib.1. quæst. 19.* ubi *à num.4. & seqq.* eleganter docet, quod in conferendis Canonicatibus tres actus distincti concurrunt, videlicèt Receptio in fratrem, Assignatio Stalli, & concessio Præbendæ.
8 Propriè autem Præbenda dicitur, quando bona Ecclesiæ sunt divisa. *cap. Ex parte. De Concess. Præben.* nam si indivisa sint bona, tunc magis propriè vocatur Portio, seu Distributio. Innocent. *in d. cap. Dilectus. de Præben.* & Barbosa *de Canonicis d. cap.12. num. 3.* ubi plura congerit circa nomen, & naturam Præbendæ.

Secundum Præmissum observandum est, quod Ecclesiarum Cathedralium, ac Collegiatarum aliæ sunt numeratæ, aliæ non numeratæ. *cap. Dilecto. Vers.*
9 *Præterea. De Præbend. cap. Ex parte. De Concess. Præbend.* Loterius *d. lib.1. quæst.14. num.12.* Numerata Ecclesia illa dicitur, in qua præfixus est certus numerus Canonicorum ex determinatione, ac præscripto Statuti, ea lege, ut nequeat alterari; quæ præfixio numeri adeò pendet à Statuto, ut simplex consuetudo non recipiendi nec plures, nec pauciores Canonicos, præter consuetum numerum, minimè faciat Ecclesiam numeratam, ut tradit Abbas *in d. cap. Ex parte. num.6.* & declarat Loterius *d. quæst. 14. num. 15.* subdens id intelligendum esse de simplici consuetudine, seu more illo, qui reputatur actus merè facultativus; non autem de consuetudine præscripta, idest efformata ex contradictione cum decursu legitimi temporis ad præscribendum, ut notat Jo. de Imola *in d. cap. Ex parte. sub num.9. ad fin. Vers. Quod videtur intelligendum.* Non numerata verò Ecclesia, vice versa, illa est, in qua non adest Statutum, aut consuetudo firmata per contradictionem præfiniens certum Canonicorum numerum; sed in qua ad libitum consueverunt esse Canonici modò plures, modò pauciores. *d. cap. Ex parte. de Concess. Præben. d. cap. Dilecto. & cap. Vacante. De Præben.* Baldus *cons. 472. lib.2.* & Barbosa *de Canonic. cap.3. num. 7.*

Porrò ex hac distinctione duæ notabiles oriuntur differentiæ. Prima est, quod in Ecclesia non numerata plures recipi possunt in Canonicos supra nume-
10 rum consuetum sine præbenda. Fagnanus *in eod. cap. Dilecto. num.17. & num.24. de Prælen.* & ex Theologis Azorius *Instit. Moral. part.2 lib.3 cap.11. quæst.3. & seqq.* ubi testatur in quibusdam Ecclesiis Germaniæ, Galliæ, & Italiæ solitum esse, Juvenes Litteris operam dantes in Collegium Canonicorum cooptari, & admitti, quamvis statim eis Præbenda non detur, sed postea cum aliqua vacaverit, quod exscribit etiam Barbosa *d. cap.3. num.5.* Si verò Ecclesia numerata sit vigore Statuti, tunc aut Statutum est firmatum juramento; & in hoc casu recipi non possunt Canonici ultra numerum, nisi Episcopus ob justam causam dispenset: aut Statutum confirmatum est à Papa; & tunc nullatenus Supernumerarii Canonici haberi possunt, nisi auctis facultatibus Ecclesiæ. Fagnanus *in d. cap. Dilecto. num. 22. & 23.* ea ratione, quia hujusmodi Statutum sic confirmatum habet in se conditionem resolutivam, tacitè subintellectam, nisi facultates excreverint, ut loquitur textus *in d. cap. Cum M. Ferrariensis. De Constitut.* & sic eveniente conditione Statuentes possunt Statuto contravenire absque Superioris licentia. Altera verò differentia est, quod si Ecclesia numerata non sit,
11 in ea non datur vacatio aliqua; sed mortuo Canonico extinguitur illud jus, quod habebat, quia tales Canonicatus personales sunt, & cum persona extinguuntur. Rota, quam citat Loterius *d. lib. 1. quæst. 14. num.17. & 18.* Barbosa *d. cap.3. num.8.* Fagnanus, pluribus citatis, *in d. cap. Dilecto. num. 13. 14. & 15. De Præbend.* undè respectu talium Canonicatuum, aut beneficiorum nulla datur devolutio. Gonzalez *ad Reg.8. Cancell. Gloss. 9. §. 3. num. 10.* & Capitulum cogi non potest ad novam electionem alterius Canonici in locum ultimi defuncti; nisi constet de superexcrescentia fructuum, qui sufficiant sustentationi omnium. Card. Mantica *decis.229. num. 3.* Et si Papa provideat de tali Canonicatu, provisio est nulla, & subreptitia, nisi status Ecclesiæ expressè ei narratus fuerit. Gonzalez ubi *supr. num.23. & seqq.* Fagnanus *in d. cap. Dilecto. num. 14.* Loterius *d. lib.1. quæst.14. num.20. & 21.* ac etiam *num. 25. 26. & 27.* ubi reddit rationem dicens, quia in impetratione semper narratur vacatio; Præbendæ autem Ecclesiæ non numeratæ nusquam veniunt sub gratia, vel dispositione loquente de vacantibus. Sarnen. *in Reg. de Impetr. benefic. per obitum famil. q.2. per tot.* Imò etiamsi Papa providendo dixisset *ex certa scientia*, adhuc tali proviso obiici posset tenuitas fructuum, cujus causa deficit ejus intentio, ut notabiliter tradit Glossa *in cap. Ultim. in Verb. distinctio. ad fin. De Concess. Præb. in 6.* quam refert, & sequitur Loterius *d. n.22.*

Tertium Præmissum, ac notandum est, quod Canonici alii sunt Numerarii, alii Supernumerarii. Illi dicuntur numerarii, qui in Ecclesia numerata, va-
12 cante aliquo Canonicatu, & Præbenda, recipiuntur intra numerum prævia collatione ejusdem Canonicatus, & præbendæ. *cap. Cum super. De Concess. Præben.* Supernumerarii verò sunt, qui sine Præbenda in Canonicos supra numerum præfixum recipiuntur ex aliqua justa causa, puta ut instituantur in moribus, & officiis Ecclesiasticis, & ut inserviant prio-

ribus,

Digitized by Google

ribus, ac antiquis Canonicis, ac ipsi Ecclesiæ. *cap. Statuimus. De Major. & Obed.* quod latè exemplificat, ac declarat Fagnanus *in cit. cap. Dilectus. il primo. num.9. de Præbend. tom.4.* Magnum autem discrimen est inter utrumque istorum; nam qui intra numerum recipiuntur, statim capiunt omnia jura provenientia ex Canonia, & Præbenda, nempè Stallum in Choro, vocem in Capitulo, fructus, & proventus, nec non distributiones quotidianas. *d. cap. Cum super. De Concess. Præben.* Glossa *in cap. Unic. in Verb. receperit. De Clericis non resid. in 6. cap. Relatum. De Præben. cap. Si quis objecerit. 1. quæst.3.* Fagnan. *in præcit. cap. Cum M. Ferrariensis num. 17. & 18. De Constit. tom. 1.* Qui verò constituuntur supra numerum in primis carent Præbenda, undè vocantur Canonici honorarii, & ventosi. Fagnan. *ubi proximè num.16. & in cit. cap. Dilectus. De Præben. num. 10. tom. 4.* Quo verò ad quotidianas distributiones,
13 quamvis variæ sint opiniones DD. verior est sententia, quod eas obtinere non possunt, nisi in tribus casibus tantùm: videlicèt, vel ubi viget consuetudo, vel ubi simpliciter recepti sunt à Capitulo ultra numerum, vel ubi tales Canonici honorarii creantur à Papa, & mandat eos recipi ultra numerum cum plenitudine Juris Canonicalis, prout pluribus allegatis disputat, & concludit ipsemet Fagnanus *in d. cap. Dilectus. De Præben. à num.17. usque in fin. tom.4.*

Quartum Præmissum notatu dignum est, quod omnes obtinenres Dignitates, Canonicatus, Præbendas, vel Portiones in Cathedralibus, seu Collegiatis Ec-
14 clesiis tenentur in eis personaliter residere; nec possunt in absentia percipere fructus Præbendarum suarum. *cap. Licet. De Præbend. cap. Inter quatuor. cap. fin. De Cler. non residen.* non obstante contraria consuetudine non residendi, aut fructus in absentia percipiendi: nam etsi consuetudo hujusmodi valida esset de Jure communi, ut est textus *in cap. Cum omnes. De Constit.* & ibi Glossa *fin.* Innocen. & alii; saltem in eo casu, in quo Canonicus absens inserviebat per substitutum secundum opinionem Hostiensis *ibid. num.10.* tamen hodie sublata est à Concilio
15 Tridentino *in cap. 12. §. Præterea. sess. 24. de Ref.* ubi statuitur, *ut obtinentibus in Cathedralibus, aut Collegiatis Ecclesiis Dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut Portiones, non liceat vigore cujuslibet Statuti, vel consuetudinis ultra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse.* Quo decreto corrigitur prædicta Decretalis *Cum omnes*, & opiniones Doctorum in hac materia, ut testatur Fagnanus *in cit. cap. Licet. num. 31. de Præben. tom.4.* ubi sub *num. 40.* affirmat hoc procedere etiam in Dignitatibus Cathedralium, quæ nullos habent redditus, quod latiùs scripsit *tom.1. in cap. Cum omnes. num.25. & 26. de Constit.* referens ita respondisse S. Congregationem *die 18. Januarii 1614.* eo quia consuetudo non residendi, quæ valet de Jure communi, cum nulli sunt fructus, sublata est à Concilio in Canonicatibus, & in beneficiis Curatis; & propterea Canonicos diu
16 non residentes mortaliter peccare docent Lessius *de Just. & Jure lib.2. cap.34. dub. 29. num.163.* Vasquez *in Opuscul. de Benefic. cap 4. §.2. num. 180.* Garzias *d. part.3. cap.2. num. 321. & seqq.* Riccius *in Praxi Resolut. 363.* & Graffius *decis. aur. tom.1. lib.2. cap. 97. num.56.* nec non *tom.2. cap. 14. num.14.* quamvis contrarium opinetur Castropalaus *lib.1. cap 9. §. Lex purè pœnalis. Vers. Quia nulla Lex.*

His ita præmissis, notatis, ac constitutis deveniendo ad Quæsitum Illustrissimi, ac Reverendissimi Petri Martyris Ruscæ Episcopi Caprularum, petentis quibus remediis possit corrigere Canonicos suæ Cathedralis irresidentes, ac vagantes; eosque impedire, ne sibi invicem alios substituant pariter inhabiles ad residendum; itaut eos obliget ad residentiam, & ad personale servitium Chori saltem per novem menses præstandum? Ad medendum huic malo tria remedia videntur esse opportuna.

Primum est abolere, & extinguere titulos Canonicales eorum omnium, qui vel nunquam residentiam fecerunt, vel residendi de cætero animum non habeant. Hoc remedium tribus rationibus, ac juridicis fundamentis innititur. Prima est, quod ubi
17 Præbendæ non existunt, vel adeò tenues sunt, ut sustinendo decenti personarum gradui non sufficiunt, nec habentur simplicia beneficia, quæ illis possint uniri, potest Episcopus devenire ad abolitionem, & extinctionem Titulorum Canonicalium. *cap. Cum accessissent, & ibi DD. De Constitut.* Azor. *part. 2. lib.6. cap. 30. quæst. 11. & 12.* quod procedit non solùm in inferioribus beneficiis, & Canonicatibus, sed etiam in Dignitatibus. Garzias *de Benefic. part. 12. cap.2. num. 172.* Pyrrhus Corradus *in sua Praxi benefic. lib. 2. cap. 8. num. 21.* Tot enim in Ecclesia sunt ponendi, quot ex illius redditibus possint congruè sustentari. *cap.1. De Institut. & cap.1. §. Sanè. de Statu Regular. in 6.* Cum autem in Cathedrali Ecclesia Caprularum deficiant omninò Præbendæ Canonicales, nullæque sint Portiones, redditus, aut distributiones quotidianæ pro Canonicis; sed tantummodò habeantur tenues quædam Capellaniæ, seu Anniversaria pro Missis Defunctorum, quæ à Confraternitatibus Laicorum administrantur, & celebrantibus Sacerdotibus persolvuntur; omninò deveniendum est ad extinctionem, ac abolitionem assertorum multiplicium Titulorum Canonicalium, qui, ut ajunt Canonistæ, aerei sunt, ventosi, ac nominetenùs, & quos Jus Canonicum spurios, ac illegitimos reputat; cum decernat, neminem fieri Canonicum, sine Præbenda; vel saltem cum spe, & expectatione futuræ Præbendæ. *cap. Relatum. De Præbend. cap. Cum super. De Concess. Præben* & diximus supra in primo Præmisso de Canonia, cui applicari debet Præbenda; & hac deficiente etiam Canonia aboleri oportet, ut latiùs differunt Barbosa *d. cap.3. De Canonic. & Dignit. à num.1. & seqq.* & Fagnanus in sæpè repetito *cap. Cum M. Ferrariensis. num.17. De Constitut. tom. 1.*

Altera Ratio abolitionis horum Canonicatuum est, quia illos possidentes non solùm sunt inutiles ipsi Ecclesiæ; cui minimè serviunt, ut deberent. *ex cap. Statuimus. De Major. & Obed.* sed ulteriùs abutun-
18 tur illo titulo Canonicali, vel assumendo Lauream Doctoratus in Theologia, vel in utroque Jure absque examine, & sine scientia; abusus frequentissimus nostrorum temporum, quem Collegiales Doctores compescere non curant, ne sportulam pecuniariam amittant, quam prædicti Laureandi, etsi penitùs ignorantes, refundunt; prout etiam prædicti Canonici aereo, ac ventoso illo titulo muniti se eximunt ab obedientia, & à Jurisdictione suorum Ordinariorum, profitentes se esse Canonicos alterius Diæcesis; ac ulteriùs sub hoc prætextu tentant recipere Ordines Sacros sine licentia, imò invitis eorum Ordinariis; præter libertinam vitam, quam plurimi ex his Canonicis ducunt, vagantes per diversas Diæceses cum dedecore habitus Clericalis. Quare expedire videtur, ut Prælatus Caprulensis hos omnes Titulos extinguat, supprimat, & annullet, ad tollendos prædictos omnes abusus; ut admonet Fagnanus *in cit. cap. Dilectus. num. 9. de Præbend. tom. 4.* & ante eum idem scripserunt Innocent. *ibid. num. 2.* & Hostien. *num. 6.* imò Superiorem ex officio teneri hos Titulos aereos penitùs extinguere, & scandala ex eis provenientia ab Ecclesia sua eliminare, scripserunt Abbas *in d. cap. Cum. M. Ferrariensis in 3. notab. de Constit.* Petrus Gregorius Tholosan. *de Benefic. cap. 19. num. 2.* Barbosa *de Offic. & pot. Episc. alleg. 67. num. 8* Loterius *d. lib. 1. quæst. 28. num. 94.* & repetit ipse Fagnanus etiam *in cap. Ad hæc. num.22. de Præbend. tom.4.*

Tertia quoque ratio hujus cassationis, & abolitio-

Digitized by Google

nis desumitur ex eo, quod nullibi constat de erectione, aut institutione horum Canonicatuum; nam Illustrissimus modernus Episcopus antedictus mihi testatus est, quod factis diligentiis in Archivio suæ
19 Cancellariæ nullam reperire potuit Scripturam, aut authenticum actum, ex quo appareat, undè processerit tàm effusus numerus Canonicorum: imò in quodam libro veteri Episcopatus notatum existere; quod de Anno 1539. sub Caprularum Episcopo Domino Sebastiano de Rubeis duo tantùm erant Canonici;
20 & de Anno 1584. sub Domino Julio Superchio Episcopo de tribus tantùm Canonicis fit mentio; & ideò cum ab eo tempore citra tot, & tanti Canonici reperiantur creati absque legitima causa, & sine Præbendis, aut Portionibus; vel per Episcopos Sacrorum Canonum ignaros, vel per fictas resignationes ab ambientibus hos ventosos Titulos, ob indirectos fines, etiam in Dataria Romana obtentas; sequitur, has nominationes in nulla consideratione esse habendas, tanquam ab origine irritas, ac invalidas;
21 siquidem, ut ait Garzias *part.* 3. *cap.* 1. *num.* 42. beneficium, quod nunquam habuit redditus, verè beneficium dici non potest; sed censetur beneficium de vento, quod non potest permutari, nec resignari. Navarrus *cons.* 8. *num.* 14. & 18. *De Jurepatron.* quia inter alia requisita ad erigendum, & constituendum beneficium Ecclesiasticum, principale illud est, quod habeat redditus. Ferretus *consil.* 312. *num.* 1. undè omnes DD. definiunt beneficium esse Jus percipiendi fructus. Garzias *part.* 1. *cap.* 2. *num.* 1. & 2. Vivian. *de Jurepatron. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 210. ubi subdit,
22 quod sicut corpus sine anima non dicitur homo, sed cadaver: ita beneficium sine redditibus appellari non potest beneficium; & idcircò Illustrissimus Episcopus absque ullo scrupulo, imò magno cum merito apud Deum, & Ecclesiam, potest devenire ad prædictorum inanium titulorum Canonicalium abolitionem, & extinctionem.

Secundum remedium in eo consistit, quod de cætero nullus recipiatur inter Canonicos, neque admittatur in Capitulum; quamvis videatur aliquis titulus
23 vacare sivè per mortem, sivè per resignationem. Hoc remedium valdè proderit, si ad executionem mittatur, sed opus est multâ constantiâ ob importunas instantias prætendentium etiam titulos aereos, & de vento; & ob astutias hominum, qui solum interesse mundanum quærunt. At si accedentes cum titulo resignationis, vel impetrationis fuerint prorsùs à Capitulo rejecti, ipso jure privabuntur afferto titulo Canonicali; nam Canonicus nuncupari non potest, qui non est à Capitulo receptus, & cui stallus in Choro non est assignatus, ut advertit Loterius *d. lib.* 1. *q.* 19. *num.* 46. tantò magis quia cum Cathedralis Ecclesia Caprularum non sit numerata, non potest dari vacatio Canonicatuum, & quandocunque aliquis Canonicus vel moritur, vel titulum resignat, statim extinguitur Canonicatus, ut diximus in secundo præmisso; itaut non sit locus impetratio-
24 ni, ut scribunt omnes DD. & novissimè Fagnanus *in cit. cap. Dilecto. num.* 12. *de Præbend. tom.* 4. ubi ita disserit: *In Ecclesia non habente certum numerum Præbendarum non est possibile dare vacationem alicujus Præbendæ; idemque dicendum in Canonicatibus; nam cum in tali Ecclesia quis recipitur in Canonicum, creatur quoddam Jus de novo, quod cum recepto nascitur, & definit, seu extinguitur cum defuncto, ut dicitur in littera: vacare autem non potest, quod jam extinctum est. cap. Ex parte* Asten. *infra de Concess. Præben. cap. Cum accessissent. supra de Constitut. Secundum Hostien. hic num.* 11. Butr. *in cap. Cum M. num.* 1. *in fine supra de Constit. & ad hoc quotidie allegatur hæc Decretalis per Abb. num.* 9. *Quo fit, ut si in Ecclesia non numerata sint plures Canonici, quorum unus moritur, non valeant litteræ, si impetrentur super illius Canonicatu alteri conferendo, quia non vacat, sed definit.* Hucusque Fagnanus, cum quo concordant Barbosa *De Canonicis, & Dignit. d. cap.* 3. *num.* 8. & Loterius *d. lib.* 1. *q.* 14. *num.* 16. 17. & 18. ubi Decisiones etiam Rotales. Idcircò quamvis accederet aliquis ad Ecclesiam Caprularum cum Litteris Apostolicis impetrationis, vel resignationis alicujus asserti Canonicatus, petens se recipi in Canonicum, esset omninò reiiciendus; qui si appellaret à rejectione vel coram Executore Apostolico in Litteris deputato, vel coram Nunciatura Apostolica Venetiarum; Instandum fortiter foret per Illustrissimum Episcopum pro nullitate earundem Litterarum ex doctrinis, ac DD. supra allegatis, & in secundo præmisso deductis; Ita enim Judex easdem Litteras nullas judicabit, & ex tali judicio compescentur audaces, & ambitiosi, quorum non intererit facere expensas in Dataria, ac coram Judicibus Delegatis, & ab eis reportare Sententiam nullitatis Bullarum.

Tertium tandem Remedium, quod facilius, magis opportunum, ac Sacris Canonibus magis consonum apparet, est reductio Canonicatuum ad certum,
25 sed parvum numerum; constituendo Cathedralem illam Ecclesiam Caprulensem numeratam. Hoc in facto non erit difficile; potest enim Illustrissimus Præsul pro eximiâ prudentiâ suâ computum facere Missarum, Anniversariorum, ac aliorum emolumentorum omnium, quæ ex legatis piis, aliisque de causis solvuntur à Confraternitatibus Laicorum in dicta Cathedrali erectis; seu ab executoribus testamentariis quibuscunque; nec non eleemosynarum, & incerto-
26 rum ex piscationibus, cymbarum benedictionibus, aliisque Ecclesiasticis functionibus annuatim certò provenientium; & juxta eorum omnium Summam tot Titulos Canonicales statuere, quot ex portione illius summæ Sacerdotes possint sustineri, ut cum titulo Canonicali eidem Cathedrali Ecclesiæ valeant personaliter deservire, & in ea actualiter residere, ac tanquam Canonici Horas Canonicas in choro recitando, Capitulaque collegialiter inter se habendo: om-
27 nis enim numerus sufficit, dummodò non sint pauciores, quàm tres, ut notat Loterius *d. lib.* 1. *q.* 14. *num.* 3. Prædicta autem emolumentorum assignatio fieri poterit vel distincta, ac separata, ut unusquisque Canonicus de per se illam exigat; vel si id non sit possibile; erit decernendum, ut tota illa summa stet pro indiviso, ac annuatim exigatur ab uno Œconomo, dividenda postea bis, ter, vel pluries in An-
28 no singulis de Capitulo, apud quod stabit dominium eorundem omnium emolumentorum; ut in pluribus Cathedralibus servari affirmat Barbosa *de Canonic. d. cap.* 3. *num.* 7. & Moneta *de Optione Canon. cap.* 2. *q.* 2. *num.* 16. & 17. Sic faciendo Illustrissimus Antistes poterit etiam exequi præceptum S. Concilii Tridentini *sess.* 24. *de ref. cap.* 12. quo Episcopi adstringuntur assignare Sacros Ordines unicuique Canoni-
29 catui, adeoùt saltem unus sit Diaconalis; alter Subdiaconalis, reliqui Sacerdotales; & ut de cætero nemo eligi possit ad illos Canonicatus, nisi sit in ea ætate constitutus, in qua ordinem annexum intra annum suscipere valeat; eosdem omnes Canonicos ad personalem residentiam juxta præscriptum ipsius S. Tridentini Concilii obligando; interponendo super præmissis omnibus suum judiciale Decretum, & ordinariam Auctoritatem, etiam tanquam specialiter sibi ex decretis Concilii Tridentini competentem; ac eosdem Canonicos jurare obstringendo, ne aliquem intra eorum numerum recipiant, qui prædictam ætatem, aut Ordinem Sacrum non habeat; ac residentiam facere jurejurando spondeat. Poterit etiam super prædicta Titulorum Canonicalium restrictione, numero, ac Ordinum Sacrorum impositione, impetrari Romæ à Summo Pontifice Apostolica Confirmatio, ne deinceps ab Episcopis Caprularum Successoribus, vel ab ipsis Canonicis, ea, quæ statuta fuerint, valeant violari; ita enim reforma-

bitur

Digitized by Google

bitur illa Cathedralis, auferrentur abufus, ac vagationes Canonicorum irrefidentium, cultus divinus inftaurabitur; Ecclefia miniftris dignis providebitur, ac illius populo in fpiritualibus confuletur, ut advertunt Loterius *d. lib. 1. q. 14. num. 30.* & Fagnanus *in d. cap. Dilecto num. 22. de Præben. tom. 4.* Ipfe
30 quoque Epifcopus magis honorabitur juxta regulam, quæ dicit, & docet, melius effe habere paucos miniftros, qui poffint dignè opus Dei exercere, quàm multos inutiles, ac malos Divini fervitii defertores. *cap. Tales. 23. dift. cap. Nihil eft. §. Epifcopi. De Elect.* Et latè Bellettus *de Difcipl. cleric. §. 15. num. 39.*

Hæc vix fcripferam ad inftantiam Illuftriffimi, ac Reverendiffimi Petri Martyris Rufcæ Epifcopi Caprularum Cathedralem illam impensè reformare cupientis, cum ejus obitum ex brevi infirmitate audiverim: ideò evanuit omnis cogitatio reformationis, cum ejus Succeffores, in propriæ animæ perditionem, in illo Epifcopatu non curent facere refiden-
31 tiam, etiamfi illa fecundum veriorem opinionem fit de Jure Divino, ut demonftrat Fagnanus in *cap. Ex parte à num. 20. & feqq. D: Cleric. non refiden. tom. 4.* Utinam legerent, ac contemplarentur invectivam tùm Cardinalis Turrifcrematæ, tùm Cardinalis Cajetani in Epifcopos non refidentes, de qua idem Fagnanus *in cap. Qualiter. num. 13. De Cleric. non refiden. d. tom. 4.* & *in cap. Dudum. il 2. num. 27. de Elect. tom. 2.* Anno 1698. publicata fuit Patavii electio ad Epifcopatum Caprularum de perfona Reverendiffimi Jofephi Abbatis Scarellii Cuftodis Præben-
32 dati in hac Cathedrali Patavina, Viri honeftate morum, & eruditione litterarum ornatiffimi, qui paulò ante dederat in lucem continuationem Hiftoriæ Venetæ *ab Anno* 1669 ufque *ad Annum* 1692. juxta ftylum Joannis Baptiftæ Veri Canonici Patavini, de quo fupra in *Difcord. XVIII. num. 5.* Se contulit Romam pro confecratione obtinenda, & antequam examen Epifcopatus fubiret, ad examen æterni Judicis, morte præventus, fuit vocatus. Dolentibus ejus confaguineis legenda dedi verba P. Danielis Bartoli Soc. Jefu, qui in *Vita Ven. P. Vincentii Caraffæ* Generalis VII. ejufdem Societatis *libr. 2. cap. 13. pag. 326. & 327.* de hac præventione mortis
33 fic illum inducit loquentem: *Quando Iddio tal volta toglie la vita ad alcuno nel meglio delle fperanze, c'haveva di crefcere in Ricchezze, e Dignità mondane, tanto pericolofe all'anima de chi le poffede, foleva dire tacitamente a l'orecchio quello, che già Chrifto diffe à S. Pietro:* Quod ego facio, tu nefcis modò; fcies autem poftea. *E però morendo un gran Cavaliere in Napoli fatto Secretario del Regno li diffe: Quefta è gratia, che Dio vi fà, perche vi vuole Salvo; e vi coglie hora innocente, ciò che forfe fopravivendo Voi per cagione dell'Ufficio in avenire non farebbe.*
34 Qui legit, intelligat; & qui Epifcopatus defiderant, officia, ac obligationes Epifcoporum edifcant, de quibus dixi in meis Decifionibus. *De Sacram. Ordinis Decif. XXXVIII. & Decif. XXXIX.* eas enim fi adimplere neglexerint, nefcio quomodò poffint falvari, ut etiam fcriptum eft *infra Difcord. C.*

DISCORDIA XXVI.

ARGUMENTUM.

Simoniaca eft erectio Capellaniæ temporalis cum pacto eam permutandi cum beneficio Ecclefiaftico; & cum conditione, ut poft mortem poffefforis ipfius Capellaniæ ejus Dos revertatur ad Fundatorem, ac illius hæredes.

SUMMARIUM.

1 *Penfionum exactio difficilis.*
2 *Capellaniæ inftitutio fictitia, ac Simoniaca.*
3 *Abbates habentes Jurisdictionem Epifcopalem poffunt erigere beneficia Ecclefiaftica cum Jurepatronatus.*
4 *Vicarius Epifcopi abfque fpeciali licentia non refervat Juspatronatus.*
5 *Beneficium Ecclefiafticum debet inftitui perpetuum, non ad tempus limitatum.*
6 *Deo quæ femel offeruntur, ad ufus profanos reverti non debent.*
7 *Dos affignata beneficio à Dotatore revocari non poteft.*
8 *Patronus in fundatione beneficii quafcunque conditiones poteft apponere.*
9 *Conditiones contra fubftantiam beneficii Patronus in fundatione ponere non valet.*
10 *Perfonatus in Hifpania eriguntur ad duas, vel tres tantùm nominationes Patronorum.*
11 *Perfonatus non funt beneficia Ecclefiaftica.*
12 *Perfonatuum bona femper remanent apud Ecclefiam.*
13 *Simonia eft dare temporale pro fpirituali.*
14 *Pactio de refignando beneficio cum promiffione folvendi annuatim aliquam Summam pecuniæ refignanti, eft fimoniaca.*
15 *Penfio fuper beneficio fine confenfu Summi Pontificis inter refignantem, & refignatarium imponi non poteft.*
16 *Capellania Temporalis an fit beneficium Ecclefiafticum?*
17 *Juspatronatus fi ad vitam Patroni tantùm fit refervatum, eo mortuo ceffat, & beneficium fit liberum.*
18 *Andreæ Mendo doctrina, quod pactio permutandi Perfonatum cum beneficio eft Simoniaca.*
19 *Perfonatus quibus conditionibus funt erigendi ex Navarro?*
20 *Capellania duratura ad duas folas nominationes non poteft erigi in beneficium Ecclefiafticum.*
21 *Infolita, ac inverifimilia continent malitiam, & fimulationem.*
22 *Beneficia Ecclefiaftica emere, & vendere eft piaculum graviffimum.*

CASUS.

Sempronius petiit à Titio, poffidente beneficium fimplex Ducatorum 300. annuorum circiter, refignationem illius beneficii ad favorem filii fui paratus eidem folvere vel penfionem annuam ejufdem fummæ, vel ei conftituere confimilem redditum annuum Ducatorum 300. ad illius beneplacitum. Titius non acquie-
1 fcit oblatæ Penfioni, fciens penfionum exactionem effe difficilem poft refignata beneficia, ut experientia docet. Idcircò volens habere liberum dominium, & poffeffionem prædictæ fummæ Ducatorum 300. independenter per eum exigendorum in aliqua fecura forma; fit pactio, & conventio, ut Sempronius inftituat Capellaniam cum affignatione dotis Ducatorum 300.
2 & obligatione trium Miffarum tantùm in anno, refervato fibi Jurepatronatu, & facultate nominandi Capellanum; fed cum hac expreffa conditione ut dicta Capellania duret folummodò per duas nominationes, & poffideri poffit à duobus Capellanis, uno poft alterum ita ut cedente, vel decedente fecundo Capellano à fe nominando extinguatur, & extincta cenfeatur ftatim ipfa Capellania Ecclefiaftica, & dicta dos Ducatorum 300. revertatur ad ipfum Dominum fundatorem, & ad ejus familiam tanquam redditus laicalis, atque fub illius difpofitione, & dominio femper remaneat, ac fi nunquam dicta Capellania facta fuiffet. Juxta hanc conventionem, & cum hac conditione Sempronius obtinuit prædictæ Capellaniæ erectionem, & canonizationem à Vicario Abbatis N. qui afferitur Ordinarius, & cum plena Jurisdictione Epifcopali in Ecclefia, in qua dicta Capellania fuit inftituta, & fucceffivè Sempronius nominavit ad ipfam pro prima vice

Digitized by Google

vice Filium suum ad hoc, ut pauló post possit illam
permutare cum beneficio simplici supradicti Titii ac-
cedente consensu ipsius Sempronii, & cum declara-
tione quod Titius sit, & esse intelligatur secundus Ca-
pellanus ad effectum, ut eo mortuo extinguatur etiam
Capellania, & dos assignata revertatur ad ipsum fun-
datorem juxta conditionem in fundatione appositam.

His sic stantibus in facto requisitus fui respondere,
An hæc omnia bene stent etiam in Jure, & in conscien-
tia? Et Respondi negativè ob tria motiva.

Primum fuit quod Abbas N. mihi videbatur non
habere facultatem erigendi beneficia cum reservatione
Jurispatronatus: non ex eo quod me lateat. Abbates
habentes plenam Episcopalem Jurisdictionem posse
3 tanquam Ordinarios auctorizare hujusmodi erectiones,
& reservare jus nominandi Patronis in suis Ecclesiis, ut
decisum legitur apud plures Auctores, & præcipuè
apud Garziam *de Benefic. part.* 5. *cap.* 9. *num.* 71. Sed
ex eo quia aliàs audivi, Episcopum Diæcesanum con-
tendisse cum dicto Abbate N. & impugnasse assertam
Jurisdictionem Ordinariam. Idcircò monui clientem
ut veritatem indagaret, & de hoc motivo non est mihi
ulteriùs differendum, asserentibus pluribus dictum Ab-
batem absque dubio esse Ordinarium, & exercere Juris-
dictionem Episcopalem in Ecclesia, in qua dicta Capel-
lania fuit erecta.

Secundum motivum fuit ob defectum facultatis in
Vicario ejusdem Abbatis; quia verior est opinio Ca-
nonistarum; quod absque speciali mandato non possit
Vicarius concedere Juspatronatus, ut docent Lotter.
4 *lib.* 2. *quæst.* 7. *num.* 2. & 3. Adden ad Gregor. *De-
cis.* 420. *n.* 8. & Card. de Luca *de Jurepatron. disc.* 55.
num. 5. non obstante absentia Prælati, qui cum non sit
in tam longa distantia, ut ad ipsum scribere, & specia-
lem licentiam Vicarius requirere non possit, non
valet ejus consensus sine speciali ejus commissione;
eo minùs quia in præsenti casu non est periculum in
mora, neque agitur de utilitate Ecclesiæ, attenta tem-
poraria erectione Capellaniæ, cujus dos post secun-
dum Capellanum reversura est in domum ipsius funda-
toris, ad tradita per eundem Cardin. de Luca *d. tract.
de Jurepatronatus disc.* 28. *num.* 13. & 14. ubi DD.
cumulat, & *disc.* 56. *num.* 8. & 9. Sed & in hoc mo-
tivo non est multùm insistendum.

Tertium verò motivum, quod omninò me adegit
ad negativam responsionem, fuit tùm nullitas supra-
dictæ erectionis Capellaniæ in beneficium Ecclesia-
sticum; tùm manifesta labes Simoniaca, quæ in per-
mutatione facienda cum Titio, interveniet. Nullitas
resultat ex illa Conditione, sine qua Sempronius non
erexisset dictam Capellaniam, videlicet quod non sit
perpetua, sed duret tantummodò per duas nominatio-
nes; deinde dos Ducatorum 300. ad ipsum reverta-
tur, siquidem unum de requisitis substantialibus
5 beneficii Ecclesiastici est, quod sit perpetuum. Gon-
zal. *gloss.* 5. *num.* 11. Barbos. *de Jure Eccles. Univ.
lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 11. Fagnanus *in cap. Ad audien-
tiam num.*98. *de Rescriptis*, & Rota *part.* 5. *rec. tom.*1.
decis. 379. *num.* 3. & ratio est evidens, quia dotare be-
neficium Ecclesiasticum est offerre Deo dotem illam.
Ergo non ampliùs debet revocari, neque converti in
usus profanos, neque reverti in dominium dotantis.
cap. Quæ semel. 19. *quæst.* 3. *cap. Nulli liceat.* & *cap.*
6 *Prædia.* 12. *quæst.* 2. *cap. semel Deo. de Reg. Jur. in* 6.
Ubi Dynus, & novissimè Vincentius Taccinus, ju-
ribus, rationibus & exemplis hanc regulam compro-
bantes. Igitur cum Sempronius voluerit Dotem be-
neficii esse revocabilem, & ad se revertibilem post
secundam nominationem, non fecit verum benefi-
7 cium, quia non transtulit ejus dotem in Dominium
Christi, & Ecclesiæ irrevocabiliter, prout erat de essen-
tia, & de substantia beneficii Ecclesiastici. *cap. Cum
secundum. de Præb. cap. Quia Christi.* 12. *quæst.* 2.
Ciarlin. *lib.* 2. *cap.*209. *num.* 33.

Neque juvat illud Axioma, quod Patronus in fun-
datione beneficii potest apponere quascunque condi-
tiones sibi benè visas, etiam contrarias juri canoni-
8 co. Burat. *Decis.* 21. *num.* 3. Quia limitatur mul-
tipliciter, sed præcipuè nisi conditiones sint contra
substantiam ejusdem Beneficii. Rota *in Rom. Jurispa-
tron.* 31. *Maii* 1613. Coram Card. Sacrato impressa
9 apud Vivian. *lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 56. & Ferentil. *ad Bu-
ratt decis.* 223. *num.* 18. tunc si Patronus insistat in
conditione contra substantiam beneficii, non datur
esse beneficio, & nihil operatur decretum Ordinarii
ob malam dispositionem Patroni; quemadmodum ni-
hil valet absolutio Confessarii ob malam dispositio-
nem pœnitentis; talis enim est conditio reversionis
Dotis assignatæ in Dominium, & Usum fundatoris
& hæredum ipsius, quæ est contra substantiam be-
neficii, & nullatenùs est admittenda ab Episcopo. Ge-
nuensis *in praxi Curiæ Archiep. cap.* 102. *num* 7.

Minùs relevat Auctoritas Andreæ Mendo, &
Navarri asserentium in Provincia Tarraconæ fieri ere-
ctiones Personatuum ad duas, vel tres nominationes
10 tantùm, ad arbitrium Patronorum. Mendo *Verb. Be-
neficium num.*18. Nam respondetur, primò quod tàm
Mendo *ibidem*, quàm Navar. *lib.* 3. *de Jurepatronat.
Cons.* 8. *num.* 8. fatentur expressè dictos Personatus
11 non esse beneficia Ecclesiastica, quia non sunt per-
petui. Secundò respondetur quod Dotes, & redditus
eorundem Personatuum non revertuntur ad Patro-
nos, sed applicantur ad alia opera pia in perpetuum,
prout expressè cavetur in Constitutione Synodali Tar-
12 raconensi, quam ponit Navarrus *post dictum Consil.* 8.
& Rota quæ habetur apud Tamburin. *de Jure Ab-
bat. tom.* 3. *decis.* 14. Quare toto Cœlo distant dicti
Personatus ab hac ridicula fundatione beneficii facta
per Sempronium, quæ ex defectu substantialis requi-
siti nihil habet de Beneficio Ecclesiastico præter no-
men, & est merum emolumentum temporale.

Sed ulteriùs Simoniaca labes est evidens, si per-
mutatio fiat hujus fictæ Capellaniæ Sempronii, cum
vero beneficio Ecclesiastico Titii; siquidem resi-
13 gnaretur, & daretur Spirituale pro temporali. S.
Thom. 2. 2. *q.* 100. *art.* 1. *Cap. Nemo. de Simon.*
Decian. *in tract. criminal. lib.* 5. *cap.* 77. *num.* 1. atten-
ta præcipuè conventione, & pactione facta ante ere-
ctionem Capellaniæ, de ea permutanda cum benefi-
cio Ecclesiastico possesso per Titium. *Cap. Quam
pio.* 1. *quæst.* 2. *cap. fin. de Pactis. cap. Tua* 34. &
ibi Fagnanus *num.* 44. *de Simon.* Idem enim est ac
14 si partes contraxissent de resignando beneficio Titii
cum donatione Ducatorum 300. annuorum, donec
vixerit: vel de solvenda pensione ejusdem summæ
absque approbatione, & sine Bullis Summi Pontifi-
cis, quod in utroque casu est Simoniacum. Farinac.
15 *lib.* 1. *Cons.* 75. *num.* 1. & *seqq.* & ibidem Rota *de-
cis.* 26. & de hac veritate, & doctrina testantur om-
nes Moralistæ, qui de Simonia tractant. Vasquez
in Opusc. Moralibus tit. de Beneficiis cap. 2. §. 4. *dub.* 1.
& 2. Azor. *Instit. Moral. part.* 2. *lib.* 7. *cap.* 27. Bonac.
tom. 1. *de Simon. disp.* 1. *q.* 4. §. 12. Sanchez *in Consil.
Moral. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 24. Layman. *lib.* 4. *tract.* 10.
cap. ult. §. 5. *num.* 58. Card. Tolet. *in Summa lib.* 5.
cap. 92. Mastrius *in Theolog. Moral. disp.* 14. *quæst.* 3.
art. 2. & novissimè Collegium Salmanticen. *in Cur-
su Theolog. Moral. tom.* 4. *tract.* 19. *de Simon. cap.* 3.
num. 34.

Neque alicujus ponderis est auctoritas Viviani de
Jurepatron. lib. 15. *cap.* 1. *num.* 15. Andreæ Mendo
in *Epitome Moral. verb. Beneficium num.* 18. & Na-
16 varri *ibid. cit. lib.* 5. *Consil. de Simonia Consil.* 43. *n.* 10.
quibus Auctoribus innixi aliqui consulentes in hoc Ca-
su perperàm dicunt, licitam esse erectionem supradi-
ctæ Capellaniæ temporalis, & per consequens eam
posse permutari cum beneficio Ecclesiastico Titii
absque Simoniæ labe.

Respondeo enim primò, quod Vivianus *d. lib.* 15.
cap. 1. *num.* 15. non docet, posse Patronum constituere
benefi-

Digitized by Google

beneficium temporale, sed posse reservare sibi Juspatronatus ad tempus: hæc sunt Verba Viviani: *Octavò cessat Juspatronatus per lineæ extinctionem;*
17 *quamvis enim de sui natura transeat ad hæredes; nulla etiam hæredum mutatione facta in reservatione Jurispatronatus, ut concludunt communiter DD. in Cap. 1. de Jurepatronat. Attamen si fundator reservavit sibi Juspatronatus cum aliqua qualitate, qua demonstret voluisse Juspatronatus durare tempore suo, præsertim si addita sit dictio taxativa, tunc personam fundatoris non egreditur. latè Moneta de Commut. ultimarum volunt. cap. 11. num. 134. & dixi supra pluribus in locis.* Loquitur itaque Vivianus de Jurepatronatus reservato ad tempus, quod nihil implicat esse temporale, quia eo extincto subsistit beneficium, & de servitorio fit liberum, & restat in Ecclesia ad ejus liberam dispositionem, quod est favorabile, & à Jure permissum *Cap. Significavit. de Testibus. Cap. 1. de Jurepatron. in 6.* Fagnanus *in cap. Perlatum num. 24. de Jurepatron. tom. 5. pag 232.* Nostra autem Conclusio est de Capellania seu beneficio Ecclesiastico ad tempus, quod diximus ad instantiam Fundatoris fieri non posse; ut probatum est supra, & de hac non loquitur Vivianus.

Respondeo Secundò: Andream Mendo loqui de Personatu, cujus dos, & redditus annui sunt perpetuò assignati piis operibus, ut dictum est supra; & nihilominus subdit ibi ipse Mendo hæc Verba: *Quod*
18 *si illum* (Patronus) *fundet cum pacto inito cum alio beneficiato permutandi eum cum beneficio illius, si fremus Regulis communibus, est Simoniaca pactio; Cum omnes hujusmodi pactiones in permutatione, & fundatione beneficiorum sint reprobatæ Jure Ecclesiastico velut Simoniacæ. cap. Tua de Simonia. cap. fin. de Pactis.* Ergo etiam ex Doctrina Mendi deprehenditur mendosa, atque simoniaca hæc permutatio.

Respondeo Tertiò, quod Navarrus nihil loquitur de hoc Casu *in cit. lib. 5. de Simonia cons. 43.* sed de eo tractat *in cons. 9. & in lib. 3. de Jurepatron. cons. 8.* ubi
19 duo firmat. Unum quod ut talis erectio Personatus sit bona; post nominationes Clericorum ad illum, redditus debent transire ad alia opera pia in perpetuum; ita ut nunquam revertantur ad Fundatorem. Alterum, quod si fiat Personatus cum pacto permutandi ipsum cum alio beneficio, pactio est Simoniaca. Igitur etiam juxta doctrinam Navarri erectio Capellaniæ, de qua agimus, non est bona, & si permutatur juxta pactum, erit permutatio Simoniaca.

Concludo ex his omnibus cujuscunque probi, ac docti Viri partes esse, suasos reddere Sempronium, & Titium, ut à prædicta permutatione abstineant; nè pœnas, & censuras contra Simoniacos latas incurrant; afferta enim Capellania noviter erecta ad
20 duas nominationes cum conditione, ut deinde dos Ducatorum 300. revertatur in marsupium fundatoris, non est, & non potest esse beneficium Ecclesiasticum, sed est lucrum temporale, sub simulatione beneficii; de qua simulatione apertè constat etiam ex levitate oneris injuncti trium Missarum annuatim; quod est insolitum, & inverisimile. Rota *part. 9. rec. decis. 3. num 5. part. 18. decis. 473. num 4. & part 19. decis. 13. num. 16. & 20.* Nemo enim est, qui faciat unam veram Capellaniam Ecclesiasticam cum reddito sic magno; & cum onere sic parvo; & per consequens si permutatio sequatur, dabitur spirituale pro temporale; & Sempronius ejusque filius, atque Titius erunt ementes, & vendentes beneficium Ecclesiasticum, quorum facinus quàm sit detestabile videatur Fagnanus *in cap. Cum pridem. num. 41. de Pactis tom. 2. pag. 546. &c.*

DISCORDIA XXVII.

ARGUMENTUM.

Capitulum Spalaten. eligere non potest in Canonicos, nisi Clericos de gremio illius Ecclesiæ, qui saltem per septennium eidem serviverint. Servitium illud debet esse verum, & personale; non autem per metaphoram, vel æquipollens. Statuentes non possunt mutare statutum factum ob bonum publicum, vel ob utilitatem inferiorum. Ordinarius interpretari, vel declarare non valet Legem, Apostolica Auctoritate confirmatam.

SUMMARIUM.

1 *Spalati Urbis Archiepiscopalis descriptio.*
2 *Stephanus Cosmus Archiepiscopus Spalaten. laudatus.*
3 *Synodi Spalatensis de Anno 1688. tenor circa electionem Canonicorum.*
4 *Hieronymus Dumaneus Juvenis Spalatensis alumnus Collegii Grajaci.*
5 *Primam Tonsuram recipiens in aliqua Ecclesia fit Clericus illius.*
6 *Absentia studiorum causa æquiparatur cum absentia pro servitio Ecclesiæ.*
7 *Ecclesia indiget Viris Litteratis.*
8 *Absens causa studii fruitur omnibus Privilegiis quo ad beneficia; & præsens reputatur.*
9 *Capitulum potest recedere à Statutis per se factis.*
10 *Statutum recipit interpretationem secundum Jus commune.*
11 *Synodi Spalaten. declaratio circa Decretum Visitatoris Apostolici.*
12 *Ætas pro Ordine Sacro annexo Canonicatui est attendenda in eligendo ad illum.*
13 *Statutum conditum ob bonum publicum non potest à Statuentibus prævaricari.*
14 *Statutum confirmatum à Visitatore Apostolico est irretractabile à quocunque inferiore.*
15 *Statutum concernens utilitatem Cleri non potest à Capitulo Canonicorum violari.*
16 *Qualitates competitorum, non votorum numerus in electionibus sunt præferendæ.*
17 *Canonicus Spalaten. esse non potest, qui illi Ecclesiæ per septennium actualiter non servivit.*
18 *Indignum qui elegit, privatur ea vice jure eligendi.*
19 *Clausula irritans actum, reddit ipsum omninò nullum.*
20 *Qualitatibus requisitis pro collatione beneficiorum neque Capitulum, neque Episcopus potest derogare.*
21 *Prima Tonsura, ut faciat Clericum de gremio alicujus Ecclesiæ, debet ei per expressum adscribi.*
22 *Statutum est grammaticaliter, & ad Litteram intelligendum; non autem per metaphoram.*
23 *Famulari est præsentialiter servire Majoribus.*
24 *Absentes causa studii lucrantur fructus Præbendæ, non etiam quotidianas distributiones.*
25 *Servire, & interesse sunt Verba æquipollentia.*
26 *Interessentia personalis non admittit fictionem.*
27 *Verba Statuti non fictè, sed verè, ac præsè accipienda.*
28 *Statuentes quando recedere non possint à dispositione Statuti?*
29 *Servitium fictum non sufficit, ubi requiritur personale.*
30 *Ordinarius interpretari, vel declarare non potest Statutum, Apostolica Auctoritate confirmatum.*
31 *Clara quæ sunt, non egent interpretatione.*
32 *Inferior destruere non potest Legem Superioris.*
33 *Probibitio* sub ullo etiam rationabili prætextu *excludit omnem casum.*
34 *Quæ sunt de forma suppleri non possunt per æquipollens, neque de licentia Prælati.*

35 *Probi-*

Digitized by Google

35 *Prohibitum directò, censetur prohibitum etiam per indirectum.*
36 *Prohibito consequenti est etiam prohibitum antecedens.*
37 *Quod una via non licet, neque altera admitti potest.*

Spalatum est Urbs Dalmatiæ, quam Slavi *Split* vocant, & quæ olim Diocletiani Imperatoris Palatium fuit; nunc autem Civitas egregia, mercaturis, ac
1 negotiationibus florens; portu gaudet capaci, & tuto; ipsaque fortis, ac munita est, Serenissimæ Reipublicæ Venetæ dominio parens; pluries à Turcis tentata, ac obsessa, sed irrito semper conatu. Hæc post eversas Salonas, à quorum ruderibus distat quatuor tantùm milliaribus, facta est Urbs Archiepiscopalis, habens sub se Episcopatus septem, nempe Pharensem, Traguriensem, Sebenicensem, Tinenensem, Almissensem, Sanadriensem, atque Nonensem. Decorata reperitur hæc Metropolitana anteactis sæculis regimine tùm Canonicorum Zelo Divini cultus, ac pietate præstantium, tùm Archiepiscoporum Virtute, ac Pastorali sollicitudine pollentium, inter quos hisce temporibus præfulget Il-
2 lustriss. ac Reverendiss. Stephanus Cosmus, cujus eximiæ eruditionis testis est Historia Vitæ Jo. Francisci Cardinalis Mauroceni Episcopi Brixiensis, quam typis impressam Anno 1676. Venetiis studiosi omnes venerantur. Prælatus iste in sua prima Synodo habita Spalati *Anno 1688.* differens *De Capitulo, & Canonicis cap.* 25. inter cætera *num* 15. ita loquitur: *Quod ad Capitulum spectat, repetendum in primis est Decretum Visitatoris Apostolici Prioli sequentis tenoris: Nove-*
3 *rit R. Capitulum sibi non licere quempiam in Canonicum eligere, qui ex Cleri corpore non sit, & in Cathedrali Ecclesia per septennium ad minùs servitium non præstiterit, juxta decretum à Reverendissimo Foconio b. m. de consensu ejusdem Capituli super hoc editum, & emanatum; itaut electio aliter facta in posterum nullius sit roboris, ac momenti; neque possit Reverendissimus Archiepiscopus pro tempore existens, electum contra hujus declarationis tenorem sub ullo etiam rationabili prætextu in Cleri præfati præjudicium confirmare. Hactenus Illustrissimus Visitator.* Subdit deinde ipse Illustrissimus Cosmus ibidem: *Advertimus tamen, hoc decreto non comprehendi Clericos hujus Ecclesiæ, qui studiorum causâ abfuerint, vel aliâ à nobis approbandâ.* Prædicta Visitatio Apostolica facta fuit Spalati ab Illustrissimo, ac Reverendissimo Priolo Anno 1603. & antescriptum Decretum ejus fuit semper inviolabiliter custoditum, observatum, & fideliter executum, tàm ab ipso Spalatensi Capitulo in eligendis Canonicis, quàm ab iisdem Archiepiscopis in illis confirmandis, absque ulla interruptione usque ad hæc tempora.

Octo ab hinc annis, Anno scilicèt 1689. Hieronymus Dumaneus Juvenis laicus Spalatensis, iturus causa studii Grajacum, ut obtineret locum in Collegio Scholarum illius Urbis, sumpsit ab Illustrissimo suo
4 Ordinario primam Tonsuram; & moratus Grajaci per duos annos in habitu laicali, tandem sex ab hinc circiter annis ibidem clericalem vestem induit, receptus intra numerum clericorum studentium in prædicto Collegio; & in præsenti Anno 1697. cum vacaverit Canonicatus in supradicta Ecclesia Cathedrali Spalaten. ad preces, & officia Domini Primicerii Patrui sui, fuit ipse clericus Hieronymus electus Canonicus per majorem numerum Votorum in concursu alterius Sacerdotis Diœcesani, qui eidem Ecclesiæ per septennium, & ultrà, laudabiliter inservivit, & actualiter inservit. Quare dubitare contingit, an electio Hieronymi sit valida, & ab Illustrissimo Archiepiscopo sit confirmanda?

Et quidem prima facie videbatur respondendum affirmativè, ex sequentibus.

Primò: Quia supradictus Hieronymus Dumaneus, cum habuerit Tonsuram à suo Ordinario, factus est Clericus Spalatensis. *cap. Cum contingat.* ubi DD.
5 *De Ætate, & Qual. ord.* Carolus de Grassis *de Effectibus Cleric. in Prælud. num.* 301. Ergo habet primum requisitum, de quo in Statuto, quod scilicèt sit de corpore illius Cleri.

Secundò: Quia videtur etiam habere secundum requisitum de servitio Ecclesiæ per septennium præstando, quamvis sit absens. Nam absentia studiorum
6 causa, & absentia pro servitio Ecclesiæ æquiparantur. Fagnanus *in cap. De cætero. num.* 21. *tom.* 4. *de Cleric. non resid.* Ergo qui vacat studio, servit Ecclesiæ. Ecclesia enim indiget viris doctis, & Litteratis. *cap. Cum*
7 *eo.* 34. & ibi Joan. Monachus, & Probus. *de Elect. in* 6. Gonzal. *ad Reg.* 8. *Canc. Gloss.* 4. *num* 4.

Tertiò: Quia absentes causa studii fruuntur omnibus Privilegiis in jure concessis circa beneficia, & eorum fructus percipiendos. *cap. fin. de Magistr.* Con-
8 cil. Trid. *de Ref. sess.* 5. *cap.* 1. *in fine.* Igitur per supradictam absentiam non erit impedienda electio ejusdem Dumanei ad Canonicatum; quia absens causa studii præsens reputatur. Ferentill. ad Burat. *decis.* 584. *num.* 20.

Quartò: Tantò magis quia non videtur prohibitum Capitulo, & Canonicis recedere à statutis per se factis, quamvis ab Apostolica Sede confirmatis. *cap.*
9 *Cum accessissent.* ubi omnes DD. *de Constitutionib.* Ciarlin. *lib.* 1. *cap.* 38. *num.* 47. Baldellus *de Legib. lib.* 5. *disp.* 49 *sub num.* 19. Statutum enim statuentes non ligat. Gonzal. *ad d. Reg.* 8. *in Proemio* §. 2. *num.* 39.

Quintò: Quia statuta recipiunt interpretationem à Jure communi. Panimoll. *decis.* 57. *num.* 24. Pignatell. *tom* 4. *consult.* 35. *num.* 34. Sed Jus commune facit, ut
10 filius absens studiorum causa censeatur præsens, & dicatur habitare simul cum Patre. Adden. ad Gregorium XV. *decis.* 182. *num.* 9. Ergo prædictus Dumaneus reputandus est præsens in Ecclesia Spalatensi, & eidem servire.

Sextò: Quia habemus interpretationem specificam ejusdem Statuti factam in Synodo Spalaten. in qua expressè dicitur, in supradicto Statuto, & Decreto
11 Visitatoris Apostolici non comprehendi Clericos illius Ecclesiæ, qui studiorum causa abfuerint; vel aliâ ab Ordinario approbanda.

Cæterùm pro Veritate responsurus, præmissis non obstantibus, dixi contrarium esse tenendum. Siquidem electio prædicti Hieronymi Dumanei (quidquid
12 sit de ejus ætate pro Ordine sacro, Præbendæ vacanti annexo, intra annum suscipiendo, de qua non sum informatus) est de Jure nulla, & invalida; neque ab Illustrissimo Archiepiscopo, tutâ conscientiâ, potest confirmari, ex sequentibus validissimis rationibus, & auctoritatibus.

Primò: Quia Statutum restringens libertatem eligentium ad personam, quæ habere debeat certas qualitates ob utilitatem Ecclesiæ, tanquam Statutum factum ob bonum publicum arctat electores ad ejus ob-
13 servantiam, itaut adversus ipsum operari non possint. Joan. Andr. *in cap. Accedentibus num.* 6. *de Privileg.* Abbas *in cap. Cum accessissent. num.* 2. *& ibid.* Felin. *num.* 4. Decius *num.* 24. & Fagnanus *num.* 23. *de Constitutionib.* Idem Fagnan. *in cap. Cum dilectus. num.* 62 ubi alios cumulat. *De Consuetud.* Sed tale est Statutum Spalaten. requirens præcedens actuale servitium Ecclesiæ in eligendis ad Canonicatus, saltem per septennium; concernit enim utilitatem, & bonum ipsius Ecclesiæ. Ergo est observandum.

Secundò: Eò magis quia idem Statutum Spalaten. fuit confirmatum à Visitatore Apostolico, cujus confirmatio censetur facta ab ipso Papa. Abbas *in d. cap. Cum accessissent. num.* 2. *de Constit.* Rocchus *de Visitatione* in Verb. *Auctoritate nostra. pag.* 37. & per con-
14 sequens est irretractabile à quocunque inferiore. Roman. *consil* 116. Marc. Mantua Patavinus *consil.* 127. *num* 18. *tom.* 1. etiam à Legatis de Latere. Rota coram Bichio *decis.* 381. *num.* 34. habet enim vim Legis Pontifi-

Digitized by Google

Pontificiæ, cui debetur executio. Tondut *de. Benefic. tom.2. cap.*149 *num.*4 & ligat manus inferiorum, itaut adversus eam nihil valeant attentare. Fagnan. *in cap. Si quis. num.* 14. *tom* 3. *de Confirm. utili, vel inutili*. ac Azorius *tom* 1. *lib.*5 *cap.* 15. *Quæst.*7.

Tertiò: Præcipuè quia prædictum Statutum emanavit, ultra utilitatem Ecclesiæ, etiam in favorem, & utilitatem Cleri inferioris actualiter servientis eidem Ecclesiæ; cui Clero est Jus quæsitum, ne eligantur exteri non servientes ad Canonicatus vaca-
15 turos. Quo jure attento nullatenùs Canonici Electores possunt contravenire eidem statuto, ut est concors doctrina tùm omnium Canonistarum, quos citat, & sequitur Abbas *in d. cap. Cum accessissent. num.*2. & ibid. Felin. *n* 4. *De Constitutionib.* Jo. Audr. *in cit. cap. Accedentibus num.* 6. *de Privileg.* Emin. Card. de Luca *de Canonicis, & Capitulo disc.*21. *n.*10. *& num.*14. tùm etiam omnium Theologorum, inter quos Sanchez *in Decalog. lib.*3. *cap.* 15. *num.* 6. & *de Matrim. lib.*8. *disp.*17. *num.* 29. ubi plurimos citat.

Quartò: Quia in materia beneficiali est principium irrefragabile, quod ubi plures sunt competitores, si unus eorum habeat qualitates requisitas à Statuto,
16 vel à Fundatore, ille est præferendus cæteris; etsi obtineat minorem numerum Votorum, non attenta majori parte ad favorem aliorum, qui carent requisitis qualitatibus. Et ratio est, nam habens qualitates ordinatas à Statuto, vel Patrono, censetur electus ab ipso Statuto, seu Patrono. Adden. ad Burattum *d. decis.*55. *in fine* Rota coram Seraphin. *decis.*774. *num.*1. *& decis.*1270. *num.*2. Vivian. *de Jurepatron. lib.*12. *cap.*9. *num.*17. & Rota post ejus tractatum *decis.*57. Igitur eidem unico Competitori, ut supra qualificato non potest Jus suum ab Electoribus auferri, quod sibi datum est à Statuto, ut in puncto docet Puteus *lib.*3. *decis.* 252. Incipien. *Dubitavit*. Mandos. *cons.* 51. Gonzal. *gloss.* 9. §. 1. *num.*92. & Garzias *de Benefic. part.*4. *cap.*3. *num.*71.

Hinc sequitur, quod in vacatione prædicti Canonicatus Spalaten. cum ad illum concurrerit alius Sacerdos de gremio Ecclesiæ, qui eidem servivit actualiter per septennium, juxta formam Statuti, ipsi
17 Sacerdoti est quæsitum Jus ad Canonicatum; & in nihilo ei officere potest electio Hieronymi Dumanei, qui nullum servitium præstitit eidem Ecclesiæ; & immediatè idem Sacerdos potest appellare, & dicere de nullitate electionis passivæ dicti Dumanei; atque petere, & obtinere confirmationem, & institutionem in eodem Canonicatu ab Illustrissimo Archiepiscopo, qui tenetur hanc justitiam ei facere, ut præter supracitatos DD. advertunt etiam Loterius *de Re Benefic. lib.*2. *quæst.* 18. *num.*4. *&* 5. & Barbos. *de Pot. Episc. alleg.*72. *num.*201.

Quintò: Quod adeò verum est, ut pro hac vice Capitulum, & Canonici Spalaten. non possint ampliùs devenire ad novam electionem; siquidem cum elegerint Hieronymum Dumaneum carentem qualitatibus requisitis à Statuto, & omiserint eligere alium Sacerdotem concurrentem, & habentem qualitates
18 prædictas, dicuntur elegisse indignum; & per consequens pro hac vice privati sunt facultate eligendi *ad tex. in cap. Cum in cunctis*. 7. §. *ult. De Elect.* & *in cap. Cum Vos* 4. ubi Glossa *in Verb. Minus idoneæ. De Offic. ordin.* Facta est enim devolutio ad Illustrissimum Archiepiscopum, ad quem nunc spectat confirmare, & investire de prædicto Canonicatu ipsum Sacerdotem Competitorem, habentem qualitates ordinatas à Statuto. Maceraten. *lib.*1. *resol.*19. *num.*15. Barbosa *d. alleg.* 72. *num.* 105. *& seqq.* Tondut *de Benefic. tom.*2. *part.*3. *cap.*138. *num.*3.

Sextò: Et eo fortiùs præmissa vera sunt, & locum habere debent, attentâ Clausulâ irritante ad Statutum apposita per Visitatorem Apostolicum dicto anno 1603. qui voluit, *Electionem aliter factam,*
19 *quàm de eo, qui saltem per Septennium servivrit Spalatensi Ecclesiæ, nullius sit roboris, vel momenti*: per quæ verba electio supradicti Dumanei, qui actualiter non servivit Ecclesiæ per dictum tempus, est expressè irrita, nulla, & invalida; & nullo modo, absque discrimine Conscientiæ, potest confirmari; ut in puncto tradunt Felinus *in cit. cap. Cum accessissent. num.* 7. ubi DD. cumulat, *de Constitut.* Covaruvias *in cap. Quamvis pactum. part* 2. §. 2. ante *num.*6. *de Pactis in* 6. Et Barbosa *in Collect. DD. ad idem cap. Cum accessissent. num.*4. Rota *part.*7 *recent. decis.*71.

Septimò: Demùm supradicta roborantur dispositione Sacri Tridentini Concilii *sess.*25. *de Ref. cap.*5. ubi decernit, præcipit, & mandat, quod qualitatibus requisitis pro collatione beneficiorum derogari non possit; sed quæ constituta sunt circa conditiones, & ha-
20 bilitates eorum, quibus beneficia sunt conferenda, omninò observentur; itaut *Nihil in ulla provisione detrahatur; & aliter facta provisio surreptitia censeatur*. Ex quo textu apertissimo Concilii, præter alia jura, rationes, & auctoritates Doctorum supra adductas, concludendum venit, minimè posse Illustrissimum Archiepiscopum confirmare electionem dicti Hieronymi Dumanei; sed ejus partes esse, admittere instantiam illius Sacerdotis Competitoris qualificati, etsi minorem numerum Votorum ipse sit assecutus; & prævia citatione Capituli, pronunciare super nullitate electionis Hieronymi Dumanei, & super devolutione provisionis dicti Canonicatus ad Dominationem suam Illustrissimam, & Reverendissimam; & sic procedere ad confirmationem, & Institutionem ejusdem Sacerdotis Competitoris, habentis qualitates requisitas pro dicto Canonicatu.

Adducta autem in contrarium minimè obstant, & facillimè resolvuntur.

Primum enim de prima Tonsura, admisso quod dictus Hieronymus per eam dici possit de Clero Spa-
21 laten. non etiam videtur factus de gremio Ecclesiæ Cathedralis, cui non fuit adscriptus, & adscribi debebat per expressos textus Concil. Trid. *sess.* 23. *de Ref. cap.* 11. *& cap.* 16. adhoc ut posset nominari de Clero Cathedralis juxta mentem Statuti. Sed esto, quod sola Tonsura sine speciali adscriptione fecerit eum de Clero Cathedralis, adhuc deficit in eo qualitas servitii requisiti per septennium ad minus à Statuto.

Secundum non subsistit, quia servire Ecclesiæ in absentia studendo, non est illud actuale, & præcisum servitium in Cathedrali Ecclesia ordinatum à Statuto; quod quidem Statutum est ad litteram, &
22 grammaticaliter intelligendum, non autem per metaphoram. Ceccoperius *in tract. De Canonic. lib.* 4. *num.*174. & passim omnes. Idcircò appellatione servitii præstandi in Ecclesia intelligitur personalis famulatus. Barbosa *de Appellat. Verbis cap.*243. *num.*4. & ibi Bellamera, & Card. Tuscus. Famulari enim est præsentialiter morem gerere, & obtemperare Ma-
23 joribus, ac eorum jussa exequi, juxta illud Plauti *in Menand. Propterea Heri imperium exequor, benè, & sedulò servio*. Nec non intervenire, & stare quotidie, debitis horis, in Ecclesia, mente, & corpore, manibus operando, & pedibus accurrendo ad ministeria Sacrificiorum, & aliarum functionum Ecclesiasticarum; undè ait Terentius *in Andria Act.* 4. *Scena prim.*

Ego Pamphile hoc tibi pro servitio debeo,
Conari manibus, pedibus, noctesque & dies
Capitis periculum adire, dum prosim tibi.

Tertium verò argumentum cadit de Privilegio Canonicorum absentium causa studii: Primò quia est Privilegium concessum Canonicis, non autem Clericis inferioribus. Secundò quia illud Privilegium
24 valet pro lucrandis fructibus Præbendæ; non autem pro consequendis quotidianis distributionibus, quæ dantur tantummodò interessentibus verè, & personaliter in Choro. Tondut. *tom.*2. *cap.*153. *num* 6. Faganus

Digitized by Google

gnanus *in cap. Licet. num. 96. tom. 4. de Præben.* Et Emin. Card. de Luca *de Canonicis disc. 13. num. 15.* Undè retorquetur argumentum sic: Canonicus absens causa studii non lucratur distributiones, quia verè non est præsens, neque verè servit Ecclesiæ cum requisita interessentia. Ergo neque Clericus absens causa studii verè servit Ecclesiæ; nam servire, & inte-
25 resse sunt Verba æquipollentia. Navarrus *cons. 6. num. 3. De Clericis non residen.* Fagnanus *in cap. Conquerente. num. 17. tom. 4. eod. tit.* Ulteriùs, qui abest causa studii, per fictionem dicitur residens, & præsens in Ecclesia. Sed ubi requiritur verum servitium,
26 & interessentia personalis, non admittitur fictio. Rota coram Bichio *decis. 102. num. 22. & 23.* Ergo multò minùs fictio debet admitti in Clericis volentibus servire Ecclesiæ, & in Ecclesia juxta mentem
27 Statuti; cujus verba non fictè, sed verè, pressè, ac strictè sunt accipienda. Pignatell. *tom. 1. consult. 7. num. 18.*

Quartum est jam resolutum ex dictis supra, videlicèt, Canonicos posse recedere à Statuto etiam confirmato ab Apostolica Sede, si emanaverit in eorum favorem tantùm; secùs autem si concernat publicam
28 utilitatem, aut Divinum Cultum; Vel si respiciat utilitatem aliarum personarum. Ratio differentiæ est, quia in primo casu censetur merum Privilegium, cui Canonici possunt renunciare: non in secundo, & tertio casu, in quo agitur de Jure considerabili quæsito Ecclesiæ, vel aliis inferioribus Ministris, à quibus per Canonicos non potest auferri. Ita Felinus, Abbas, & alii DD. allegati *in cit. cap. Cum accessissent.* ubi etiam Barbosa *de Constitut.* Statutum Spalaten. ut fuit supra demonstratum, continet utilitatem Ecclesiæ, cui impensiùs deservitur à Clericis inferioribus sub spe futuræ promotionis ad Canonicatus: & prosequitur favorem privatum eorundem Clericorum, expectantium mercedem de suo servitio; in qua præjudicari non debent per electionem exterorum ad beneficia.

Quintum non stringit, loquens de præsentia Filii per fictionem; nam sumus in casu requirente veram, & propriam interessentiam in Ecclesia, prò ejus actua-
29 li servitio, ideòque Statutum non est trahendum ad servitium fictum, sed est intelligendum de ministerio reali, & famulatu personali, ut supra dictum est.

Sextum tandem deficit circa interpretationem, seu declarationem, aut additionem factam in Synodo anni 1688. Primò quia attentâ confirmatione Statuti facta per Visitatorem Apostolicum, non potest
30 Ordinarius tanquam inferior illud interpretari, vel declarare. Barbosa *Axiom. 124. num. 6.* Alderan. *de Statut. interpret. Concl. 8. num. 85.* Menoch. *cons. 3. n. 22.* Secundò, quia Verba Statuti loquentia de servitio
31 præstando in Ecclesia, sunt clara; in claris autem non est opus interpretatione. Bart. *in l. Ab executore. ff. de Appell.* Gratianus *Discept. Forens. cap. 927. num 22.* Menoch. *cons. 107. num. 31.* Tertiò, quia per prædictam declarationem destruitur totum Statutum, & eliditur, ac eluditur confirmatio Superioris; quod
32 inferiori non licet. Barbosa *in Votis consultivis lib. 3. Vot. 97. num. 62.* ubi DD. Rota *part. 7. recent. decis. 136. num. 5.* & *decis. 293. num. 2.* Quartò, quia Visitator Apostolicus abstulit facultatem Reverendissimis Archiepiscopis confirmandi electos, qui per septennium non servierint Ecclesiæ, Ergo inhabilitavit etiam eosdem Prælatos circa declarationem, vel dispensationem tangentem dictum servitium; præcipuè attentâ prohibitione cum his Verbis: *Sub*
33 *ullo etiam rationabili prætextu*; quæ excludunt omnem casum quamvis rationabilem. Abbas *in cap. Ad nostrum num. 5. De Elect.* Glossa *in cap. 1.* ubi etiam Franchus. *num. 7. de Reg. Jur. in 6.* Rota *decis. 167. num. 5. part. 2. recent.* Quintò quia servitium actuale in Ecclesia ordinatum à Statuto censetur de forma; undè præstari debet in forma specifica, & ei suppleri
34 non potest per æquipollens neque de licentia Prælati. Rota *d. decis. 167. n. 10.* ubi DD. Et sextò, quia quod prohibitum est directò, est etiam prohibitum per indirectum. *l. Sejus, & Augerius. ff. Ad Leg. Fal-*
35 *cid. cap. Cum quid una via. 84.* & ibi Dynus, & novissimè P. Vincentius Taccinus de Castrofranco. *De Regulis Juris in 6.* Et ideò cum sit prohibita Confirmatio electi, qui non servivit in Ecclesia per septennium; est etiam interdicta quævis licentia pro effugiendo dicto actuali servitio, ne sub velamine alicujus causæ destruatur Statutum, & irrogetur præjudicium aliis actualiter servientibus; nam prohibito
36 consequenti, dicitur etiam prohibitum antecedens. *l. Oratio. ff. de Sponsal.* Menoch. *de Præsumpt. lib. 6. præsumpt. 93. num. 1. & consil. 721. n. 29.* Prout etiam facit alia regula, quod quicquid alicui non licet una
37 via, ad id alia admitti non debet. Menoch. *cons. 250. num. 44. & cons. 285. num. 40. & 41.* ubi DD. plurimi; ex quibus concluditur, non posse Illustrissimos Archiepiscopos licentiâ suâ, aut facto suo habilitare Clericos, qui non servierint actualiter per septennium in Ecclesia; quemadmodum non possunt eos confirmare, si tales fuerint electi per Capitulum ad Canonicatus; prout confirmari nullo modo potest electio antedicti Hieronymi Dumanei.

DISCORDIA XXVIII.

ARGUMENTUM.

Parochus, de cujus illitteratura Episcopus habet aliqua indicia, potest ad novum examen per eum vocari, tàm in Visitatione, quàm extra: & præcipuè si non fuerit approbatus ab ipso Episcopo; sed ab ejus Prædecessore.

SUMMARIUM.

1 *Ecclesia S. M. Inconiæ de Padua est de Jure Religionis Melitensis.*
2 *Vetustas ejusdem Ecclesiæ de Anno 1279.*
3 *Tomasini, ac P. M. Salomonis error circa inscriptionem Ecclesiæ S. M. Inconiæ de Padua.*
4 *Præcentor, seu* Archiparaphonista *quis sit?*
5 *Aloysius Florius, ac Jacobus Capello Mansionarii Cathedralis Patavinæ, & in ea Præcentores laudati.*
6 *Cleri Patavini responsa menstrua ad casus Conscientiæ, ac prudentiæ.*
7 *Parochus semel examinatus, & approbatus habet Jus quæsitum quo ad Litteraturam, & idoneitatem.*
8 *Jus quæsitum nemini auferendum.*
9 *Experientia est mater, ac rerum magistra, & facit hominem sapientem.*
10 *Injuriosum est vocare aliquem illitteratum.*
11 *Regularis indefinitè approbatus ad Confessiones non est ampliùs examinandus.*
12 *Episcopus debet attentè prospicere, ut populus à doctis Parochis regatur.*
13 *Parochus potest iterùm ab Episcopo examinari circa Litteraturam.*
14 *Doctores ita scribentes. &* num. 21.
15 *Concilii Tridentini decretum circa Parochos illiteratos.*
16 *Abusus leviter examinandi Confessarios, ac Parochos extra concursum.*
17 *Parochi ab Episcopo Prædecessore examinati, & approbati, possunt iterùm à Successore examinari.*
18 *S. Congregationis Concilii declarationes circa novum examen Parochorum.*
19 *Antonius Abbas Paoluccius Canonicus Patavinus Auditor Rotæ Romanæ Anno 1673.*
20 *Rotæ Romanæ Decisio Magistralis de Anno 1678. quod Episcopus possit iterùm Parochos examinare quo ad Litteraturam.*
22 *Melitensis Religionis Parochi sunt subjecti Jurisdictioni Epi-*

*ni Episcopi in concernentibus Curam animarum sæ-
cularium.*

PArochialis Ecclesia Sanctæ Mariæ Inconiæ hujus
Civitatis Paduæ spectat ad Sacram, & Eminen-
tissimam Religionem Hierosolymitanam, & est una
1 ex quatuor Cameris Prioralibus magni Prioratus Ve-
netiarum ejusdem Religionis, quam in Commendam
retinet aliquis pro tempore Eques Melitensis, fruens
illius non modicis redditibus. Vetustas hujus Eccle-
siæ conspicitur ex inscriptione in Lapide ad januam
majorem posito, in quo, ut referunt Episcopus Tho-
masinus *in Urbis Patav. inscript. pag.* 197. *num.* 5. &
2 P. Mag. Jacobus Salomonius *eod. tract. pag.* 283. *n.* 8.
hæc verba leguntur: *Anno Domini MCCLCCIX. In-
dict. VII. Frater Paganus de Paganis de Placentia
Protector Templi Paduani Mansionarius*, ubi tamen
malè transcripserunt verbum illud *Protector*; nam
3 ejus loco stat, & stare debet *Præcentor*; ut diligentiùs
notavit Angelus Portenarius *de Felicit. Paduæ lib.* 9.
cap. 22. *pag.* 439. ille enim Paganus de Paganis cum esset
Mansionarius in Ecclesia Patavina, erat etiam in
ea *Præcentor*, idest Chori Magister, quem Græci
4 nominant *Archiparaphonistam*, cujus officium est Ho-
ras Canonicas, ac Missæ introitum intonare, ut ad-
vertit Magrius *in Hierolexico d. Verb. Archiparapho-
nista*, nec non *in Verb. Præcentor*: talis siquidem est,
ac semper fuit mos Ecclesiæ Cathedralis Patavinæ,
ut unus ex Mansionariis ejus sit *Præcentor*, scilicèt
Magister Chori, ad quem spectat intonare Antipho-
nas, Introitum, Graduale, & alias partes Missæ,
in cantu Gregoriano per Chorum canendas; & in
hoc officio eximiè floruit, mea ætate, adm. Rev.
5 *Aloysius Florius Mansionarius*, prout in præsenti præ-
fulget adm. Rev. *Jacobus Capellus* coetaneus meus,
ac condiscipulus; quos tanquam Viros ob eximias
virtutes, morum probitatem, ac continuam Chori
assistentiam omni laude dignos, hic nominatos volui.

Igitur in prædicta Ecclesia Parochiali S. Mariæ
Inconiæ cura exercebatur animarum, non multis ab
hinc annis, à quodam Sacerdote per Priorem Equi-
tem Melitensem Commendatarium præsentato, &
à Curia Episcopali ad eam indefinitè exercendam
approbato, & admisso; de cujus tamen scientiæ de-
fectu plura habebantur inditia, potissimùm in respon-
sis ad casus conscientiæ, ac prudentiæ, quæ singulis
6 mensibus per omnes Parochos, ac Confessarios Pa-
tavinos dabantur in scriptis, & per me excipiebantur,
ac attentâ lectione perpendebantur sub regimine Emi-
nentissimi, ac Reverendissimi Sanctæ memoriæ Gre-
gorii Cardinalis Barbadici hujus Urbis Antenoreæ
Antistitis vigilantissimi; ac, ut Parochi doctrinâ pol-
lerent, æquè cupidissimi. Decrevit igitur Eminentia
Sua prædictum Curatum Sanctæ Mariæ Inconiæ ad
novum examen vocare, qui de sua inscitia timens
opem imploravit Prioris Equitis Commendatarii; à
quo exhibita fuit cujusdam Doctorelli scriptura, pro-
testans, non posse iterùm examinari prædictum Cu-
ratum. *Primò*, Quia habet jus quæsitum circa habi-
litatem, & sufficientem doctrinam pro cura anima-
7 rum exercenda tùm ex primævo examine, tùm ex
longa permissione in tali exercitio. Jus autem ali-
cui quæsitum non est auferendum. *l. fin. C. de Ad-
8 quiren. possess. l. fin. ff. de Pactis. l. Id, quod nostrum.
ff. de Regul. Jur.* Carolus de Grassis *de Exceptionib. ex-
cept.* 32. *num.* 20. *Secundò*, Quia per multos annos exer-
citii ejusdem Curæ acquisivit magnam experientiam in
Sacramentis administrandis. Sed experientia, cum
9 sit omnium rerum mater, & magistra. *cap. Quàm
sit. De Elect. lib.* 6. facit artificem doctum, & sapien-
tem. Baldus *lib.* 2. *cons.* 136 *Incipien. Proponitur. lib.* 2.
Tertiò, Quia nemini est irroganda injuria. *l. Memine-
rint. C. Unde Vi. cap. Qualiter, & quando. De Ac-
cusat.* Sed taxare de ignorantia Sacerdotem, qui diu
de licentia Episcopi animarum curam exercuit, est
10 ei injuriam inferre. Lessius *de Justit. & Jure lib.* 2.
cap. 29. *dub.* 4. *num.* 34. *Quartò*, Quia Sacerdos Sæcula-
ris approbatus semel ad confessiones audiendas, &
ad Sacramenta administranda non debet esse dete-
rioris conditionis, quàm sit Sacerdos Regularis. Sed
Regularis Confessarius ad confessiones audiendas præ-
vio examine, simpliciter, & absque ulla temporis
11 præfinitione ab Episcopo approbatus, iterùm exami-
nari non potest, prout præcipit Constitutio Clemen-
tis Papæ X. Incipien. *Superna Magni Patrisfamilias.*
§. 5. quæ legitur impressa etiam in meis Decisionibus
De Pœnitentia Decis. 38 *num.* 32. Et *Quintò*, Quia sic
decisum erat à Rota *part.* 3. *rec. decis.* 23.

His tamen minimè obstantibus data fuit responsio
in scriptis eidem Illustrissimo Equiti, ac Priori Meli-
tensi, per quam docebatur, prædictum Curatum non
posse se eximere à novo examine: Primò quia Epi-
scopus ex officio suo tenetur attentè prospicere, ut
12 populus sibi subditus à doctis viris in Spiritualibus gu-
bernetur. *cap. Qui Episcopum.* 8. *q.* 1. At huic suæ
obligationi satisfacere non potest, nisi Parochos exa-
minando. Glossa *in cap. Cum secundum. Verb. liceat.
De Præbend.* Secundò, quia sicut Medicus corporalis
licèt semel approbatus, potest iterùm examinari cir-
ca scientiam. *cap. Accepimus. Verb. Examinari*, ubi
DD. & Cardin. *num.* 2. *De Ætate, & Qualit.* ita mul-
13 tò magis examinandus est iterùm Medicus spiritua-
lis, nempè Parochus, qui exercet curam animarum.
Fagnanus *in eod. cap. Accepimus. num.* 44. ubi alia jura
allegat. Tertiò, quia omnes Theologi, ac Canoni-
stæ concedunt, quod ubi oritur suspicio de inscitia
Parochi, potest Episcopus illum vocare ad novum
examen. Ita Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 4. *num.*
14 101. Riccius *in Praxi Decis.* 574. Barbosa *de Parocho
cap.* 2. *num* 10. *& cap.* 23. *num.* 8. nec non *in Collect. DD.
ad Concil. Trid. sess.* 21. *de Ref. cap.* 6. *num.* 4. Jo. Sancius
in Select. disp. 50. *à num.* 1. *& seqq.* Emin. Card. de Lu-
go *de Pœnit. disp.* 21. *sect.* 3. §. 2. *n.* 66. Pignatellus *tom.* 1.
consult. 132. *à num.* 1. *& seqq.* ac Emin. Card. de Luca
in tract. de Parochis discursu 16. per totum. Quartò,
quia id per expressum statuitur à Concilio Tridenti-
15 no *d. sess.* 21. *de Ref. cap.* 6. ubi sic: *Quia illiterati, &
imperiti Parochialium Ecclesiarum Rectores sacris mi-
nùs apti sunt officiis: & alii propter eorum vitæ tur-
pitudinem potiùs destruunt, quàm ædificant: Episcopi,
etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegati eisdem illite-
ratis, & imperitis, si aliâs honestæ vitæ sint, coadju-
tores, aut Vicarios pro tempore deputare, partemque
fructuum eisdem pro sufficienti victu assignare, vel ali-
ter providere possint, quacunque appellatione, & exem-
ptione remota.* Porrò hoc Conciliare Decretum, quod
præceptivum est, ut notat Barbosa *ibid. num.* 3 non
potest ad executionem mitti, nisi per novum exa-
men constet de illiteratura, & imperitia Curati.
Quintò tantò magis, quia prædictus Curatus Sanctæ
Mariæ Inconiæ non fuerat examinatus, & approba-
tus ad curam animarum per concursum; sed tanquam
præsentatus à Priore Milite Religionis Hierosoly-
mitanæ, de cujus mensa est prædicta Parochialis, te-
nue examen subivit juxta abusum plurium Mini-
16 strorum Curiæ Episcopalis, qui ab Episcopo deputa-
ti ad examinandos Confessarios, eos de aliquibus mi-
nutiis interrogant, & detestabili facilitate eos appro-
bant, ut tempore mei tyrocinii in hoc Tribunali
Ecclesiastico Patavino pluries observavi. Hinc non
est novum, ut sic examinati minùs idonei sint, imò
valdè imperiti; prout prudenter reflectendo conside-
rat Emin. Card. de Luca *in cit. tract. de Parochis disc.*
16. *num.* 10. Sextò crescebat justitia Eminentissimi
Cardinalis Episcopi volentis de novo examinare an-
tedictum Curatum, quia non fuerat à principio per
eum examinatus, & approbatus, sed à Vicario Epi-
17 scopi sui Prædecessoris; quo casu omnes DD conce-
dunt, posse Episcopum Successorem hujusmodi Pa-
rochos denuò examinare. Pasqualig. *QQ. Moral. cen-*

Digitized by Google

nu.4. quæst. 173. *num.* 3. Solorzanus *de Jure Indiar. cap.*17. *num.*3. *tom.*2. *lib.*3. Et ante istos hoc idem notavit Glossa, Butrius, Felinus, & alii, quos in puncto citat, & sequitur Fagnanus *in d. cap. Accepimus. num.* 42. *De Ætate*, *& Qualit. tom.*2. Septimò, quia sic pluries respondit Sacra Congregatio Concilii; videlicèt *in Placentina* 28. *Augusti* 1628. de qua mentio-
18 nem facit Barbosa *de Parocho cap.*2. *num.*10. nec non *in Summa Apostolic. Decis. Verb. Examen num.*11. Ulterius eadem Sacra Congregatio hoc idem censuit *in una Pampilonensi* 15. *Januarii* 1667. quam per extensum ponit Pignatellus *in cit. tom.*1. *consult.*133. *n.*8. *& seqq.* ubi etiam addit, ita resolvisse eandem Sacram Congregationem multò ante, videlicèt *in una Lucerina die* 13. *Januarii* 1594. & *in una Interamnen. die prima Octobris* 1602. Et tandem consimilem declarationem dedit ipsamet S. Congregatio Concilii *in una Tridentina Juris examinandi die* 18. *Aprilis* 1671. quam considerat Rota mox citanda. Octavò quia novissimè diligenter examinatâ consimili discordiâ nata est Decisio ad favorem Episcopi in Rota Romana *in una Compostellana Juris examinandi die* 20. *Junii* 1678. coram R. P. D. Paluccio Auditore, (qui fuerat Canonicus hujus Cathedralis Patavinæ, Professor in prima Cathedra Sacrorum Canonum in hoc Almo Patavino Gymnasio, prout etiam Vicarius Generalis ejusdem Eminentissimi Cardinalis Barbadici Episcopi; ad cujus supplicem petitio-
19 nem, & instantiam Anno 1673. fuerat à Clemente Papa Decimo præelectus, & cooptatus ad Auditoratum Rotalem ex quatuor per Serenissimum Dominium Venetum ad illud officium nominatis.) Quæ quidem Rotæ decisio *prædicti diei* 20. *Junii* 1678. habetur impressa *in part.*19. *recent. decis.* 257. *ac decis.*
20 258. quam quidem unicuique satis erit legisse; in ea enim rationes pro utraque parte præsentis Discordiæ referuntur; ac firmiter decisum, terminatumque fuisse dicitur in eadem Rota, posse Episcopum Successorem pro sola quiete conscientiæ suæ, & sine alterius causæ allegatione, vocare Parochos suæ Diœcesis ad novum examen; & ita docuisse subditur, præter alios Doctores per nos supra *num.*14. citatos, Ton-
21 durum *Q.Q. Benefic. part.*2. *cap.* 5. §.5. *num.*6. Parisium *de Resignat. Benefic. lib.* 10. *quæst.* 1. *num.* 66. Castropalaum *part.* 4. *tract.*23. *disp. Unic. punct.* 19. § 4. *num.*5. Garziam *de Benefic. part.*4 *cap* 5 *num.*7. Franc. Leonem *in Thesaur. Eccl. Fori part* 2 *cap.* 2. *num.* 15. Zerolam *in Praxi Episc. part.*1. *Verb. Parochia*, Barbosam *de Offic. & Pot. Episc. alleg.* 63. *num.* 6. & Cotonium *lib.*2. *Controv.*7. *num.*18.

His rationibus, Juribus, ac auctoritatibus Curatus, de quo agebatur, deterritus, spontè cessit exercitio Curæ animarum, sub prætextu senectutis, & suæ quietis; verè tamen ne subiret examen: ideò ab Illustrissimo Equite Priore Commendatario electus fuit alius Sacerdos, & in hac Curia præsentatus ad regimen Animarum in præfata Parochiali Sanctæ Mariæ Inconiæ; qui quidem diligenter examinatus, ac idoneus repertus, fuit ad illam exercendam admissus; sicque cessavit præsens Discordia; cujus tamen alii fautores non deerant, dicentes Parochum, de quo supra, tanquàm Ecclesiæ exemptæ, non posse ab Episcopo denuò examinari. Sed his statim opposui
22 Pignatellum *tom.*3. *consult.*57. docentem, ac probantem, Parochos Religionis Hierosolymitanæ curam animarum sæcularium exercentes absolutè esse subjectos Jurisdictioni Episcopi in omnibus concernentibus ipsam Curam; præterquamquod Concilium Tridentinum *d. sess.*21. *de Ref. cap.* 6. dum impertit facultatem Episcopis agendi contra Parochos imperitos etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegatis, subdit: *Quacunque appellatione, & exemptione remotâ.*

DISCORDIA XXIX.

ARGUMEMTUM.

Disputatur; Utrùm omnes Parochi obligati sint diebus Dominicis, ac festivis de Præcepto applicare Sacrificium Missæ populis suis, tàm vivis, quàm defunctis? Et resolvitur Affirmativè, itaut iisdem diebus manualem eleemosynam pro Missa recipere non valeant.

SUMMARIUM.

1 *Parochos obligatos esse Sacrificium suis populis offerre qui DD. scripserint?*
2 *Concilii Tridentini decretum de tali obligatione.*
3 *Stipendium pro Missa uni debita ab altero pro eadem recipi non potest.*
4 *Decreta S. Congregationis de Celebratione Missarum ubi legantur?*
5 *Declaratio S. Congr. Concilii Anno 1629. quod Parochi non possunt recipere stipem pro Missa diebus festivis.*
6 *Dianæ mutatio opinionis visâ prædictâ Declaratione.*
7 *S. Caroli decreta, ut Parochi applicent Sacrificium ovibus suis.*
8 *Cardinalis Ursini in Synodo Sipontina anno 1678. idem decretum.*
9 *Clusium Civitas ubi sit?*
10 *Cardinalis Caroli Barberini in Synodo Farfensi Anno 1685. idem Decretum.*
11 *Declaratio S. Congr. Concilii de eadem obligatione Anno 1670.*
12 *Declaratio consimilis die* 10. *Maii* 1681. & num. 14.
13 *Cardinalis Chisii decretum de eadem obligatione in Synodo Albanen.* 1687.
15 *Parochus non esse obligatos Sacrificium suis populis offerre, qui DD. doceant.*
16 *Doctorum multitudo non attendenda; sed rationes eorum.*
17 *Avibus similes sunt DD. & quare?*
18 *Opinio securior pro anima est amplectenda.*
19 *Missa Parochialis in die festo an sit pro sola commoditate populi?*
20 *Præceptum de Missa audienda cujus Juris sit?*
21 *Concilium Generale à Papa confirmatum habet auctoritatem Evangelii.*
22 *Sacrificium offerre pro populo ubi fuerit præceptum?*
23 *Præcepta Moralia Legis Mosaycæ durant etiam in Lege Evangelica.*
24 *Fructus Missæ triplex. Et qualis?*
25 *Fructum generalissimum Missæ an satis sit, si Parochi offerant populo?*
26 *Fructum medium Missæ tenentur Parochi populis suis applicare.*
27 *Concilii Tridentini interpretatio à privatis DD. fieri non potest.*
28 *Consuetudo circa applicationem Missæ Parochorum an attendenda?*
29 *Consuetudo facit Jus.*
30 *Consuetudo contra Concilium Tridentinum introduci non potest: neque contra Jus Divinum, aut naturale.*
31 *Consuetudo irrationabilis non est consuetudo, sed corruptela.*
32 *Declarationes S. Congregationis an sint doctrinales tantùm; nec habeant vim Legis?* & num. 34. & 36.
33 *Legis promulgatio est de essentia ejus.* & num. 39.
35 *S. Congregatio Concilii non facit Legem novam, sed declarat factam à Concilio.*
37 *Declarationes S. Congr. Concilii omnes fiunt sciente Papa, & approbante.*
38 *Testis unicus deponens de facto proprio plenè probat.*

40 De-

Digitized by Google

40 *Declarationes S. Congregationis Concilii quando debeant esse in authentica forma?*
41 *Cardinalium attestationi etiam non juratæ est credendum.*
42 *Parochorum pauperies an eos excuset ab applicanda Missa suis populis?*
43 *Prælati omnes tenentur Missam pro suis subditis frequenter applicare.*
44 *Innocentii XII. Breve circa Sacrificium Parochorum.*
45 *Collegiatis in Ecclesiis obligatio applicandi Sacrificium pro populo est penès Capitulum, cui insita est Cura animarum.*

NOnnulli Parochi tàm hujus Patavinæ Diœcesis, quàm aliarum huic adjacentium voluerunt me consulere dubitantes, An Dominicis, ac aliis Festis diebus sint obligati Sacrificium Missæ offerre, ac applicare pro suis Parochianis vivis, ac defunctis? adeòut iisdem diebus stipem à particulari persona pro se Sacrificium petente recipere non possint? Respondi, hanc esse famosam Quæstionem inter Theologos, & Canonistas agitatam, in qua alii asserunt extare prædictam obligationem, alii verò negant; idcircò utrosque volui referre cum eorum præcipuis rationibus, ac fundamentis; meam deindè sententiam proferendo.

Igitur, quod Parochi obligati sint celebrare Missam, & Sacrificium applicare pro suis ovibus, idest
1 populis suarum Parochiarum, tenent Sotus *de Justitia, & Jure lib.9. quæst.3. art.1. in med.* nec non *in 4. dist.13.q. 2.art.2.*Emin. Card. Toletus *in Summ. lib. 5. cap.5. num.3. Vers. Rursus quartò.* Azorius *part.1. lib. 10. cap.24. quæst.2.* Bonacina *tom.1. de Sacramentis disput.4. quæst.ult. punct.7. num. 4. in fine.* Alphonsus de Leone *de Offic. Capellani quæst.2. sect.3. num.46.* Barbosa *de Offic. & Pot. Episc. allegat. 24. num.23. in fin.* prout etiam *de Parocho cap.11. n.10.* Nugnus *in 3.par. tom.1. quæst.83 art.1. dub.9. conclus.2.* Donatus Laynensis *in Praxi Rer. Regular. tom. 3. tract.7. q.52* ubi *num.4.* scribit, quod opinio contraria nequit sine errore sustineri. Pax Jordanus Episcopus Traguriensis *tom.1. lib.4 tit.1. num.521.* Suarez *in 3. part. D Thomæ tom.3 disp.86 sect.3.* & aliis relictis, Fagnanus *in cap. Fraternitatem. num. 94. De Sepultur. tom.4.* Hi enim omnes Doctores, (etsi dissentiant circa quantitatem dierum, quibus per singulas hebdomadas tenentur Parochi celebrare Missam, & Sacrificium pro suo populo applicare) tamen omnes tenent, & docent iisdem Parochis inesse hanc obligationem; pro qua adimplenda ipsam applicationem Sacrificii saltem Dominicis diebus, aliisque Festis de Præcepto facere debent. Fundamenta, quibus firmant præfati DD. hanc opinionem sunt sequentia.

Primò Decretum S. Concilii Tridentini *in sess.23. cap.1.* ubi ita loquitur: *Cum præcepto divino manda-*
2 *tum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere &c.* Igitur, si obligati sunt ex præcepto divino pro suis ovibus *Sacrificium offerre;* utique iisdem Sacrificium applicare debent, ut observat Barbosa *in Collectan. DD. ad d.sess.23. de Ref. cap.1. num.4.* & Fagnanus *in d. cap. Fraternitatem. num 64.* ubi ita sentire affirmat etiam Vasquez *in 3. part. disp.235. art.6. cap. 6.* præter alios DD. supracitatos.

Secundò, quia quando quis obligatus est Missæ Sacrificium offerre pro aliquo, non potest pro eodem Sacrificio recipere ab altero stipendium; nam cum
3 jam Sacrificium sit uni debitum, non potest secundum justitiam alteri applicari, cum illa obligatio præcesserit, *argum. l. Qui prior. ff. de Judic. & l. Cum ex pluribus ff. de Solutionib.* & optimè per Innocentium *in cap. Cum jamdudum. De Præbend.* & per Fagnanum *in cit. cap. Fraternitatem. num.91. de Sepultur. tom.4.* ubi reddit hanc rationem dicens, *Vel certè quatenùs oblatio fieret pro utroque, non tamen absolutè dicitur fieri pro secundo, quia ex divina justitia dividitur inter eos, pro quibus offertur, & sic divisum minùs accipitur à singulis, quasi pro uno tantùm singulariter offerretur, ut latissimè ostensum est supra à num.50 & ad hoc est bonus textus in simili in cap. Cum in illis. in fin. de Præbend. in 6.* Hinc Sacra Congregatio Concilii in Declarationibus circa dubia super *Constit. 43.* Urbani VIII. In-
4 cipien. *Cum sæpè contingat. &c.* diei 21. *Junii* 1625. (quas per extensum ponunt Pax Jordanus *d. tom. 1. lib.4. tit.1. num.515.* Gobatus *in Theolog. Experimen. tract.3. num 518.* Et Donatus *in Praxi Rerum Regular. d. tom.3. tract.7. quæst.52. num.5.*) ad quartum dubium sic respondit: *Ad Quartum: Sacerdotes quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione Beneficii, seu Capellæ, Legati, aut Salarii, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere.*

Tertiò: Et quia plurimi non acquiescebant huic Declarationi Sacræ Congregationis, allegantes eam loqui de habentibus beneficia cum expresso onere Missarum, & applicatione Sacrificii, non autem de Parochis, ut fervidè de more differit doctissimus Caramuel *in Theolog. Fundament. num.424* & Emin. Card. de Lugo *De Euchar. disp.21. num.20. & 21.* ideò omne dubium sustulit eadem Sacra Congregatio *Anno 1629. die prima Septembris* per sequentem declarationem, quam ponunt Barbosa *de Parocho d. cap.11. num. 13.* prout quoque *in Collect. DD. d. sess. 23. Conc. Trid. cap.1. num.4.* Pax Jordanus *d. lib.4 tit.1. num.520.* & Donatus *d. tom.3. tract.7. quæst.52. num.2.* ad dubium
5 in puncto conceptum de Parocho, videlicet: *An Parochi Terræ Urceani Fanen. Diœcesis, quibus diebus ex proprio officio, & obligatione tenentur Missam celebrare, possint pro eadem Missa, in propria, vel aliena Ecclesia celebranda manuales eleemosynas recipere?* Sacra Congregatio *die prima Septembris 1629.* respondit: *Quibus diebus Parochi tenentur Missam celebrare, non posse manualem recipere?* Cur ita? scilicèt quia dictis diebus debent applicare Sacrificium pro ovibus suis, tàm vivis, quàm defunctis. Hinc Diana cum *part.2. tract 14. resol. 26.* docuisset, Parochos non teneri pro populo Missas applicare, & posse stipendium ab aliis pro iisdem Missis sine scrupulo recipere; recessit ab hac opinione *in part.4.*
6 *tract.4. resol.232.* ob supradictam declarationem Sacræ Congregationis *diei 1. Sept.1629.* quam pariter refert; & utraque resolutio habetur in Diana Coordinato *d. tom.2. tract.1. resol.56. & 57.*

Quartò: Et quamvis Concilia Provincialia Sancti Caroli Legem non faciant nisi in Provincia Mediolanensi, nihilominùs decreta in ipsis edita; & per Sedem Apostolicam confirmata valdè conferunt ad hanc obligationem Parochorum applicandi Sacrifi-
7 cium Missæ ovibus suis demonstrandam; siquidem *in Conc. Provinc.1. Mediolanen. part.2. tit. De frequenti Divini Sacrificii oblat.* præcipitur, ut Parochi celebrent diebus Dominicis, & festivis; nec non ter in hebdomada, aut etiam sæpiùs, quoties vel loci consuetudo, vel necessitas crebriorem Divini Sacrificii usum postulabit: Et *in Concil. Provinc.4. tit. De his, quæ pertinent ad Sanctum Sacrificium;* prohibetur Curatis, ne diebus Dominicis, & tribus ferialibus cujusvis hebdomadæ suscipiant aliud Missarum celebrandarum onus. Non ob aliam rationem, ut differit Pax Jordanus *d. lib.4. tit. 1. num.518.* nisi quia in prædictis diebus habent obligationem applicandi fructum Sacrificii Parochianis suis.

Quintò: Confirmatur hæc opinio ex Concilio Sipontino celebrato Anno 1678. per Eminentissimum, simulque ob eximias pietatis, ac virtutis dotes Reli-
8 giosissimum Cardinalem Ursinum tunc Siponti Archiepiscopum; in illo namque *tom.1. cap. 12 De Sacrificio Missæ § 15.* ita loquitur: *Sciant tamen juxta veriorem sententiam, diebus festivis, saltem principalioribus,*

Digitized by Google

lioribus, *applicationem Missæ Parochialis pro Populo*
esse faciendam.
Sextò: His accedit alia præcisa Declaratio S. Con-
gregationis Concilii *diei* 5. *Julii* 1670. *in Clusina:*
(Clusium, vulgò *Chiusi*, est Urbs Hetruriæ anti-
9 quissima, ac ex primis Tuscorum coloniis, Porsenæ-
que Regis Sedes, sub Archiepiscopo Senensi, ac do-
minio Serenissimi Magni Ducis Florentiæ, ut notat
Ferrarius *in Lexico Geographico Verb. Clusium*; de qua
Silv. *lib.* 5. *Hinc Clusina petas*, *postremò ad mœnia Ro-*
mæ.) De prædicta S. Congregationis Declaratione te-
statur Synodus Abbatiæ Farfensis celebrata ab Emi-
nentissimo, ac Reverendissimo Carolo Cardinali Bar-
10 berino Abbate Commendatario *Anno* 1685. In ea
enim *cap.*10. *De Sacrific. Missæ num.*12. hæc haben-
tur: *Missa Parochialis diebus Dominicis*, *& Festis de*
præcepto, *horâ universo populo*, *judicio Parochi ma-*
gis accommodatâ, *celebranda erit*: *& Parochi memine-*
rint tunc pro populo offerre se teneri juxta Concilium
11 *Trid. cap.*1. *sess.* 23. *de Ref. & Sacram Congregationem*
Concilii in Clusina 3. *Julii* 1670. *de qua obligatione*
omnes, *& singulos in Visitatione strictè monuimus*.
En duplex testimonium hujus obligationis, quam
Parochi habent applicandi diebus festis Missæ Sacri-
ficium eorum populo. Unum prædicti Eminentis-
simi Cardinalis Abbatis; aliud ejusdem S. Congre-
gationis Concilii.
Septimò: Fulcitur etiam hæc opinio duplici alio
Testimonio, nempè Eminentissimi, ac Reverendis-
simi Flavii Cardinalis Chisii Episcopi Albani; &
prædictæ S. Congregationis Concilii, quæ eandem
12 obligationem existere in Parochis declaravit *die* 10.
Maii 1681. ut affirmat dicta Eminentia in sua Syno-
do Albanensi celebrata Anno 1687. in qua *sess.* 2.
*cap.*4. *de Parocho*, *& ejus officio* §.5. ita sancivit: *Do-*
minicis, *& Festis quibusque diebus*, *hora congruentio-*
13 *ri*, *& populi commodo magis opportuna*, *Sacrum in pro-*
priis Ecclesiis peragere; *illudque pro sibi commissis*
ovibus, *juxta resolutionem à Sacra Congregatione Con-*
cilii sub 10. *Maii* 1681. *latam*, *applicare non præter-*
mittant. De hac eadem novissima Declaratione men-
tionem facit etiam Pr. Thomas Franciscus Rotarius
Estensis in suo Opere impresso Romæ *Anno* 1702.
*part.*3. *num.*9. his Verbis: *Parochi tenentur pro Pa-*
14 *rochianis Sacrificium applicare*, *atque ea cum distin-*
ctione, *si redditus pingues sint*, *singulis diebus*; *si ve-*
rò tenues, *saltem diebus festivis*. His igitur omnibus
simul sumptis adeò firma, & clara videtur hæc opi-
nio, ut improbabile sit ab ea recedere.
Nihilominùs, Parochos non esse obligatos ad ap-
plicationem Sacrificii eorum populis in festis diebus opi-
nantur Canonistæ, ac Theologi, mox citandi, ex
ea præcipua ratione; quia nullo jure positivo, ne-
que beneficii institutione præcipitur, ut ad prædi-
ctam applicationem teneantur; solùm enim sunt in-
stituta beneficia Curata, ad animas doctrinâ, ac Sa-
15 cramentorum administratione pascendas, ut docent
Navarrus *cap.* 25. *num.* 92. Antoni. de Corduba *in*
suis QQ. lib. 1 *q.* 4. Henriquez *in Summa lib.* 9. *cap.*
22. §. 6. Naldus *Verb. Parochus num.* 18. Reginaldus
lib. 23. *num.* 238. Fraxinellus *sect.* 3. *Prænot.* 2. §. 2.
Possevinus *de Offic. Curati cap.* 2. *num.* 4. Aloys. Ric-
cius *in Decis. Cur. Archiep. Neapolit. Decis.* 201. *part.*4.
Coninch *de Sacram. qu.* 83. *art.* 1. *dub.* 11. *concl.* 3.
Ugolinus *de Offic. Episc. cap.* 16. Layman. *tract.* 5.
cap. 3. *num.* 3. Filliucius *tract.* 4. *num.* 174. & alii,
quos citat, sed refutat Barbosa *de Offic. & Pot. Episc.*
d. alleg. 24 *num.* 23. quibus addendi sunt tanquam pro
hac opinione negativa stantes Emin. Card. de Lugo
de Eucharistia d. disp. 21. *num.* 19. Franciscus de Lugo
ejus consanguineus *de Sacramentis lib.* 5. *cap.* 11.
num. 19. Cotonius *lib.* 3. *Controv.* 6. *num.* 17. *&* 18.
Bissus *in Hierurgia tom.* 2. *Verb. Stipendium pro Mis-*
*sa num.*190. § 8. Caramuel *in Theol. Fundament. d.*
num. 424 novissimè Petrus Murga *de Parocho part.* 3.
q. 4. *à num.* 3. *& seqq.* ubi inter cæteros citat pro hac
opinione Gabrielem Vasquez *tom.* 3. *in* 3. *p. D. Thom.*
q. 83. *art.* 6. *disp.* 234 *cap.* 4. *num.* 27 *fol.* 503. ita
scribentem. *Ego quoque apertè pronuncio*, *Parochum*
ratione institutionis primariæ sui beneficii non teneri ad
offerendum unquam pro subditis; *tametsi per se*, *aut*
per alium celebrare debeat, *ut populus Sacrificio Missæ*
interesse possit, *quod longè diversum est*. *Id autem ve-*
rum existimo, *quia oppositum nulla ratione*, *aut jure*
probari potest. *Cumque in nulla totius Ecclesiæ Diœcesi*
talis sit consuetudo, *frustra dicemus jure ipsos*, *& in-*
stitutione primaria beneficii ad hoc eos teneri.
Cæterùm quia non multitudo Doctorum est atten-
denda, sed soliditas rationum, quas allegant. *cap.*
Capellanus. & ibi Abbas *de Feriis*. *Clem. Unica in*
16 *fin. De Summa Trinit. & Fide Cathol.* Natta *cons.* 120.
num. 1. *vol.* 1. Ancharan. *in cap. Litteras*, *num.* 22.
de Restit. Spol. & Loterius *de Re Beneficiar. lib.* 1. *q.*31.
num 46. Frequenter enim unus Doctor scribit id, quod
ab alio reperit scriptum absque multa consideratione,
undè factum est adagium, quod scribentes se habent
tanquam aves, quarum una cum volat, cæteræ om-
17 nes sequuntur, ut ajebant Decius in *cons.* 481. *n.* 12.
Rolandus *in cons.* 100. *num* 50. *vol.* 2. & alii, quos
citat Sperellus *decis.* 124. *num.* 22. & ideò soli nume-
ro Doctorum non est fidendum; præcipuè quando agi-
tur de propria conscientia, & de æterna salute; tunc
enim opinio magis secura est semper amplectenda,
quamvis pro ea staret unus Doctor tantùm, & pro
18 contraria plurimi. *cap.* 1. *de Re Judic. l. Sunt perso-*
næ. ff. De Relig. & Sumpt. funer. Silvan. *cons.* 9. *sub*
num. 18. *Vers. & maximè*. idem Sperellus *Decis.* 41.
num. 85. quapropter referenda hîc veniunt responsa,
per Auctores hujus negativæ opinionis data ratio-
nibus, ac fundamentis pro contraria affirmativa al-
latis; ut quilibet probus, ac doctus Parochus maturâ
habitâ consideratione, ac reflexione ad illa, resolvat,
quænam ex his opinionibus sit præferenda.
Igitur ad Primum, ac præcipuum fundamentum
Concilii Tridentini dicentis *sess.* 23. *de Ref. cap.* 1.
præcepto Divino mandatum esse Parochis pro suis
ovibus *Sacrificium offerre*, respondent dupliciter.
Prima responsio est, quod debent offerre Sacrificium
19 pro populi commoditate, ad hoc ut ipsi populi possint
Missam audire, & satisfacere Ecclesiæ præcepto, de
quo in *cap. In Dominicis*. 9. *q.* 2. & *in cap.* 2. *de*
Parochiis. Porrò hæc responsio impugnatur à Fagna-
no *in cit. cap. Fraternitatem*. *num.* 93. *De Sepultur.*
tom. 4. ubi dicit, quod hic sensus non congruit verbis,
ac menti Concilii; nam verbum *offerre*, & verba *pro*
his important non solam commoditatem populi, sed
ipsam Sacrificii applicationem; ut est textus *in cap.*
Tempus. 13. *q.* 2. in quo expressè dicitur, quod offer-
re Sacrificium pro aliquo, est applicare ei virtutem,
ac fructum Sacrificii, ut à Purgatorii pœnis subleve-
tur. Præterea præceptum de Missa audienda in Do-
20 minicis, ac festis diebus est de Jure Ecclesiastico.
cap. Missas ibi: *Speciali ordine præcipimus*. *De Con-*
secr. dist. 1. quomodo igitur dixit Concilium Triden-
tinum, quod Parochi adstringuntur Jure Divino ad
Sacrificium offerendum pro eorum populis, si de sola
commoditate audiendi Missam intellexerit; quando
populi non ex Jure Divino, sed ex solo Jure Eccle-
siastico tenentur Missam audire? Nec valet effu-
gium, quod nullibi in Jure Canonico reperiatur scri-
ptum, quod Parochi ex præcepto Divino teneantur
Missam applicare pro populo. Nam in primis satis
est, quod Tridentinum Concilium id dixerit; ha-
bet enim tanquam Œcumenicum, & à Papa con-
21 firmatum auctoritatem velut Evangelii. *cap. Sicut*
Sancti Evangelii. *dist.* 15. Emin. Card. de Lauræa *in*
Epitome Canon. Verb. Concilior. General. Sanctitas, *&*
auctoritas. Ulteriùs hujusmodi præceptum habetur
in Levitic. 9. *Vers.* 7. ibi: *Accede ad Altare*, *& imo-*
la pro peccato suo: *offer holocaustum*, *& deprecare*
pro

Digitized by Google

pro te, *& pro populo*; cujus præcepti meminit Emin. Cardinalis Ursinus in cit. suo Concilio Sipontino *tom.* 1. *cap.* 32. *De Parochis*. §. 5. Item legitur in *Levit.* 16. *Vers.* 17. ibi: *Quando Pontifex Sanctuarium in-*
22 *greditur*, *ut roget pro se*, *& pro domo sua*, *& pro universo cœtu Israel*: nec non *Vers.* 24. ibi: *Et postquam egressus obtulerit holocaustum suum*, *ac plebis*, *rogabit tàm pro se*, *quàm pro populo*. Licèt enim ritus illarum oblationum essent cæremoniales, & cessaverint, Lege Mosaycâ cessante; obligatio Sacerdotum eas offerendi non solùm pro se, sed etiam pro populo erat
23 moralis, quæ durat etiam in Evangelica Lege, ut benè notat Cornelius à Lapide *Comment. in Act. Apost. cap.* 15. *Vers.* 10. nec non Tirinus *Comment. in Epist. D. Pauli ad Roman. cap.* 6. *Vers.* 15. ubi ait, quod Christus non abolevit Legem Mosaycam in his, quæ concernunt Decalogum, & sunt Juris Divini naturalis; & talis est obligatio Parochorum applicandi Sacrificium pro populis suis; undè subdit Apostolus *ad Hebr.* 7. 27. *Qui non habet necessitatem quot die*, *quemadmodum Sacerdotes*, *priùs pro suis delictis hostias offerre*, *deindè pro populi*; & ideò nemo timoratæ conscientiæ potest eam inficiari.

Altera est responsio, quæ à negantibus hanc obligationem datur verbis Concilii Tridentini *d. sess.* 23. *cap.* 1. *Oves suas agnoscere*; *& pro his Sacrificium offerre*, quod scilicèt Concilium loquitur de applicatione fructus tantùm generalissimi ipsius Sacrificii. Cum
24 enim Sacrificii fructus sit triplex, ut docet Scotus *Quodlib.* 20. *art.* 2. *&* 3. quem omnes alii Theologi sequuntur. Navarrus *in Manuali cap.* 25. *num.* 9. Tamburin. *de Sacrific. Missæ lib.* 3. *cap.* 1. §. 2. *num.* 2. Gobatus *eod. tit. tract.* 3. *à num.* 129. Nicolius *in Flosculis Verb. Missa num.* 2. videlicèt *Generalissimus*, qui applicatur ab Ecclesia Summo Pontifici, & aliis, de quibus in Canone; *Medius*, quem obtinet ille, à quo datum est stipendium; vel pro quo individualiter offertur Missa; & *Specialissimus*, quo fruitur ipsemet Sacerdos celebrans, ut explicant supracitati DD. & ego quoque exposui in meis Decisionibus *De Sacrificio Missæ Decis.* 33. *num.* 41. Idcircò dicunt, Parochum
25 ex decreto Concil. Trid. obligatum esse offerre Sacrificium pro suis ovibus eo modo, quo tenetur offerre pro Papa, pro Episcopo, & pro aliis in generali; at fructum medium ipsius Missæ, asserunt, non teneri applicare populis suis, sed pro illo posse recipere stipendium, sicut faciunt cæteri Sacerdotes; qui ipsum applicant dantibus eleemosynam. Cæterùm impugnat hanc etiam responsionem Fagnanus *in eod. cap. Fraternitatem. num.* 94. *de Sepultur. tom.* 4. his verbis: *Sed neque hic intellectus videtur omninò congruere cum decreto Concilii: nam, dum Concilium declaravit, teneri Parochum offerre Sacrificium pro ovibus suis, indicavit in Parocho adesse aliquam specialem obligationem diversam ab illa, quam habent singuli Sacerdotes applicandi fructum Missæ omnibus Christi fidelibus*. Siquidem superfluum fuisset injungere Parochis id, quod omnibus Sacerdotibus est commune; & quod ipsi tanquam meri Sacerdotes absque dubio faciunt. Propterea ab hac negativa opinione recedens ipse Fagnanus, amplectitur constanter affirmativam, con-
26 cludens: *Videtur ergo verus*, *& consonus verbis*, *& intentioni Concilii ille intellectus*, *quo Parochus obligatur ad offerendum Sacrificium pro ovibus suis*, *idest ad specialem ipsius Sacrificii*, *& fructus medii applicationem*; *quemadmodum sentit* Sotus *de Just. & Jur. q.* 3. *& alii recentiores*. Et tantò magis à prædicta secunda responsione circa verba ipsius Concilii Tridentini *sess.* 23. *de Ref. cap.* 1. est abstinendum, quo per eam fit interpretatio ejusdem Concilii; & hæc
27 fieri non potest à quovis Doctore privato, sed tantùm ab Eminentissimis Cardinalibus per Summum Pontificem ad Concilium Tridentinum interpretandum, ac declarandum specialiter deputatis, ut constat ex Bulla 73. Pii IV. Incipit *Benedictus*. §. 5. & ex Bulla 81. ejusdem Pii IV. Incipit *Alias &c.* atque ex Bulla 74. Sixti V. *sub* §. 1. *Vers. Deo autem Patri misericordiarum &c.* quæ incipit *Immensa &c.* quod advertit Barbosa *in Collect. DD. ad ipsum Concil. Trid. sess.* 25. *de Ref. cap.* 2. *num.* 5. & ibi Suarez *de Censuris tom.* 5. *disp.* 23. *sect.* 3. *num.* 12. Reginaldus *lib.* 20. *num.* 53. & Bonacina *de Legib. disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 8. Aliter autem prædicta verba Concilii *sess.* 23. *cap.* 1. interpretata sunt à Sacra Congregatione eorundem Eminentissimorum Cardinalium, ut ostensum est supra *num.* 5. *& num.* 11. *ac* 12. & dicetur infra *num.* 32. *& seqq.*

Ad aliud Fundamentum affirmativæ opinionis desumptum ex Conciliis Provincialibus tùm S. Caroli pro Provincia Mediolanensi, tùm Eminentissimorum Cardinalium Ursini, Barberini, & Chisii pro Diœcesibus Sipontina, Farfensi, ac Albanensi, respondent qui negativam sectantur opinionem, ea vigere attentâ consuetudine illarum regionum; & stante præciso statuto, ac decreto eorundem Antistitum,
28 ut in terminis dicit Vasquez *d. disp.* 234. *cap.* 4. *num.* 27. per hæc verba, quæ transcribit Murga *de Parocho d. Part.* 3. *q.* 4. *num.* 5. videlicèt: *Standum igitur erit*, *ut rectè notavit Corduba*, *consuetudini*, *& statutis*, *seu legibus synodalibus cujuscunque Diœcesis*. Verùm neque in hac Diœcesi Patavina, neque in adjacentibus Constitutiones Synodales imponunt Parochis hanc obligationem applicandi Missæ Sacrificium suis populis in diebus Dominicis, ac aliis festivis; sed tantummodò eos urgent, ut in prædictis diebus celebrent horâ ipsis populis commodiori, ut videre est in Synodo Patavina *de Anno* 1624. per Successores Episcopos usque in hanc diem confirmata; in qua *part.* 2. *cap.* 10. *de Offic. Parochi* indicitur, ita: *Diebus saltem Dominicis*, *& reliquis ex præcepto festivitatibus*, *decenti hora Sacrum peragant*, *nec populum quavis illustris Viri expectatione diutiùs detineant*. *Tempus verò congruum erit hora cum dimidiâ ab ortu solis*, *vel ad summum binis*. Et idem legitur injunctùm Parochis ferè per eadem verba in Synodo Concordiensi de *Anno* 1697. *cap.* 26. §. 3. Ex quibus videtur inferendum, standum esse consuetudini, quæ in his Diœcesibus non obligat Parochos ad applicandum Sacrificium populo in Dominicis, ac festis diebus; sed permittit, ut illud offerant etiam in iisdem diebus
29 pro dantibus stipendium; consuetudo enim facit Jus, præcipuè si sit immemorabilis. *cap. Super quibusdam*. & ibi Glossa *in Verb. Non extat memoria*. *De Verb. Signific.*

Sed si veritatem amamus, & conscientiæ velimus rectè consulere, hæc responsio non suffragatur ex pluribus. Primò, quia Concilium Tridentinum, ut vidimus, contrarium præcipit; consuetudo autem con-
30 tra Concilium introduci non potest. *cap. fin. de Consuetud. & cap. fin. de Præscript.* Hostiens. *in cap. Cum Laicis num.* 11. & ibi Jo. Andreas *num* 3. & Cardin. *num.* 7. *De Reb. Eccles. non alien.* latè Fagnanus *in cap. Quod à Prædecessore. num.* 61. *De Schismat. tom.* 6. & ibi Rocchus de Curte *in tract. de Consuetud. num.* 546. *Vers. Secundò limita*. Secundò, quia est contra Jus Divinum, ac naturale, à quo, juxta ipsum Concilium Tridentinum, procedit hæc obligatio Parochorum applicandi Sacrificium pro populo in diebus Dominicis, ac aliis festivis: at consuetudo contra Jus divinum, & naturale, etsi longæva non valet. *cap. Cum in Ecclesia. De Simonia*. Fagnanus *in cap. Cum causam. num.* 4. *de Elect. tom.* 2. *& in cap. Utrùm autem. num.* 14. *De Cognat. Spiritual. tom.* 6. Tertiò, quia non est conveniens Religioni, quæ vult, ut saltem in prædictis diebus, offeratur pro populo Sacrificium ab animarum Pastoribus, quas pascere debent doctrina, verbo Dei, & Sacramentis; ac etiam applicatione Missæ in vita, & post mortem coadjuvare; ideòque cum non sit Religioni conveniens, non est ra-
31 tionabilis; & deficiente ratione non est consuetudo, sed

Digitized by Google

sed corruptela omninò extirpanda. *cap. Erit autem Lex. dist. 4. cap. Mala. dist. 8. cap. fin. de Consuetud.* quandoquidem est nutritiva peccati. *cap. Flagitia. 32. quaest. 7.* Federic. de Senis *cons. 275. in princ.* Calderin. *cons. 42. de Consuetud* & idem Fagnanus *in d. cap. Quod à Praedecessore. num. 65. de Schismat. tom. 6.* ubi ita loquitur: *Cum enim tantò sint graviora peccata, quantò diutiùs infelicem animam detinent alligatam, nemo sanae mentis intelligit, Juri, cujus transgressio periculum salutis inducit, quacunque consuetudine, quae dicenda est potiùs corruptela, posse aliquatenùs derogari, ut legitur in eod. cap. fin.* Quare sub praetextu consuetudinis cavendum est, ne utamur hoc vocabulo *ad excusandas excusationes in peccatis;* quia cum consuetudo inter Parochos invecta non applicandi Sacrificium pro populo diebus Dominicis, aliisque festivis sit peccaminosa; qui innititur tali consuetudine, malè consulit conscientiae suae.

Ad aliud tandem fundamentum contrariae opinionis, consistens super Declarationibus Sacrae Congregationis Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum; videlicèt *diei* 1. *Septembris* 1629. Item *diei* 3. *Julii* 1670. Nec non *diei* 10. *Maii* 1681. de quibus supra *num. 5. & num. 11. & 12.* respondent tripliciter; *Primò*, quod praedictae Declarationes sunt quidem doctrinales, sed non ha-
32 bent vim legis, ut latè differunt DD. quos citat, & sequitur Diana *part. 1. tract. 10. resol. 29.* Item *part. 5. tract. 2. resol. 96.* ac etiam *part. 11. tract. 2. resol. 42.* ideò etsi magnam auctoritatem habeant, non obligant in conscientia. Secundò, quod ipsae Declarationes non sunt publicatae, nec omnibus Episcopis transmissae, ut eas notificent, ac servare faciant in suis Dioecesibus; promulgatio autem est de essentia Legis, & sine illa non insurgit obligatio servandi ipsam Legem.
33 Bonacina *disp. 1. de Legib. quaest. 1. punct. 4. num. 6.* Reginaldus *lib. 13. cap. 16 n. 151.* Suarez *de Legib. lib. 1. cap. 11. num. 6.* & pluribus DD. citatis Baldellus *tom. 1. lib. 5. disp. 13. per totam*, ubi in specie disputat de necessaria harum Declarationum publicatione, ac promulgatione. Tertiò quod ultra praedicta ipsae Declarationes non habentur, nec dantur in forma authentica; idest cum subscriptione Emin. Cardinalis ejusdem S. Congregationis Praefecti, nec non Secretarii ipsius, ac cum Sigillo; sine quibus Urbanus VIII. statuit, non esse credendum iisdem Declarationibus, ut testantur Barbosa *de Jure Eccles. Univ. lib. 1. cap. 4. num. 83.* ubi ponit Decretum jussu Urbani Octavi de hac re latum *die 2. Augusti* 1632. & Nicolius *in Lucubrat. Civilib. lib. 1. tit. 10. num. 76.*

His tamen responsionibus minimè est acquiescendum. Non primae, quia viginti eximii Theologi, ac Canonistae, quos citat Barbosa *d. lib. 1. cap. 4. num. 81.* contrarium probant fortissimis argumentis, &
34 praecipuè Garzias *de Benefic. tom. 1. in Praefat.* sic scribens: *Quod attinet ad Declarationes Sacrae Congregationis, certum est eas non esse Declarationes doctrinales, sicut latas à Doctoribus, & Jureperitis, ut aliqui Theologi perperàm dicunt, sed esse Declarationes definitivas, seu decisivas vim Legis habentes, & ut Leges recipiendas, ut potè latas ex commissione Papae, & à personis habentibus interpretandi, ac respondendi facultatem à Principe, ut apparet ex Bulla 7. Sixti V.* Sed meliùs caeteris Declarationes Sacrae Congregationis Concilii habere vim Legis, & ab omnibus in utroque foro esse servandas comprobat Fagnanus *in cit. cap. Quoniam. à num. 8. & seqq. De Constitut. tom. 1.* decem legalibus fundamentis; quorum unum est, quod ipsa Sacra Congregatio declarando Concilium non facit Legem novam, sed ostendit sensum ejusdem Concilii, quod declarat; nam
35 declarare nihil aliud est, quàm aperire, seu manifestare super aliqua Lege, seu Constitutione intellectum, sivè sensum ejus; ideò nihil differt à Lege ejusdem Concilii; & vis, ac obligatio credendi, tenendi, ac exequendi id, quod dicitur à Sacra Congregatione declarante provenit ab ipso Concilio declarato, ut juribus, atque Doctorum plurimorum dictis demonstrat Fagnanus *ibid. à num. 14. & seqq.* ubi *num. 21.* concludit, *Sacrae Congregationis Declarationes editas Apostolica Auctoritate nihil aliud esse essentialiter, quàm decreta ipsa Concilii ex se obscura, ac dubia, seu ut ait* Vitalin. *in eod. proemio Clem. 1. De Sum. Trin. & Fide Cath. §. Hunc igitur. num. 32.* malè ab aliquibus intellecta, explicatione dilucidata, & clarificata: *Hinc necessariò sequi-*
36 *tur, ut obligandi vim habeant, perindè ac decreta ipsa declarata, quod expressè asseruit* Paulus de Castro *cons. 339. col. pen. num. 5. vers. Quaeritur. lib. 1. ubi ait, vim omnem, quae inest dispositioni declaratae censeri etiam inesse illius declarationi. Et ante eum* Oldrad. *cons. 263. num. 2. & seq. Vers. Et advertendum est, subdens, declarationem esse dependentem, implicitam, & consequentem ad declaratum. Explorati autem juris est, Decreta Apostolica, & Conciliaria omnes obstringere in utroque foro, etiam sub reatu mortalis peccati. cap. De his. il 1. in fin. 50. dist. cap. Quia. 64. dist. cap. Nulli fas est. ubi hoc tenet* Hugo *19. dist. cap. Si quis omnem. 19. quaest. 7. cap. Violatores. 25. quaest. 1. cap. 1. dist. 15. Archidiacon. in cap. Detestanda. n. 4. de Concess. Praeb. in 6. quem refert, & sequitur ibi* Geminian. *in princ.* Felin. *supra in cap. 1. num. 11. Glossa, & DD. in cap. Nam concupiscentiam. supra eod. & in Rubric. De Observ. Jejunii.*

Nec elidere potest hanc veritatem id, quod dicit Baldellus *d. lib. 5. disp. 13. num. 15.* videlicèt illas Declarationes Sacrae Congregationis Concilii vim Legis habere, quae consulto Summo Pontifice, vel per eum approbatae emanant juxta praescriptum d. Bullae Sixti V. secùs autem, si inscio Papa concipiantur, prout supra relatae de obligatione Parochorum applicandi Sacrificium Missae pro populo, de quibus ipse Papa non dicitur factus esse conscius. Nam etiam
37 hoc objectum tollitur ab ipso Fagnano *in cit. cap. Quoniam. num. 35. de Constitut. tom. 1.* his verbis: *Decimò, & ultimò his omnibus accedit usus, & longissima observantia Summis Pontificibus scientibus, & approbantibus; nam & in eorum praesentia Congregationes Concilii multoties haberi consueverunt, ut in specie observatum fuit tempore Clementis VIII. & aliàs* (notetur) *quotiescunque emergentia dubia nondum decisa resolvuntur, ad praescriptum Constitutionis Sixti V. de omnibus consuevit fieri relatio Papae à Cardinali Praefecto, vel à Secretario Congregationis, ut ego ipse diù observavi, licèt id in Declarationibus exprimi nec opus sit, nec semper soleat.* Ergo omnes Declarationes S. Congregationis Concilii censendae sunt factae cum scientia, & approbatione Papae. Fagnanus fuit Secretarius hujus Sacrae Congregationis per annos 40 & ultrà, & testatur de facto proprio; idcircò plenam meretur fidem: quandoquidem testis
38 deponens in facto proprio, etsi unicus, plenè probat. Farinacius *de Testib. q. 63. num. 207.* ubi DD. innumeri idipsum docentes, & praecipuè si sit Officialis, & testetur aliquid, quod ad suum officium spectet. Gabriel *in tit. de Testib. concl. 1 num. 18.* Menochius *de Arbitr. Judic. cas. 99. num. 2. & 3.* idem Farinacius *d. quaest. 63. num. 227.*

Secundae pariter responsioni acquiescere non debet, qui sanum consilium petit pro sua conscientia; scilicèt Declarationes S. Congregationis Concilii non habere vim Legis, neque esse obligatorias, quia non promulgantur: nam retunditur haec evasio ab eodem Fagnano *in cit. cap. Quoniam. à num. 43. & seqq. De*
39 *Constitut. tom. 1.* ex communi Legisperitorum regula docentium, solemnitatem promulgationis, ac publicationis exigi quidem in Legis editione, secùs autem in Legis declaratione; ea ratione quia Legis declaratio non facit novum Jus, sed tantùm manifestat illud Jus, quod priùs erat; cumque Lex declarata ab initio promul-

Digitized by Google

promulgata fuerit; solemnitas publicationis semel adhibita in principali dispositione non est ulteriùs repetenda in illius declaratione. Ita Bart. *in l. Hæredes palam.* §. *si quid.* & ibi etiam Bald. Imola, Aretinus, & Angelus *ff. de Testam* Bellamera *decis.* 746. Roman. *cons.*482. *num.* 7. Rebuff. *in Praxi tit. De non tollendo Jure quæs. gloss.* 3. atque ita de his Declarationibus Sacræ Congregationis tradit Rodriquez *de Regular. tom.* 1. *quæst.* 11. *art.* 2. & 3. & latissimè Fagnanus *ubi supra à d. num* 43. *usque ad num.* 56. Cum itaque Concilium Tridentinum ubique fuerit ab initio publicatum, & intimatum; ipsaque Declaratio S. Congregationis, quod Parochi teneantur diebus saltem Festis applicare Sacrificium pro populo, sit illa obligatio, quam iisdem Parochis inesse de Jure Divino dixit Concilium *sess.* 23. *de Ref. cap.* 1. sequitur, non esse opus nova publicatione; nec ex hujus defectu licere Parochis se eximere ab eadem obligatione.

Tertiæ tandem responsioni non est, ut Parochi timoratæ conscientiæ acquiescant; scilicèt non esse curandum de præcitatis Declarationibus S. Congregationis Concilii, quia non exhibentur in forma authen-
40 tica, cum Sigillo, & subscriptionibus Cardinalis Præfecti, ac ipsius Secretarii; quia etsi talis authenticatio requiratur in foro contentioso; attamen aliter est dicendum in foro conscientiæ, in quo unusquisque tenetur eas sequi, si de illis sufficientem notitiam habuerit, vel eas apud aliquem probatum Auctorem repererit, ut in puncto dicit Salas *de Legib. tract.* 14. *disp.* 21. *quæst.* 97. *sect.* 12. *in fine.* Navarrus *cons.* 1. *num.* 12. *& per totum de Constitutionib.* atque Fagnanus *in eod. cap. Quoniam. num.* 59. *d. tit. de Constitut. tom.* 1. Propterea in præsenti Discordia, de qua agimus, nefas esset dubitare de veritate ipsarum Declarationum S. Congregationis Concilii, quas supra retulimus, tùm quia de eis attestantur tres S. R. E. Cardinales Chisius, Ursinus, & Barberinus; & de Jure creden-
41 dum est assertioni uniuscujusque Cardinalis quamvis sine juramento. Decius *in cap. Constitutus num.* 9. *De Appellat.* Cotonius *lib.* 3. *Controvers.* 3. *num.* 40. Rota coram Coccino *decis.* 4. *num.* 3. *& decis.* 19. *num.* 1. tùm etiam quia iidem tres Eminentissimi Patres fuerunt de numero ejusdem Sacræ Congregationis; neque est opinandum, eos in suis Synodalibus Constitutionibus inseruisse easdem Declarationes, nisi certam, ac infallibilem notitiam ipsi habuissent de earum veritate.

Corollarii loco hanc objectionem quis facere posset, nempè multos esse Parochos ita pauperes, ut pro sua sustentatione egeant stipendio Missæ etiam in
42 Dominicis, ac festivis diebus; & eos non posse Sacrificium applicare populo, sed danti stipendium. At resolvitur hæc objectio negando hanc paupertatem, quia omnis Parochus de Jure habet suam congruam, & honestam sustentationem; quæ si desit, illam petere potest vel ab Episcopo, vel à populo: & quantumvis tenues sint redditus Parochialis beneficii; ipse Parochus plus habebit ad sui sustentationem, quàm alii simplices Sacerdotes. Quare si contenti esse velint, ut ait Apostolus 1. *Timoth.* 6. *alimentis, & quibus tegantur;* poterunt absque magno incommodo satisfacere huic obligationi suæ, applicando Sacrificium Missæ suis ovibus vivis, atque defunctis in diebus festivis, qui cum non excedant centenarium numerum dierum in anno, habent reliquos dies liberos pro stipendio absque conscientiæ gravamine, pro Missa celebranda, obtinendo; quæ quidem stipendia pro diebus 265. non festivis conficiunt summam Ducatorum Venetorum Quinquaginta, cui si addatur Congrua ex beneficio Parochiali debita, quæ minor esse non debet eorundem Ducatorum Venetorum centum; consequentur annuatim Ducatos centum, & quinquaginta ad honestè vivendum: undè cessat prætextus nimiæ paupertatis etiam in obtinentibus tenues Parochias. Multò magis autem cessabit in illis, qui Parochias divites, vel non ita tenues consequuntur; & idcircò nullus Parochus, si timoratam conscientiam gerat, & saluti animæ suæ velit consulere, excusari possit ab applicatione Sacrificii populo suo singulis festivis diebus juxta decretum Sacrosancti Tridentini Concilii *in d. sess.* 23. *de Ref. cap.* 1. & Declarationes prænarratas S. Congregationis ejusdem Concilii Interpretis.

Quod si quis, interpellando dicat: Ergo etiam Papa, etiam Episcopi, etiam Prælati Religionum tenentur
43 ex præcepto divino pro suis subditis Missam applicare? Respondeo affirmativè, non solùm festivis diebus, sed frequentiùs, ut infert Murga *de Paroch. d. part.* 3. *quæst.* 4. *num* 8.

Hæc cum scripsissem, atramentoque nondum siccitatem adepto, è Venetiis ad me pervenit Liber inscriptus *Apparatus pro examine Clericorum*, Auctore P. D. Thoma Francisco Rotario Astensi Clerico Regulari Sancti Pauli Barnabita, ibidem Anno MCCV. typis impressus, in quo *cap.* 9. *sect.* 3. *De Sacrificio Missæ* reperi supradictam meam Consultationem non solùm esse irrefragabilem ex Juribus, rationibus, Declarationibus, S. Congregationis Concilii, aliisque auctoritatibus in ea dictis, ac deductis; sed etiam ex novissimis ejusdem Sacræ Congregationis decretis super vera interpretatione Concilii Tridentini *d. sess.* 23. *de Ref. cap.* 1. datis, nempè *die* 10. *Maii* 1692. *die* 30. *Augusti* 1698. & *die* 14. *Februarii* 1699; iisque omnibus ab Innocentio XII. Summo Pontifice confirmatis per speciale Breve Sanctitatis suæ *die* 24. *Aprilis* 1699; adeòut opinionem negativam, de qua supra, esse omninò deserendam, & DD. eam tenentes esse prorsùs ejurandos constat evidenter, attento ipso Brevi Pontificio, quod non me tædet hic transcribere ad suasos reddendos omnes Parochos de antedicta ipsorum obligatione applicandi suis populis Sacrificium Missæ diebus Dominicis, ac alijs festivis; & ejus tenor est hujusmodi.

INNOCENTIUS PAPA XII.
Ad futuram rei memoriam.

NUper à Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tri-
1 dentini Interpretum emanavit, super quodam dubio pro parte Ven. Fratris moderni Episcopi Pistoriensis, & Pratensis Congregationi hujusmodi proposito, Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Pistorien. & Praten. Cum Parochi Ecclesiarum Pistorien. & Praten. inter varias opiniones Doctorum involuti negligant in dies celebrationem, & respectivè applicationem Sacrificii pro populo juxta dispositionem Sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini; Episcopus ad consulendum nedum propriæ, verùm etiam dictorum Parochorum conscientiæ, supplicat declarari: An dicti Parochi teneantur omnibus diebus festis applicare Sacrificium pro populo, sivè habeant congruam, sivè non? Die 14. Februarii 1699. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit dandas esse resolutiones aliàs hac de re editas, & signanter in Nullius Nonantulanæ Eminentissimo Abbati 30. Augusti 1698. tenoris ut infra: Cum præcepto divino iis, quibus animarum cura commissa est, mandatum sit pro ovibus suis Sacrificium offerre, sæpè aliàs Sacra Congregatio Concilii censuit, Parochos teneri pro Parochianis Sacrificium applicare, & præcipuè in dubio applicationis Sacrificii proposito, & respectivè resoluto sub die 10. Maii 1692. his præcisis verbis concepto: An Parochus Missam celebrare teneatur, & Sacrificium applicare pro Parochianis in diebus Dominicis, & Festis, sivè habeat congruam, sivè non? Sacra &c. juxta alias Declarationes censuit, Teneri, nec posse eisdem diebus aliam eleemosynam recipere. Ac proindè idem nunc respondendum esse censuerunt Eminentissimi Patres quoad Parochos Nonantu-

Digitized by Google

nantulanæ Diœcesis; addentes insuper, quod Emin. V. pro suo Pastorali zelo, detrectantes Parochos compellere non gravetur. I. Cardinalis Sacripantes Præfectus. Loco ✠ Sigilli. Cum autem sicut dictus Episcopus Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quò firmiùs subsistat, & servetur exactiùs, Apostolicæ Confirmationis Nostræ patrocinio communiri plurimùm desideret: Nos specialem ipsi Episcopo gratiam facere volentes, eumque à quibuscunque Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à Jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes; supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum, Auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus; illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus. Salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium. Decernentes easdem præsentes Litteras firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocunque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 24. Aprilis 1699. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

I. F. Cardinalis Albanus.

Ex hujus itaque Brevis Apostolici tenore non video quid sit addendum pro resolutione præsentis Discordiæ, ut concordi voluntate Parochi applicent Dominicis, ac Festis diebus Sacrificium Missæ pro populis suis vivis, ac defunctis; nisi id, quod scriptum est *in cap. Sic omnes. dist. 19.* nempè: *Sic omnes Apostolicæ Sedis Sanctiones accipiendæ sunt, tanquam ipsius Divi Petri voce firmatæ*: nec non *in cap. Nulli fas est. ead dist. 19.* scilicèt *Nulli fas est vel velle, vel posse transgredi Apostolicæ Sedis præcepta. Sit ergo ruinæ suæ dolore prostratus quisquis Apostolicis voluerit contraire Decretis*. Nam, si negligentia fuit hucusque ignorasse hanc obligationem, post didicitam culpa est nolle eam adimplere juxta *text. in cap. Si Decreta dist. 20.* ita dicentem: *Si Decreta Romanorum Pontificum non habetis, de neglectu, atque incuria estis arguendi. Si verò habetis, & non observatis, de temeritate estis corripiendi, & increpandi*. Debet enim quilibet Parochus seriò considerare id, quod legitur *in cap. Nulli fas sit. 25. quæst. 1.* hoc est: *Nulli fas sit sine statut sui periculo vel Divinas Constitutiones, vel Apostolicæ Sedis decreta temerare*.

Ultimò advertendum venit, quod in Ecclesiis Collegiatis, in quibus Cura animarum residet in habitu
45 apud Capitulum, & exercetur per unum, aut plures Sacerdotes, prout fit in hac Cathedrali Patavina, in Collegiata Plebis Sacci, in illa Monasterii Candianæ, & similibus; hæc obligatio applicandi Sacrificium diebus festivis pro populo spectat ad ipsum Capitulum; à quo propterea providendum est, ut prædicta applicatio fideliter adimpleatur, ut benè observant Possevin. *de Offic. Curati cap. 2. num. 1.* & Rotarius *d. cap 9. sect. 3. num. 4.*

DISCORDIA XXX.

ARGUMENTUM.

Primum beneficium incompatibile vacat eo die, quo provisus de secundo capit hujus secundi possessionem. Ideò ad cognoscendum, an primum sit reservatum Sedi Apostolicæ? vel sit conferendum ab Ordinario? attenditur dies adeptæ possessionis secundi; non autem dies dimissionis primi, ad quam faciendam provisus de secundo habet tempus duorum Mensium; sed interim primum beneficium potest alteri conferri.

SUMMARIUM.

1 *Beneficium Curatum primum vacat ipso Jure per collationem secundi.*
2 *Possessione obtentâ secundi beneficii Curati statim primum potest alteri conferri.*
3 *Beneficium primum vacat per pacificam possessionem secundi.*
4 *Dictio* Ipso facto *importat Canonem latæ Sententiæ.*
5 *Incompatibilis beneficii primi cum secundo dimissio est statim facienda.*
6 *Gregorii XIII. declaratio circa reservationem primi beneficii incompatibilis.*
7 *Mensis, in quo capitur possessio secundi beneficii incompatibilis, est attendendus ad cognoscendam reservationem primi.*
8 *Doctores ita sentientes.* & num. 9.
10 *Provisus de secundo incompatibili beneficio debet dimittere primum intra duos menses.*
11 *Vacatio primi beneficii incompatibilis non incipit à die dimissionis; sed à die captæ possessionis secundi.*
12 *Manutentio datur super primo beneficio, si insurgant molestiæ super secundo.*
13 *Possessio corporalis primi beneficii incompatibilis non vacat intra duos Menses post obtentum secundum.*
14 *Titulus beneficii non pendet ab ejus possessione.*

Vacante Parochiali Ecclesia Sancti Pauli in Castro Montisilicis, mota fuit Lis contra Curiam Episcopalem Patavinam per Capitulum, & Canonicos illius loci, prætendentes dictam Parochialem esse de Mensa sui Capituli; sed terminata lite Venetiis ad favorem Curiæ Episcopalis, fuit per eam, prævio concursu, ad formam S. Concilii Tridentini *sess. 24. cap. 18.* prælectus ad prædictam Parochialem Sancti Pauli Rev. Petrus Antonius Bellinus Parochus S. Luciæ, de Padua; qui accepit Collationem, & Investituram ejusdem Beneficii Sancti Pauli ab Episcopo Patavino *die 26. Mensis Martii hujus anni 1696.* possessionem autem pacificam *die 27. ejusdem Mensis*, & subinde dimisit, & renunciavit *die 6. Mensis Aprilis*, in Cancellaria Episcopali, Ecclesiam Curatam S. Luciæ, tanquam incompatibilem, quam priùs obtinebat. Episcopus Patavinus exposuit Edicta pro concursu ipsius Parochialis S. Luciæ, & eo habito prælegit ad illam, tanquam digniorem ex concurrentibus Rev. N. Bertazzolum. Verùm quia Beneficium curatum ipsius Sanctæ Luciæ credebatur ex illis, quorum institutio cum concessione Bullarum spectat ad Illustrissimum, & Reverendissimum Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Paduanæ, quando vacatio occurrit in Mensibus ordinariis, non reservatis, dubitare contigit; an prædicta Parochialis S. Luciæ ex præmissis vacaverit in Mense Martio; ità, ut institutio, & Bullæ faciendæ forent à Capitulo; vel potiùs vacaverit in Mense Aprili, & sic Institutio, & Bullæ essent recipiendæ ab Episcopo, tanquam Cardinali Indultario?

Et ref-

Digitized by Google

Et respondendo pro veritate, dixi Vacationem Sanctæ Luciæ esse sequutam mense Martio, ejusque Institutionem esse faciendam ab Illustrissimo, & Reverendissimo Capitulo; atque ab eodem esse relaxandas Bullas eidem Rev. Bertazzolo prælecto pro possessione capienda, & hoc ex Juribus, & Auctoritatibus sequentibus.

Primò ex *cap. De multa* 28. *de Præbend.* in quo hæc habentur verba: *Præsenti decreto statuimus, ut quicunque receperit aliquod beneficium curam habens animarum annexam, si priùs tale beneficium habebat, eo sit ipso Jure privatus*, Idcircò cùm primum beneficium
1 vacet ipso Jure, ideft eodem inftanti, quo illud habens receperit fecundum incompatibile; & in cafu noftro Beneficium Sancti Pauli receptum fit tùm refpectu collationis, tùm refpectu adeptæ poffeffionis de Menfe Martio: fequitur eveniffe vacationem de eodem Menfe Martio; & fubinde Inftitutionem, & confectionem Bullarum primi Beneficii Sanctæ Luciæ pertinere ad Capitulum Paduanum.

Secundò *ex cap. Licet* 28. *de Præbend. in* 6. ubi difponitur, quod ftatim à die habitæ poffeffionis pacificæ fecundi Beneficii incompatibilis, poffit alteri pri-
2 mum Beneficium conferri; cum hac folùm limitatione, ut ejufdem primi Beneficii poffeffio non tradatur, nifi vocato primo poffeffore, cùm fibi forfan jus poffit competere retinendi poffeffionem primi, quando fcilicèt orta effet lis fuper fecundo. Sed collatio primi beneficii non poffet fieri alteri, nifi priùs vacaffet. *cap.* 1. & 2. *ubi DD. de Concess. Præbend. Gloss. in Cap. Commissa* 35 *Verb. Te nolente de Elect. in* 6. Ergo ftatim à die poffeffionis habitæ per Parochum Sancti Pauli, ideft de Menfe Martio, vacavit primum beneficium Sanctæ Luciæ, quod ipfe obtinebat.

Tertiò id confirmatur *ex Clem. Si plures* 3. *de Præbend.* in qua pariter ftatuitur vacare ipfo facto primum beneficium, adepta pacifica poffeffione fecundi
3 his verbis: *Si plures obtinens dignitates, aliam dignitatem, aut Curam Animarum habens Beneficium acceptet, dispensatione super hoc legitimè non obtenta, ejus possessione adepta pacificè, dignitates, quas priùs habebat ipso facto vacare censemus*. Sed hæ voces *ipso*
4 *facto* important Canonem latæ fententiæ. *Barbosa de Diction. Usufr. dict.* 178. Ergo &c.

Quartò idem probat *tex. in Extravag. Execrabilis* §. *qui verò eod. tit. de Præbend.* ubi difponitur, dimiffionem primi Beneficii incompatibilis, abfque mo-
5 ræ difpendio, effe faciendam in manibus Ordinariorum; & declaratur ipfum beneficium vacare *ipso jure*, poftquam provifus habuerit poffeffionem fecundi. Sed poffeffio Sancti Pauli habita eft de Menfe Martio. Ergo eodem Menfe vacavit Sancta Lucia.

Quintò hæc eadem veritas refultat ex Declaratione Gregorii Papæ XIII. relata per Fagnan. *in cap. Non sine. num.* 36. *de Arbitris*, per quam cum dubi-
6 taretur, an Beneficium primum, vacans per affecutionem fecundi incompatibilis, effet Papæ refervatum, vel non? Sanctitas fua decrevit, quod fi poffeffio fecundi beneficii, collati ab Ordinario, capta fit in menfe refervato, prima Parochialis fit refervata Sedi Apoftolicæ, & à folo Papa conferenda; fecùs autem fi dicta poffeffio fecundi beneficii capta fuerit in Menfe ordinario. Igitur hæc Declaratio facit regulam certam ad cognofcendum ad quem fpectet col-
7 latio beneficii vacantis per affecutionem alterius Incompatibilis, & ea eft; ut attendatur menfis in quo capitur poffeffio fecundi. Quocirca in cafu præfenti cùm Parochus Sanctæ Luciæ de Padua cœperit poffeffionem Sancti Pauli de Montefilice in Menfe Martio, qui eft Menfis Capitularis, abfque hæfitatione dicendum venit, Parochialem Sanctæ Luciæ vacaffe in eodem Menfe, & per confequens Collationem, Inftitutionem, & Bullarum conceffionem effe faciendam à Capitulo Paduano.

Sextò, & quod ad cognofcendum Menfem, in quo vacat primum beneficium per affecutionem fecundi incompatibilis, fit attendendum tempus, in quo provifus capit poffeffionem ejufdem fecundi incompati-
8 bilis, confuluit *Navar. Cons.* 18. *num.* 3. *de Præbend.* quod notat *Gonzal. ad regul.* 8. *gloss.* 15. *num.* 42 & refolvit *Rota in Regien. Presbyteratus* 28. *Maii* 1657. quæ habetur *part.* 12. *recent. Decis.* 241. *num.* 7. & eft coram *Priolo Decis* 54. *num.* 7.

Septimò hanc eandem Regulam tradunt DD. antiqui, inter quos Abb. *in d. cap. De multa num.* 16. *de Præbend.* Burfatus *Cons.* 353 *num.* 1. & 17. Ca-
9 ftren. *lib.* 2. *Cons.* 265. quos fequuntur omnes moderni Beneficialiftæ. Gonzal. *d. gloss.* 15. *num.* 42. Jordan. *tom.* 2. *lib.* 10. *tit* 28. *num* 69. De Rofa *de Execut. Litter. Apostol. part.* 1. *cap.* 4. *num.* 86. *pag.* 64. & Eminentiff. Cardin. de Luca *de Benefic. discur.* 54.

His ftantibus corruit ratio, quæ videbatur militare ad favorem Curiæ Epifcopalis contra Capitulum, quòd fcilicèt vacaverit Ecclefia Sanctæ Luciæ in Menfe Aprili ob dimiffionem ejus, factam in dicto Menfe. Quia provifus de fecundo incompatibili ha-
10 bet quidem tempus duorum menfium ad dimittendum primum ex fententia Doctorum, quorum primus eft Lapus *in cap. Commissa in fin. de Election. in* 6. relatus à glofsa Marginali *in eod. cap. Commissa. Verb. Aliquandiù*, quem fequuntur Gabriel *lib.* 1. *Cons.* 193. *num.* 7. & 8. Francus *in cap. licet Episcopus num.* 1. *de Præbend. in* 6. & paffim omnes, ac etiam Stylus Dataria. Barbofa *Allegat.* 57. *num.* 45. & 77. Nihi-
11 lominùs vacatio primi beneficii non incipit à die dimiffionis, fed à die, in quo capta eft poffeffio fecundi ex Juribus fupra confideratis, ut exprefsè advertunt Ferentill. ad Burat. *d. decis.* 19. *num.* 23. Loterius *de Re Benefic. lib.* 3. *cu.* 23. *num.* 20. Garzias *part.* 11. *cap.* 5. *num.* 114. & 116 Caftropal *tom.* 2. *disp.* 6. *punct.* 2. § 6 *num.* 3. Maffobrius *Requis.* 7. *dub.* 22. *num.* 6 Rota *coram Priolo d. decis.* 54. *num.* 15. & 16. & *decis.* 154 *num.* 12. Eminentifs. Card. de Luca *de Benefic. d. discursu* 54. *num.* 6. & 7 qui omnes notant, tempus duorum Menfium conceffum pro dimiffione primi incompatibilis, non impedire ejus vacationem, quæ jam nata eft in eodem inftanti, quo capta fuit poffeffio pacifica fecundi, fed refpicere incolumitatem ejufdem beneficiati, cui permittitur per fpatium duorum Menfium adhuc de facto retinere poffeffionem primi, ne fortè infurgant moleftiæ fuper fecundo, & ipfe remaneat privatus utroque Ad quod abfurdum evitandum, in eventu moleftiarum intra duos
12 Menfes fuper fecundo beneficio, habet manutentionem in primo. Rota *coram Seraphin. decis.* 997. Caffador. *decis.* 9. *n.* 2. *de Causa Possession. & propr.* Sed moleftiis non fupervenientibus rata eft vacatio ufque ab initio captæ poffeffionis. Rota *coram Priolo d. decis.* 54. *num.* 16. & *decis.* 154 *num.* 10. & 13. & ob hanc rationem Dataria folet conferre idem primum beneficium ante lapfum dictorum duorum Menfium. Ventriglia, & *ibi Adden. tom.* 1. *Annotat.* 17. § 1. *num.* 16. & Emin. Card. de Luca *de Benefic. d. discur.* 54 *n.* 9.

Et in hoc fenfu legali intelligendi funt DD. quos citat Mafcard. *Concl.* 183. *num.* 47. dicentes, primum beneficium non vacare intra duos Menfes à die captæ poffeffionis fecundi; nam hi loquuntur de vacatione
13 corporalis poffeffionis primi beneficii, quæ confiftit in facto; non autem de vacatione beneficii, & ejus tituli, quæ fequitur ipfo Jure, habita poffeffione fecundi beneficii, ut probatum eft fupra: nec eft novum in Jure ut vacet Beneficium, non autem ejus poffeffio; & Beneficium ipfum conferatur uni, ejus autem corporalis poffeffio adhuc retineatur ab alio; eft enim poffeffio quid facti, à qua non pendet be-
14 neficii titulus, per quem Jus in re acquiritur, etiamfi non habeatur poffeffio. Rota *Decis.* 18. *de Præbend. in antiq.* Gratian. *Discept. for cap.* 327. *num.* 28. Rota *Decis.* 498. *num.* 1. *part.* 2. *recentior.* & coram Merlino *Decis.* 313. *num.* 1. & 2. Quare, &c.

Digitized by Google

DISCORDIA XXXI.

ARGUMENTUM.

Ostenditur, quando Beneficia Prothonotariorum Apostolicorum sint reservata, & quando non? Eosdem esse in duplici differentia, scilicèt Participantes, ac non Participantes. A quibus prædicti omnes creentur? Et cur à tantis affectetur hæc Dignitas Prothonotariatus absque emolumentis?

SUMMARIUM.

1 *Prothonotariorum beneficia sunt Papæ reservata.* Et num. 11.
2 *Litteræ Prothonotariatus sunt expediendæ, ac solvenda Componenda.*
3 *Litteris non expeditis, ac Componenda non soluta, beneficia eorum non sunt reservata.*
4 *Juramenti præstatio, ac Fidei professio facienda à Prothonotariis.*
5 *Prothonotariatus concessio an per testes probari possit?*
6 *Prothonotarii alii Participantes; alii simplices, & non Participantes.*
7 *Prothonotariorum Participantium Collegium antiquissimum, in quo sunt duodecim, & quale eorum officium?*
8 *Prothonotariatus Dignitas venalis. Et quo prætio ematur?*
9 *Prothonotarii Participantes præcedunt Auditoribus Rotæ, ac aliis Prælatis.*
10 *Prothonotarii non participantes à quibus creentur.*
11 *Prothonotariatus dignitas cur à multis affectetur absque emolumentis?*
13 *Prothonotarii etiam non participantes possunt uti Rocchetto, ac Mantelleta.*
14 *Canonici Prothonotarii non utuntur in Choro Habitu Prælatitio.*
15 *Prothonotarii in Statu Veneto non utuntur Habitu Prælatitio.*
16 *Jo. Baptista Candiotus Urbinaten. Vicarius Episcopalis Paduæ Anno 1669.*
17 *Ejus Laudes Electio ad Archiepiscopatum Urbini; Infelix Vita ob pensionem.*

PEr obitum cujusdam Parochi, qui se Prothonotarium Apostolicum appellabat, vacavit beneficium Curatum in Diæcesi Veronensi; statimque Illustrissimus Episcopus, facto concursu, contulit illud Sacerdoti ex concurrentibus digniori; cui pauló post extrajudicialiter dictum fuit, non esse legitimè provisum; quia beneficium illud erat Sedi Apostolicæ reservatum, ob dignitatem Prothonotariatus, in qua ejus Prædecessor erat constitutus, & quod de brevi Dataria Summi Pontificis de eo disponeret. Undè meipsum statim consulere voluit, quid sibi esset agendum?

Respondi, omnem anxietatem, ac timorem ab eo deponendum fore; & vanam esse jactationem reservationis ob assertam dignitatem prædictam; Siquidem, etsi verum sit, quod beneficia vacantia per mortem Prothonotariorum Apostolicorum sint Papæ reserva-
1 ta; sivè illi fuerint participantes, sivè non participantes, ut constat ex Regula prima Cancellariæ Apostolicæ, & ex traditis per Loterium *de Re Benefic. lib. 2. q. 28. num. 44. & q. 29. num. 12.* per Gonzalez *ad d. Reg. 8. Gloss. 51. num. 16. & 23.* atque per Garziam *de Benefic. part. 5. cap. 1. num 192. & 195.* Nihilominùs ad effectum ut intret reservatio beneficiorum, quæ possidentur ab his Prothonotariis, non sufficit, hanc denominationem obtinuisse vel à Papa, vel ab ejus Legatis etiam per signatam supplicationem; sed opus est solvisse componen-
2 dam in Dataria, & esse expeditas Bullas, ac Litteras Apostolicas pro eadem Dignitate; ad cujus Componendæ solutionem, ac Litterarum expeditionem, ut plurimùm nullus procedit ob magnam summam pecuniæ, quæ à Datariæ ministris exigitur; & sic contenti sunt fumosa illa denominatione Prothonotariorum Apostolicorum; sed eorum beneficia non remaneat reservata Summo Pontifici, quia verè, & propriè prædicti non sunt Prothonotarii Apostolici, nisi nominetenùs; & ad inducendam reservationem
3 docere oportet, solutam fuisse componendam, ac Litteras expeditas; ut in terminis præsentis casus decisum fuit à Rota *part. 3. recent. decis.* 706. nec non *part. 12. decis.* 174. quæ sunt magistrales.

Sed nec reticenda observatio, quam facit Emin. Card. de Luca *in tract. de Benefic. disc. 5. num. 24.* videlicèt ad probandam reservationem beneficii possessi per Prothonotarium creatum à Nuncio Apostolico, vel ab alio Prælato hanc facultatem habente creandi Prothonotarios, opus esse docere, quod qui talis creatus fuerit, præstiterit Juramentum, & fe-
4 cerit professionem fidei; quia utraque obligatio præscribitur de forma præcisa, quando conceditur supradicta facultas; & ideò ipsa forma non adimpleta, reservatio ex Prothonotariatu non resultat, ut præter citatas Decisiones Rotales dicit etiam Rota *part. 9. recent. decis.* 350. *à num. 14. & seqq.* Utrùm autem eandem formam fuisse adimpletam, per Juramenti
5 præstationem, ac fidei professionem possit probari per testes? Negat Tondut *Resolut. Benefic. tom. 1. part. 2. cap. 3. §. 2. num. 23. & 24.* ex doctrina Parisii *de Resignat. lib. 8. q. 2. num. 21.* & Beltramini *in addit. ad Ludovis. decis.* 471. *num.* 12. docentium, adimplementum ejusdem formæ esse justificandum ex publico Registro concessionis Prothonotariatus per Legatum Apostolicum, seu alium Prælatum factæ.

Lectorem verò latere non debet, Prothonotarios Apostolicos esse in duplici differentia; alii enim sunt Participantes; alii non participantes dicuntur.
6 Illi vocantur Participantes, qui Romæ sunt adscripti Collegio Prothonotariorum Apostolicorum; quod constat ex duodecim Prælatis; & est antiquissimum in Ecclesia, tanquam institutum ab initio à S. Cle-
7 mente Papa, ad hoc ut ab eis SS. Martyrum acta scriberentur; ideòque etiam in præsenti eorum præcipuum munus versatur in processibus, qui fiunt super canonizatione, seu beatificatione servorum Dei; ut notat idem Emin. Cardin. de Luca in *Relatione Rom. Curiæ disc.* 44. *num.* 2. subdens, quod hoc officium Prothonotariatus Apostolici participantis est
8 venale, ratione emolumentorum, valoris Scutorum circiter duodecim mille; magis, vel minùs juxta temporum contingentias, ex quibus emolumenta crescere, vel decrescere solent: ideòque non habet pretium fixum, sicut habent Clericatus Cameræ: redolet tamen, ratione antiquitatis, quandam Prælaturam honorificam, & existimabilem; cujus intuitu, ut plurimùm, penès Viros nobiles, divites, &
9 qualificatos esse solet, qui præcedentiam habent in Capella Papæ, ac aliis publicis functionibus supra omnes Prælatos, post illos Ordinis Episcopalis, ac etiam supra Auditores Rotæ, & Clericos Cameræ; ut fusiùs differit ipse Emin. Card. de Luca *d. disc. 44. num. 3 & 4.* à curiosis legendus.

Alii autem sunt Prothonotarii non participantes; alio etiam nomine nuncupati Prothonotarii simplices, ac sine Prælatura, qui ut tales creantur non so-
10 lùm per Papam, sed etiam ex ejus auctoritate per antedictum Collegium Prothonotariorum participantium, per Cardinales, per Legatos, ac Nuncios Apostolicos, & etiam per Episcopos assistentes Capellæ Pontificiæ, incerto numero respectivè præfinito; ut prosequitur explicando ipsemet Emin. Card. de Luca *in d. Relat. Rom. Cur. disc. 44. num. 2.* &
horum

Digitized by Google

horum Prothonotariorum non participantium beneficia, quando ab eis Litteræ super hac dignitate expeditæ sunt, Fideique professionem fecerunt, Juramentumque de officio suo fideliter exequendo præstiterunt, remanent reservata Summo Pontifici, ut di-
11 ctum est supra *num.* 1. & constat ex Verallo *decis.* 464. *part.* 2. ex Card. Seraphino *decis.* 1251. *num.* 18. ex Rota *part.* 1. *recent. decis.* 407. *num.* 1. & *part.* 4. *recent. decis.* 172. *num.* 16. ex Ferentillo *in addit. ad* Buratum *decis.* 706. *num.* 9. & ex aliis apud Tondutum *d. part.* 2. *cap.* 3. §. 2. *num.* 21. *& seqq.*

Porrò dicet aliquis. Undè fit, quod tàm avidè à multis Ecclesiasticis procuretur hæc fumosa dignitas Prothonotariatus non participantis, quæ nec Prælaturam habet, nec aliquod emolumentum possidet? Res-
12 pondetur, ambiri, ac affectari à pluribus hanc aeream denominationem, quia in aliis Regionibus, præcipuè in Dominio temporali Apostolicæ Sedis, ac in Regno Neapolitano, tales Prothonotarii, etsi simplices, & non participantes, habent Jus utendi Habitu Prælatitio, nempè coloris violacei cum Rocchetto, & Mantelletta tùm incedendo per vias, tùm Sacras
13 functiones peragendo, prout declaravit Sacra Rituum Congregatio *die* 28. *Septembris* 1630. cujus decretum ponit Pignatellus *tom.* 4. *consult.* 22. & Abbas Pascuccius ejus Summator *tom.* 2. *Verb. Prothonotarii Apostolici*: ubi tamen ex eodem Pignatello *tom.* 4. *consult.* 76. advertit ex aliis decretis ejusdem S. Rit. Congregationis, Canonicos Prothonotarios non posse Chorum intrare, & Horis Canonicis assistere cum prædicto Ha-
14 bitu Prælatitio, si velint quotidianas distributiones lucrari; ea ratione, quia dignitas Prothonotariatus extranea est à Canonicali; & quando quis accedit tanquam Canonicus, induere debet habitum proprium Canonicorum, aliàs privandus est distributionibus quotidianis, & est ei assignandus locus separatus, non supra, neque inter Canonicos, sed post Abbates, ut in Cæremoniali Episcoporum *libr.* 1. *cap.* 3. *ad fin.* & ex pluribus declarationibus *ejusdem S. Rit. Congregat.* ostendit Barbosa *de Canon. & Dignit. cap.* 5. *à num.* 53. *& cap.* 18. *num.* 35. ac etiam *de Jure Eccles. Univ.*
15 *lib.* 1. *cap.* 23. *à num.* 19. *& seqq.* In hoc Serenissimo Dominio Veneto, in quo Ecclesiasticorum moderatior est ambitio, etsi plures denominentur Prothonotarii Apostolici non participantes, non solent Habitum Violaceum Prælatitium deferre; neque præcedentiam super aliis affectare; ut alibi faciunt ad notata per antedictum Pignatellum *tom.* 4. *consult.* 88. Hinc cum advenisset Patavium Anno 1669. Reverendissimus Joannes Baptista Candiotus Urbinaten. ut officio Vicarii
16 Generalis in hoc Patavino Episcopatu fungeretur, volebat tanquam Prothonotarius Apostolicus incedere cum Habitu Prælatitio, Rocchetto scilicèt, ac Mozzetta; sed id ei vetuit Emin. ac Reverendiss. Cardinalis Barbadicus Episcopus dicens, hoc non est solitum; & incedere per Civitatem tali vestitu, risum potiùs, quàm reverentiam causaret; & sic prorsùs ab illo abstinuit. Vir erat ille suavitate morum, ac legali scientia
17 eruditus. Postea electus fuit Archiepiscopus Urbini; sed tanta pensione oneratus, ut illius onere pressus citò, ex afflictione animi, & potentis Pensionarii realibus executionibus agitatus, qui Vicariatum Patavinum hilarè pro Archiepiscopatu Urbinatensi reliquerat, vitam cum morte ægerrimè commutavit.

DISCORDIA XXXII.

ARGUMENTUM.

Laicus potest præsentari ad beneficium Jurispatronatus, si proximè sit Tonsurandus. Inter præsentatos ille est instituendus, qui est de linea, seu familia Fundatoris beneficii; vel qui est magis pauper respectu alterius competitoris præsentati, præcipuè si competitor possideat unum, vel alia plura beneficia. Pluralitas beneficiorum à S. Concilio Tridentino est damnata; nec licita esse potest ob contrariam consuetudinem.

SUMMARIUM.

1 *Spazzarinorum Paduæ Familia nobilis, & antiqua.*
2 *Fr. Jacobus Salomonius laudatus.*
3 *Cittadellæ Castrum sub Diœcesi Vicentina.*
4 *Institutio debetur præsentato à majori numero Patronorum.*
5 *Præsentatus si sit de familia Fundatoris beneficii, est aliis præferendus.*
6 *Pauperior ex præsentatis præferendus est ditioribus.*
7 *Pluralitas beneficiorum per Sacros Canones, atque per Conc. Trid. prohibita.*
8 *Consuetudo non potest facere licitam beneficiorum pluralitatem.*
9 *Ordinarius non potest beneficium conferre alia duo, vel tria habenti.*
10 *Laicus non est capax beneficii Ecclesiastici.*
11 *Laicus proximè Tonsurandus potest ad beneficium præsentari.*
12 *Laicus præsentatus ab beneficium fit statim subditus Episcopi, coram quo facta est præsentatio.*
13 *Possessio beneficii non est necessaria, ut quis evadat subditus Episcopi pro recipiendis ordinibus.*
14 *Innocentii XII. Constitutio circa Ordinandos alienos subditos.*
15 *Vicarius, coram quo Laicus est ad beneficium præsentatus, potest ei dimissorias ad primam Tonsuram dare.*
16 *Clericatus requiritur pro institutione, non pro præsentatione.*
17 *Vicarius Capitularis potest intra annum dare dimissorias ad primam Tonsuram suscipiendam præsentato ad beneficium.*
18 *Præsentatio à Patronis fieri potest etiam post quadrimestre de consensu Episcopi.*
19 *Quadrimestre novum habent Patroni ad præsentandùm, si jam præsentati renuncient suæ præsentationi.*
20 *Beneficia in Statu Veneto exteris non sunt conferenda.*
21 *Senatus Veneti Leges, ne beneficia exteris conferantur,* & num. 23.
22 *Capituli Paduani Pars, ne recipiantur advenæ ad beneficia.*

ANtiquissima in Civitate Paduæ, ac æquè nobilis est Familia DD. de Spazzarinis; quippè usque de anno 1496. inter Viros, ac Cives eruditos hujus
1 Urbis effulgebat Joannes Dominicus Spazzarinus Reipublicæ Patavinæ Scriba, ut ipse se nominat in marmore Sepulcrali posito in Ecclesia Parochiali S. Jacobi penes Pontem Molendinorum, de quo *in Inscriptionibus Urbis Patavinæ ad d. Eccles. pag.* 171. *num.* 24. sic
2 notat eruditissimus P. M. Jacobus Salomonius: *Scripsit Joannes Spazzarinus de gestis Venetis in continenti usque ad sua tempora: etiam de Patavina Clade, quæ Anno* 1509. *accidit, nemo diligentiùs prosecutus est Historiam.* De Jurepatronatu hujus Familiæ extat Simplex beneficium, Capellania nuncupatum, in Parochiali Ecclesia Castri Cittadellæ, cujus vacatione secuta Anno 1692. major pars Patronorum præsentavit Dominum Dominicum Spazzarinum Juvenem laicum, vitam Clericalem enixè cupientem; alia autem minor pars elegit, ac præsentavit N. N. Parochum Patavinum; qua attenta præsentationum Discordia, in Curia Epis-
3 copali Vicentina (de cujus Diœcesi est Castrum Cittadellæ.) Ego requisitus fui scribere in sensu Veritatis, quænam ex prædictis præsentationibus esset ab Ordinario approbanda? & quis ex præsentatis instituendus?

Respondi, legitimam esse præsentationem Domini Spazzarini, invalidam verò illam Parochi Paduani;

ideò

Digitized by Google

ideò hac rejectâ, primam esse confirmandam, ipsum-
que Spazzarinum, statim hàc fuerit prima Tonsura insi-
gnitus, esse in prædicta Capellania instituendum ex
sequentibus rationibus, juribus, ac auctoritatibus.

Primò: quia Dominus Spazzarinus præsentatus est
à majori parte Patronorum; & ex hoc de Jure ei insti-
tutio debetur. Rota coram Emin. Card. Celso *Decis.*
4 300. *num.* 1. *Decis.* 313. *num.* 1. *&* *Decis.* 320. *num.* 6.
Item coram Eminent. Otthobono *Decis.* 3. *num.* 3. *&*
35. *Decis.* 77. *num.* 1. & est opinio Glossæ *in cap. Si plu-
res* 16. *q.* 10. quam sequuntur omnes Canonistæ relati
à Barbosa *De Offic. & pot. Episc. alleg.* 72. *num.* 127.
inter quos Paulus de Cittadinis *de Jurepatron. part.* 6.
q. 27. & Vivianus *eod. tract. part.* 2. *libr.* 12. *cap.* 8.
num. 1. aliique communiter.

Secundò: Quia Dominus Spazzarinus est de linea
Fundatoris hujus Capellaniæ, ac Auctoris hujus Juris-
patronatus; tanquam natus, & procreatus in, & de
5 familia Patronorum; cujus qualitatis vigore est præfe-
rendus extraneis. Barbosa *d. alleg.* 72. *num.* 201. Vivia-
nus *d. libr.* 12. *cap.* 9. *num.* 11. Rota *part.* 4. *rec. Decis.*
291. *num.* 4. *tom.* 1. & *Decis.* 363 *num.* 7. Cæsar de Pa-
nimollis *Decis.* 101. *Annot.* 1. *num.* 18.

Tertiò: Quia si plures ad idem beneficium fiat præ-
sentati, præferendus est pauperior; & talis censetur
esse, qui nullum aliud habet beneficium, si competi-
tor sit aliundè beneficiatus, prout est in casu nostro; in
6 quo præsentatus à minori parte Patronorum, & in
competentia cum Domino Spazzarino possidet Pa-
duæ Ecclesiam Parochialem Sancti N. ac ulteriùs alia
tria beneficia simplicia; & ideò tanquàm ditior est
postponendus Domino Spazzarino nullum beneficium
habenti. Barbosa *alleg.* 70. *num.* 105. *in fin.* Borgnin.
part. 5 *Decis.* 33. *num.* 5. & 6. Cæsar de Grassis *Decis.*
169. aliàs 1. *sub num* 9. *de Jurepatronat.*

Quartò: Quia antedictus Parochus Competitor est
incapax hujus præsentationis, nec potest habere quin-
tum beneficium etsi simplex, cum alia quatuor, ut su-
pra, possideat, resistente Sacro Tridentino Concilio
sess. 24. *de Ref. cap.* 17. ubi inhærendo Sacris Canonibus
7 improbæ cupiditatis affectum detestantibus, & plurali-
tatem beneficiorum in una, & eadem persona prohi-
bentibus, mandat, ut unum tantùm beneficium sin-
gulis conferatur, & ad Summum duo, si primum ei
non sufficiat ad honestè vivendum; quæ quidam Con-
ciliaris dispositio habet locum etiam in beneficiis Juris-
patronatus laicalis Garzias *de Benefic. part.* 11. *cap.* 5.
num. 286. Barbosa *in Collectan. DD. ad d. cap.* 17. *num.*
8. & obligat in conscientia sub pœna peccati mortalis
non obstante contraria consuetudine. Barbosa *allegat.*
8 62. *num.* 8. & *seqq.* Parisius *de Resignat. libr.* 5. *q.* 6.
num. 119. est enim corruptela, & abusus pervertens
Ordinem Ecclesiasticum, ut ait idem Concilium
Trid. *d. cap.* 17. *in princ* & sic non suffragatur ex quo-
vis longo tempore. Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancell. gloss.*
33. *num.* 10. Tantò minùs quia contra decreta Triden-
tini Concilii excipi non potest de contraria consuetu-
dine, ob Bullam Pii IV. in fine ejusdem Concilii,
quæ habet decretum irritans. Gonzalez *gloss.* 15. *num.*
37. Pignatellus *tom.* 1. *consult.* 137. *& tom.* 4. *consult.* 3.
num. 12. Emin. Card. de Luca *de Beneficiis disc.* 96.
num. 9. & Rota *part.* 9. *recent. Decis.* 400. nec non *part.*
12. *Decis.* 199. Quapropter esto, quod præsentatio
prædicti Parochi nulli censuræ subjaceret, de qua in
præsenti non agitur; ejus tamen persona, quamvis
haberet paria eligentium Patronorum vota, non est
capax institutionis, cum retineat, & retinere velit sal-
9 tem tria priora beneficia; neque ei Ordinarius potest
quartum conferre absque peccato. Garzias *d. part.* 11.
cap. 5. *num.* 310. ubi ponit declarationes Sacræ Con-
gregationis Concilii. Vulpes *in Praxi cap.* 48. *num.* 58.
& Massobrius *de Concursu requis.* 7. *dub.* 16.

Nec turbare debet, quod Dominus Spazzarinus
tempore suæ præsentationis non haberet primam
Tonsuram, & esset Laicus, atque ita inhabilis ad ob-
10 tinendum beneficium, ad quod fuit præsentatus. *cap.
Cum adeò*, & ibi Abbas, & Decius *num.* 3. *de Re-
script.* Vivianus *de Jurepatr. libr.* 6. *cap.* 3. *num.* 12.
Parisius *de Resignat. libr.* 4. *q.* 2. *num.* 2. & 3. Quia limi-
tatur hæc Regula, quando Laicus præsentatus est pro-
ximè Clericandus, & statim petierit, ac institerit,
sibi primam Tonsuram conferri, vel Litteras dimisso-
11 riales ad eam suscipiendam sibi dari, juxta tradita per
Garziam *de Benefic. part.* 7. *cap.* 1. *num.* 26. per
Parisium *d. libr.* 4. *q.* 2. *num.* 6. & per Cæsarem de Pa-
nimollis *Decis.* 139. *num.* 10. ubi duo valdè notanda
dicit: *Unum*, quod Juris prohibitio, quæ reddit Lai-
cos inhabiles ad consequenda beneficia, intelligi debet
de institutione, & collatione, secùs autem de simplici
præsentatione. *Alterum*, quod Laicus per Patronos
12 præsentatus ad beneficium statim evadit subditus Epis-
copi, coram quo fuit facta præsentatio; adeò ut idem
Episcopus possit ipsi præsentato, quamvis extraneo,
statim conferre primam Tonsuram, & Ordines, ea
ratione quia ad adquirendam subjectionem ad effectum
13 suscipiendi Ordines non requiritur actualis beneficii
possessio; sed sufficit, quod fuerit nominatus, vel
electus, seu præsentatus ad beneficium. Riccius *Decis.*
188. *num.* 3. Diana *part.* 8. *tract.* 2. *resol.* 24. Quæ ha-
betur in Diana Coordinato *tom.* 2. *tract.* 5. *resolut.* 57.
& Cæsar de Panimollis *d. Decis.* 139. *num.* 4. & 5.

Est tamen verum, quod de Jure novissimo ex Con-
stitutione Innocentii Papæ XII. diei 6. *Novembris*
1694 Incipien. *Speculatores domus Israel.* Relata per
14 Pignatellum *tom.* 10. *Consult.* 13. & impressam post
mea Erotemata *in editione secunda pag.* 440. non licet
ampliùs cuivis loci Ordinario, tametsi Cardinalatus
honore fulgeat, exterum non sibi subditum ad Clerica-
lem Tonsuram promovere sub prætextu cujusvis bene-
ficii Ecclesiastici, ei statim conferendi, etiamsi præ-
sentatus, vel à Patronis ad illud nominatus fuerit, ni-
si exhibeat Litteras dimissoriales, seu licentiam Epis-
copi suæ Originis, ac sui domicilii, & hoc ad elimi-
nandas fraudulentas Ordinationes, quas nonnulli Epis-
copelli frequenter faciebant de alienis subditis sub com-
mentitiis prætextibus Beneficiorum, seu Capellania-
rum in suis misellis Diæcesibus ad hunc effectum ere-
ctarum, ut latiùs ego disserui in meis Decisionibus *de
Sacramento Ordinis Decis.* 12. *num.* 45. ubi ejusdem In-
nocentianæ Constitutionis tenorem summatim posui.

Ex his sequitur, potuisse Vicarium Vicentinum,
de licentia Ordinarii Patavini, cujus Dominus Spaz-
zarinus ratione Originis, ac Domicilii subditus erat,
eidem dimissoriales Litteras concedere, pro prima Ton-
15 sura à quocunque Episcopo recipienda; quod si fecis-
set, prædictus Spazzarinus præsentatus fuisset Clericus
effectus ante expirationem quadrimestris; sed hæc ac-
celeratio non erat necessaria, quia satis est, ut quam-
primùm Laicus ad beneficium præsentatus tonsure-
tur, id est antequam instituatur, ex DD. supra allega-
tis, quibus addenda est auctoritas Sacræ Rotæ Roma-
næ *in Una Imolen. Jurispatronatus* 19. *Novembris*
1584. *coram Orano*, quæ limitando regulam supradi-
16 ctam (quod Laicus non possit præsentari ad benefi-
cium) ait, id non procedere, quoties fuit præsenta-
tus Laicus proximè Clericandus. Et huic Decisioni
Rotali favet etiam Declaratio S. Congreg. Concilii su-
per *cap.* 10. *sess.* 7. *de ref.* quam refert Garzias *d. part.* 7.
17 *cap.* 1. *num.* 30. quæ sic loquitur: *Vicarius Capituli
Sede vacante infra annum potest concedere dimissorias ad
primam Tonsuram ei, qui est præsentatus à Patronis Lai-
cis ad beneficium Ecclesiasticum Jurispatronatus ipsorum,
ut illud obtinere valeat.* Ex his verbis apertè colligitur,
posse præsentari non habentem primam Tonsuram,
cum ei ad illam suscipiendam, postquam est præsenta-
tus, possit Vicarius Capitularis dimissorias dare.

Idcircò in præsenti Discordia cessavit omnis occasio
ulterioris disputationis, quia Dominus Spazzarinus,
ut supra præsentatus, antequam decideretur hic pun-
ctus in Curia Episcopali Vicentina, in qua præsenta-
tio

Digitized by Google

tio facta erat, obtinuit primam Tonsuram ab Eminentissimo Ordinario Patavino, cujus subditus erat ratione Originis, ac domicilii; & sic factus fuerat habilis ad obtinendam institutionem ejusdem beneficii, etsi antea in statu Laicali fuisset ad illud præsentatus. Cæsar de Panimoll. *d. decis.* 101. *num.* 8. & *Decis.* 139. *num.* 10. Nec facit amaritudinem, quod sit expiratum tempus quadrimestre ante primæ Tonsuræ susceptio-
18 nem, quia non est prohibitum Episcopo permittere Patronis, ut præsentent etiam post quatuor menses à die vacationis beneficii. Vivian. *libr.* 7. *cap.* 6. *num.* 13. Tondut *Resolut. benefic. part.* 2. *cap.* 4. §. 9. *num.* 28. & potest præsentatum sine scrupulo investire. Rota coram Emin. Celso *Decis.* 279. *num.* 5. & *Decis.* 342. *num.* 9. Tantò magis quia Parochus Patavinus, ut antea præsentatus, consulens conscientiæ suæ, renunciaverat præsentationi de se factæ; quâ attentâ Patroni censentur habere aliud quadrimestre ad iterùm præsentandum;
19 & per consequens Dominus Spazzarinus dicitur Tonsuratus intra quadrimestre ex Rota *part.* 3. *recent. Decis.* 21. *num.* 1. & quâcunque difficultate remotâ est omninò instituendus, prout tandem fuit institutus; additâ etiam hac aliâ reflexione, quod ejus Competito-
20 res postea præsentati non erant subditi hujus Serenissimi Dominii.

DISCORDIA XXXIII.

ARGUMENTUM.

Parochus, quamvis sit Vicarius Generalis Episcopi, non potest habitare in Cameris Episcopatus, sed tenetur residere, & habitationem facere in sua Parochia; quamvis in ea Capellanum, seù Vice Curatum teneat.

SUMMARIUM.

1 *Alexander Mantuanus Seravalensis Vicarius, & Præpositus S. Sophiæ de Padua.*
2 *Præpositura S. Sophiæ est Parochialis laboriosa habens animas* 2500.
3 *Parochi de licentia Episcopi per bimestre à Parochia possunt abesse.*
4 *Abesse quando Parochi possint à Parochia ultra bimestre?*
5 *Vicarii Episcopalis munus non excusat Parochum à residentia.*
6 *Parochi de Jure divino tenentur residere in Parochia.*
7 *Parochus non residens in Parochia peccat mortaliter, & non facit fructus suos.*
8 *Episco. us permittens Parochum extra Parochiam habitare, reus est culpæ mortalis.*
9 *Episcopi non possunt uti Parochis in Ministeriis Curiæ Episcopalis.*
10 *Opinio Doctorum à nemine impugnante facit casum legis.*
11 *S. Congregationis Concilii Declarationes, quod Parochi non possint esse Vicarii, vel Ministri Curiæ Episcopalis.*
12 *Ipsæ habent vim legis, & obligant sub mortali.*
13 *Parochi, & Vicarii Episcopalis Officia sunt incompossibilia.*

FUngebatur officio Vicarii Generalis Reverendissimus Alexander Mantuanus Seravalensis Anno 1680. sub Regimine Eminentissimi, ac Reverendissimi Gregorii S. R. E. Cardinalis Barbadici Episcopi Patavini, cui erat charissimus, quia eo tempore fervebant litigia inter Episcopalem Curiam ex una, & inter Reverendissimum Capitulum Ecclesiæ Cathedralis ex alia; &, cum ipse Vicarius diù fuisset Advocatus Venetiis, dexterrimus erat in iis tùm propugnandis, tùm propagandis. Motus desiderio habendi Præposituram Sanctæ Sophiæ de Padua; quæ est Parochialis, & quidem
2 laboriosa tenens sub se animas bis mille, & quingentas; cum vacasset *die* 14. *Septembris* 1679. per obitum Reverendissimi Annibalis Zacci Nobilis Patavini, illam ab Eminentissimo supradicto Episcopo, Romæ tunc moram trahente, sub Pontificatu Innocentii Papæ Undecimi, petiit, & obtinuit; sed in cameris Episcopatus degens ad habitandum in Parochia distulit ire, Capellanum Curatum in ea interim tenere contentus. Reversus Patavium Eminentissimus Antistes statim indixit eidem Vicario suo, ut residentiam in sua Parochia faceret, & ad habitandum penès Ecclesiam S. Sophiæ se transferret, ac personaliter animarum Curæ satageret. Conabatur ipse ostendere, se tanquam Vicarium Episcopalem extra confines suæ Parochiæ, nempè in Episcopio, posse immorari; & super hac assertione, jussus ego ab Eminentia sua studere; An vera esset? & an posset permittere, ut extra dictam Parochiam habitaret? Respondi Negativè.

Primò, quia, etsi Concilium Tridentinum *sess.* 23. *de Ref. cap.* 1. decernat, non posse Episcopos dare li-
3 centiam Parochis immorandi extra Parochiam ultra bimestre, nisi *ex gravi causa*; causæ hujus gravitas concernit vel personam Parochi, ut si esset graviter infirmus, vel mortales inimicitias contraxisset in Offi-
4 cio suo Parochiali exercendo; vel tangere debet Jura ejusdem Parochiæ, ut si pro iis defendendis cogeretur abesse, ut notat Piasecius *in Praxi part.* 2. *cap.* 3. *num.* 42. & alii, quos citat, & sequitur Tamburinus *de Jure Abbat. tom.* 1. *disp.* 14. *quæst.* 4. *num.* 9. Idcircò Vicarii Generalis munus, cum respiciat vel merum servitium Episcopi, vel solam utilitatem ipsius Vicarii,
5 non potest esse causa sufficiens non residendi in Parochia; & non exercendi personaliter animarum curam, ut ait Rota *part.* 2. *divers. Decis.* 222. *num.* 5. ea ratio-
6 ne quia Parochi Jure divino obligantur ad residentiam, & ad personale exercitium curæ animarum, ut docent tùm Theologi, quos citat, & sequitur Diana Coordinato *tom.* 3. *tract.* 3. *resol.* 70. §. 2. tùm Canonistæ, qui allegantur à Barbosa *de Parocho cap.* 8. *num.* 1. & à Fagnano *in cap. ex parte. num.* 28. *de Clericis non resident. tom.* 4. Undè sequitur, quod Parochus non habitans in sua Parochia, & curam personaliter non exercens peccat mortaliter; & non facit fructus suos. An-
7 tonellus *de Loco legali libr.* 1. *cap.* 13. *num.* 37. nec non *de Regimine Militan. Eccl. libr.* 3. *cap.* 12. *num.* 14. & *seqq.* Cotonius *libr.* 3. *Controv.* 6. *cap.* 1. *num.* 6. idem Fagnanus *in cap. Relatum. num.* 41. *d. tit. de Cleric. non residentib.* Imò ipsemet Episcopus si permittat, Parochum extra suam Parochiam habitare, & sinat, eum per substitutos Capellanos, non autem per seipsum
8 Officium Parochiale exercere, reus est culpæ mortalis, tùm quia cooperatur peccato ejusdem Parochi, tùm quia offendit Sacros Canones, ipsam personalem residentiam enixè præcipientes, ut latè ostendunt Rebuffus *in Praxi libr.* 2. *tit. Dispens. de non residen. num.* 75. Cotonius *libr.* 1. *controv.* 3. *cap.* 3. *num.* 34. Fagnanus *in cap. Canonum statuta. num.* 121. *de Constitut. tom.* 1. & Pax Jordanus *tom.* 1. *libr.* 3. *tit.* 2. *num.* 2. *pag.* 148.

Secundò, quia communis est doctrina tàm Theologorum, quàm Canonistarum, quod Episcopus non potest vocare ad se Parochum, illumque absentem tenere à sua Parochia, ut inserviat sibi pro Vicario, vel
9 pro Visitatore, vel pro Secretario, aliovè munere; ut in puncto scribunt Garzias *de benefic. part.* 3. *cap.* 2. *num.* 40. Gonzalez *ad Reg. Canc. gloss.* 6. *num.* 258. Barbosa *de Offic. & pot. Episc. alleg.* 53. *num.* 85. Vulpes *in Praxi cap.* 44. *num.* 18. Sbrozzius *de Offic. Vicar. libr.* 1. *q.* 43. *num.* 7. Antonellus *de Regim. mil. Eccl. lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 18. Pyrrhus Corradus *Disp. Apost. libr.* 5. *cap.* 7. Pax Jordanus *libr.* 10. *tit.* 40. *num.* 49. Cevallos *com. contr. commun. part.* 1. *q.* 585. *num.* 12. & aliis omissis, Zerola *part.* 1. *Verb. Parochus Vers.* 6. & Leo *in Thesaur. fori Eccles. part* 3. *cap.* 2. *num.* 9. & 10. ubi alii plurimi allegantur. Et ex tot, ac tantis Doctori-
bus

Digitized by Google

bus ita concorditer scribentibus, indispensabilem esse Parochi residentiam, & habitationem in sua Parochia, sequitur, nullo modo licitum esse Episcopo illum super ea dispensare, quamvis sibi utile, ac Episcopatui suo sit fructuosum opus præstiturus; nam opinio Docto-
10 rum, non habens contradicentem, dicitur casus legis, itaut ab ea non sit recedendum. Fagnanus *in cap. Quoniam. num.* 18. *de Decimis tom.* 4. *pag.* 390.

Tertiò: Quia pluries declaravit S. Congregatio Concilii, non licere Episcopis adhibere in ministeriis Episcopalibus, seu eorum Curiæ Parochos, distrahendo illos à residentia in Parochia, & ab exercenda per-
11 sonaliter animarum cura; quas quidem declarationes referunt Garzias *d. part.* 3. *cap.* 2. *num.* 42. Barbosa *in Decis. Apostol. Collectan.* 561. *num.* 21. 22. & 23. Quaranta *Verb. Residentia. pag.* 576. & Nicolius *in Flosculis Verb. Vicarius num.* 37. ac passim omnes. Quapropter non est jus Episcopis contrafaciendi iisdem declarationibus; siquidem ex probabiliori opinione ipsæ habent vim legis, & obligant ad eas observandas sub
12 pœna peccati, ut demonstrat Barbosa *de Jure Eccles. Univ. libr.* 1. *cap.* 4. *num.* 83. Buratus *Decis.* 479. *num.* 21. & nos diximus supra *Discord. XXIX. à num* 34. & *seqq.* Quare dicendum venit id, quod repetendo scribit Nicolius *d. Verb. Vicarius. num.* 37. videlicèt: *Esse Parochum, & Vicarium sunt officia malè compatibilia*
13 *in eadem persona.* Item *Ex eo, quod ut quis benè exerceat alterum ex dictis officiis, alteri necessariò deesse cogitur.* Et deindè: *Ideò neque potest Vicariatum retinere ex eo, quod habeat coadjutorem in Parochia.*

His verissimis rationibus suasus Emin. Cardinalis Episcopus absolutè præcepit supradicto Vicario suo, ut habitationem sibi figeret in Parochia Sanctæ Sophiæ, ac ei personaliter incumberet, prout obediendo fecit, etsi non absque lamentatione ob onus grave dispendiosæ Pensionis, quod eidem Præposituræ impositum fuerat ab Alexandro VII. usque de Anno 1664. ad favorem Illustrissimi, ac Reverendissimi Gradonici Episcopi, cujus morte Anno 1698. Præpositus successor ab eodem onere fuit sublevatus.

DISCORDIA XXXIV.

ARGUMENTUM.

Canonicatus vacantes in Mensibus Apostolicis, mortuo Papa, non sunt conferendi à Capitulo, sed ab Episcopo; nisi olim, ante reservationes Mensium, Capitulum vel ex statuto, vel ex consuetudine illos solitus fuisset conferre in omnibus Mensibus, ut probatum est supra *Discord. XX.*

SUMMARIUM.

1 *Canonicatuum collatio facienda est juxta statuta, vel consuetudinem.*
2 *Regula reservatoria Mensium cessat per mortem Papæ.*
3 *Episcopus vigore alternativæ non confert Canonicatus in Mensibus sibi competentibus vacantes.*
4 *Episcopus confert Canonicatus vacantes in Mensibus Apostolicis Sede Apostolica vacante.*
5 *Præscriptione ex particulari non fit illatio ad universalem.*
6 *Collatio Canonicatuum in Cathedrali de Jure est simultanea Episcopi cum Capitulo.*
7 *Capitulum ex collatione Canonicatuum in quatuor Mensibus ordinariis non acquirit Jus pro aliis Mensibus.*
8 *Capitulum si olim conferebat Canonicatus in omnibus Mensibus; mortuo Papa potest conferre illos vacantes in Apostolicis Mensibus.*
9 *Capitulum habens solùm quatuor menses non potest prætendere simultaneam cum Episcopo in aliis octo.*
10 *Semel exclusus semper censetur exclusus.*
11 *Gravatus in uno est relevandus in altero.*
12 *Exceptio firmat Regulam in contrarium.*
13 *Alternativa concessa Episcopis non tollit reservationem beneficiorum, quæ per Turnum ad eos competere possent.*
14 *Jus est metiendum ex persona Actoris, non autem Rei.*

CUm vacaverit Canonicatus in Ecclesia Cathedrali Bergomen. Mense Januario, Apostolica Sede vacante Anno 1670. dubitare contingit, an ejus collatio spectet ad Capitulum, an verò ad Episcopum?

Quæsiti hujus resolutio facilis foret, si ea petenda esset vel à statuto, vel à consuetudine, vel à certa notitia originis ejusdem Canonicatus: siquidem ubi statuta disponunt, ad quem provisio pertineat: vel con-
1 suetudo demonstrat, quid transactis temporibus fuerit in usu, id pariter servare oportet, ad tradita per Gonzal. *ad Reg.* 8. *glosf.* 45. *num.* 71. & eadem *glosf.* 45. §. 1. *num.* 78. & per Loterium *de Re Beneficiar. lib.* 2. *q.* 21. *à num.* 6. & *seqq.* & *num.* 95. & 96. ubi docet, ad illum spectare provisionem Canonicatus, ad quem pertinebant ipsius bona, antequàm ei annecterentur. Porrò cum de his nulla instructio hucusque habeatur in facto, casus videtur satis dubius, & ejus resolutio ambigua. Nam

Ad favorem Capituli facit, quod licèt vivente Papa Canonici conferant solummodò in quatuor mensibus ordinariis, non autem in octo Apostolicis, id fit ob impedimentum Regulæ Cancellariæ reservatoriæ mensium, quæ Regula extinguitur per mortem Papæ, & subin-
2 de reviviscunt privilegia, & jura conferendi in omnibus mensibus. Gonzal. *glosf* 40. *num.* 2. & §. 5. *proem. num.* 2. Qui postea *sub num.* 119. refert verba Glossatoris antiqui dicentis, quod in tali casu consulendum est Canonicis, ut eligant; & si ipse esset Canonicus, eligeret: & in his terminis electionem factam à Capitulo approbavit Rota coram Card. Seraphino *decis.* 980. in qua dixit, Capitulum in hac materia venire
3 appellatione Ordinarii. Et pro exclusione Episcopi non leviter urget, quod ipse in mensibus Apostolicis, in quibus habet alternativam, non confert Canonicatus in eis vacantes, ex quo præsumitur, eos non esse liberæ collationis. Rota coram Cavaller. *decis.* 97.

Cæterùm his non obstantibus de Jure respondendum videtur, collationem in hoc casu spectare ad Episcopum exclusó Capitulo; & ratio fortissima est, quod Jus vehementer resistit inferioribus collatoribus, volen-
4 tibus in totum excludere Episcopum à collatione Canonicatuum. Loter. *d. q.* 21. *num.* 5. tùm quia ipse habet intentionem fundatam de Jure in omnibus beneficiis suæ Diæcesis. *cap. Omnes Basilicæ* 16. *q.* 7. *cap. Ex injuncto in fin. de Hæretic.* tùm quia in Episcopo adeò infixum, & radicatum est Jus conferendi, ut quo ad habitum numquàm possit ab eo auferri. Card. *in Clem.* 1. *in* 6. *opposit. de Excessib. Prælat.* Felin. *in cap. Auditis. num.* 8. *de Præscript.* Loter. *d. lib.* 2. *q.* 12. *num.* 12. Et quo ad exercitii totalem eradicationem non sufficiat simplex præscriptio, sed ea requiratur cum titulo, vel immemorabilis. Garz. *de Benefic. part.* 5 *cap.* 4. *num.* 90. Loter. *d. q.* 21. *num.* 50. & 51. Adden. ad Gregor. XV. *decis.* 191. *num.* 6. Unde fit, ut Canonici Bergomenses, qui nunquam contulerunt in mensibus Apostolicis, neque ad sui favorem allegare possunt pro exclusione Episcopi aliquem justum titulum statuti, vel privilegii, nullo modo valeant in hoc casu Episcopo præferri.

Nec iisdem Canonicis suffragari potest possessio, seu præscriptio, quam habent conferendi privativè quo ad Episcopum in quatuor mensibus Ordinariis: Quia ex
5 Præscriptione particulari non infertur ad universalem; neque ex possessione conferendi in uno tempore dici potest acquisitum jus conferendi in alio tempore, ex doctrina Abbatis *in cap. Auditis num.* 9. & Felin. *num.* 10. *de Præscriptionib.* ubi firmatur hæc regula; præscriptio-

Digitized by Google

scriptionem non extendi ad jura similia, & præcipuè in præscribenda Jurisdictione si probetur quasi possessio certi actus, in illo tantùm dicitur præscriptum, non in aliis; quàm doctrinam canonizavit Rota in hac materia Juris conferendi *decis.* 429 *num.* 3. *part.* 4. *recent.* quæ *sub num.* 5. decrevit manutentionem Capitulo non pro quocunque mense, aut pro qualibet vacatione; sed tantummodo ad mensuram possessionis, quàm justificabat privativè quo ad Episcopum. Et hoc ideò fit, quia in prædictis collationibus Capitulum non innititur titulo universali conferendi, ex quo collatio in Cathedrali Ecclesia ad solum Capitulum non
6 pertinet. Glossa, & DD. *in cap. Cum Ecclesia Vulterana. de Elect.* Quocirca notat Rota *in una Casalen. Juris conferendi decis.* 124. *num.* 5. *part.* 3. *recent.* quod Capitulum existens in quasi possessione Jurisconferendi in mensibus Ordinariis nullum Jus prætende-
7 bat in mensibus Apostolicis. Et in una Astoricen. Canonicatus, qui vacaverat de mense Januarii, Sede Pontificali vacante, collatio facta fuerat ab Ordinario: Caputaquen. *decis.* 216. *part.* 2.

Ex quibus apparet, non adaptari ea, quæ allegabantur supra ex sententia Glossatoris antiqui, & ex decisione Cardinalis Seraphini, quoniam loquuntur in Capitulo, cui legitimè acquisitum erat jus conferen-
8 di in mensibus Apostolicis, tùm ex statuto, & concordia, tùm ex præscriptione, ut de Capitulo Paduan. *Discord.* XX. At nullus hòrum titulorum militat ad favorem Capituli Bergomen. & sic non potest in his mensibus assumere nomen Ordinarii collatoris pro excludendo Episcopo in totum. Seraphin. *d. decis.* 980. *num.* 3. Ordinarii enim illi dicuntur, qui vel à Papa, vel à Lege, vel à consuetudine Jus conferendi Ecclesiastica beneficia habent. Gonzal. cum aliis per eum congestis *Glo(s.* 21. *num.* 34.

Neque audiendum esset Capitulum, si prætenderet in hoc casu saltem simultaneam collationem cum Episcopo juxta communem doctrinam omnium scribentium *in cit. cap. Cum Ecclesia Vulterana*. Quia cum
9 ipsi Capitulo sivè à statuto, sivè à consuetudine assignati fuerint tantummodò quatuor menses Ordinarii, per consequens censetur exclusum ab aliis octo Apostolicis, & regula Juris est, quod semel exclusus
10 semper censeatur exclusus. Bart. *in l. fin.* §. *quando in pendenti n.* 2. *ff. ad Tertullian.* est tex. *in cap.* 1. *De natura succ. efs. feud in usib. feud.* Et sic ex acquisito Jure conferendi privativè quo ad Episcopum in dictis quatuor mensibus dicitur amissum hoc Jus in aliis octo; quod jus semel extinctum ampliùs reviviscere non potest *l. Qui res* 98. §. *aream ff. de Solution. cap. Quam periculosum* 7. *q.* 1.

Ulteriùs huic prætensioni locus esset, si eadem simultanea servaretur in mensibus Ordinariis: verùm quia in illis Capitulum absque Episcopo confert, æquitas suadet, ut vice versa in mensibus Apostolicis, cessantibus regulis reservatoriis, ab Episcopo absque
11 Capitulo conferatur; gravatus enim in uno est relevandus in altero. *l. Eum qui. in princ.* & ibi Glos. *verb. probandi*, & Jas. *num.* 4. *ff. de Jurejuran.* Et propterea cum in cathedralibus ad effugiendas discordias inter Episcopum, & Capitulum soleat fieri divisio collationum per Turnum vel respectu vacationum, vel respectu mensium. Gonzal. *d. glos.* 45. *num.* 52. & §. 1. per totum, ac Seraphin. *d. decis.* 980. *num.* 11. quemadmodum Menses Ordinarii cedunt collationi Canonicorum, ita Menses Apostolici admittere non debent nisi collationem Episcopi; etenim ca-
12 sus exceptus firmat regulam in contrarium. Barbos. *Axiom.* 39. *num.* 10. Et reservatio unius est præservatio alterius. Gonzal. *glos.* 13. *num.* 23. Et limitata dispositio limitatum quoque habet effectum. *l. In agris. ff. de Acquir. rerum dom. l. Age*, cum Geminiano. *C. de Transact.* Aliàs sequeretur hoc absurdum, vel talem facultatem de Jure non competere Episcopo, quod falsum est ex supra notatis, vel eandem avulsam, & eradicatam esse à Capitulo; quod est contra justitiam, & æquitatem, & absque immemorabili præscriptione fieri non potest, ut supra probavimus.

Neque vim facit objectum illud, de quo supra, quod neque Episcopus hanc facultatem exerceat in mensibus Apostolicis, in quibus confert vigore alternativæ? Siquidem respondetur hoc procedere, non quia hæc facultas ei de jure non competat, vel eadem
13 resideat in ipso Capitulo; sed ob impedimentum reservationum Apostolicarum, quæ non obstante alternativa, secundum opinionem magis favorabilem Sedi Apostolicæ, capiunt etiam collationes ratione Turni competentes Ordinariis in mensibus Apostolicis, ne sit in potestate inferiorum per sua pacta privata præjudicare reservationibus Apostolicis, vel illas diminuere. *cap. Cum inferior. cap. Quod super his, de Major.*, & *obed. clem. De Romani. de Elect.* Garz. *d. p.* 5. *cap.* 1. *num.* 235. Gonzal. *d. glos.* 45. §. 1. *num.* 69. Et qualiscunque sit ratio, ob quam Episcopus ab eorum collatione abstinet, vivente Papa in mensibus alternatis, satis est dare de non jure Capituli in his mensibus,
14 quia ex persona Actoris jus est metiendum, non autem ex persona rei. *l.* 2. §. 1. *ff. Si pars hæred. petatur.* Bart. *in Rubr. ff. de Rei vindic. n.* 2. *in fine*: Et ideò cum facultas Canonicorum restricta sit ad quatuor menses Ordinarios, debet in illis contineri, neque ulteriùs egredi, quod observavit Rota *d. part.* 4. *recent. decis.* 429. *num.* 5. ubi, ut diximus, manutentionem concessit Capitulo ad limites suæ possessionis tantùm.

Quare concludendum venit in hac Discordia, quod si Capitulum Ecclesiæ Bergomen. ante Regulas reservatorias Mensium non conferebat Canonicatus nisi in quatuor Mensibus Ordinariis; in præsenti eos non posse conferre, nisi in prædictis quatuor mensibus: & in vacationibus, quæ eveniunt in mensibus Apostolicis, mortuo tamen Papa, jus disponendi de iisdem Canonicatibus est proprium Episcopi. At è contra, si antiquitùs Capitulum conferebat in omnibus mensibus, ut faciebat Capitulum Paduanum, de quo supra *in d. Discord.* XX. tunc & in hoc casu Canonicatus vacantes, dum vacat Apostolica Sedes, in quocunque Mense spectant ad ipsum Capitulum.

DISCORDIA XXXV.

ARGUMENTUM.

Solvuntur varia dubia circa divisionem fructuum tàm naturalium, quàm civilium inter Hæredes Beneficiarii defuncti, & successorem in beneficio: nec non circa solutionem onerum, publicarumvè gravedinum pro Decimis Papalibus, atque Dadiis beneficio incumbentium. Item circa solutionem congruæ ab ipso successore usque ad novos fructus prætensæ pro sui sustentatione: nec non circa obligationem solvendi Pensionem ad favorem tertiæ personæ antiquitùs per Papam super fructibus beneficii reservatam, traditâ distinctione Pensionis anticipatæ, & Pensionis Posticipatæ. Et tandem quando Hæredes beneficiarii teneantur reficere fabricas, domos, & habitationes beneficii.

SUMMARIUM.

1 *Fructus beneficii à solo separati ante mortem beneficiarii spectant ad ejus hæredes.*
2 *Eò magis si ante ejus obitum sint reconditi in horreo.*
3 *Constitutiones Julii III. & Urbani VIII. circa fructus*

bene-

beneficii post mortem beneficiarii extra statum Ecclesiæ non sunt usu receptæ. Et num. 7.

4 *Concilii Provincialis Mediolanensis Decretum circa divisionem fructuum beneficiorum inter hæredes defuncti, ac successorem in beneficio.*

5 *Præpositura S. Sophiæ de Padua summa livellorum annua.*

6 *Annibal Zaccus Nob. Patavinus Præpositus S. Sophiæ quando obierit?*

8 *Livelli, ac domorum affictus quomodo dividantur inter Hæredes beneficiarii defuncti, & successorem in beneficio.*

9 *Fructuum beneficii divisio aliter fit in vacatione per obitum, & aliter per vacationem ex resignatione.*

10 *Livellorum dividendorum Annus quando incipiat, ac finiat?*

11 *Hispaniarum, ac Lombardiæ usus circa divisionem fructuum beneficiorum.*

12 *Uvæ tempore vindemiæ aliæ primariæ, aliæ ultimæ?*

13 *Colonica pars Uvarum pro cultura agrorum est medietas ipsarum.*

14 *Ea relaxanda est colonis à successore beneficii.*

15 *Gravedines publicæ, pro rata fructuum sunt solvendæ per successorem in beneficio.*

16 *Congrua est solvenda successori in beneficio per hæredes Defuncti.*

17 *Fructuum portio à successore beneficii obtenta est in partem congruæ computanda.*

18 *Livelli, ac domorum affictus, qui dietim maturentur, sunt in congrua computandi.*

19 *Congrua non est danda Parocho irresidenti.*

20 *Pensio existens super beneficio quando sit solvenda ab hæredibus beneficiarii Defuncti? & quando à successore in beneficio?*

21 *Pensiones tot, quot collectæ annuorum fructuum.*

22 *Pensiones aliæ dicuntur Anticipatæ, aliæ Posticipatæ.*

23 *Pensio est solvenda à successore in beneficio etiamsi nondum collegerit fructus.*

24 *Domos beneficii benè fartas, & tectas servare debet beneficiarius.*

25 *Hæredes beneficiarii tenentur restaurare domos, ac fabricas beneficii.*

26 *Hæredes beneficiarii Defuncti possunt prætendere à successore melioramenta per Prædecessorem facta in domibus, ac bonis beneficii.*

CUm obtinuisset Reverendissimus Alexander Mantuanus Præposituram Sanctæ Sophiæ de Padua Anno 1680. ut dictum est supra *in Discord. XXXIII.* quæ quidem vacaverat *die* 14. *Septembris* 1679. per obitum Nob. Dom. Annibalis Zacci; statim ipse R. D. Mantuanus excitavit sequentes Discordias contra Nob. DD. Zaccos Nepotes, ac Hæredes ipsius Nob. Dom. Annibalis Præpositi prædefuncti, sub prætextu congruæ portionis, divisionis fructuum, ac unius ratæ Pensionis solvendæ in festo S. Joannis Baptistæ ejusdem Anni 1680. Illustrissimo, ac Reverendissimo Episcopo Gradonico; quas quidem examinandas ad me delatas, & de earum justitia requisitus; ad omnes respondi, eas non esse justas, & ideò reiiciendas ex sequentibus Rationibus, Doctoribus, atque Auctoritatibus.

Primò Dominus Mantuanus petebat à Nob. Hæredibus Zacchis medietatem frumenti, speltæ, lini, ac primarum Uvarum collectarum à Nob. Dom. Annibale Zacco Præposito dicto Anno 1679. ante ejus mortem. Dixi, hanc petitionem non esse justam,
1 quia de Jure fructus per beneficiarium ante mortem collecti, ac à solo separati spectant ad ejus hæredes. *cap. fin. De Pecul. Clericor.* Covaruvias *Var. resol. cap.* 15. *num.* 2. Navarrus *de Reddit. Eccles. qu.* 2. *Monit.* 13. *num.* 3. Ferrettus *cons.* 118. *num.* 3. & 4. nec non *cons.* 151. *num.* 5. Sperellus, qui plurimos DD. allegat, *decis.* 82. *num.* 2. & Barbosa *de Jure Eccles. Univ. lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 77. Tantò magis, quia omnia prædicta blada, ac Uvæ fuerant per ipsum prædefunctum Præpositum recondita in horreo, atque in cella vinaria; quàmvis enim hæc circumstantia non sit necessaria in hoc Serenissimo Ve-
2 neto Dominio, in quo sufficit, fructus esse separatos à solo, adhoc ut beneficiarii illos faciant suos, & hæredes eorum ipsos capiant, ut latè probant Ferrettus *cons.* 235. & *cons.* 256 utrobique *n.* 7. Monaldus *cons.* 107. *num.* 8. & 9. ac Nicolaus Noalis *in tract. de Transmissionib. cas.* 70. attamen habet vim magnam ad repellendam instantiam, & petitionem Præpositi Mantuani; quem dedecet ignorare, quod fructus beneficii non exacti, & non reconditi in horreo spectant ad Successorem tantummodò in illis regionibus, in quibus re-
3 ceptæ sunt, ac in praxi servantur Constitutiones Julii III. & Urbani VIII quæ nunquam executionem obtinuerunt in Hispania, in tota Lombardia, & præcipuè in hoc Serenissimo Dominio Veneto; ut testatur Rota *part* 10. *recent. decis* 153. *num.* 4. & 5. Sperellus *d. decis.* 82 *num.* 26 Tondut *Resol. Benefic. part.* 3. *cap.* 164. & de Marinis alios DD. cumulans *cap.* 152. *à num.* 11 & *seqq.* Hinc in Concilio VII. Provinciali Mediolanen. *in tit. De Fructibus Ecclesiast. Vers. Si verò*, per Sedem Apostolicam confirmato, & per
4 Barbosam *d. lib.* 3 *cap.* 17. *num.* 77. transcripto, ita statutum fuit: *Fructus omnes à solo separatos, etiamsi nondum exacti fuerint, aut reconditi, (modò illos beneficiati hæredes priùsquam maturi essent in successoris præjudicium à solo minimè separaverint) & parte colonicâ dumtaxat exceptâ, hæredibus ipsis; pendentes autem Successoribus in beneficio; exceptâ item parte colonicâ, adjudicamus.* En itaque manifesta injustitia petitionis Mantuanæ requirentis divisionem frumenti, bladorum, ac aliorum fructuum Præposituræ Anno 1679. non solùm ante mortem Præpositi Zacchi Prædecessoris à solo separatorum; sed etiam per eum exactorum, & repositorum in horreo.

Secunda petitio Præpositi Mantuani erat, quod omnes census, seu livelli, quos annuatim exigit Præpositura à diversis personis usque ad summam libra-
5 rum 1567: 10. & quorum exactio maturata erat in festo S. Justinæ *die* 7. *Octobris* 1679. spectarent ad ipsum Præpositum Mantuanum, sibique solvendi forent; cum maturati non essent tempore mortis Præpositi Zacci Prædecessoris sui, qui (ut dictum est)
6 obijt *die* 14. *Septembris* 1679. Pro fundamento hujus secundæ suæ petitionis allegabat prædictam *Constit.* 7. Julii III. *in Bullario novo tom.* 1. *pag.* 697. qua (ut scribit Sperellus *d. decis* 82. *num.* 11.) priscis Decreta-
7 libus inhærendo, ad dirimendas lites, quæ inter Hæredes, ac in beneficiis Successores oriri solebant, expressè cautum fuit, fructus, & affictus inexactos spectare ad Successorem in beneficio, etiamsi defunctus omnem adhibuerit diligentiam illos consequendi: quam Constitutionem determinare controversiam, & in toto Christiano orbe jus facere, adeòut non sit ulteriùs insistendum dicunt Ludovicus *Decis. Perusin.* 33. *num.* 4. Navarrus *de Spoliis Cleric.* §. 6 *num.* 7. Borgnin. *decis.* 44. *num.* 3. *part.* 5. Surdus *cons.* 333. *num.* 12. *lib.* 3. Leo *in Thesaur. fori Eccles. part.* 3. *cap.* 3. *num.* 43. & 44. Thesaurus *decis.* 143. & Card. Seraphinus *decis.* 564. *num* 58. & *decis* 683. *num.* 4.

His tamen non obstantibus respondi, hanc quoque petitionem Præpositi Mantuani esse injustam; quia de Jure, ac secundum veriorem, ac magis communem opinionem Doctorum, fructus civiles beneficiorum, quales sunt domorum affictus, census, ac
8 livelli, qui maturantur de die in diem, dividendi sunt pro rata temporis inter Hæredes beneficiarii defuncti, & inter Successorem in beneficio, ut in puncto docent Loterius *de Re Benefic. lib.* 1. *quæst.* 44. *n.* 31. & 32. Covaruvias *d. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 12. Zerola *part.* 2. *Verb. Renunciatio. Vers. Si quis beneficiatus.* Genuensis *in Praxi Cur. Archiep. Neapol. cap.* 53. *n.* 11. Garzias *de Benefic. part.* 2. *cap.* 1. *num.* 96. & 97. Hondedeus

Digitized by Google

dedeus *lib.2. conf.85. num.8. & 32.* Antonellus *de Temp. Leg. lib.1. cap.47. num.4.* Tondut *Quæst. benefic. d. p.3. cap.164.* Barbosa *de Jure Ecclef. Univ. lib.3. cap.17. num.75.* Noalis *conf.64. num.2. & de Transmissionibus d. cap.70.* prout etiam Sperellus *d. decif.82. num.25. & 26.* ubi alios concordantes allegat; & facit Rota *part.2. recent. decif.278.* quæ hanc opinionem ample-
9 ctitur in vacatione beneficii per mortem; etsi aliud sentiat, si beneficium vacaverit per voluntariam resignationem, in qua resignans sibi non reservaverit eosdem fructus civiles usque ad diem resignationis, sed penitùs abdicaverit à se actionem ad illos petendos, & consequendos; ut latiùs ibi per Rotam, ac DD. apud eam; & per nos *infra Discord. XLV.*

Ex his deducebam; quod Livelli Præposituræ S.Sophiæ erant dividendi inter Nob. Hæredes Zaccos, & Dom. Præpositum Mantuanum ratione temporis; quod quidem tempus erat computandum à primo die post festum S. Justinæ Anni 1678, quo die incipit Annus livellorum, usque ad diem festum S. Ju-
10 stinæ Anni 1679. quo maturantur iidem livelli, & completur Annus, venitque tempus exactionis eorundem, ad tradita per Sperellum *d. decif.82 n.24.* Idcircò cum Præpositus Zaccus obierit *die 14 Septembris 1679.* ejus Hæredibus debebantur livelli ad ratam Mensium undecim, dierum septem: ipsi verò Præposito Mantuano dandi erant pro rata dierum vigintitrium tantummodò: & quia, ut dictum est, tota summa livellorum Præposituræ S. Sophiæ ascendit ad Libras annuas 1567: 10. si hæc dividatur in duodecim menses, & in duodecim partes; unicuique mensi, ac parti contingit summa librarum centum triginta, solidorum duodecim, minutorum sex; nempè Libræ 130: 12: 6. & hac divisione,& computatione attentâ, spectabant ad Nob. Hæredes Zaccos pro Mensibus undecim, diebus septem, libræ 1467: 7: 1. at ad ipsum Præpositum Mantuanum pertinebant pro viginti tribus diebus Libræ 100: 2: 11.

Nec subsistere dixi fundamentum in contrarium positum per ipsum Præpositum Mantuanum ex Constitutione Julii III. & ex assertione DD. eidem innitentium, dicentiumque fructus civiles inexactos, (quales sunt livelli) spectare ad Successorem in beneficio; nam ut probatum est in responsione ad primam petitionem supra *num.7.* Constitutio Julii III. non servatur nisi in Statu Ecclesiæ; in aliis verò Do-
11 miniis, ac Principatibus nunquam fuit recepta, nec est in usu; ut de Statu Veneto testantur Ferrettus, Noalis, ac Monaldus supra allegati: & de Hispania, ac de tota Lombardia notat Nicolius *in Lucubrat. Civil. lib.3. tit.1. num.84.* his verbis: *In Hispania tamen, Lombardia, & aliis locis, ubi prædicta Bulla non est recepta, hujusmodi fructus ex consuetudine spectant ad hæredes.* Et tollit omnem dubitationem Decretum Conciliare Sancti Caroli etiam circa hos fructus Civiles, confirmatum ab Apostolica Sede, relatumque à Barbosa *de Jur. Ecclef. Univ. d. lib. 3. cap.17. num.82.* quod ita loquitur: *Si verò fructus in ædium locationibus, annuis censibus, similibusque consistant, ad ratam temporis dividantur.*

Tertia petitio ejusdem Præpositi Mantuani adversus DD. Hæredes Præpositi Zacci concernebat Uvas ejusdem Præposituræ, quas omnes sibi deberi ipse Præpositus Successor affirmabat. Porrò duæ exceptiones proponebantur per eosdem DD. Hæredes, quas juridicas, & omninò admissibiles consulendo ego affirmabam: Una erat, quod Uvæ primariæ, quæ
12 teneræ vocantur, & vindemiatæ fuerant ante mortem Dom. Præpositi Zacci, spectabant ad ejus Hæredes, tanquam fructus maturati, & collecti vivente Prædecessore ex traditis per DD. & Gloss. *in cap. fin. De Pecul. Cler.* Navarrum *de Redditib. Ecclef. q.2. monit.13. num.3.* Tiraquell. *de Retract. Convent. §.5. gloss.4.* Ferrettum *conf.256. num.7.* & alios citatos per Sperellum *d. decif.82. num.2.* & per nos *supr. num.2.*

Ideò has Uvas primas, ac teneras d. Præpositus Mantuanus prætendere non poterat. Secundas autem, ac ultimas Uvas sibi competere justè asserebat; sed quia Prædecessor Præpositus Zaccus agros Præposituræ, in Villa Sancti Lazari existentes, propriis expensis coluerat, ejus Hæredibus pars colonica debebatur, quæ
13 juxta regionis usum erat medietas omnium ipsarum Uvarum; & ad hanc colonicam partem relaxandam idem Mantuanus successor omninò tenebatur juxta theoricam Bartoli *in l. Fructus. num. 5. ff. Solut. Matrim.* quam amplectuntur communiter omnes DD.
14 congesti per Ciarlin. *lib.3. cap.231. num.18.* Ubaldum *de Duob. Fratrib. part.1. num. 37.* & Gratianum *Discept. For. cap.606. num.18.*

Quarta discordia inter partes prædictas erat circa solutionem publicarum gravedinum Præposituræ incumbentium, scilicèt pro Decimis Papalibus, ac Dadiis Serenissimo Dominio Venetiarum debitis; quarum nullam partem, pro anno 1679, solvere volebat Præpositus Mantuanus. Cæterùm, & in hoc deflectere eum à tramite justitiæ dicebam; quia cum ipse percepisset medietatem uvarum, & suam portionem livellorum, obligatus erat pro rata ad solu-
15 tionem gravedinum ejusdem anni 1679. attentâ regulâ irrefragabili, quod qui percipit fructus Ecclesiæ unius anni, tenetur pro rata eorundem fructuum ad onera, & collectas ejusdem anni, ut eruditè differit, & validè comprobat Menochius *conf.330. à num.1. & seqq.* ubi innumeros DD. ita scribentes allegat. Valor fructuum per Præpositum Mantuanum perceptorum Anno 1679. ex livellis, & uvis calculabatur ascendere ad Ducatos Venetos ducentos; ideò ad ratam hujus summæ tenebatur contribuere pro Decimis, ac Dadiis, prout fuit condemnatus ad talem contributionem faciendam.

Quinta discordia versabatur circa congruam, quam Præpositus Mantuanus petebat ab Hæredibus Zacchis usque ad novos fructus, Anno 1680 colligendos, ex traditis per Loterium *lib.1 quæst.44 num.22.*
16 Cæsarem de Panimollis *Decif.20. Annot.1. num. 42. & 43.* Bellettum *Disquis. Clerical. part. 1. de Bonis Clericor. § 15. num.13.* Vivianum *de Jurepatr. lib.14. cap.8. num.19* Barbosam *de Jure Eccl. Univ. d. lib.3. cap.17. à num.75* & Rotam *part.3. recent. decif. 529. & part.4. rec. decif.530. tom.3.* Repellebant DD. Hæredes prædicti hanc quintam petitionem triplici exceptione. *Prima*, quod Præpositus Mantuanus obti-
17 nuerat ex Uvis, ac livellis maturatis in festo S. Justinæ Anno 1679. ducatos ducentos circiter, qui satis erant pro congrua usque ad novos fructus sequentis anni 1680. *Secunda*, quod ipse lucrabatur singulis mensibus libras centum triginta, solidos duodecim, minutos sex, (ut demonstratum est supra *n.8.*) ex livellis pecuniariis Præposituræ, qui dietim ei debeban-
18 tur; & hoc lucrum deservire illi debebat pro congrua. *Tertia*, quod ipse Præpositus Mantuanus, etsi Parochialem Ecclesiam assecutus, apud eam non residebat, degens in Episcopali Palatio, munere Vicarii Generalis fungens cum annuo stipendio Ducatorum tercentum, expensarum cibariarum, ejus personæ, ac famuli, nec curæ animarum personaliter incumbebat; quâ ejus irresidentiâ stante, congrua ei non
19 debebatur ex judicio Sacræ Rotæ Romanæ, de quâ attestatur Theodosius Rubeus *in Singular. ejusdem Rotæ part.2. Verb. Congrua.* ita scribens: *In Rota sæpissimè fuit resolutum, quod Congrua portio non debeatur Rectoribus, & Vicariis, qui personaliter non resident, & curam non exercent. cap. Extirpandæ. §. Si verò. de Præben. Et ita sentit* Rebuffus *in tract. Congruæ Portionis quæst.68.* Card. Mantica *decif.250. num.2.*

Sexta petitio Præpositi Mantuani continebat, quod Nobiles DD. Hæredes Zacci solverent Illustrissimo, ac Reverendissimo Episcopo Gradonico ratam Pensionis super fructibus Præposituræ ei debitam; &

Digitized by Google

maturatam Anno 1680. in festo Sancti Joannis Baptistæ Mense Junio; quo tempore nondum ab ipso Præposito Mantuano collectum erat frumentum,
20 aliavè blada Præpositturæ. Hanc pariter petitionem esse à Jure, & à Justitia alienam ostendi; quia Dominus Præpositus Zaccus Prædecessor obtinuerat Præposituram S. Sophiæ ab Apostolica Sede Anno 1664. Mense Martio cum onere Pensionis annuæ Ducatorum quadringentorum solvendæ annuatim in duabus ratis, in Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ Mense Junio, ac Redemptoris Nostri Mense Decembri; ac subinde singulis annis usque ad Annum 1679. ambas ratas integrè persolverat; & per consequens illas Anni 1680 solvere debebat ipse Præpositus Mantuanus ex regula tot Pensionum solutio-
21 nes, quot redditus annui. Gigas *cons.* 138. *n.* 2. Parisius *de Resignat. lib.* 1. *quæst.* 8. & Tondut *de Pensionib. cap.* 20. *num.* 4. ubi DD. plurimi, Præposito Zacco nulli redditus Anni 1680. competebant; ergo nec ulla Pensionis rata ejusdem Anni ad ejus Hæredes spectabat.

Nec suffragabatur Præposito Mantuano, quod ipse Mense Junio Anni 1680. nullos fructus Præpositturæ collegerat, quippè frumentum, ac alia blada maturantur tantummodò in fine Mensis Julii. Nam respondebatur, quod si tunc fructus non collegerat, illos tamen erat collecturus; nec ei in Tribunalibus Ecclesiasticis versatissimo ignotum esse poterat, alias Pensiones vocari anticipatas, alias autem posticipatas;
22 has quidem solvi post collectionem fructuum beneficialium; illas autem ante ipsos collectos, ut docent Loterius *lib.* 1. *quæst.* 44. *num.* 5. Gigas *de Pensionib. quæst.* 53. *num.* 4. *Vers. Quid autem dicendum*. Tondut *de Pensionib. d. cap.* 20. *num.* 8. & Gratianus *Discept. Forens. cap.* 548. *num.* 46. ita scribens: *Ponderandum est, an Pensio sit posticipata, vel anticipata; quia si esset anticipata, beneficiatus tenetur illam solvere in diem termini, etiamsi nulli hucusque fuissent percepti fructus: Si verò est posticipata, secus est dicendum. Ad cognoscendum autem, An sit anticipata, vel posticipata, attenditur forma reservationis; quia si à die reservatæ Pensionis usque ad diem primi termini nulli possunt colligi fructus, manifestè apparet, Papam voluisse, Pensionem antecipatè solvi à beneficiato, & sic de proprio, & quod postea se prævaleat de fructibus colligendis*. Cum itaque ab initio (Anno scilicèt 1664.) hæc Pensio imposita sit ab Alexandro VII. Mense Martio solvenda in duobus terminis, Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ, & Redemptoris Domini Nostri, constat evidenter, eam esse antecipatè solvendam ante fructuum collectionem; ratamque Sancti
23 Joannis dicti Anni 1680. spectare ad ipsum Præpositum Mantuanum; ut præter DD. supraelatos tenuit Rota coram Card. Seraphino *Decis.* 24. & coram Corduba, relata per Vivian. *post tract. de Jurepatron, Decis.* 99. & novissimè tenuit eadem Rota *part.* 18. *recent. decis.* 646.

Septima tandem ejusdem Præpositi Mantuani petitio contra DD. Hæredes Zaccos erat, quod ipsi perficerent, ac complerent domos rusticales, quas super possessionibus Præpositturæ in Villa Sancti Lazari imperfectas repererat; quia cum Beneficiarius similis
24 sit Usufructuario. Glossa *in cap.* 3. *Verb. Finium regundorum De Probat. & in cap. Possessiones. Verb. Monachi De Reb. Eccles. non alien.* & Peregrinus *cons.* 85. *num.* 2. *tom.* 5. sicut hæredes Usufructuarii tenentur habitationes, ac domos resarcire, ita & hæredes eorum, qui beneficia possederunt. *l. Usufructu*
25 *legato. §. fin. ff. de Usufruct. & l. Eum ad quem. C. eod. tit.* Mantua J. C. Patavinus *tom.* 1. *cons.* 1. *num.* 36. Genuensis *in Practicabil. Eccles. q.* 285. Bellettus *De Clerico debitore. §.* 10. *n.* 8. & Peregrin. *lib.* 2. *cons.* 50. *num.* 7. Cæterùm respondebatur pro parte DD. Hæredum prædictorum alliud esse fabricas, ac domos Ecclesiæ antiquas restaurare; & aliud noviter erectas perficere, ac complere. Auctoritates supra allegatæ, & Doctores recensiti loquuntur de restauratione veterum domorum, quando beneficiarius eas non benè tectas, ac sartas custodivit: non etiam quando alias de novo ex sua liberalitate cœpit ædificare, & non potuit consummare; siquidem circa istas tantum abest, quod hæredes sint obligati ad perficiendum; quini-
26 mò ipsi prætendere possunt à beneficiato successore expensas in iisdem ædificandis factas, tanquam melioramenta utilia Ecclesiæ, ac ipsi Beneficiario Successori proficua, ex doctrina Boeru *Decis.* 44. *num.* 14. Menochii *de Recuperanda possess. remed.* 15. *num.* 16. & Peregrini *de Fideicommiss art.* 50. *num.* 43. Quare his omnibus per DD. Judices Arbitros maturè perpensis, Dom. Præpositus Mantuanus licentiatus fuit; imposito ei circa supradictas omnes petitiones, ac prætensiones perpetuo silentio.

DISCORDIA XXXVI.

ARGUMENTUM.

Prima Dignitas cum Cura Animarum in Ecclesia Collegiata, qualis est Archipresbyteratus Montisilicis, quæ vacavit vivente Summo Pontifice, etsi de ea ipse non disposuerit, morte præventus, non potest ab Ordinario, quamvis Cardinali Indultario conferri; sed tanquam Sedi Apostolicæ reservata, est providenda à Summo Pontifice Successore; prout de prædicto Archipresbyteratu Innocentius XII. voluit providere, annullata collatione per Cardinalem Episcopum Patavinum priùs, nulliter, & de facto attentata sub prætextu Curæ Animarum, & textus *in cap. Si Apostolica.* 35. *De Præben. in* 6.

SUMMARIUM.

1 *Archipresbyteratus Montisilicis Vacatio Anno* 1690.
2 *Reg.* 4. *Cancellariæ Apostolicæ reservativa Primarum Dignitatum in Collegiatis*.
3 Cap. Si Apostolica. De Præben. in 6. *tenor, ac dispositio*. & num. 12.
4 *Ministri Curiæ Episcopalis Patavinæ sub Emin. Card. Barbadico Episcopo Qui, & Quales?*
5 *DD. scribentes de intellectu* d. Cap. Si Apostolica. & num. 14.
6 *Rotæ Decisiones; quod possint Ordinarii conferre beneficia reservata, de quibus Papa ante obitum suum non disposuit*. & num. 24
7 *Ratio ubi est eadem, ibi debet esse eadem Juris dispositio*.
8 *Argumentum à multo magis est validum*.
9 *Favores sunt ampliandi*.
10 *Parochiales etsi reservatæ, si Papa dum viveret, non disposuit, ab Ordinariis sunt providendæ*.
11 *Dignitas prima in Collegiatis semper est Papæ reservata*.
13 *Beneficia semel reservata Papæ semper remanent ei reservata*.
15 *Extravag. Ad Romani. De Præb. ac Reg.* 11. *Cancell. tenor*.
16 *Posteriora derogant prioribus*.
17 *Pyrrhi Corradi vera intelligentia circa* cap. Si Apostolica. De Præb. in 6.
18 *Reservatio beneficii respectu rei, vel personæ semper durat*.
19 *Beneficia, quæ sunt reservata, licèt vacent mortuo Papa, sunt semper reservata, etsi vacaverint, eo vivente, & de eis non disposuerit*.
20 *Indulta Cardinalium Episcoporum eis probibent conferre primas Dignitates in Collegiatis*.

21 *Con-*

Digitized by Google

21 *Conclavistarum beneficia remanent semper reservata Papæ.*
22 *Concursus ad Parochialem, si in tempore debito non sit factus, ea remanet Summo Pontifici reservata.*
23 *Doctorum dicta non attendenda, sed rationes.*
24 *Rotæ dicentes, Ordinarios posse conferre beneficia reservata, de quibus Papa, dum viveret, non disposuit, quomodo intelligendæ?*
25 *Animarum periculum ut evitetur, Ordinarii conferunt reservata.*
26 *Vicarii, & Œconomi in Ecclesiis vacantibus supplent vices Rectorum.*
27 *Beneficiorum provisio intra sex menses facienda. At quæ de Jurepatronatu Laicali intra quatuor.*
28 *Reservatio ob vacationem in Curia tantùm tollitur* in cap. Si Apostolica. De Præb. in 6.
29 *Lex quod non dixit, nec nos dicere debemus.*
30 *Lex corrigens unum casum non extenditur ad alios.*
31 *Favor Summi Pontificis præferendus est favori Episcoporum.*
32 *Favor limitatus effectum limitatum debet habere.*
33 *Antonius de Rubeis Archipresbyter Montisilicis laudatus.*
34 *Ionocentius XII. electus Papa Anno 1691.*

NOn mediocris Discordia fuit inter Ministros Emi-
nentissimi, ac Reverendissimi Gregorii S. R. E.
Cardinalis Barbadici Episcopi Patavini, Anno 1690,
in consulendo Eminentiæ suæ an posset disponere
de Archipresbyteratu Collegiatæ Ecclesiæ S. Justi-
næ Montisilicis, cui annexa est Cura animarum,
& qui in ea Collegiata est prima Dignitas; attento
1 quod ejus vacatio successit de Mense Octobri eodem
Anno 1690, per mortem R. D. Petri Antonii Ber-
tepaleæ, quo tempore in Apostolica Sede sedebat
Alexander Papa VIII. qui paulò post decessit nullâ
factâ dispositione ejusdem Archipresbyteratus; qui
quidem reservatus erat Sanctitati suæ per Regulam
IV. Cancellariæ Apostolicæ, cujus hæc sunt verba:
2 *Item reservavit generaliter dispositioni suæ omnes Di-*
gnitates majores post Pontificales in Cathedralibus etiam
Metropolitanis, & Patriarchalibus; nec non valorem
decem florenorum auri communi extimatione exceden-
tes principales in Collegiatis Ecclesiis. Dubitabat
Eminentissimus supradictus Episcopus, an mortuo
Papa, cessaret reservatio, & posset ipse de eodem
Archipresbyteratu disponere, quia erat Parochialis,
vigore textus *in cap. Si Apostolica 35 de Præb. in 6.*
in quo ita est statutum: *Si Apostolica Sede vacante*
3 *aliquas Parochiales Ecclesias vacare de cætero conti-*
gerit apud ipsam; Statuimus, ut de eis (ne ipsarum
vacatio diutina periculum valeat animabus afferre) per
eos, ad quos pertinet, possit liberè ordinari, & in-
fra: *Idem volumus & de illis, quæ ibidem ipso Ro-*
mano Pontifice vivente vacabunt, si de ipsis per eum
ante ipsius obitum non fuerit ordinatum. Igitur inqui-
rebat Eminentia sua ab ejus studiosis Ministris, Utrùm
liberæ sibi essent manus ad conferendum hunc Ar-
chipresbyteratum, etsi primam Dignitatem in Col-
legiata prædicta, respectu Curæ animarum eidem in-
cumbenti, cujus intuitu conceditur *in cit. cap. Si Apo-*
stolica. quod Parochiales Ecclesiæ vivente Pontifice
vacantes, ac ei reservatæ, si de ipsis per eum ante
ipsius obitum non fuerit dispositum, possint ab Or-
dinarii conferri?

Discordes erant præfati Ministri in consultatione,
& erant duo Vicarii, duo Auditores, duo Promo-
tores Fiscales, unus Cancellarius, omnes professo-
res Sacrorum Canonum, & utriusque Juris Laurea
4 insigniti. Eorum major pars sentiebat, cessare re-
servationem, & posse Eminentiam suam de prædi-
cto Archipresbyteratu, attentâ vacatione Apostolicæ
Sedis, disponere ex rationibus, ac fundamentis se-
quentibus.

Primò, quia sic tenent, ac docent Gonzalez *ad Reg. 8.*
Cancell. §. 5. Proemiali à num. 138. & seqq. Zerola *in*
Praxi part. 1. Verb. Beneficia §. Ad Tertium. Vers. 12.
5 nec non *part. 2. Verb. Reservatio §. 5.* Pax Jordanus
tom. 2. lib. 10. tit. 2. num. 58. & num. 62. Pyrrhus Corra-
dus *in Praxi Benefic. lib. 3. cap. 6. num. 58.* qui tamen
intelligendus est de simplici Parochiali, non de ea,
quæ est simul prima Dignitas in Collegiata, ut *in-*
fra num 17. Novarius *in Summa Bullar. part. 2. Com-*
ment. 23. num. 26. Nicolius *Lucubrat. Canonic. lib. 3.*
tit. 5. de Præbend. num. 9. ubi ita scribit: *Parochiales*
Ecclesiæ, Apostolica Sede vacante, conferri possunt
per Ordinarios, etiamsi ante mortem Pontificis, & in
mense Apostolico, vel aliâs reservatæ, aut affectæ va-
caverint; quia per mortem Pontificis expirant Regu-
læ Cancellariæ. cap. Si Apostolica 35. de Præbendis
lib. 6. Castropalaus *in Opere Moral. part. 2. tract. 13.*
disp. 2. punct. 16. n. 9. & Rota apud Garziam *part. 5.*
cap. 5. num. 91. in Abulen. Parochiali 19. *Novembris*
1593. *coram Corduba* in fine, ibi: *Quinimò Parochia-*
les etiamsi essent affectæ, & reservatæ reservatione
clausa in corpore Juris, Sede Apostolica vacante pos-
sunt conferri. cap. Si Apostolica. De Præbend. lib. 6.

Secundò, quia habentur plures Decisiones Rotæ
recentissimæ, per quas resolutum fuit, quod Paro-
chiales, quacunque reservatione affectas, vacantes
vivente Pontifice, si ab eo non fuerint dispositæ,
6 possunt Ordinarii post ipsius mortem ritè conferre;
ut *in Majoricen. Parochialis* 10. *Maii* 1680. & 10.
Januarii 1681. coram Ursino. *Et* 10. *Decembris* 1681.
coram Albergato. *In Melevitana Parochiali* 10. *De-*
cembris 1681. & 8. *Junii* 1682. & 23. *Martii* 1684.
coram Rondanino. *Et* 23. *Februarii* 1685. coram
Hervault. *Et* 5. *Martii* 1687. coram eodem. *Et* 10.
Decembris 1687. coram Caprara. *Et* 5. *Julii* 1688.
coram Rondanino.

Tertiò, quia ratio est anima legis. *l. Cum oratio. ff.*
De bonis damnator. Barbosa *Axiom. 197. num. 1.* &
ubi est eadem ratio, ibi est eadem juris dispositio.
7 *l. Illud. ff. Ad leg. Aquil.* Abbas *in cap. Nihil. num. 5.*
de Elect. Barbosa *ubi proximè num. 3.* Sed ratio pro-
pter quam *in d. cap. Si Apostolica. 35. de Præben. in 6.*
permittitur Ordinariis providere de beneficiis reserva-
tis, quæ vacarunt apud Sedem vivente Pontifice,
& de eis ante ipsius mortem non disposuit, est, *ne*
ipsorum diutina vacatio periculum valeat animabus
offerre, ut legitur *in d. Capitulo*; Ergo quodcunque
sit beneficium, & qualiscunque sit reservatio, dum-
modo illud sit cum cura animarum, si Papa ante
suam mortem non disposuerit; poterit Ordinarius de
eo providere, ne ob diutinam vacationem resultet
periculum animarum.

Quartò, validissimum est argumentum in Jure à
multo magis. Emin. Card. Tuschus *Pract. Conclus.*
tom. 1. Litt. A. conclus. 501. num. 1. Decian. *cons. 65.*
num. 19. lib. 3. & Barbosa *de Locis commun. Loco 75.*
8 ubi demonstrat, quod ea, quæ de Jure permittuntur
in rebus majoribus, ac fortioribus, multò magis cen-
sentur permissa in iis, quæ minores sunt, & minùs
fortes. Sed reservatio beneficiorum, quæ vacant
apud Sedem, de quibus loquitur *d. cap. Si Apostolica.*
& quæ ibi permittuntur conferri ab Ordinariis, si à
Papa, dum viveret, collata non fuerint, est reserva-
tio cæteris major, ac fortior. Fagnan. *in cap. Sicut*
unire. num. 57. De Excessib. Prælat. tom. 7. illam red-
dens rationem, quia antiquissima est, & magis pri-
vilegiata, ut legitur *in cap. 2. eod. tit. de Præbend.*
in 6. Ergo multò magis in præsenti casu poterit Or-
dinarius conferre Archipresbyteratum Montisilicis,
cui imminet cura Animarum, reservatum tanquam
primam Dignitatem, quæ non apud Sedem vaca-
vit, sed per obitum Archipresbyteri Bertepaleæ in
eodem Castro Montisilicis de Mense Octobri.

Quintò: Favores sunt ampliandi. *l. Cum quidam. ff.*
de Liberis, & posthum. cap. Odia. De Regul. Jur. in 6.
9 Thomasett. *d. Regul. 209.* Sed prædictum *cap. Si Apo-*
stolica.

Digitized by Google

stolica. De Præbend. in 6. est favorabile; siquidem ex eo restituitur libertas Ordinariis conferendi beneficia; quam eis abstulerat Clemens Tertius, aliàs Quartus *in cap. 2. eod. tit. in 6.* Ergo est ampliandum, & latè intelligendum, itaut procedat non solùm in beneficiis vacantibus apud Sedem, sed etiam in quibuscunque aliis reservationibus, ut considerant Gonzalez *d. §. 5. Proemiali à num. 138. & seqq.* Rota apud Garziam *d. part. 5. cap. 5. num. 91. in fin.* & alii DD. supra *num. 5.* allegati; quibus adstipulantur duo egregii Beneficialistæ, Loterius *libr. 2. q. 27. num. 74.* & Tondutus *Resol. Benefic. part. 2. cap. 3. §. 2. num. 43.* cujus ibi hæc sunt verba: *Secundò cessant reservationes etiam in corpore*
10 *Juris clausæ, si agatur de Ecclesiis Parochialibus vacantibus in Curia, Sede Pontificia vacante, nec non quoad illas, quæ vacaverunt ante obitum Papæ; si de illis per Papam ante obitum non fuerit ordinatum. Et tali casu Episcopus potest illas liberè conferre, & providere Ecclesias Parochiales absque aliquo reservationis impedimento. Textus est expressus in cap. Si Apostolica. 35. De Præbend. in 6. quem exornat* Gonzalez *ad Reg. Mensium §. 5. proemiali num. 125. & multis seqq.* Et equidem ipse Gonzalez *ibidem num. 138.* ita scribit: *Dispositio d. cap. Si Apostolica. procedit non dum in Parochialibus reservatis ratione vacationis in Curia, vel apud Sedem; sed etiam ex alia qualibet reservatione Ecclesiarum Parochialium; ea ratione quia, si procedit in reservatione ob vacationem in Curia, quæ fortior est, multò magis in reservationibus minùs efficacibus.*

His tamen minimè obstantibus, huic opinioni ego, etsi minimus, & minùs sapiens inter Ministros, ac Consulentes Eminentissimi Cardinalis Barbadici Episcopi prænominati, consentire non potui; ratus veriorem esse doctrinam, quæ ponit hanc inconcussam re-
11 gulam; quod prima Dignitas in Collegiatis Ecclesiis semper sit Papæ reservata, & quamvis de ea vacante Papa, ante suum obitum, non disposuerit, non posse Ordinarium de eadem disponere, sed remanere reservatam dispositioni successoris Pontificis, & per consequens hunc Archipresbyteratum insignis Collegiatæ S. Justinæ de Montesilice tanquam primam Dignitatem ita esse affectum, ac reservatum Apostolicæ Sedi, ut, quamvis Summus Pontifex Alexander VIII, de eo non providerit, cum vacaverit ante ejus mortem; nihilominùs ejus morte sequuta, nullum jus in illius provisione habere possit Eminentissimus Episcopus Paduanus; sed expectanda sit electio novi Pontificis, à quo dispositio hujus Archipresbyteratus erit facienda. Hæc erat mea opinio, quæ innitebatur sequentibus fundamentis.

Primò, quia ex veriori, ac magis communi opinione Canonistarum *text. in d. cap. Si Apostolica. 35. de Præbend. in 6.* non habet locum, neque concedit facultatem Ordinariis disponendi de Parochialibus reservatis, de quibus ipse Summus Pontifex, dum viveret, non
12 disposuit, nisi reservatio orta esset ex vacatione apud Sedem, seu (quod in effectu idem est) si beneficiatus obiisset in Curia: nam in aliis reservationibus quibuscumque (hac unicà exceptà) beneficia reservata, quæ vacarunt vivente Papa, etsi ab ipso ante mortem non fuerint disposita, eorum dispositio remanet affecta Summo Pontifici Successori; nec in eorum provisione quovis modo Ordinarius potest se ingerere, ut testan-
13 tur Lapus *in cap. Statutum. in princ. & ibi* Geminianus *num. 3.* atque Francus, *num. 6. de Præbend. in 6.* Adden. ad Simonett. *de Reservat. quæst. 47. num. 14.* Gaspar de Perusio *de Reserv. q. 5. num. 9.* Barbosa *in eod. cap. Si Apostolica. num. 4.* & ibidem etiam Passe-
14 rinus *num. 6.* Latè Massobrius *in Praxi habendi concursus Requisit. 7. dub. 43. num. 12.* ita dicens: *Sed redeundo ad rem nostram, intelligendum est, ut possit Ordinarius conferre Parochialem vacantem in Curia, quando contraxit reservationem tantùm propter hujusmodi vacationem in Curia; non autem si ex alio capite illam contraxisset, etiam ex dispositione, seu reservatione illata per Regulas Cancellariæ, uti planè esset de beneficiis Prothonotariorum, & de vacantibus in Mensibus Apostolicis* (notetur) *ante obitum Papæ; vel aliàs nisi esset talis Parochialis devoluta propter negligentiam collatoris, vel ob omissam formam Concilii Tridentini, & hujusmodi; quia eo casu, uti dictum cap. Si Apostolica non corrigit Concilium Lateranense, ut notat ibi Francus, ita nec potest corrigere Concilium Tridentinum, nec Constitutionem B. Pii V. quæ sunt posteriora: vel tandem nisi fuissent affecta propter appositionem manus Papæ, quia hisce casibus non posset inferior collator conferre, obsistente semper sibi reservatione, vel affectione; nam beneficium semel reservatum, vel affectum semper remanet tale, donec fuerit plenariè provisum, ad tradita per Francum in d. cap. Statutum. Vers. Item tertiò. De Præben. in 6.* Hucusque Massobrius, cujus opinionem sequitur Pyrrhus Corradus *in Praxi benefic. libr. 3. cap. 6. num. 58. Vers. Præterea*, & utriusque scriptis adhæret novissimè Emin. Card. de Luca *de Beneficiis disc. 24. num. 5. & disc. 25. num. 4.* firmans prædictum textum *cap. Si Apostolica. De Præbend. in 6.* non habere locum, nisi in Parochialibus, quarum vacatio contingit in Curia.

Secundò considerabam *Extravag. Ad Romani. De Præbend.* quæ est Pauli II. *inter communes*; & in qua declaratur, quod omnia beneficia, quamvis Curata,
15 si Dignitates sint, & Summo Pontifici reservata, semper talia remanere; & à nemine posse conferri præter Papam; quæ Extravagans renovatur *à Regul. 11. Cancellariæ Apostolicæ*, decernente *prædicta omnia beneficia Papæ reservata, quæ tempore obitus eorumdem Pontificum Prædecessorum vacabant, remansisse, & remanere per hujusmodi reservationem, & decretum affecta, nullumque de illis præter Romanum Pontificem ea vice, se intromittere, vel disponere potuisse, sivè posse quoquo modo; decernens irritum, &c.* Modò sic arguebam: Archipresbyteratus iste Montisilicis, qui est Prima Dignitas in illa Collegiata, utique reservatus est Summo Pontifici per *Reg. 4. Cancell.* ibi *Nec non reservavit valorem decem florenorum auri communi extimatione excedentes principales (Dignitates) in Collegiatis Ecclesiis*: Ergo à solo Romano Pontifice est disponendus, quamvis ante ejus mortem non fuerit dispositus ex prædicta *Reg. 11. Cancell.* quamvis sit Parochialis, & ei immineat Cura animarum ex prædicta *Extravag. Ad Romani.* quæ cum sit posterior *cap. Si Apostolica. de Præb. in 6.* dato etiam quod hoc *cap.* habuisset locum etiam in Vacationibus extra Curiam, debet tamen eidem *cap. Si Apostolica* prævalere; si-
16 quidem posteriora derogant prioribus. *l. Sed & posteriores. ff. De legibus. §. Posteriore. Instit. Quibus modis testam. infirm.* ubi Pichard. *num. 11.* Alex. *cons. 122. libr. 4.* amplians præcipuè in Statutis, ac Rescriptis Apostolicis. Barbosa *Axiom. 183.* & ibi Rota *part. 4. recent. Decis. 593 num. 2.*

Tertiò: Confirmabam hanc meam considerationem doctrinà ejusdem Pyrrhi Corradi *in d. libr. 3. Praxis benef. cap. 6. sub num. 59.* ita loquentis: *Cap. Si Apostolica non habet locum in Ecclesiis Parochialibus Collegiatis, quarum primæ Dignitates sunt reservatæ per Reg. 4. Cancellariæ, & remanent reservatæ, seu affe-*
17 *ctæ etiam mortuo Papa; tunc enim non militat dispositio d. cap. Si Apostolica, quia in hoc casu ea habetur ratio dictæ Parochialis, quæ de ipsa Dignitate, cui illa est unita; nam hujusmodi Dignitates, etiam mortuo Papa, remanent reservatæ, per futurum Summum Pontificem providendæ.* Per hæc enim verba satis apertè docet, quod quidquid sit de simplici Parochiali, quæ vacaverit in Mense reservato, & de ea non fuerit per Papam, morte præventum, facta dispositio; quando tamen Parochialis est simul prima Dignitas in Collegiata, ejus dispositio spectat ad futurum Pontificem; quia *cap. Si Apostolica. De Præbend. in 6.* loquitur de simplici Parochiali, non de illa, quæ fulget primà Dignitate in Collegiata; & favet huic doctrinæ etiam Fa-

gnanus

Digitized by Google

gnanus *in cap. Bonæ memoriæ num.* 13. *de Postul. Prælat. tom.* 1. ubi dicit, appellatione Ecclesiæ Parochialis non venire Ecclesiam Parochialem Collegiatam; quia qualitas Collegii est quid essentiale ultra Parochiam, & est specificè exprimenda, ut de ea intelligatur. Concordat Rosa *De Executorib. litter. Apostolic. part.* 1. *cap.* 5. *num.* 171. & 172. ubi quod utraque qualitas est exprimenda.

Quartò: dicebam, meam opinionem etiam juvari doctrinâ Gonzalez *ad Reg.* 8. *d.* §. 5. *Proemiali num.* 94. ubi notat differentiam omninò attendendam inter reservationem beneficii resultantem solummodò ratione temporis, in quo succedit vacatio, nempè in mensibus Sedi Apostolicæ reservatis, & inter reservationem provenientem respectu rei, vel personarum; nam hæc semper durat, juxta antedictam Extravagantem Pauli Secundi; & ideò Gonzalez *d. num.* 94. ita subdit: *Rursùs non obstat Extravag. Ad Romani. Pauli II. inter communes de Præb. ubi declarat, semper durare reservationem beneficiorum familiarium Cardinalium, Collectorum, & Subcollectorum, ac aliam quamcunque reservationem factam à Papa defuncto, nullumque Ordinarium posse se intromittere, &c. Quia, hoc rectè procedit in omnibus reservationibus ratione rei, veluti Episcopatuum, Monasteriorum, Dignitatum primarum post Pontificales, & principalium in Collegiatis* (ut est iste Archipresbyteratus Montisilicis) *& similium, de quibus in Reg.* 1. 2. 3. & 4. *&c. In his namque casibus, quamvis vacatio contingat Sede Papali vacante, semper remanet reservatio priùs simpliciter, ac absolutè facta, & causata, & Ordinarii se intromittere non possunt, ut in d. Extravag. Ad Romani; & in Reg.* 11. *& optimè declarat* Simonetta *de Reservat. q.* 57. *per totam*, & *q.* 58. *num.* 14. & 15. Igitur si in his primis Dignitati-
19 bus semper durat reservatio, & Ordinarii non possunt se intromittere, etsi vacatio earum contingat, Sede Apostolica vacante, ut differit ibi Gonzalez, multò minùs poterunt se ingerere Ordinarii, si vacaverint vivente Papa, ut in casu nostro, quamvis ab eodem Papa ante ejus obitum non fuerit de eis dispositum, quia semper ratione rei durat reservatio antea inducta.

Quintò, robur adiiciebam huic meæ opinioni ex tenore Indulti, ipsimet Eminentissimo Cardinali Barbadico Antistiti Patavino per Alexandrum Papam VII. concessi, in quo per expressum Eminentiæ suæ prohi-
20 bet, & vetat collationem Dignitatum in Cathedralibus post Pontificalem majorum; & in Collegiatis principalium, ut notavi *supra Discord.* I. *num.* 13. & legitur in ipso Indulto impresso post *d. Discord.* I. paulò post initium *limit. prima num.* 7. ibi: *Non tamen post Pontificalem majores in Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesiis principales*. Ex qua prohibitione deducebam, intentionem Summi Pontificis esse, ut reservatio inducta per *Reg.* 4. *Cancellariæ* in Dignitatibus principalibus Ecclesiarum Collegiatarum semper duret, tàm vivo, quàm mortuo Pontifice; itaut esto quod ipse morte præventus de Dignitate principali jam vacante non providerit, non licet Ordinario se immiscere in prædicta provisione, quamvis ipsa Dignitas sit Parochialis, & cum Animarum cura; sed spectet ad futurum Pontificem eadem provisio. Confirmatur hæc de-
21 ductio à consimili reservatione Conclavistatus, per quam adeò remanet affectum Papæ beneficium, ut, licèt, de eo Summus Pontifex non providerit, non possit Ordinarius, quamvis Cardinalis, & Indultarius de illo, Apostolica Sede vacante, providere; ut decisum fuit in Rota coram R. P. D. Rondinino *in Una Neapolitana Beneficii die Lunæ* 18. *Martii* 1675. quæ legitur impressa inter *recent. tom.* 2. *part.* 18. *Decis.* 476. & antea firmaverat eadem Rota *part.* 17. *recent. Decis.* 382. ubi loquens de reservatione beneficiorum à Conclavistis, Familiaribus Cardinalium, ac Prothonotariis obtentorum, dicit, quod semel impressa semper durat, etiam post mortem Papæ; idcircò idem dicendum de reservatione primæ Dignitatis in Collegiata; cujus sequuta vacatione vivente Summo Pontifice, sicut non potest Ordinarius, etsi Cardinalis, & Indultarius de ea disponere; quia est excepta in Indulto, & est Papæ reservata; ita neque post mortem Papæ, qui de ea non disposuit, licitum est eidem Cardinali Indultario in ejus dispositione se ingerere, ob repetitam rationem, quod reservatio semel impressa semper durat, ut in terminis primæ Dignitatis in Ecclesia Collegiata firmavit Rota coram Emin. Othobono, postea Alexandro VIII. *Decis.* 240. *num.* 7.

Sextò tandem allegabam exemplum alterius beneficii Parochialis devoluti ad Papam ob negligentiam Ordinarii, qui non fecerat concursum intra tempus à
22 Constitutione B. Pii V. quæ incipit *In Conferendis*; & in Bullario inter illas ejusdem Summi Pontificis est *Const.* 33. quâ negligentiâ attentâ beneficium factum erat reservatum eidem Papæ; sed quia morte præventus de illo providere non poterat, cum Sedes Apostolica vacaret, Ordinarius ipse innixus auctoritati prædicti *tex. in Cap. Si Apostolica* 35. *de Præbend. in* 6. de eodem beneficio providit. At creato Summo Pontifice Alexandro VII. & per eum alteri collata antedicta Parochiali, agitata lite in Rota inter provisos per Papam, & per Ordinarium, Rota sententiavit ad favorem provisi Apostolici, ut legitur *in Gerunden. Parochiali* 27. *Aprilis* 1657. coram Card. Celso, & est inter ejus Decisiones impressas *Decis.* 231. eâ præcipuâ ratione, quia Parochialis prædicta semel effecta reservata per Bullam Pianam, non potest à quocunque alio conferri, nisi ab ipso Papa, quo vivente contracta fuit reservatio; vel eo mortuo non factâ provisione, à Summo Pontifice ejus Successore; & ita tenendum, ac servandum dicebam in præsenti casu primæ Dignitatis in Collegiata Montisilicis omninò Sedi Apostolicæ reservatæ.

Nec me convincebant fundamenta, & auctoritates à Ministris Curiæ hujus Episcopalis contrarium tenentibus, & Eminentissimo Episcopo, ut statim de Archipresbyteratu disponeret suadentibus allegatæ.

Non primùm ex numero Doctorum, de quibus *num.* 5. quia non eorum dictis, sed probabilioribus rationibus est attendendum. Loter. *lib.* 1. *q.* 24. *num.* 185.
23 & *libr.* 2 *q.* 8. *num.* 46. Fagnanus *in cap. Ne innitaris. num.* 403. & *seqq. de Constitut. tom.* 1. Præterquàm quod pro opinione, quam ego sequor, stant plures DD. ex illis, qui ex adverso allegantur; & plurimi alii Doctores citati *num.* 13. & 14. qui tanquam magis versati in Theoricâ, & in Praxi, potissimùm Curiæ Romanæ, sunt in hac materia beneficiali prorsus præferendi. Sperellus *Decis.* 41. *num.* 85.

Non secundum ex pluribus Decisionibus Rotæ summatim tantummodò allegatis *num.* 6. quas cum non repererim impressas inter recentiores, tanquam recentissimas, individualiter non potui considerare; sed eas
24 arbitror locutas in casibus simplicis reservationis ratione Mensium, omnique aliâ reservatione remotâ; videlicèt, si simplex Ecclesia Parochialis, quæ non sit Dignitas, vacet in Mense reservato; & ratione temporis sit reservata Summo Pontifici; hæc, si ab eo ante suam mortem non fuerit disposita; potest per Ordinarium conferri, Sede Apostolicâ vacante; & de hac tantùm reservatione ratione mensium censentur loqui Doctores in extensione *cap. Si Apostolica*. ad illam; & de eadem tantùm videntur intelligendæ præcitatæ Decisiones Rotales.

Non Tertium, quia licèt optima sit ratio ejusdem *cap. Si Apostolica*, propter quam conceditur Ordinariis, ut disponant de beneficiis vacatis in Curia, de quibus Papa ante suam mortem non disposuit, scilicèt, *ne diu-*
25 *tina ipsorum vacatio periculum valeat afferre animarum*; & talis ratio militet etiam in aliis reservationibus Apostolicis: nihilominùs, cum non desint alia remedia, quibus Sacri Canones, & Concilium Tridentinum consuluerunt animarum saluti, nempè per deputationem Vicariorum, seu Œconomorum, qui in spiritua-

Digitized by Google

spiritualibus, ac temporalibus suppleant vices Parocho-
rum; prædicta ratio adeò temperat vim suam, ut
absque detrimento animarum plures Parochiales per-
mittantur stare absque proprio Rectore, non solùm
per quatuor, aut sex Menses concessos Ordinariis ad
providendum de Ecclesiis vacantibus, sed etiam ul-
terius, si aliquod insurgat impedimentum, ut disserit
Pax Jordanus *d. tom.* 2. *lib.* 10. *tit.* 12. *num.* 1. pro-
bans, quod beneficiorum provisio fieri debet regula-
27 riter infra sex Menses. *cap. Nullus* 2. *De Concess.
Præben. cap. Licet. De Suppl. neglig. Prælat. Clem.* 1.
eod. tit. Nisi beneficia sint de Jurepatronatus, in qui-
bus præsentatio intra quatuor Menses est facienda.
cap. Unic. §. Verum. & ibi Glossa de Jurepatron. in 6.
Et nisi provisio à Papa sit expectanda; ipsi enim nul-
lus est præstitutus terminus ad conferendum, sed cum
sit supra jus, potest quocunque tempore providere.
Jordanus *supr. num.* 16. ubi DD. cumulat.

Non quartum: Quia licèt reservatio ob vacationem
apud Sedem, seu in Curia reputetur major cæteris
tùm ob ejus antiquitatem, tùm ob reverentiam debi-
tam Summo Pontifici, quem decet providere de bene-
ficiis apud suam Sedem vacantibus, & non alios; at-
28 tamen in dicta vacatione, ac reservatione catenùs
Ordinarii possunt se ingerere, quando Papa ante suam
mortem non providerit, quatenùs ex sua benignitate
ita eis concessit in illa individua specie reservationis per
prædictum *cap. Si Apostolica*. At ex eo non sequi-
tur, dispositionem ejusdem *cap.* esse extendendam
ad quascunque alias reservationes; quia quod Lex
29 non dixit, nec nos dicere debemus. *l. Præses. ff.
de Offic. Præsid. cap. Romanorum. dist.* 9. *cap. Consu-
luisti.* 2. *q.* 5. *Clem. ult. de Rescript.* Siquidem si Papa
id in omnibus reservationibus voluisset, expressis-
set. *cap. Ad audientiam.* 2. *de Decim. cap.* 2. *de Tran-
sact.* Barbosa *Axiom.* 136. *num.* 4. *&* 5. subdens,
hanc aliam rationem, quia Lex id noluisse præsu-
mitur, cum facile id exprimere potuisset, neque ex-
pressit; ut notat etiam Menoch. *cons.* 30. *num.* 8. Id-
circò cum de unica reservatione, scilicèt ob vacatio-
nem in Curia, loquatur Papa *in d. cap. Si Aposto-
lica*. de ea sola est intelligendus; juxta aliam Regu-
lam quod Lex non dicit, non est ab homine præ-
sumendum. *cap. Illa. Ne Sede vacante.* Surdus *cons.*
219. *num.* 21. præcipuè quia præcitatum *cap. Si Apo-
stolica*. est correctorium *cap.* 2. *ejusd. tit. de Præb.
30 in* 6. At in correctoriis Lex loquens in uno casu non
extenditur ad alios casus similes, etiamsi subsit eadem
ratio. Calderin. *cons.* 147. aliàs *cons. Unic. Ut lite
pendent. Vers. Per prædicta*. Card. Tuschus *Litter.* R.
conclus. 31. *num.* 43. Barbosa *Axiom.* 197. *num.* 6.

Non Quintum, & Ultimum, quod *d. cap. Si
Apostolica* tanquam favorabile sit ampliandum; quia
si ampliatio ad omnes reservationes est quid favora-
bile Episcopis, restrictio ad solam reservationem va-
cationis apud Sedem concernit favorem Summi Pon-
31 tificis, ob cujus superioritatem ejus favor debet præ-
valere. *l. Unic. C. de Offic. Comit. Sacr. largit.* Gon-
zalez *in §.* 6. *Proemiali à num.* 28. *& seqq.* Præter-
quàmquod *præcit. cap. Si Apostolica*. unum tantum
favorem concedit Ordinariis, scilicèt, ut conferant
beneficia reservata ob vacationem in Curia, si Papa
de eis, dum viveret, & vacarent, non disposuerit.
At certa est regula Juris, quod favor limitatus limi-
32 tatum debet effectum habere. *l.* 2. *ff. de Servis Ex-
portan. l. Cum servo. ff. De Contrahen. empt. cap.
Cum Ordinem. & ibi Gloss.* 1. *De rescript.* & Felin, *à
num.* 4. *& seqq.* Gonzal. *gloss.* 24. *num.* 80.

His fundamentis, juribus, rationibus, ac resolu-
tionibus asserebam in consultatione circa hunc Ar-
chipresbyteratum Montisilicis, non posse Eminentis-
simum Præsulem Patavinum de eo disponere, sed
tanquam Apostolicæ Sedi reservatum, ejus provisio-
nem esse attendendam à futuro Summo Pontifice.
Nihilominùs quia ego solus eram in hac opinione,
alii verò consulentes plures, his adhæsit Eminentis-
simus Herus; & cupiens benefacere eruditissimo sui
33 Seminarii Alumno Antonio de Rubeis Sacræ Theo-
logiæ Doctori, Viro in Academiis Litterariis, &
in Quæstionibus Theologicis, ac Philosophicis acutis-
simo, eidem hunc Archipresbyteratum contulit Au-
ctoritate sua Ordinaria, ac vigore sui Cardinalitii In-
dulti. Sed quid? Ad apicem Summi Pontificatus vix
fuerat evectus Innocentius XII Anno 1691. cum ei
34 secreta Supplicatio porrecta fuisset pro impetratione
hujus primæ dignitatis in Collegiata tanquam San-
ctitati suæ reservatæ, & nulliter, ac de facto per
Ordinarium dispositæ; voluit Papa jus suum sartum
tectum servare, & eidem proviso ab Eminentissi-
mo Episcopo benignè obtulit, se paratum illam
conferre, levi tamen Pensione imposità, cui sponte
illicò consensit prædictus R. D. Antonius de Rubeis,
& mihi tunc Vicario Generali sequentes Litteræ
Apostolicæ directæ fuerunt pro executione; quas re-
verenter recepi, & statim fui executus, laudatus
quod veriorem opinionem de hac re habuerim, & pro
Juribus Datariæ ad limites justitiæ steterim.

*Litteræ Apostolicæ Collationis Archipresbyteratus
Castri Montisilicis de Anno* 1691.

INnocentius Episcopus Servus Servorum Dei Dilecto
filio Vicario venerabilis fratris nostri Episcopi Pa-
duan. in Spiritualibus Generali salutem, & Apostoli-
cam Benedictionem. Dignum arbitramur, & con-
gruum, ut illis se reddat Sedes Apostolica gratiosam,
quibus ad id propria virtutum merita laudabiliter
suffragantur. Dudum siquidem omnes dignitates in
Collegiatis Ecclesiis principales valorem annuum de-
cem florenorum auri communi æstimatione exceden-
tes tunc vacantes, & in antea vacaturas collationi,
dispositioni nostræ reservavimus, decernentes ex tunc
irritum, & innane si secùs super his à quocunque qua-
vis auctoritate scienter, vel ignoranter contingeret
attentari. Cum itaque postmodum Archipresbytera-
tus sæcularis, & insignis Collegiatæ Ecclesiæ S Ju-
stinæ Castri Montisilicis Paduan. Diæc. qui in dicta
Ecclesia Dignitas principalis existit, & valorem an-
nuum decem florenorum auri hujusmodi æstimatione
posita excedit, ac quem quondam Petrus Antonius
Bertepalea ipsius Ecclesiæ Archiprèsbyter dum vive-
ret obtinebat, per obitum dicti Petri Antonii, qui
extra Rom. Curiam diem clausit suum extremum,
vacaverit, & vacet ad præsens, nullusque de illo
præter Nos hac vice disponere potuerit, sive possit,
reservatione, & decreto obsistentibus suprascriptis.
Nos volentes dilectum filium Antonium Rossi Pres-
byterum Paduan. Diæc. in Theologia magistrum apud
Nos de litterarum scientia, vitæ, ac morum hone-
state, aliisque probitatis, & virtutum meritis mul-
tipliciter commendatum, horum intuitu favore pro-
sequi gratioso, ipsumque Antonium à quibusvis Ex-
communicationis, suspensionis, & interdicti, aliis-
que Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à Jure,
vel ab homine quavis occasione, vel causa latis,
si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum
præsentium tantùm consequen. harum serie absolven-
tes, & absolutum fore censentes, Discretioni tuæ
per Apostolica scripta mandamus, quatenus si per
diligentem examinationem dictum Antonium ad hoc
idoneum esse repereris, super quo conscientiam tuam
oneramus, Archipresbyteratum præfatum, cui cura
Parochianorum dictæ Ecclesiæ, quæ & Parochialis
existit, imminet animarum; & ad quem non consue-
vit quis per electionem assumi; ac cujus, & illi
forsan annexorum fructuum, redditus, & proventus
vigintiquatuor, computatis verò distributionibus quo-
tidianis, aliisque incertis, centum ducatorum auri de
Camera secundum communem æstimationem valo-
rem annuum, ut dictus Antonius asserit, non ex-
cedunt,

cedunt, sivè præmisso, sivè quovis alio modo, aut ex alterius cujuscunque persona, seu per liberam resignationem dicti Petri Antonii; vel cujusvis alterius de illo in dicta Curia, vel extra eam etiam coram Notario publico, & testibus sponté factam, aut constitutionem piæ memoriæ Joannis Papæ XXII. prædecessoris Nostri, quæ incipit Execrabilis, vel assequutionem alterius Beneficii Ecclesiastici quavis auctoritate collati, vacet, etiamsi dictus Archipresbyteratus dispensationi Apostolicæ specialiter reservatus existat, & super eo inter aliquos lis, cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, cum annexis hujusmodi, ac omnibus Juribus, & pertinentiis suis eidem Antonio, recepto priùs ab eo Nostro, & Rom. Ecclesiæ nomine fidelitatis debitæ solito juramento juxtam formam, quam sub Bulla Nostra mittimus interclusam, auctoritate Nostra conferas, & assignes, inducens per te, vel alium, seu alios eumdem Antonium, vel Procuratorem suum ejus nomine in corporalem possessionem dicti Archipresbyteratus, ac annexorum, Juriumque, & pertinentiarum prædictarum, & defendens inductum, amoto exinde quolibet illicito detentore, ac faciens eumdem Antonium, vel pro eo Procuratorem præscriptum ad Archipresbyteratum hujusmodi, ut est moris, admitti, sibique de illius, ac annexorum eorumdem fructibus, redditibus, proventibus, Juribus, & obventionibus universis integré responderi; contradictores auctoritate nostra prædicta, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus fel. recordationis Bonifacii Papæ Octavi etiam prædecessoris nostri, & aliis Apostolicis constitutionibus, dictæque Ecclesiæ etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alio roboratis, statutis, & consuetudinibus contrariis quibuscunque, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de dignitate prædictæ Ecclesiæ speciales, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis generales dictæ Sedis, aut Legatorum ejus, litteras impetraverint; etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel aliàs quomodolibet sit processum, quibus omnibus eumdem Antonium in assequutione dicti Archipresbyteratus volumus anteferri; sed nullum per hoc eis quo ad assequutionem dignitatum, vel Beneficiorum aliorum præjudicium generari, seu si Venerabili fratri nostro Episcopo Paduan. & dilectis etiam filiis, Capitulo dictæ Ecclesiæ, vel quibusvis aliis communiter, aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quod ad receptionem, vel provisionem alicujus minimè teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel Excommunicari non possint, quodque de dignitatibus dictæ Ecclesiæ, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, præsentationem, seu quamvis aliam dispositionem conjunctim, vel separatim spectantibus, nulli valeat provideri per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam hac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem, seu si dictus Antonius præsens non fuerit ad præstandum de observandis statutis, & consuetudinibus dictæ Ecclesiæ solitum juramentum, dummodo in absentia sua per Procuratorem idoneum, & cum ad illam accesserit corporaliter illud præstet. Volumus atque quod dictus Antonius postquam ad id repertus fuerit idoneus, & antequam dicti Archipresbyteratus possessionem adipiscatur fidem Catholicam juxta articulos jam pridem à Sede Apostolica propositos in manibus tuis emittere, illamque sic emissam ad Sedem eamdem sine mendis cum tua, & dicti Antonii subscriptione quantocitiùs transmittere omninò teneatur, alioquin dictus Archipresbyteratus vacet eo ipso; & insuper prout est irritum, & inane decernimus, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentatum forsam sit hactenus, vel imposterum contigerit attentari.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo primo, tertio nonas Novembris, Pontificatus Nostri Anno primo. Post plures, & varias subscriptiones sigillum plumbeum more Rom. Curiæ impen. &c.

Concordat suprascriptum Exemplum cum suo Originali ita est, Franciscus Villani Curiæ Episcopalis Coad. hac die prima Aprilis 1693. Paduæ in Cancellaria Episcopali, &c.

Gregorius Mis. Div. Tit. S. Marci S. R. E. Presbyter Cardinalis Barbadicus Episcopus Patavinus Comesque Saccer. &c.

Universis, &c. fidem facimus, & attestamur antescriptum R. D. Franciscum Villani esse Coadiutorem Nostrum Episcopalem, cujus Exemplis, Scripturis, & concordationibus hic, & ubique plena fides est adhibenda. In quorum &c.

Dat. Pad. in Canc. Episcopali die prima Mensis Aprilis 1693.

Franciscus Burlinus Not. Episcop. M.

DISCORDIA XXXVII.

ARGUMENTUM.

Hæredes Canonici Ecclesiæ Collegiatæ, decedentis Mense Decembri, tenentur contribuere Canonico Successori portionem fructuum jam collectorum pro rata temporis, idest à Calendis Mensis Januarii usque ad finem Mensis Julii, detractis tamen publicis gravedinibus per antecessorem Canonicum solutis super iisdem fructibus.

SUMMARIUM.

1 *Paulus Adami Canonicus Plebis Sacci laudatus.*
2 *Fructuum portio danda est Canonico Successori ab hæredibus Canonici prædefuncti.*
3 *Altari qui servit, de Altari vivere debet.*
4 *Nemo cogitur militare propriis stipendiis.*
5 *Commodum sentire debet, qui incommodum sentit.*
6 *Bona Ecclesiæ sunt relicta, ut ex eis Ministri ipsius nutriantur.*
7 *Bonifacii VIII. constitutio circa divisionem fructuum beneficiorum.*
8 *Fructus beneficiorum collecti in Dominio Veneto spectant ad hæredes beneficiarii defuncti.*
9 *Joannis XXII. dispositio circa fructus beneficii vacantis.*
10 *Doctores scribentes pro divisione fructuum inter Hæredes beneficiarii defuncti, & Successorem in beneficio.*

Viam universæ carnis cum fuerit ingressus R. D. Hieronymus Martini Canonicus Collegiatæ Ecclesiæ Plebis Sacci Paduanæ diæceseos, in fine Mensis Decembris, Anni 1699. proximè evoluti, Capitulum ejusdem Collegiatæ, (attenta vacatione in Mense Capitulari, & non reservato sequuta) processit statim ad
1 electionem novi Canonici, & servatis servandis elegit R. D. Paulum de Adamis Concivem ejusdem loci, Sacræ Theologiæ Doctorem; benemeritum ob fructuosam servitutem præstitam tùm Eminentissimo, ac Reverendissimo Cardinali Barbadico, dum viveret, in Episcopatu Paduæ; tùm Illustrissimo, ac Reverendissimo Joanni Francisco Barbadico, ejusdem Eminentiæ Nepoti, Veronensi Episcopo; nedum in Curia Romana, ejus consecrationis tempore, sed etiam Veronæ in regimine spirituali illius Ecclesiæ. Ipse statim suæ electioni consensit, & pacificam possessionem ejusdem Canonicatus adeptus est, præstito

Digitized by Google

solito Juramento de servandis Statutis, aliisque laudabilibus consuetudinibus Ecclesiæ, nec non de residentia facienda. Cæterùm quia Canonicus Martini Prædecessor omnes fructus ipsius Canonicatus eodem Anno 1699. collegerat; Dominus Canonicus de Adamis Successor petiit ab hæredibus dicti Prædecessoris sibi congruam portionem eorundem fructuum relaxari, ad effectum, ut possit sustentari usque ad novos fructus, hoc Anno 1700. de Mense Augusti colligendos, & interim possit Ecclesiæ inservire, personalem residentiam facere, & Choro, aliisque Divinis Officiis interesse. At iisdem hæredibus detrectantibus instantiam novi Canonici exaudire, & dicentibus, eam non esse Juri consonam; requisitus ego infrascriptus Præpositus, ut pro Veritate respondeam; dixi, petitionem R. D. Canonici de Adamis esse justam, juri, ac æquitati concordem; & subinde esse omninò exaudiendam; ac ab hæredibus prædictis esse illi relaxandam, & restituendam ratam portionem fructuum perceptorum per Prædecessorem; scilicèt pro septem Men-
2 sibus, decursuris usque ad novos fructus à Calendis Mensis Januarii usque ad finem Mensis Julii venturi, detractis tamen publicis gravedinibus, aliisque oneribus solutis per eundem Dominum de Martinis Canonicum Prædecessorem super fructibus Canonicatus dicto Anno 1699. recollectis.

Hujus responsionis triplex est fundamentum; Naturalis ratio, Sacrorum Canonum dispositio, & communis Canonistarum sententia. Ratio naturalis est manifesta; quandoquidem qui Altari servit, de Al-
3 tare vivere debet, *cap. Cum secundum Apostolum. De Præbend.* Et Clericus, qui divino servitio in Ecclesia est mancipatus, dicitur miles cælestis militiæ. Bartol. *in l. Miles. De Re Judicata.* Nemo autem cogitur
4 militare propriis stipendiis *cap. ex Officii. de Præscriptionib.* Menochius *cons.* 228 *num.* 17. Surdus *de Aliment. tit.* 1. *quæst.* 62. Ulteriùs, cum Dominus Canonicus de Adamis debeat Divinis interesse, ac quotidie Choro adsistere, & onera Canonicatus sustinere, debet vivere de fructibus ejusdem Canonicatus, juxta regulam *l. Secundum naturam. ff. de Regul. Juris;* quam exornat Philippus Decius *Reg.* 10 Dynus. *Reg.* 15. *ad cap. Qui sentit. de Reg. Jur. in* 6. Thomasettus *in Florib. leg. regula* 15. Barbosa *Axiom.* 169. *num.* 3. ubi DD. cumulat; & novissimè P. F. Vincentius Taccino à Castrofranco *in sua Compend. declar. Regular. Juris Canonici in* 6. *Reg.* 55. ubi *num.* 3. exemplificat de beneficiario, & de fructibus beneficii; concludens, quod ad veritatem istius Regulæ, sufficit,
5 *ut eadem res ex natura sua intrinseca includat commodum, & incommodum, ut utrumque sentiatur;* prout contingit in casu successionis ad beneficium, cui imminet onus residentiæ in Choro, post collectos omnes fructus à Prædecessore.

Dispositio Sacrorum Canonum est manifesta in *cap. Videntes.* 12. *q.* 1. ubi dicitur, ideò bona à fidelibus esse tradita Ecclesiis, ut earum Ministri ex sumpti-
6 bus eorundem bonorum possint vivere. Idem repetitum est *in cap. Ex his. eadem caus.* 12. *q.* 1. subdens textus ibidem, *Quod lex Dei præcipit, ut qui Altario deserviunt, pascantur de ipso.* Inter Decretales autem habetur dispositio Bonifacii VIII. *in cap. ult. §. Porrò De Offic. Ordin.* ubi ita decernit; *Porrò ubi ex Privilegio, vel consuetudine, seu alia de causa rationabili, sibi aliquis prædictorum asserit bona competere supradi-
7 cta; hoc de illis bonis solùm debet intelligi, quæ solutis debitis, si qua sint; & his, quæ fuerint necessaria pro Servitoribus, & ministris, ac incumbentibus oneribus, usque ad novos redditus supportandis congruè reservatis, ex ipsis reperta fuerint superesse.* Per quem Canonem clarè innuitur, quod ubi fructus beneficii dicuntur spectare ad hæredes beneficiarii defuncti, à quo fuerunt collecti, prout ex generali consuetudine
8 servatur in hoc Serenissimo Dominio Veneto, ipsimet hæredes tenentur restituere beneficiario Successori congruam eorundem fructuum portionem, quæ sufficiat usque ad novos redditus pro honesta sustentatione Successoris; ut inter cæteros benè declarant Geminian. & Franchus *in Commentar. d. §. Porrò.*

Et hoc idem iterùm est Statutum *in Extravag. Suscepti Regiminis.* 2. *De Elect. & electi Pot.* in qua
9 Summus Pontifex Joannes XXII. referens abusum diversarum Ecclesiarum, in quibus omnes fructus beneficiorum vacantium applicabantur vel fabricæ, vel hæredibus defuncti; itaut Successor in beneficio non habebat aliquid pro sui sustentatione, & sic cogebatur deserere pro eo anno servitium Ecclesiæ; mandat, ut de cætero certa tantùm summa detur vel fabricæ, vel defuncti hæredibus; reliqui verò fructus spectent ad Successorem in beneficio; & ita decrevit esse servandum, non obstantibus quibuscunque Privilegiis, vel Indulgentiis, aut contrariis consuetudinibus, & Statutis, juramento, confirmatione Sedis Apostolicæ, aut aliqua quacunque firmitate vallatis; quæ omnia quo ad hoc Auctoritate Apostolica revocat; & nullius deinceps voluit esse firmitatis. Igitur per hanc Extravagantem deciditur in puncto præsens casus, cum in ea habeamus expressam determinationem Summi Pontificis, quod fructus ultimi anni saltem pro medietate dentur Successori in beneficio, ad hoc ut possit residentiam facere, Divinis interesse Officiis, ac Ecclesiæ deservire.

Et hæc quidem est verior, & communior opinio Doctorum; quorum auctoritate confirmatur, dictam congruam fructuum portionem esse restituendam Suc-
10 cessori in beneficio habenti onus residentiæ, vel Curæ animarum; quando beneficiatus decedit post factam omnium fructum recollectionem, ut tenent, & docent Covaruvias *Variar. Resolut. lib.* 1. *cap.* 15. *num.* 12. Æneas Robertus *lib.* 3. *rer. judicat. cap.* 4. *Vers. Tertia opinio.* Gonzalez *in cap.* 4. *De Offic. Ordin. num.* 7. ubi alios cumulat. Cæsar de Pannimollis *decis.* 134 *à num.* 7. *& seqq.* Garzias *de Benefic. part.* 2. *cap.* 1. *num.* 96. Genuensis *in Praxi cap.* 65. *num.* 20. Grilenzon *cons.* 112. *num.* 7. & 8. Et ex Jureconsultis, qui vixerunt, & consuluerunt in hoc Serenissimo Statu Veneto Gigas *de Pensionib. quæst.* 72. & *cons.* 124. *num.* 3. Nicolaus Noalis *in tract. de Transmissionibus Casu* 70. *num.* 9. & in terminis Eques Peregrinus Patavinus *cons.* 85. *vol.* 4. ubi ita scribit, circa vacationem beneficii cum onere residendi:
„Quia beneficium Ecclesiasticum in effectu nihil aliud „est, nisi militia quædam cælestis in servitio Dei ad „ministerium, qua ratione, quia qui Altari servit, de „Altari vivere debet; & ad hoc destinati sunt fru„ctus beneficiorum ad textum expressum *in cap. Vi„dentes* 12. *q.* 1. concludunt Doctores, quod fructus „beneficii, etiamsi in totum collecti fuissent à Rectore „mortuo, puta in Mense Octobris, debeant pro rata „dividi cum novo beneficiario, ut & ipse ex fructibus „illis commodè vivere possit, inspectis redditibus be„neficii usque ad novum recollectum; quoniam, ut „dixi, fructus beneficii debentur pro servitio perso„nali, & pro congruis alimentis personæ servientis, „& in id sunt deputati, ut eleganter declaravit Al„bericus *in l. Divortio. ff. Soluto Matrim. sub num.* 12. „arguendo, & rectè à fructibus bonorum Dotalium „ad fructus beneficiorum; nam & illi deserviunt pro „alimentis Uxoris *ad l. Pro oneribus C. de Jure Do„tium; & l. Assiduis C. Qui potiores &c.* Sequuti sunt „Didac. Covaruv. *lib.* 1. *cap.* 15. *sub num.* 12. Vi„vius *Decision.* 8. *num.* 12. Ludovic. Molina *de Majo„ratib. Hispan. lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 4. Gabriel *cons.* „191. *num.* 6. *lib.* 2. Et est æquissima distinctio; imò „necessaria; secundum quam manifestè liquet, be„neficiarium mortuum non facere fructus illius an„ni suos omnes ad commodum suorum hæredum; „sed tantùm pro rata temporis, quo inservivit post „novos fructus, cum qua resolutione noviter tran-

„sivit

Digitized by Google

„sivit Joan. de Castillo *in tract. de Usufructu cap.77.* „*num.* 29. post Fabrum, & Barbosam.

Ex quibus omnibus confirmata remanet responsio per me data; justissimam scilicèt esse instantiam Reverendissimi D. Canonici de Adamis petentis congruam portionem fructuum ab hæredibus D. Canonici de Martinis pro septem Mensibus decursuris usque ad novos fructus, adhoc ut possit residere, Choro, divinisque Officiis interesse, & Ecclesiæ inservire; & ita fuit practicatum, & ab iisdem Hæredibus executum.

DISCORDIA XXXVIII.

ARGUMENTUM.

Beneficia eorum, qui fuerunt Subcollectores Decimarum, ac Subsidiorum Papalium, quando sint Papæ reservata, itaut de eis Ordinarius providere non possit? Recensentur quatuor requisita necessaria in Subcollectore pro dicta reservatione inducenda, quorum uno deficiente, in casu præsentis Discordiæ, beneficium reputatum fuit non reservatum. Præpositura SS. Trinitatis de Padua est Dignitas, ac ex persona Auctoris duplici reservatione affecta; scilicèt ob ejus familiaritatem, & commensalitatem cum Eminent. S. M. Cardinali Barbadico Episcopo Patavino, & ob subcollectoriam, quam in Civitate, & Diæcesi Patavina ipse Auctor exercet.

SUMMARIUM.

1 *Innocentius XI. obiit die* 12. *Augusti* 1689.
2 *Mensis cessat esse reservatus Papæ, per mortem eius.*
3 *Ordinarius confert beneficia antequam novus Papa sit creatus.*
4 Reg. 68. Cancell. *reservat Papæ Beneficia antea vacata, & non disposita.*
5 *Alexander VIII. creatus Papa Anno* 1689. *die* 6. *Octobris.*
6 *Reservationes omnes beneficiorum, præter illam Mensium, durant etiam Sede Apostolica vacante.*
7 *Requisita quatuor, ut beneficia Subcollectorum sint reservata.*
8 Regul. 5. Cancell. *reservantis beneficia Subcollectorum tenor.*
9 *Decimæ, ac Subsidia per Papam concessa ad Cameram Apostolicam non deferuntur.*
10 *Pecunia ex Decimis, & Subsidiis in Statu Veneto collecta transit in ærarium Reipublicæ de manibus Subcollectorum.*
11 *Jurisdictio in Subcollectoribus est necessaria contra debitores Decimarum.*
12 *Censuras fulminare possunt Subcollectores Decimarum in Statu Veneto.*
13 *Jurisdictio est necessaria ad fulminandas Censuras.*
14 *Unicitas in Subcollectore est necessaria, ut ejus beneficia sint reservata.*
15 *Dignitate in Ecclesiastica debent esse Subcollectores.*
16 *Delegatus Apostolicus esse non potest, qui non est in Dignitate.*
17 *Parochus simplex non est in Ecclesiastica Dignitate constitutus.*
18 *Parochorum beneficia, etsi Subcollectorum, non sunt reservata.*
19 *Præpositura SS. Trinitatis de Padua ex persona Auctoris est Papæ reservata.*
20 *Vicarius Generalis Episcopi dicitur esse in Dignitate Ecclesiastica.*
21 *Dignitates tres Præposituræles in Collegio Parochorum Paduæ.*
22 *Præpositura SS. Trinitatis de Padua prærogativæ, & Dignitas.* Et num. 24.
23 *Præpositus prædictus fuit Judex Delegatus Apostolicus à Leone X. Anno* 1509.
25 *Præpositura SS. Trinitatis de Padua nunc est duplici reservatione affecta.*
26 *Urbani VIII. Const.* 288. *probibens Cardinalibus Indultariis conferre beneficia duplici reservatione affecta.*
27 *Auctoris nominatio in Subcollectorem Decimarum Anno* 1690.
28 *Ejusdem deputatio in Subcollectorem.*
29 *Ipsius acceptatio Subcollectoriæ Decimarum, & Subsidiorum.*

DEcedente quodam Parocho Diæcesis Adriensis, *die* 30. *Augusti Anni* 1689. vacante tunc Apostolica Sede per obitum Sanctæ memoriæ Innocentii Papæ XI. qui *die* 12. *ejusdem Mensis* de hac vita ad immor-
1 talem expiraverat, ut notat Palatius *in Gestis Pontific. Roman. vol.* 5. ad Vitam ejusdem Innoc. XI. *in Annot. pag.* 77. quia prædictus Parochus erat Subcollector Decimarum Papalium in ea Diæcesi, Serenissimo Dominio Veneto, in subsidium contra Turcas, super fructibus Ecclesiasticis à Summo Pontifice concessarum, dubitare contigit, an Illustrissimus, ac Reverendissimus Labia Episcopus Adriensis posset Parochialem illam, prævio concursu, conferre? vel an esset reservata Apostolicæ Sedi, tùm ratione Mensis Augusti, in quo vacaverat, tùm respectu Subcollectoriæ, quam antedictus Parochus exercebat? siquidem ex utroque respectu videbatur expectandus novus Papa Successor, cui Ordinarius deberet insinuare quem præelegisset in concursu; ut præelectus ab eodem Papa Ecclesiam illam tanquam reservatam obtineret, & interim Ordinarius non se ingereret in ejus collatione? Respondi

Quòd ad primum respectum vacationis in Mense Augusto, qui Apostolicus est, nullam adesse reservationem, attenta morte Summi Pontificis præceden-
2 te, per quam sublatum erat obstaculum reservationis ex *Regul.* 9. Mensium Cancellariæ Apostolicæ; ipsa enim *Regul.* 9. cessat per obitum Pontificis, & Ordinarii possunt liberè conferre omnia beneficia subindè vacantia in quocunque Mense usque ad electionem novi Pontificis, ut docet Antonellus *de Tempore Legali lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 44 *& seqq.* Rota *part.* 18. *recent. decis.* 635. *num* 10. *part.* 19. *decis.* 121. *num.* 8. & *in Palentina Canonicatus* 14. *Martii* 1698. coram R P. D. Pio, quæ est impressa post eundem Antonellum *de Jurib. & onerib. Clericor. Decis.* 23. *num.* 4. & 5. ubi tamen advertit, quod provi-
3 sio debet fieri per Ordinarium antequam sit creatus novus Papa; aliàs si post ejus creationem dilata sit provisio, fieri ampliùs non potest per ipsum Ordinarium, quia statim Papa renovat Regulas Cancellariæ, & sibi reservat non solùm beneficia de cætero vacatura; sed quæ antea vacaverant, & de eis non
4 fuit facta provisio, ut legitur *in Reg.* 68. cujus talis est tenor; *Item. S. D. N. providè considerans, consuevisse quandoque Romanos Pontifices Prædecessores suos beneficia, quæ vacante Sede Apostolica vacare contigerant, dispositioni suæ reservare, intendens de beneficiis hujusmodi, tàm Conclavistis, quàm pauperibus Clericis, & aliis benemeritis personis providere; omnia, & singula beneficia per Regulas Cancellariæ Apostolicæ, aut quaslibet alias Apostolicas Constitutiones temporales Romani Pontificis pro tempore existentis dispositioni quomodolibet, & ex quavis causa reservari solita, quæ à die obitus fel. rec. Innocentii XI. Prædecessoris sui, usque ad diem* 6. *Octobris vacaverunt, & de quibus per quoscunque Ordinarios Collatores tunc dispositum non fuerat, seu minùs validè dispositum fuerat, suæ provi-*

Digitized by Google

sioni, ac dispositioni reservavit. Decernens irritum, &c. Igitur supposita diligenti sollicitudine Ordinarii Adriensis in conferenda prædicta Parochiali, adhuc Apo-
5 stolica Sede vacante, & antequam ad illam sublevaretur Alexander VIII. qui fuit creatus Papa *die* 6. *Octobris eodem Anno* 1689. tota dubitatio reducebatur ad secundum respectum, videlicet ad respondendum, an Subcollectoria, qua potiebatur ipse Parochus defunctus in Diæcesi Adriensi, fecisset eandem suam Ecclesiam Summo Pontifici reservatam? quia si reservatio jam fuisset inducta, quamvis Ecclesia vacasset, Sede Apostolicâ vacante, remansisset reservata futuro Pontifici, & in dispositione illius Ec-
6 clesiæ Ordinarius se ingerere non posset, ut firmant DD. quos citat, & sequitur Barbosa *de Jure Eccl. Univ. lib.*3. *cap.*13 *num.*98. & Rota *in Adrien. Archidiaconatus* 5. *Decembris* 1625. coram R. P. D. Merlino, quæ inter ejus impressas est *Decis.* 192. *num.*7. *&* 8. ubi reddit rationem hujusmodi diversitatis, scilicet quia reservatio ex Subcollectoria non oritur tempore mortis Subcollectoris, quo Regulæ Cancellariæ per obitum Papæ sunt extinctæ, sed insita fuit beneficio ab initio, quando beneficiatus fuit factus Subcollector, ideò beneficium semel reservatum, seu affectum Papæ semper durat tale, donec à futuro Pontifice conferatur, ut DD. per Rotam *d. decis.* 192. *num.*8. citati.

Igitur ad cognoscendum an, quando obiit Subcollector antedictus, ejus Parochialis Ecclesia esset reservata, nec ne? dixi, quatuor requisita desiderari à
7 DD. beneficialistis, eaque à Rotalibus Decisionibus per illos colligi; videlicet. 1. Ut Decimæ, seu Subsidia imponantur à Papa. 2. Ut Subcollector deputetur cum omnimoda Jurisdictione super earum Decimarum, vel subsidiorum Papalium exactione. 3. Ut ipse Subcollector sit unicus, nec habeat alios socios in hoc ministerio. Et 4. ut ipse sit in Dignitate Ecclesiastica de jure constitutus. Hæc quatuor requisita si in Subcollectore concurrant, ejus beneficia sunt affecta, ac reservata Apostolicæ Sedi per *Reg.* 5. *Cancellariæ*, quæ olim erat *quarta*; & quæ ita loquitur. *V.*
8 *Item reservavit generaliter omnia, & singula beneficia Ecclesiastica quorumcunque Collectorum, & Unicorum in quacunque Civitate, vel Diæcesi, qui suo tempore officia exercuerint, Subcollectorum fructuum, & proventuum Cameræ Apostolicæ debitorum; illa videlicèt beneficia duntaxat, quæ durante eorum Officio obtinebant, & in quibus, seu ad quæ jus eis competebat. Decernens irritum &c.* Itaque

Primum requisitum est, ut Decimæ, seu Subsidia, ad quorum exactionem Subcollector deputatur, sint imposita à Papa: nam quamvis olim disceptarent DD. an necesse sit, ut ipsæ Decimæ deferantur ad Cameram Apostolicam, ad hoc ut beneficia Collectorum, & Subcollectorum censeantur reservata? ve-
9 rior tamen opinio eorum fuit, satis esse, si per Papam concedantur Imperatori, vel Reipublicæ in subsidium contra infideles, quamvis non intrent in Apostolicam Cameram; sed immediatè è manibus Collectorum, ac Subcollectorum transeant in manus Principis, cui sunt concessæ, ut disserit Mandosius *ad Reg.* 4. *Cancell.* ubi probat, Papam de jure esse dominum omnium beneficiorum, & eorum fructus ad suam Cameram spectare; vicem verò Cameræ Apostolicæ gerere Collectores, ab eodem Papa deputatos, & Subcollectores per ipsos de mandato ejusdem Papæ electos; quatenùs illis Summus Pontifex committit, ut pecuniam ex iisdem Decimis, seu Subsidiis colligendam in quacunque Diæcesi, tanquam ad suam Apostolicam Cameram spectantem consignent publico ærario illius Monarchæ, cui illam Papa elargitur, insumendam in defensione populorum fidelium contra Turcas, aut alios hostes Ecclesiæ; & hanc opinionem Mandosii, præter DD. quos ipse allegat *d. q.*6. *ad Reg.*4. *Cancellar.* approbat Simonetta *de Reservat. q.* 33. *num.* 3. & tanquam veram, & certam admittit Rota coram Coccino *in Asten. Canonicatus, & Præben.* 27. *Junii* 1616. quæ legitur *part.*1. *recent. decis.*715. *num.*7. & coram Dunozetto *in Licien. Canonicatus* 19. *Februarii* 1629. impressa *part.*5. *recent. decis.* 255. *num.*9. *tom.* 1. Idcircò hoc primum requisitum verificari in Collectoribus, ac Subcollectoribus Decimarum, & Subsidiorum Papalium, per Summum Pontificem Serenissimæ Reipublicæ Venetæ concessorum, non est ambigendum;
10 quia licèt pecunia ex iisdem collecta non deferatur Romam ad Apostolicam Cameram; brevitatis causa, & ad evitandos circuitus censetur ad ipsam Cameram spectare, & ab eâ transmitti in capsas publicas hujus Serenissimi Dominii, operâ, & diligentiâ Apostolicorum Collectorum, & Subcollectorum, in quacunque Diæcesi deputatorum, quos Papa vult fungi officio Camerarii sui, & per manus ipsorum prædictam pecuniam sivè ex Decimis, sivè ex Subsidiis per eundem Papam impositis, collectam Serenissimo Dominio, ejusque Publicis Ministris consignari; prout ita fieri notum est ubique.

Secundum requisitum est, ut ipsi Subcollectores deputentur cum omnimoda Jurisdictione, & auctoritate super possidentibus beneficia, ad eos compellendos, ac constringendos, ut solvant ratam, & quotam
11 eosdem tangentem circa Decimas Papales, ac Subsidia in tota Diæcesi; & de hoc necessario requisito, pro inducenda reservatione beneficiorum, quæ retinent Subcollectores, latè disserunt Bellenzin. *de Charitat. Subsid. q* 18. Garzias *de Benefic. part.* 5. *cap.*1. *num.*380. Mandosius *ad Reg* 4. *q.*11 *num.* 2. Loterius *lib.*2. *q.*32 *num.*154. Moneta *de Decimis cap.*9. *q.*5. *à num.*181. *& seqq* Castropalaus *Oper. Mor. tract.* 13. *disp.*2. *punct.*20. *num.*6. Rota coram Bichio *decis.*221. *num.* 13. *& seqq. & decis.* 299. *num.* 7. *& seqq.* novissimè pluribus aliis Decisionibus citatis eadem Rota *part.*18. *recent. decis.*262. *n.*4. & Emin. Card. de Luca *de Benefic. disc.*8. *num.*6. *& disc.*10. *num.*4. quibus omnibus in locis requiritur demandata Jurisdictio universalis Subcollectori in sua Diæcesi, ad inducendam beneficiorum per eum possessorum reservationem; quia si eidem detur nudum ministerium exigendi, seu recipiendi pecuniam à Clero, quale est illud, quod tenet exactor Dadiarum, sivè illarum receptor, aut Capserius, ejus beneficia non essent Papæ reservata, ut latè DD. ac Rota locis allegatis. Porrò hoc requisitum verificari in Subcollectoribus Decimarum, ac Subsidiorum Papalium in hoc Serenissimo Dominio Veneto patet manifestè ex capitulis, seu ordinibus typis impressis, quos Illustrissimi, ac Reverendissimi Nuncius Apostolicus, ac Patriarcha Venetiarum Collectores primarii demandant iisdem Subcollectoribus, dum ipsis committunt publicationem, ac exactionem Decimarum, ac Subsidiorum noviter per Papam concessorum: in iisdem enim or-
12 dinibus *num.*8. post monita, quæ dantur, procedendi per sequestra, & reales executiones contra beneficiarios debitores contumaces, subditur: *Et se si trovasse alcuno talmente pertinace, che non stimando ne anco la giustizia, volesse essere renitente al pagamento, & ad ogni esecutione, li Succollettori procederanno contro questi tali all'Interdetto delle Chiese, & Monasterii loro, & alla dichiaratione, & publicatione delle suspensioni, & altre Censure, & finalmente anco all'Escommunicatione comminatali nel Monitorio di Sue Signorie Illustrissime, con li termini però necessarii, & destrezza, prudenza, e provision tale, che i Popoli non habbino à patire in Divinis, e non succedi qualche grave scandalo.* Nemo est, etsi valdè rudis, qui ignoret, ad procedendum per viam censurarum Ecclesiasticarum contra debitores, in forma judiciali, & Juris terminis servatis, opus esse Jurisdictione Ecclesiasticâ, & quod sine illâ sivè ordi-
13 nariâ, sivè delegatâ Excommunicatio, Suspensio, & Inter-

Digitized by Google

& Interdictum fulminari non potest; *cap. A nobis.* il primo, & ibi Card. Abb. Ancharan. Butrius, & alii scribentes. *De Sent. Excommun. cap. Quaesivit. ubi* Fagnanus. *De His, quae fiunt à majori parte capit.* Igitur cum Subcollectores Decimarum, ac Subsidiorum Papalium in hoc Serenissimo Veneto Dominio habeant facultatem fulminandi Censuras contra morosos debitores, sequitur in eosdem esse illis delegatam omnimodam Jurisdictionem à Papa, mediante eorum electione, ac deputatione per Illustrissimos, ac Reverendissimos Collectores facta; prout legitur in Litteris Apostolicis concessionis earundem Decimarum, ac Subsidiorum; in quibus Summus Pontifex jubet, exigendas esse Decimas, ac respectivè Subsidia antedicta ab omnibus beneficiorum possessoribus, & ad ipsam solutionem faciendam etiam per Censuras Ecclesiasticas esse procedendum.

Tertium requisitum necessarium in Subcollectore, ut ejus beneficia sint Papae reservata, est, quod ille sit unicus in quacunque Diaecesi, ut expressè habe-
14 tur *in d. Reg. 5. Cancellar.* ibi: *& unicorum in quacunque Civitate, vel Diaecesi, qui suo tempore officia exercuerint, Subcollectorum.* De quo requisito plenè tractant Gonzalez *gloss. 43. num. 197. & gloss. 51. num. 73. & seqq.* Garzias *part. 5. cap. 1. num. 375.* Barbosa *de Episc. alleg. 57. à num. 117. & seqq.* Rota coram Durano *Decis. 233. num. 19.* coram Dunozetto *decis. 5.* coram Card. Cavalerio *decis. 16. num. 1.* nec non eadem Rota *part. 5. recent. decis. 261. n. 10. & part. 15. recent. decis. 329. n. 1.* novissimè Emin. Card. de Luca *d. tract. de Benefic. disc. 8. 9. & 10.* in quibus reddit rationem hujus requisitae unicitatis in Subcollectoribus; ne scilicet ubi pluralitas non officeret, confusio oriretur, & lamentatio Ordinariorum; à quorum dispositione ferè omnia beneficia possent auferri, quatenùs Collectores generales possent in quacunque Civitate, ac Diaecesi plurimos Subcollectores constituere. Hoc requisitum in his regionibus servatur illaesum, nec ejus causâ audiuntur disceptationes; unici enim sunt Subcollectores in qualibet Diaecesi, & tantummodò in Regno Neapolitano ortae leguntur controversiae, cum ibi dentur Subcollectores tùm Decimarum Papalium, quàm Spoliorum, de quibus ortae sunt Decisiones Rotales supra recensitae, ac aliae multae congestae per Rotam in hac materia magistralem *part. 11. recent. Decis. 155. num. 13.*

Quartum tandem requisitum est, ut is, qui deputatur in Subcollectorem, sit in dignitate Ecclesiastica constitutus; cum enim ei deleganda sit omnimoda Jurisdictio Apostolicae Sedis, pro beneficiatis om-
15 nibus coercendis ad solvendum Decimas, & Subsidia, non solùm per reales executiones, sed etiam per Ecclesiasticas censuras, ut supra demonstratum est, hujusmodae delegatae Jurisdictionis non est capax, qui in Ecclesiastica Dignitate non est constitutus, juxta textum *in cap. Statutum. §. Sancimus. de Rescript.*
16 *in 6.* Bellencin. *in tract. de Charitat. Subsidio q. 108. num. 1.* Gonzalez *d. Gloss. 51. n. 79.* Garzias *d. part. 5. cap. 1. num. 385.* Castropalus *d. tom. 2. tract. 13. disp. 2. punct. 10. num. 3.* & Barbosa *de Episc. d. alleg. 57. num. 126*; ubi ita scribit: *Septimò notandum, quod cum Subcollector sit Delegatus Apostolicus, & jurisdictionem habeat, debet saltem esse persona qualificata, nempè Canonicus Ecclesiae Cathedralis, vel aliàs in Dignitate Ecclesiastica constitutus tempore deputationis, quamvis postea desinat esse ex Glossa in cap. Statutum. Verb. Cathalogus. ad fin. de Rescript. in 6. aliàs deputatio erit nulla, & reservatio cessabit.* Quod in praecisis terminis decisum est à Rota coram Emin. Cerro *in Calaguritana Archidiaconatus 4. Februarii 1669.* quae inter impressas Eminentiae suae est *Decis. 933.* & hoc advertit etiam Emin. Card. de Luca *de Benefic. d. disc. 9. num. 4.*

Ex combinatione quatuor horum requisitorum, deveniendo ad resolutionem Discordiae praesentis, Utrùm illius Parochi defuncti in Diaecesi Adrien. qui fuerat Subcollector Decimarum, beneficium fuerit reservatum Papae, ac Sedi Apostolicae affectum? Respondi negativè: siquidem, in eo deficiebat secundum, & quartum requisitum, quia simplex Paro-
17 chus non est in Dignitate Ecclesiastica constitutus; & quamvis de facto eidem concessa fuerit Subcollectoria, non potuit ei impertiri Jurisdictio Apostolica, cujus non erat capax; adeò ut collatum ipsi fuerit nudum ministerium exigendi, seu solutionem Decimarum procurandi; & in eo se gesserit tanquam simplex organum, ac Instrumentum Collectorum, ut differit idem Emin. Card. de Luca *de Benefic. disc. 10. à num. 12.* sicque extra omne dubium potuit Ordinarius Adriensis conferre praedictam Parochialem, omni reservatione circa illam penitùs cessante; nempè tàm illâ *ex Reg. 9. Cancell.* respectu Mensis Augusti, quia tunc Papa erat mortuus, Sedes Apostolica vacabat, & *Regula 9.* jacebat extincta; quam illâ *ex Reg. 5. ejusdem Cancell.* quia Parochus praedictus cum in Dignitate Ecclesiastica non esset constitutus, non habuerat plenam Jurisdictionem pro exigendis Decimis, ac Subsidiis Papalibus, quamvis nomen Subcollectoris obtinuisset; & deficiente Ju-
18 risdictione, ac qualitate Ecclesiasticae Dignitatis non concurrente, non intrat reservatio Beneficiorum, quae à Subcollectoribus solius nominis possidentur, ut plenè per dictam Rotam coram Eminentiss. Cerro *d. Decis. 933.* Gonzalez, Barbosam, Emin. de Luca, & alios DD. supra allegatos.

Ex his deducere, ac notare me delectat, Praepositurам tituli Sanctissimae Trinitatis de Padua, quam
19 ego *ab Anno 1673. citra*, etsi indignus possideo, esse Apostolicae Sedi reservatam; cum ego sim Subcollector Decimarum, ac Subsidiorum Papalium, Serenissimae Reipublicae Venetae concessarum in hac nobilissima Urbe Antenorea, & amplissima Diaecesi Patavina, ab Anno 1690. citra, unicus, & cum omnimoda Jurisdictione ejusdem Apostolicae Sedis, etiam fulminandi Censuras contra debitores morosos, & contumaces; & fui electus ab Eminentissimo Episcopo Patavino, atque confirmatus ab Illustrissimis, ac Reverendissimis Nuntio Apostolico Venetiarum, ac Patriarchis Collectoribus prout ex sequentibus eorum Litteris patentibus ad nominationem Eminentissimi, ac Reverendissimi f. m. Gregorii Cardinalis Barbadici Episcopi Patavini, cum ego tunc essem in Dignitate Ecclesiastica constitutus, tùm quia eram Eminentiae suae Vicarius Ge-
20 neralis, qui de Jure est Dignitas. Sbrozzius *de Offic. Vicar. lib. 2. quaest. 22. à num. 1. & seqq.* ubi innumeros DD. cumulat. *& quaest. 23. num. 2.* ubi infert, quod hac attentâ Dignitate potest esse Delegatus Sedis Apostolicae; tùm etiam quia Praepositura Sanctissimae Trinitatis ab immemorabili tempore est Dignitas in Collegio Parochorum Paduae, simul cum aliis duabus Praeposituris, scilicet Sanctae Sophiae,
21 ac Sancti Andreae, quae pariter sunt Dignitates, & antiquitùs hi omnes Praepositi habebant Votum unâ cum Canonicis Ecclesiae Cathedralis Paduae, & Abbate Casinensi Monasterii Sanctae Justinae in electione Episcoporum Patavinorum, ut ex Portenario *Hist. Patav. lib. 9. cap. 22.* & aliis. Hinc mea Praepositura habet secundum stallum, & locum super
22 alios Parochos semper fixum, ac iisdem praecedit in omnibus Ecclesiasticis functionibus, Processionibus, atque Capitulis; & in Vesperis, ac Missis solemnibus praedicti tres Praepositi duplici ductu Thuribuli incensantur; & in specie Praepositus Sanctissimae Trinitatis *de Anno 1522.* qui tunc erat R. D. Angelus Bonatus, fuit Judex Apostolicus Delegatus à Summo Pontifice Leone X. in quadam causa Pensionis,
23 ut constat ex ipsius Breve registrato in Actibus quondam spect. Dom. Vincentii Jasonis Publici Notarii Patavini existentibus in Archivio Cancellariae Magnificae

Digitized by Google

gnificæ Civitatis Paduæ; quapropter supradictis omnibus attentis, nullus inficiari potest, Præposituram
24 meam esse Dignitatem juxta doctrinam Massobrii *in Praxi habendi concurs. Prælud.* 15. *num.* 11. *& ibid. dub.* 1. *n.* 2. Barbosæ *de Jure Eccl. Univ. lib.* 1. *cap.* 28. *num.* 18. *&* 19. & Tonduti *Resol. Benef. part.* 2. *cap.* 3. §. 11. *num.* 7. & per consequens esse Reservatam Summo Pontifici duplici sanè reservatione; unâ scilicèt ex Subcollectoria, quam exerceo *ex Reg.* 5. *Can-*
25 *cell.* & alterâ ex familiaritate, quàm habui, mente, & dente, cum Eminentiss. & Reverendiss. Cardinali Episcopo Patavino supranominato Annis 20. continuis antequam essem ejus Vicarius Generalis; fungens tunc ministerio Secretarii, & Præfecti Litterarum totius Diæcesis Patavinæ cum nomine Auditoris; ex qua familiaritate, & commensalitate oritur secunda reservatio *ex Reg.* 32. *&* 33. *ejusdem Cancell. Apostolicæ*, adeòut neque Ordinarius Cardinalis vigore sui Indulti, hac duplici reservatione personali concurrente, possit de hac Præpositura disponere,
26 cum hoc sit prohibitum Cardinalibus Indultariis ab Urbano Papa VIII. *in sua Constit.* 288. Incipien. *Quamvis &c.* publicata 15. *Julii* 1642. ut pluries decisum est à Rota Romana; & præcipuè *part.* 9. *recent. decis.* 350. Item *part.* 11. *recent. decis.* 155. nec non *part.* 13. *recent. Decis.* 266. prout etiam coram Dunozetto *Decis.* 632. novissimè eadem Rota coram R. P. D. Rondinino *in Neapolitana Beneficii die Lunæ* 18. *Martii* 1675. impressa apud Novarium *post Summ. Bullar. decis.* 32. ubi *n.* 4. aliæ Decisiones, ac DD. citantur, inter quos Emin. Card. de Luca *de Benefic. disc.* 3. *num.* 8.

Sequuntur Litteræ, quibus ego fui nominatus, ac deputatus Subcollector Apostolicus Decimarum, ac Subsidiorum.

A gl'Illustriss. & Reverendiss. Signori. Li Signori Collettori delle Decime, e Sussidii. Venezia.

Illustrissimi, & Reverendissimi Signori.

ESsendo passato à migliore vita il Signor Preposito Mantovani, che era Succollettore delle Deci-
27 me, e Sussidii in questa Città, e Diocese di Padova; hò eletto à questa carica il Signor Preposito Giovanni Chiericato mio Vicario Generale; delle di cui Virtù, integrità, e degne conditioni per lunga esperienza tengo le più concludenti prove. Lo rappresento perciò à VV. SS. Illustrissime, assicurandole, che il Publico Servitio riporterà nella riscossione ogni avantaggio maggiore per la sollecitudine, e diligenza di questo Soggetto; e resto

Di VV. SS. Illustrissime

Padova 17. Decembris 1690

Servitore Vero
G. Cardinale Barbarigo &c.

Al Molto Rev. Signor come Fratello Il Sig. D. Giovanni Chiericato Preposito Vicario Episcopale, e Succollettore delle Decime, e Sussidii del Clero di Padova.

Molto Rev. Sig. come Fratello.

STante la nominatione, e testimonianza fattaci dal suo Eminentissimo Ordinario della di lei persona in Succollettore delle Decime, e Sussidii del Clero
28 di cotesta Diocese per la morte del Signor Alessandro Preposito Mantovani; deputiamo, & approviamo Voi Signor Preposito Giovanni Chiericato per Succollettore di dette Decime, e Sussidii: avertendola, che sicome Noi siamo stati pronti alla confermatione di detta carica nella sua Persona, così debba rendere autenticate le prove d'un diligente Ministerio verso il Publico Servitio, con procurare la più celere esazione possibile da tutti cotesti Ecclesiastici indifferentemente conforme, che sono descritti nelli Libri d'esse Decime, e Sussidii da consegnarsegli: eccettuati però gl'inserti ne i Brevi di Sua Santità, facendo fare à tempo opportuno li Sequestri sopra li frutti di cadauno debitore con altre esecutioni più stringenti contro chi si rendesse più renitente, in conformità, à punto de gl'Ordini di detta esazione. Commettendole espressamente, che non debba essere alterata, nè tampoco diminuita alcuna partita: mà bensì in caso d'incontro difficultoso, ò pretesa di esenzione darci immediatè aviso, perche vi sii applicato conveniente rimedio: il che non esequendosi, si passerà alle dovute deliberationi. Piglierà dunque V. S. li Libri, e Scritture appartenenti ad essa esazione di Decime, e Sussidii, per darne conto in ogni occorrenza, e della ricevuta delle presenti ci porterà la notitia, con che le auguriamo ogni bene.

Venetia 19. Decembre 1690.

Giuseppe Arcivescovo di Tessalonica Nunzio Apostolico Collettore.
Gio: Patriarca di Venetia Collettore.
Daniello Vescovo di Filadelfia, & Eletto d'Aquileia Collettore.

D. Antonio Politi Nodaro, e Succollettore Gener. delle Decime del Clero del Serenissimo Dominio Veneto.

A gl'Illustrissimi, e Reverendissimi Signori, Signor Patroni Colendissimi, li Signori Collettori delle Decime, e Sussidii del Clero in Venetia.

Illustrissimi, e Reverendissimi Signori, Signori Patroni Colendissimi.

RIcevo le humanissime Lettere di VV. SS. Illustrissime, & Reverendissime, con le quali si sono compiaciute deputarmi, & approvarmi per Suc-
29 collettore delle Decime, e Sussidii del Clero di questa Diocese; Stante la nominatione, e testimonianza del mio Eminentissimo Ordinario; e si come porto à VV. SS. Illustrissime, e Reverendissime un' humilissimo rendimento di gratie, così alle medesime attesto, che sarà sempre sollecita la mia diligenza nell'esercizio di questo Ministerio verso il Publico Servizio, e pontuale la mia attentione nell'osservanza de gl'Ordini, che mi prescrivono: e qui à VV. SS. Illustrime, e Reverendissime fò profondissima riverenza.

Di Padova 20. Decembre 1690.

Di VV. SS. Illustrissime, & Reverendissime.
Humiliss. Devotiss. Obligatiss. Servitore
Giovanni Chiericato.

DISCORDIA XXXIX.

ARGUMENTUM.

Parochialem Ecclesiam, per duos Parochos solitam gubernari, dividi posse ab Episcopo in duas æquales portiones ex decreto Tridentini Concilii, & triplici ratione Allegorica, Tropologica, & Politica demonstratur.

SUMMARIUM.

1 *Conelianum oppidum in Marchia Tarvisina sub ditione Veneta.*

Cone-

Digitized by Google

2 Conc. Trid. sess. 24. de Ref. cap. 13. decretum, ut unicuique Parochiæ unus Parochus deputetur.
3 Parochi duo in una Parochia non sunt permittendi.
4 Conjugium Spirituale est ex allegoria inter Parochum, & Ecclesiam.
5 Parochiale Jus est individuum.
6 Parochi duo ubi regunt unam Parochiam, Jus Parochiale non est apud ipsos, sed apud aliquem Superiorem.
7 Pluralitas Parochorum in una, eademque Ecclesia est Sacris Canonibus contraria.
8 Ratio Tropologica, ut unus tantùm sit Parochus in quacunque Parochia.
9 Naturale vitium est negligere, quod communiter possidetur.
10 Ratio Politica ejusdem unicitatis Parochi in omni Parochia.
11 S. Hieronymi sententia de Parochi unicitate.
12 Rectores Ecclesiæ, pro ejus divisione, citandi priùs, & audiendi.
13 Edicto citandi omnes sua interesse putantes in dividenda Parochiæ.
14 Æqualitas servanda in partitione Curæ.
15 Prærogativa, & Jurisdictio non est pretio æstimabilis.
16 Sepulturam sibi quisque potest eligere in quacunque Parochia.

JUre, & ratione Illustrissimus, ac Reverendissimus Petrus Leonius Episcopus Cenetensis devenire potest ad divisionem Curæ animarum, quæ per duos
1 Parochos exercetur promiscuè in Oppido Coneliani, existente in Marchia Tarvisina juxta amnem Muttecam, distante à Ceneta Urbe sex milliaribus, ut scribit Ferrarius *in Lexic. Geographic. Verb. Cogienses*; assignando utrique Parocho proprias familias, & Parochianos, quos quilibet eorum regat in duabus distinctis Ecclesiis, una scilicèt extra oppidum, alia verò intra, juxta supplicationem, & instantiam illius Communitatis.

Jus resultat irrefragabile ex Sacro Concilio Tridentino *sess. 24. de Ref. cap. 13.* ita præcipiente, ac decernente: *In iis quoque Civitatibus, ac locis, ubi Paro-*
2 *chiales Ecclesiæ certos non habent fines, nec earum Rectores proprium populum, quem regant; sed promiscuè petentibus Sacramenta administrant; mandat Sancta Synodus Episcopis, pro tutiori animarum eis commissarum Salute, ut distincto populo in certas, propriasque Parochias, unicuique suum perpetuum, peculiaremque Parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, & à quo solo licitè Sacramenta suscipiant.* Et quod hoc Conciliare præceptum, ac Decretum verificetur, & locum habeat in divisione curæ Animarum, quæ per duos Parochos solita fuerit in com-
3 muni exerceri, testatur Rota *in Una Novarien. divisionis Parochialium 7. Aprilis* 1661. coram Verospio, quæ est impressa *in part. 13. recent. Decis.* 312. Et coram Eminentissimo Celso *in una Mediolanen. Parochialis 15. Junii* 1663. quæ habetur inter illas, typis datas ab Eminentia sua, *Decis.* 403. & in terminis docent Barbosa *de Jure Eccl. Univ. libr. 1. cap. 20. num. 22.* Ugolinus *de Offic. & pot. Episc. cap. 54. §. 2.* Piasecius *in Praxi Episc. part. 2. cap. 3. art. 3. num. 2.* Zerola *part. 1. Verb. Parochia num. 4. & Verb. Parochus. Vers. 3.* Et Gonzalez *ad Reg. 8. Cancell. gloss. 6. num. 37.*

Ratio autem dictæ divisionis faciendæ est triplex, Allegorica, Tropologica, & Politica. Ratio Allegorica in eo consistit, quod Jus Parochiale mysticè
4 repræsentat Spirituale conjugium inter Parochum, & Ecclesiam. *Cap. Sicut in unaquaque. 21. q. 2. cap. Cum non ignores. De Præbend.* & ideò sicut in carnali Matrimonio una Sponsa Sponsos duos eodem tempore habere non potest. *cap. 1. de Sponsa duor.* idem dicendum est in Spirituali. Probus *in addit.* ad Jo. Monach. *in cap. Super eo. num. 20. de Præbend. in 6.* Loterius *de Re benefic. libr. 1. q. 20. num. 63.* ubi firmat, singulas Parochias singulis Presbyteris esse assignandas, explosâ omni eorum pluralitate, veluti repugnante Legi legitimi conjugii inter Sponsum, & Sponsam: *& num. 110.* subdit, Jus Paro-
5 chialitatis esse individuum, & perpetuò repugnare pluralitati Rectorum; esseque durum, & difficile intellectu, quod in aliquibus Ecclesiis per plures Rectores cura Animarum exerceatur; ideò ad apices Juris confugit, nitens ostendere unicitatem Parochi posse intelligi vel naturaliter, vel civiliter; jusque Parochiæ vel considerari in Jurisdictione, vel in exercitio; sivè vel in habitu, vel in actu; & sub his distinctionibus, ait, salvari posse Spirituale conjugium; quia ubi plures sunt Rectores in una Parochia, non residet in eis Jus, & titulus Parochiæ, sed in aliquo Superiore, à quo dependent; seu no-
6 minantur; & si nullus alius Superior intercedat, in ipsomet Episcopo, qui curam totius Diœcesis in se habere dicitur. Rota *part. 6. rec. Decis. 234. num. 64.* adeò ut Jus habituale existat in Episcopo, actus verò, & exercitium Curæ apud Polygamos Rectores. Porrò omnes Canonistæ testantur, dissonam esse
7 Parochorum pluralitatem in una Ecclesia à mente Sacrorum Canonum, & rem esse monstruosam; quippè duo sunt capita in uno corpore. *cap. Quoniam in plerisque. De Offic. Ordin.* Probus *ubi supr. num. 20. in fin.* Oldrad. *consf. 67.* Felinus *in cap. In nostro in Corollar. 10. De Rescript.* Rebuffus *in Praxi in Rubric. de non promoto intra annum. num. 64.* Gonzalez *d. Gloss. 6. num. 45.* Rota apud Murgam *de Parocho Decis. 1. num. 4.* quæ etiam refertur à Viviano *de Jurepatron. libr. 2. cap. 7. num. 22.* Idcircò has doctrinas applicando ad casum nostrum, maximè convenit, prævia divisione Curæ, de qua agitur; certum, peculiaremque Rectorem in unaquaque Ecclesia, juxta Decretum Concilii Tridentini constituere.

Ratio Tropologica illa est, quæ respicit Spiritualem utilitatem Parochianorum, quorum magis interest habere unum peculiarem Rectorem, anima-
8 bus suis prodesse studentem, quàm duos de earum salute parùm curantes; certum est enim ex Aristotele *2. Polit. cap. 2.* Quæ communia sunt, negligentiùs curari; & docet experientia hoc idem, quæ efficax rerum magistra. *cap. Quàm sit. De Elect. in 6.* siquidem pluralitas Rectorum ut plurimùm officit, dum unus confidit de alio; & alius de uno, ut populum instruat, Sacramenta ei præbeat, infirmos visitet, & alia Pastoris munia expleat; & tamen uterque minùs sollicitus in his obligationibus ad im-
9 plendis evadit, quia naturale vitium est negligere, quod communiter possidetur. *l. Meminimus. C. Quando, & quib. quarta pars deb. libr. 10.* Berous *consf. 22. num. 25. libr. 2.* Gratian. *Discept. Forens. cap 905. num. 17.* Et hac de causa in Concilio Rhemensi statutum fuerat, ut quælibet Ecclesia unum tantummodò haberet Sacerdotem, qui illam castè, & sincerè regeret, ut habetur in *supracitat. cap. Sicut in unaquaque 21. q. 2.* pluralitas enim, & variatio Rectorum nociva est Ecclesiis. *Clem. Unica. De Renunciat.*

Politica tandem ratio concernit tranquillitatem eorundem Rectorum, qui curam animarum promiscuè gerentes, frequenter in discordias cadunt; quia
10 administratio communis excitat contentiones. *l. Cum pater. §. Dulcissimis ff. De Legat. 2.* Philipp. Matthejus *de Reg. Jur. in l. 84. num. 6.* Glossa *in cap. 1. in Verb. dissolveretur Religio. Ne Sede Vacante, & in cap. Nullum. in Verb. in mutuam 17. q. 4.* Fagnanus *in cap. Ex parte. num. 15. de Offic. Vicar.* Hinc ad eas evitandas efficax remedium est Curæ divisio, & unius Rectoris constitutio in unaquaque Ecclesia, ut expressè advertit Rota *in supracit. Decis. 403.* coram

Digitized by Google

ram Emin. Celso *num.* 6. difficile enim est concordiam servare, ubi duo æquales se habent in administratione Sacramentorum, prædicatione Verbi Dei, & emolumentorum perceptione; unde eleganter scri-
11 psit S. Hieronymus ad Rusticum Monachum, *Epist.* 4. relata *in cap. In apibus*. 7. *q.* 1. *In apibus Princeps unus est; grues unam sequuntur ordine litterario; Imperator unus, Judex unus Provinciæ; Roma, ut condita est, duos fratres simul habere Reges non potuit. In Rebeccæ utero Esau, & Jacob bella gesserunt; singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli Archipresbyteri, singuli Archidiaconi, & omnis ordo Ecclesiasticus suis Rectoribus nititur.* Quare absque ulla hæsitatione affirmandum venit, posse Illustrissimum, ac Reverendissimum Ordinarium Cenetensem, Jure, & ratione ad supradictam divisionem Parochiæ devenire.

Cæterùm duo sunt advertenda. Unum, quod requisitam à Jure Solemnitatem non prætermittat; quæ consistit in citandis iisdem Rectoribus, ad hoc
12 ut si quid allegare velint in contrarium, id faciant, nec non in vocandis per affixionem Edicti omnibus, & singulis sua interesse putantibus, ad dicendum quidquid voluerint circa dictam divisionem, antequam
13 illam decernat; & hoc ne Decretum divisionis, etsi justissimum in meritis, nullitatis vitio subjaceat in ordine, ut legitur in Rota *Decis.* 68. *part.* 7. *recent.* & in præallegata *Decis.* 403. *num.* 2. & 3. coram Emin. Celso.

Alterum advertendum est, ut in partitione Curæ æqualitatem sedulò ponderet, & ponderatam servet;
14 præcipuè ubi aliquis ex Rectoribus ipsis contradiceret, vel dissentiret; nam in præenarrata *Decis.* 313. *part.* 3. *recent.* Rota repræhensibilem dixit divisionem Parochialis tunc factam ab Episcopo Novariæ, qui uni Parocho assignaverat Familias centum octoginta tres, alteri verò tantummodo centum, & novem; quia cum uterque Parochus jus coequale obtineret, coæqualis pariter Familiarum divisio inter eos fieri debuerat *ex text. in cap.* 1. *de Parochiis*, cum ibi *not. à DD.* nec sufficiens fuit judicata compensatio per summam annuam Ducatorum novem, quos huic partem inferiorem habenti applicuerat; quia, inquit Rota, prærogativa, ac jurisdictio, uti
15 pretio inæstimabilis, compensationem in pecunia difficiliter admittit. Et eo majori studio æqualitas libranda venit, quo difficiliores solent esse Parochi in præstando consensu in his divisionibus; attento maxime jure localis sepulturæ, quo unus prædictorum Parochorum Coneliani carebit ex defectu cæmeterii, donec de eo provideatur: quamvis Rota *in eadem Decis.* 313. *num.* 12. *part.* 13. *recent.* videa-
16 tur hanc oppositionem spernere, subdens, quod unicuique licitum est in aliena Parochia sepulturam sibi eligere, relicta proprio Parocho Canonica portione; tantò magis quia hisce temporibus omnes Parochiani tumulantur in sepulturis effossis intùs Ecclesiam, & cessat necessitas absoluta Cæmeterii: quæ omnia attigisse sufficiant; cum eximia Illustrissimi, ac Reverendissimi Præsulis Cenetensis prudentia, qua mirificè pollet, in actu deliberationis super hac divisione omnes partes sui Pastoralis ministerii sit expletura.

DISCORDIA XL.

ARGUMENTUM.

Disputatur, An Indultum Eminentissimi Cardinalis Patriarchæ Aquilejensis, cui subjecti sunt, ex Privilegio Papæ, Canonici Veronenses, comprehendat eorum Canonicatus vacantes in Mensibus reservatis? Resolutio est negativa ob quatuor præcipuas rationes, quarum vigore eosdem Canonicatus ab Apostolica Sede esse conferendos ostenditur.

SUMMARIUM.

1 *Patriarcha Aquilejensis est etiam Ordinarius Canonicorum Veronæ*, & num. 15.
2 *Ejus Indultum Cardinalitium non comprehendit Canonicatus Cathedralis Veronæ.*
3 *Ipse, circumscripto Indulto, non habet collationem eorundem Canonicatuum.*
4 *Indultum Cardinalium non capit beneficia, ad eos aliàs non spectantia*, & num. 13.
5 *Indulta moderna Cardinalium sunt ampliora antiquis.*
6 *Urbani VIII. Constitutio 59. quod Capitula non gaudeant Indultis suorum Ordinariorum Cardinalium.*
7 *Constitutionis ejusdem expressio, quando Canonicatus sint comprehensi in Indulto.*
8 *Urbani VIII. Const. 60 quod Indulta Cardinalium non capiant beneficia reservata duarum Cathedralium, seu Diecæseon.*
9 *Indultum Cardinalitium comprehendit beneficia reservata unius tantùm Diœcesis.*
10 *Ratio est anima legis: & ubi eadem ratio est, ibi eadem Juris dispositio.*
11 *Episcopatus Cardinalitii Romæ contigui sunt compatibiles cum aliquo alio Episcopatu.*
12 *Exceptio firmat Regulam in contrarium.*
14 *Canonicatus de Jure sunt simultaneæ collationis, Episcopi, cum Capitulo.*
15 *Ordinarius verus Canonicorum Veronæ quis sit?*
16 *Ordinarius ut quis dici possit, quæ requisita sint necessaria?*
17 *Metropolitanus, citra casum Visitationis, exercere non potest Pontificalia, seu functiones Episcopales in Diœcesi suffraganei.*
18 *Sententia arbitraria Emin. Card. Delphini inter Episcopum Veronen. ex Una, & Capitulum ex alia de anno 1673.*
19 *Indultum Cardinalis Episcopi Patavini comprehendit Canonicatus illius Cathedralis.*
20 *Patavinus Episcopus est Ordinarius Capituli, & Canonicorum suæ Cathedralis.*
21 *Confirmatio Canonicatuum Cathedralis Paduæ ad Episcopum vigore Statutorum competens, quomodo nunc per æquipollens practicetur?*
22 *Diversorum non est idem Judicium.*

PAulò post terminatam Discordiam inter Eminentissimum Gregorium Cardinalem Barbadicum Episcopum Patavinum, ac Herum, & Dominum meum incomparabilis reverentiæ super collatione Canonicatuum Ecclesiæ Cathedralis Paduanæ vacantium in mensibus reservatis, vigore sui Indulti *ex Una*, & Ministros Datariæ Sanctissimi D. N. Papæ Anno 1669. ut in prima Discordia hujus materiæ fusè actum est, *ex alia*, insurrexit consimilis nova Discordia inter eosdem Ministros respectivè, & Eminentissimum Joannem Cardinalem Delphinum Patriarcham Aquilejensem, Reverendissimi Capituli
1 DD. Canonicorum Cathedralis Ecclesiæ Veronensis Ordinarium, super provisione pariter Canonicatuum ejusdem Cathedralis Veronæ in mensibus reservatis vacantium; Utrùm scilicet eorum provisio fieri posset ab eodem Eminentissimo Cardinali Patriarcha tanquàm Ordinario illius Capituli vigore sui Indulti Cardinalitii? An potius prædicta provisio spectaret ad Summum Pontificem privativè quo ad omnes, ac præcipuè quo ad ipsum Eminentissimum Indultarium? Super qua Discordia requisitus ab Agentibus
2 Eminentiæ suæ dicere, & scribere, quid pro justitia ac veritate sentirem? Respondi, Jus, ac Justitiam stare

Digitized by Google

stare pro Ministris Datariæ ex sequentibus fundamentis:

Primò ex verbis Indulti ejusdem Eminentissimi Cardinalis Patriarchæ; in quo Summus Pontifex dicit, se ei conferre facultatem *conferendi beneficia reservata ad suam, etiam cum alio, vel aliis collationem, provisionem, præsentationem, seu quamvis aliam similem, vel dissimilem dispositionem pertinentia*. Sed prælibatus Eminentissimus Patriarcha, circumscripto
3 Indulto, nullam habet collationem, provisionem, seu quamvis aliam dispositionem Canonicatuum Cathedralis Veronensis; ipsi enim dum vacant in mensibus Ordinariis, & non reservatis providentur, ac disponuntur à Reverendissimo Capitulo independenter in omnibus, & per omnia ab eodem Eminentissimo Patriarcha, ad quem tanquam Ordinarium prædicti Capituli, & Canonicorum nihil spectat circa Canonicatuum dispositionem. Ergo neque vigore Indulti potest de eis disponere, dum vacant in mensi-
4 bus reservatis, ut in puncto scripsit Germon. *de Indultis §. Regularia. num. 89. Vers. Sed videamus. fol.* 105. & docent Garzias *de Benefic. part. 5. cap. 5. num.* 5. Gonzalez *gloss.* 45. *§.* 2. *num.* 3. Loterius *libr.* 2. *q.* 21. *num.* 144. Et in terminis præsentis discordiæ respondit Rota coram Mohedano *de Privileg. Decis.* 8. cujus verba sunt sequentia: *Abbas Farfensis erat in quasi possessione conferendi beneficium de Farfona Aquilien. Diæcesis. Ordinario fuit concessum Privilegium Apostolicum conferendi beneficia suæ Diæcesis. Fuit dubitatum, An Ordinarius virtute Indulti possit conferre beneficium prædictum de Mense Novembris* 1541. *Fuit tentum per omnes, quod Indulta tantùm comprehendunt beneficia, in quorum quasi possessione providendi sunt illi, quibus talia Indulta conceduntur; quia Indultum tollit obstaculum tantùm, & nihil de novo dat; ex quo infertur, quod si sine Indulto non potest Episcopus providere, quia alius est in quasi possessione conferendi, Indultum non dat sibi, quòd sine Indulto non habebat*. Calderin. *conf.* 23. *de Præbend.* Bisignet. *Decis.* 5. *eod. tit. DD. in cap. Cum aliquibus. De rescript. in* 6. Cassador. *Decis.* 3. *de Privilegiis*.

Nec juvat dicere, quod Indulta moderna Cardinalium, circa provisionem beneficiorum vacantium in Mensibus reservatis, sunt latiora, & ampliora anti-
5 quis, & ideò nunc comprehendunt etiam beneficia, quæ ad aliorum inferiorum dispositionem cessantibus reservationibus spectant: siquidem Indultum ponit Indultarium in loco Papæ, cujus vices exercet Cardinalis circa beneficia reservata, dum illa confert nomine ipsius, & ex sibi ab eo delegata facultate. Rota *part.* 8. *recent Decis.* 10. *à num.* 9. *& seqq. & part.* 9. *recent. Decis.* 298. *à num.* 17. ubi aliæ Decisiones, & DD. cumulantur. Nam respondetur, id verum esse, dummodò tamen ipsa beneficia, cessante reservatione, aliquo modo pertineant ad provisionem Ordinarii habentis Indultum, ut ex ejus supranotatis verbis: *ad tuam, etiam cum alio, &c. collationem, vel dispositionem*. Secùs verò, si nullo modo ad Indultarium spectarent, ut in præsenti casu, de quo expressè loquitur Garzias *d. part.* 5. *cap.* 1. *num.* 629. & in Decisionibus mox citatis *part.* 8. *& part.* 9. *recent.* beneficia illa vel quo ad confirmationem, vel quo ad aliquam aliam functionem jus aliquod competebat Indultario, ut de Card. Barbadico dixi *Disc.* I.

Secundò confirmatur hæc exclusio Canonicatuum Veronensium ab Indulto Eminentissimi Cardinalis Patriarchæ Aquilejensis ex Bulla, seu Constitutione 59.
6 Urbani VIII. *Anni* 1626. *die* 10. *Mensis Septembris*, in qua declaravit, Capitula in beneficiis simultaneis cum Cardinali Indultario, non posse vigore Indulti Cardinalitii se ingerere in dispositione beneficiorum reservatorum, sed ea à solis Cardinalibus Indultariis esse conferenda, cum hac tamen limitatione, *dummodò aliàs sub Indultis eis concessis comprehendantur*. Quæ verba habent relationem ad illa, quæ supra relata sunt, & leguntur posita in Indultis Cardinalitiis, *dummodo ad tuam, etiam cum aliis collationem &c. vel dispositionem &c. pertineant*. Idcircò cum Canonicatus Veronenses nullo modo pertineant ad Patriarcham Aquilejensem non censentur compre-
7 hensi in ejus Indulto, & per consequens ex hac Constitutione 59. Urbani VIII. non potest Eminentissimus Cardinalis Patriarcha de eis providere; quod benè notat Oliverius Beltram. *in add. ad Gregor. XV. Decis.* 99. *num.* 6. & ibi Rota *part.* 2. *recent. Decis.* 642. *& part.* 4. *recent. Decis.* 702. *num.* 2.

Tertiò sed multò magis dicendum venit, Indultum Eminentissimi Patriarchæ Delphini non posse extendi ad Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis Veronensis, attentà alterà Constitutione Urbani VIII.
8 quæ *in Bullar. Cherubini tom.* 4. est *Const.* 60. Incipien. *Licèt nullus Episcoporum, &c.* publicata *eodem Anno* 1626. *die* 10. *Sept.* in qua expressè prohibetur Cardinalibus Indultariis uti eorum Indulto in conferendis beneficiis reservatis præterquàm in una tantùm Cathedrali, & Diæcesi, itaut nullatenùs possint providere, aut disponere circa beneficia reservata in duabus Diæcesibus: quapropter, cum Eminentissimus Patriarcha Aquilejensis conferat vigore Indulti Canonicatus reservatos Ecclesiæ suæ Cathedralis Aquilejæ, non est ei licitum conferre etiam illos Cathedralis Veronæ, resistente prædicta Urbana Constitutione, quæ licèt principaliter loquatur de Cardinalibus Ordinariis translatis de una Ecclesia ad aliam; tamen in consequentiam loquitur etiam de præsenti casu, quia intendit prohibere duplicitatem Ecclesiarum, ac Diæcesum; itaut Indultum Cardinalitium non operetur, nisi tantùm in una, ut in Proemio
9 ejusdem Constitutionis in illis verbis: *Ne dum unius, sed etiam plurium Ecclesiarum, &c.* & sic non est attendendum ad casum legis, sed ad ejusdem legis rationem; cum ratio, quæ est anima illius, ampliet quoque illius dispositionem. Barbosa *Axiom.* 197. *à num.* 1. *& seqq.* & quidem non solùm extensivè, sed principaliùs comprehensivè, itaut sicut genus comprehendit omnem speciem, ita ratio generalis com-
10 prehendit omnem casum, ut ait Barbosa *ibid. num.* 4. Maximè verò quia eadem Constitutio in §. 2. ab eadem duplicitate Ecclesiarum excipit tantummodò quatuor Episcopatus Romæ contiguos invicem uni-
11 tos, ita dicens: *Ostien. & Veliternen. invicem perpetuò unitis; & Portuen. ac Sabinen. nec non Tusculan. & Prænestin. ac Albanen. Ecclesiis dumtaxat exceptis, quoad quas Cardinalibus illarum pro tempore Præsulibus facultate disponendi de beneficiis hujusmodi, etiam unâ cum Indulto sibi ratione aliarum Ecclesiarum, quibus actu præsunt, vel antea novissimè præfuerint, ut præfertur, frui licere decernimus*. Per quæ verba cum ipse Papa excipiat ab usu duplicationis Indulti Cardinalitii circa provisionem beneficiorum reservatorum, illa tantummodò, quæ vacant in iisdem quatuor Ecclesiis, seu Episcopatibus supra nominatis, concedendo, ut Cardinales tàm de beneficiis vacantibus in iisdem, quàm in aliis Episcopatibus, quibus præsunt, possint vigore Indulti reservata conferre;
12 per hanc exceptionem firmat Regulam, ut in omnibus aliis non exceptuatis minimè valeant suum Indultum extendere; & ejus prætextu de reservatis beneficiis utrobique vacantibus disponere, ac providere, ex notatis per Rotam coram Gregor. XV. *Decis.* 257. *num.* 4.

Quartò tandem excluditur prætensa facultas disponendi de Canonicatibus Veronensibus in Indulto Eminentissimi Cardinalis Patriarchæ Aquilejensis ob illam aliam clausulam, & conditionem insertam in ejus Indulto, ut scilicèt ipse possit conferre beneficia reservata *Ad tuam collationem, &c. de Jure pertinen-*
13 *tium*. Quæ verba verificantur in Cardinalibus Ordinariis locorum, in quibus vacant beneficia; nam de Jure omnia beneficia spectant ad collationem Ordi-

Digitized by Google

narii, etiam Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis, saltem simul cum Capitulo, ut tradunt Barbosa *De Canon. & Dignit. cap.* 14. *num.* 2. Loterius *de Re benefic. libr.* 2. *q.* 21. *num.* 7. Pyrrhus Corradus *in Praxi benef. libr.* 3. *cap.* 6. *num.* 72. Fagnanus *in cap.*
14 *Postulastis num.* 2. *de Concess. Præbend.* Rota coram Gregor. XV. *Decis.* 95. *num.* 1. & coram Card. Seraphino *Decis.* 980. *num.* 2. & dictum fuit supra *Discord.* 1. *num.* 4. Porrò Patriarcha Aquilejensis, etsi Metropolitanus, sit Veronensis Diœcesis, attamen
15 non est Ordinarius ejusdem Diœcesis, & Civitatis; sed simplex Prælatus Judex, ac Superior Canonicorum Veronensium, ex Privilegio Apostolico exemptorum à Jurisdictione Episcopi illius urbis; & ne remaneant acephali, sub Jurisdictiones disciplina, & correctione ipsiusmet Metropolitæ positorum. At ex hoc non sequitur, eum esse Ordinarium Cathedralis Veronæ, itaut de Jure ad ejus dispositionem pertineant Canonicatus; ad hoc enim, ut quis dicatur
16 Prælatus Ordinarius alicujus Ecclesiæ, opus est, ut possit in illam exercere omnem, & quamcunque jurisdictionem, ex Fagnano *in cap. Post cessionem à num.* 5. *& seqq. De Probationib.* & *in cap. Cum olim. num.* 8. *de Præscript.* Quæ Jurisdictio consistit non in sola punitione delinquentium, aut causarum Canonicorum cognitione; sed præcipuè in judicandis causis Matrimonialibus habitantium in illa Urbe, ac Diœcesi, & in facultate conficiendi Sacrum Chrisma, & Olea Sancta; ordinandi Clericos, celebrandi Pontificaliter; confirmandi populos, eisque solemniter benedicendi, & alia faciendi recensita per Ciarlinum *in Controvers. Forens. lib.* 1. *cap.* 67. *à num.* 1. *& seqq.* Quæ omnia facere non potest Emin. Metropolita Aquilejen. (excepto casu Generalis Visitationis totius Provinciæ) ut communiter docent
17 Canonistæ, quos refert, & sequitur idem Fagnanus in *cap. Sicut unire, num.* 8. *de Excessib. Prælat. tom.* 7. & patet quo ad causas Matrimoniales, etiam Ecclesiarum Parochialium Capitulo Veronensi subjectarum, eas spectare ad Episcopum Veronæ, ex Sententiâ arbitrariâ super Controversiis ipsius Capituli ex Una, & Episcopi ex altera, latâ per eundem Emin. Patriarcham Judicem Compromissarium;
18 & postea confirmatâ à Clemente Papa X. *Oct. Kal. Maii Anno* 1673. in qua ita deciditur: *Primò, quod Causæ Matrimoniales, & Parochialium Capitularium ab Episcopo cognoscantur privativè quo ad omnes.* Igitur Eminentissimus Patriarcha Aquilejensis, verè, & propriè non est Ordinarius Cathedralis Veronæ, sed talis est Episcopus ibi constitutus ab Apostolica Sede; & per consequens Canonicatus illius Cathedralis de Jure non spectant, nec spectare possunt ad ipsum Eminentiss. Patriarcham, & per consequens, dicti Canonicatus non comprehenduntur in ejus Indulto Cardinalitio, & de illis Eminentia sua disponere non potest vigore Indulti, quando vacant in mensibus reservatis.

Nec juvari potest prædictum Indultum Eminentissimi Metropolitæ in casu, de quo agimus, exemplo Indulti Eminentissimi Domini mei Cardinalis Barbadici Episcopi Patavini; in quo, & sub quo
19 comprehendi Canonicatus hujus Paduanæ Cathedralis Ecclesiæ, itaut ab eodem Eminentissimo Barbadico conferri possint Canonicatus ejusdem Cathedralis in Mensibus reservatis vacantes, probatum est *in supracit. Discord. I.* & decisum fuit in speciali Congregatione à Clemente Papa IX. Romæ deputata Anno 1669. quamvis cessantibus reservationibus provisio, ac dispositio Canonicatuum Cathedralis Patavinæ spectent ab immemorabili tempore ad solum Capitulum. Quia casus est omninò diversus, cum
20 Eminentissimus Cardinalis Episcopus Patavinus sit unicus, verus, & proprius Ordinarius Cathedralis, Canonicorum, & Diœcesis Patavinæ; idcircò etsi de consuetudine ad ipsum tanquam Ordinarium collatio Canonicatuum non spectet; spectat tamen de Jure, ut demonstratum est *in d. Discord. I. num.* 4. *&* 5. Præterquàm quod ex vi Statutorum Capituli Patavini Confirmatio Canonicorum, quos Capitulum eligit, pertinet ad Episcopum, & quamvis in præ-
21 senti eadem confirmatio non practicetur in specifica forma, virtualiter tamen adimpletur per Litteras idoneitatis, ad eosdem Canonicatus regendos, quas prævio examine quo ad morum honestatem, ac scientiam, concedit Episcopus Patavinus competitoribus ad eosdem Canonicatus vacantes. Quapropter cum sit diversitas inter Prælatum, & Superiorem Capituli Paduani, ac respectivè Capituli Veronensis, non potest deduci argumentum ex illo ad istum;
22 quia ex diversis non fit illatio. Barbosa *Axiom.* 74. *num.* 6. Hæc de Jure, & ex Justitia hujus Discordiæ; At de facto, & ex gratia Innoc. XI. permisit Canonicatus conferri ab Emin. Patriarcha.

DISCORDIA XLI.

ARGUMENTUM.

Officia Diaconatus, & Subdiaconatus in Ecclesia Collegiata Oppidi Plebis Sacci, Paduanæ Diœcesis, sunt manualia, & amovibilia; neque ad eorum titulum Clerici possunt Ordinari in Sacris, nisi concurrente ex gratia consensu Episcopi, ac Capituli ejusdem Collegiatæ. Quo casu manualitas suspenditur, sed non destruitur.

SUMMARIUM.

1 *Plebis Sacci Ecclesia Collegiata quot habeat Canonicos?*
2 *Canonicatus unius suppressio in d. Collegiata Anno* 1568.
3 *Hieronymus Martinius Canonicus Plebis Sacci laudatus.*
4 *Ordinari in Sacris, an, quis possit ad titulum Officii manualis?* & num. 19.
5 *Vacatio non datur in beneficio manuali.*
6 *Observantia in beneficiis est attendenda.*
7 *Præscriptio completa impugnari non potest.*
8 *Determinatio una super diversis ea æqualiter determinat.*
9 *Officia Ecclesiastica eodem Jure regulantur, quo beneficia,* & num. 24.
10 *Beneficia omnia de sui natura sunt perpetua.*
11 *Possessio beneficii denotat antecedentem titulum in ipso.*
12 *Beneficia non nascuntur, sed creantur à Superioribus.*
13 *Officia Ecclesiastica vere non sunt beneficia,* & num. 24.
14 *Manualia beneficia non sunt reservata per Reg.* 9. *Cancellariæ.*
15 *Famulus, ac Servitor dicitur, qui ob certum stipendium servit.*
16 *Sermo idem habitus ad plures eos pariformiter afficit.*
17 *Semel declaratum non eget alia declaratione.*
18 *Officia Diaconi, & Subdiaconi in Ecclesia Plebis Sacci sunt manualia.*
20 *Vacatio beneficiorum duplex. Stricta, ac Larga.*
21 *Facultativis in actibus quando detur præscriptio?*
22 *Protestatio præservat Jus protestantis.*
23 *Æquivoca quæ sint?*
24 *Officia Ecclesiastica alia sunt perpetua; & alia amovibilia.*
25 *Possessio rei capi potest etiam alterius nomine.*
26 *Procuratorio nomine qui agit; non sibi, sed principali suo acquirit.*
27 *Manuale beneficium si ex gratia detur ad vitam, non perdit naturam suæ manualitatis.*

28 *Omnes*

Digitized by Google

28 *Omnes de Capitulo debent consentire, quando agitur de aliqua gratia alicui facienda.*
29 *B. Pii Quinti Bulla Suppressionis unius Canonicatus in Collegiata Castri Plebis Sacci Paduanæ Diœcesis.*

BEatus Pius Quintus Pontifex Maximus Anno 1568. ad supplicationem, & instantiam Rev. Archipresbyteri, & Canonicorum Collegiatæ Ecclesiæ S. Martini Castri Plebis Sacci Paduanæ Diæcesis (in qua
1 tunc residebant quatuor tantùm Canonici, ac Dominus Archipresbyter; absentibus, & non residentibus Archidiacono, & aliis quatuor Canonicis) suppressit unum Canonicatum primò vacaturum ex illis, quos Canonici irresidentes possidebant; & ejus fructus, redditus, ac emolumenta omnia univit, & applicuit Mensæ Capitulari ejusdem Ecclesiæ Collegiatæ, ad effectum ut servirent pro stipendio, dote, & susten-
2 tatione unius Diaconi, unius Subdiaconi, & duorum Clericorum inferiorum, inservientium Missis, Vesperis, aliisque Divinis Officiis, quæ celebrantur in Choro ab iisdem Archipresbytero, & Canonicis, prout latiùs legitur in Bulla suppressionis, & unionis supradictæ, infra registranda, quæ paulò post ejus expeditionem suum sortita est effectum. Anno 1688. die 14. Maii, deficiente Subdiacono, electus fuit ad illud Officium à Rev. Capitulo Hieronymus Racho Clericus in minoribus Ordinibus constitutus, sed annum vigesimum primum ætatis suæ excedens; qui cum Patrimonium non haberet, ad cujus titulum posset in Sacris Ordinari, voluit ad Sacros Ordines promoveri ad titulum Officii Subdiaconalis, ad quod fuerat per Capitulum electus, attento sufficienti stipendio, quod ob exercitium illius Officii à Mensa Capitulari erat percepturus; & ad hunc effectum solitas publicationes de se in Sacris ordinando fieri in eadem Collegiata Ecclesia curavit. Se opposuerunt duo Canonici Col-
3 legiatæ ejusdem, nempè RR.DD. Hieronymus Martinus Vir doctrina, ac pietate eximius; & Petrus Gonzardus, & notare fecerunt contradictionem suam in Cancellaria Episcopali Patavina, dicentes dictum Clericum Racho non posse ordinari in Sacris ad titulum illius Officii Subdiaconalis, tanquam manualis, & amovibilis ad nutum, & beneplacitum Capituli; & ita institerunt per me, tunc Vicarium Generalem sanctæ memoriæ Eminentissimi, ac Reverendissimi DD. Gregorii Cardinalis Barbadici Episcopi Patavini, sententiari. Ipse Clericus Racho fecit recursum ad RR. Archipresbyterum, & alios Canonicos prædictæ Collegiatæ, à quibus convocato Capitulo *die* 10. *Augusti* 1688. in eo capta fuit pars, & datus assensus, ut antedictus Clericus pro hac vice posset Ordinari in Sacris ad titulum ipsius Officii Subdiaconalis, à quo ejus vita durante non esset amovendus; reclamantibus tamen, dissentientibus, & contrarium prætendentibus iisdem duobus Canonicis Martinio, & Gonzardo; quare introducta causa coram me, & contestato judicio diù disputatum fuit inter ipsos Capitulares,
4 Utrùm Officium Subdiaconale esset manuale, & amovibile? & an ad ejus titulum prædictus Clericus ordinari valeret?

Pro parte dicti Clerici, & Canonicorum eidem faventium, dicebatur; Officium illud Subdiaconale esse perpetuum; & ideò habile, & sufficiens, ut ad ejus titulum ille promoveretur ad Ordines Sacros.

Primò, quia de Jure in manualibus non datur vacatio. Rota coram Ludovisio *decis.* 48. *num.* 5. & *decis.* 142. *num.* 6. eadem Rota *part.* 6. *rec. decis.* 245.
5 *num.* 3. Sed ad hoc Subdiaconatus Officium fuit electus Clericus Racho à Capitulo per vacationem sequutam ob mortem Subdiaconi prædecessoris. Ergo hoc Officium non est manuale, sed perpetuum.

Secundò, quia de facto *Anno* 1638. Clericus Joannes Baptista Nazarius fuit ordinatus in Sacris ad titulum hujus Officii Subdiaconalis. Item *Anno* 1648. ad eundem titulum fuit ordinatus Subdiaconus Clericus
6 Andreas Florinus; ex quibus ordinationibus insurgit observantia, quæ in beneficialibus est attendenda. Rota *part.* 11. *recent. decis.* 108. *num.* 10. & *decis.* 221. *num. ult.* Emin. Card. de Luca *de Benefic. disc.* 19. *num.* 31. & *disc.* 27. *num.* 17.

Tertiò, tantò magis quia ipsa observantia excedit spatium quadraginta annorum; & facit præscriptionem completam super perpetuitate ejusdem Officii Subdiaconalis, & habilitate recipiendi ad ejus titulum
7 Ordines Sacros. Præscriptio autem completa ampliùs impugnari non potest. Rota *part.* 7. *recent. decis.* 143. *num.* 2. & 3. Emin. Card. de Luca *de Benefic. disc.* 14. *num.* 3. eadem Rota coram Ludovisio *decis.* 77. *decis.* 112. & *decis.* 434. nec non coram Buratto *decis.* 153 & *decis.* 776.

Quartò quia supplicatio pro suppressione dicti Canonicatus, & ejus unione Mensæ Capitulari *Anno* 1568. porrecta fuit Beato Pio V. Summo Pontifici nomine Archipresbyteri, Canonicorum, Diaconi, & Subdiaconi ejusdem Ecclesiæ Collegiatæ S. Martini Plebis Sacci; & respectu eorum omnium ipse Summus Pontifex gratiam petitam concessit, Canonicatum suppressit, & ejus fructus pro dote eorundem Diaconi, & Subdiaconi, ac Clericorum Mensæ Capitulari univit. Sed Archipresbyteratus, & ipsi Canonicatus sunt perpetui. Ergo sic debent censeri perpetua, & non amovibilia etiam Officia illa Diaconale, & Subdiaconale eodem modo expressa, & contenta simul cum Archipresbyteratu, & Canoni-
8 catibus in dicta Bulla Piana; attentâ Regula, quod una determinatio continens diversa determinabilia, ea pariformiter determinat, & æqualia declarat. *l. Jam hoc jure.* §. *Sed si*, & ibi Bartol. *num.* 1. *ff. De Vulg. & Pupill. l. final. C. de Sent. & Re Jud.* Decius *in cap. Novit. n.* 56. *De Judiciis*, & Fagnan. *in cap. Cum ex eo. n.* 8. *de Reliq. & venerat. Sanctor. tom.* 5.

Quintò, quia Officia Ecclesiastica regulantur eodem Jure quo ipsa beneficia. Federicus de Senis *cons.* 20. Incipien. *In Civitate Perusii num.* 3. Sarnen.
9 *in Regula de Infirm. q.* 22. *Vers. Aut loquimur de officio.* Idem Fagnanus *in cap. Cæterum. num* 76. *de Rescript. tom.* 1. Sed beneficia de sui natura sunt perpetua. *cap. Sanctorum.* 70. *dist. cap. penult. de Clerico ægrot. cap. Si gratiosè. De Rescript.* Gigas *de Pensionib. q.* 86. *Vers. Quintum requisitum.* Achilles *decis.* 1. *num.* 44. *de Officio Vicar.* & Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 5. *num.* 11. ubi pluribus DD. citatis
10 inquit: *Quintum beneficii requisitum est, quod sit perpetuum, hoc est, quod non conferatur ad certum tempus; sed perpetuò, & ad vitam ejus, cui confertur; hoc enim proprium beneficiorum est.* Et dat similitudinem Matrimonii, subdens *num.* 12. *Nam sicut Matrimonium carnale est perpetuum (est enim Viri, & Fœminæ conjunctio, individuam vitæ consuetudinem continens. §. 1. Instit. De Patria potest.) sic & hoc Matrimonium, quod contrahitur inter beneficiatum, & Ecclesiam. cap. Inter. De Translat. Episc.* Ergo etiam hæc Officia Diaconi, & Subdiaconi in Ecclesia Collegiata Plebis Sacci debent esse perpetua.

Sextò tandem, quia Summus Pontifex in dicta Bulla Suppressionis Canonicatus, & applicationis fructuum pro sustentatione Diaconi, Subdiaconi, ac duorum Clericorum in eadem Ecclesia Collegiata, dat iisdem facultatem capiendi possessionem eorundem
11 fructuum. Sed possessio beneficii denotat antecedentem titulum in ipso. *Clem.* 1. & ibi Imola *num.* 2. *Ut lite pendente.* Menochius *de Præsumpt. lib.* 6. *Præsumpt.* 63. *num.* 11. Gonzalez *ad d. Reg.* 8. *Cancell.* §. 3. *Proemiali.* à *num.* 53. & *seqq.* & ibi Rota *decis.* 10. *num.* 2. *de Præb. in antiq.* eadem Rota *part.* 1. *diversor. decis.* 423. *num.* 2. & *decis.* 595. *num.* 8. & *decis.* 802. *num.* 2. & 4. Ergo prædicta officia Diaconalia, & Subdiaconalia censenda sunt titularia; & per consequens perpetua, & non manualia, nec amovibilia.

Digitized by Google

E contra, his non obstantibus, insistebant præfati duo Canonici contradictores, quod hæc duo Officia Diaconi, & Subdiaconi in eorum Ecclesia erant manualia, non autem beneficia perpetua, ex sequentibus rationibus, & argumentis.

Primò, quia beneficia non nascuntur; sed fiunt, & creantur per erectionem, ac institutionem à Superioribus factam Juris ordine servato. Cassadorus *decis.7.*
12 *num. 6. de Jurepatron.* Gonzalez *ubi proximè gloss.* 15. *num.* 132. Sed prædicta Diaconatus, & Subdiaconatus Officia in Collegiata S. Martini de Plebe Sacci nunquam fuerunt ab aliquo Superiore creata beneficia; neque in titulum beneficiorum erecta; siquidem Archipresbyter, & quatuor Canonici residentes, attentâ penuriâ Clericorum deservientium in Choro, & stante absentiâ Archidiaconi, & aliorum quatuor Canonicorum ante tempora Concilii Tridentini irresidentium, de per se assumere cæperunt unum Diaconum, unum Subdiaconum, & duos minores Clericos, ut eos juvarent in Vesperis, ac Missis solemnibus; stipendium annuum ipsis solventes ex propriis Præbendis. Ergo prædicta duo Officia non sunt beneficia perpetua. Rota *part.* 5. *recent. Decis.* 238. *num.* 2.

Secundò, quia de Jure Officia Ecclesiastica verè, & propriè non sunt beneficia. Glossa *in Clem.* 1. §. *Ad hæc. Verb. Officiis. De Statu Monachor.* Petrus Gre-
13 gor. Tholosanus *de Benefic. cap.* 9. *num.* 17. Gonzalez *gloss.* 5. §. 11. *num.* 10. Ergo Diaconatus, & Subdiaconatus, de quibus agitur, cum sint simpliciter Officia in Ecclesia Collegiata Plebis Sacci, non sunt beneficia; & per consequens non sunt perpetua, sed manualia, & amovibilia.

Tertiò: Quia si prædicta Officia essent beneficia Ecclesiastica, & perpetua, caderent sub reservatione Regulæ 9. Cancellariæ Apostolicæ; nec posset Capitulum eligere Diaconum, & Subdiaconum, eve-
14 niente vacatione in Mensibus Apostolicæ Sedi reservatis; nam manualia, & amovibilia excipiuntur à dicta Regula. Loterius *de Re Benefic. lib.* 1. *qu* 7. *num.* 22. Gonzalez *ubi supra num.* 10. Rota coram Lodovisio *Decis.* 48. & *Decis.* 142. nec non coram Buratto *Decis.* 114. *Decis.* 155. & *Decis.* 926. novissimè Emin. Card. de Luca *de Beneficiis disc.* 97. *num.* 20. Porrò Capitulum Plebis Sacci semper elegit, & eligit eosdem Diaconum, & Subdiaconum in quocunque Mense contingat eorum obitus, seu renunciatio; nullo habitu respectu ad Regulam 9. Cancellariæ Apostolicæ reservatoriam Mensium. Ergo dicta Officia sunt manualia; non autem beneficia perpetua.

Quartò, quia qui recipit certum quid ratione stipendii pro labore, ac servitio, quod præstat in Ec-
clesia, non censetur beneficiatus, seu præbenda-
15 tus; sed simplex famulus, & servitor; ea ratione quia illud stipendium determinatum sapit naturam mercedis, quæ solvitur mercenario pro labore suo. Rota *decis.* 50. *num.* 1. *de Concess. Præben. in antiquis.* ubi insinuat hanc rationem, videlicet, quod si esset beneficiatus, & dominus beneficii, caperet ejus proventus, & redditus de per se, & jure dominii; non autem de manu alterius, prout in casu nostro, in quo Diaconus, & Subdiaconus capiunt suam mercedem de manu Œconomi, seu Administratoris bonorum mensæ Capitularis; quod est signum merè servitorum; ut etiam notat Gonzalez *gloss.* 10. *sub num.* 19.

Quintò: Quia si Diaconus, & Subdiaconus in dicta Collegiata Plebis Sacci essent beneficiati perpetui, tales etiam essent censendi alii duo Clerici in minoribus Orinibus constituti, qui à DD. Archipresbytero, & Canonicis ad servitium Chori pari modo assumuntur; siquidem Summus Pontifex in supracitata Bulla Piana Anni 1568. uno, eodemque sermone illos, & istos copulativè admisit ad participationem proventuum, ac redditum Canonicatus suppressi; propter eandem qualitatem inserviendi in Officiis divinis in ipsa Collegiata. Cæterùm nemo est,
16 qui ignoret; quod sicut idem sermo habitus ad plures, illos pariformiter afficit. *cap. Secundò requiris. De Appellat.* Cæsar. de Grassis *decis.* 2. *num.* 3. *De Jurejur.* ita eadem qualitas qualificat omnia copulata, quæ sub eadem oratione continentur, & ab eodem verbo reguntur. Bart. in *l. Prætor.* §. *Eritque differentia. ff. De Vi bonor raptor.* Socinus *cons.* 27. *num.* 13. & 14. *lib.* 4. latè Gonzalez *gloss.* 43. *num.* 126. ubi alii DD.

Sextò: quia Capitulum ipsum Plebis Sacci pluries in actibus publicis Capitularibus notare fecit, & declaravit, Subdiaconatus, & Diaconatus Officia in sua Collegiata esse manualia, amovibilia, & ad nutum Capituli conferenda, ut legitur *de Anno* 1612. *die* 6. *Januarii;* & *die* 4. *Augusti.* Item *de Anno* 1669. *die* 8. *Novembris*, quo tempore cum R. Franciscus Biordus Subdiaconus factus fuisset Coadjutor R. Archidiaconi Plebis Sacci, & in Litteris Apostolicis Coadjutoriæ esset dictum, quod prædictus Subdiaconatus remaneret reservatus, & affectus dispositioni Sedis Apostolicæ, Capitulum fecit notare protestationem contra in Cancellaria Episcopali, quia tanquam manualis non subjacebat dictæ reservationi, & affectioni. Similiter idem declaratum fuit ab eodem Capitulo *De Anno* 1677. *die* 8. *Aprilis; ac de Anno* 1688. *die* 14. *Maii.* Ex quibus sequitur, non esse opus aliâ declaratione super naturâ, & qualitate eorundem Officiorum; cum id, quod semel declara-
17 tum fuit, ampliùs declarari non oporteat. *cap. Eum qui. de Reg. Jur. in* 6. *l.* 1. §. 1. *ff. de Act. empt. cap. Si dubius. de Appellat.* Caputaquen. *decis.* 100. *num.* 2. *part.* 1. & Gonzalez *gloss.* 56. *num.* 119. & si iterùm deveniendum sit ad declarationem, hæc debet esse præcedenti conformis; stante regula, quod semel placuit, ampliùs displicere non potest. *l. Sicut. C. de Actionib: cap. Quod semel* 21. & ibi Dinus, & Taccinus de Castrofranco. *De Regul. Jur. in* 6. Barbosa *Axiom.* 196. *num.* 16. ubi DD. cumulat.

In hac Discordia ego judicando sententiavi, & sententiando judicavi, prædicta Officia Diaconalia, & Subdiaconalia de sui natura non esse beneficia Ecclesiastica, neque perpetua; sed manualia, & amovibilia ad nutum Capituli ejusdem Collegiatæ Ecclesiæ Plebis Sacci, ex rationibus pro hac opinione, per dictos duos Canonicos Martinium, & Gon-
18 zardum supra allegatis; & ex auctoritate Rotæ Romanæ coram Priolo *decis.* 104. *à num.* 13. & *seqq.* nec non Emin. Card. de Luca *de Benefic. disc.* 80. *num.* 12. & *seqq.* prout etiam *disc.* 97. *num.* 1. & 2. ubi in terminis differitur de his titulis Servitoriis; & probatur, eos esse Manuales, ac amovibiles ad nutum eligentium; quamvis eorundem eligentium accedente consensu possint deservire pro patrimonio, ac titulo, in suscipiente Ordines Sacros; ut declaravi
19 posse fieri ad favorem Clerici Hieronymi Racho, si ex gratia speciali Capitulum Plebis Sacci id ei permittat, & Emin. Cardinalis Episcopus Patavinus consentiat; prout post meam sententiam concorditer à partibus concessum fuit. Rationes autem in contrarium adductæ pro intrinseca perpetuitate dictorum Officiorum Subdiaconatus, & Diaconatus non me suasum fecerunt tanquam minùs stabiles, & in terminis Legalibus non benè fundatæ. Nam

Prima non subsistebat, quod vacaverit prædictum Officium Subdiaconatus, & attentâ vacatione Capitulum elegerit ipsum Clericum Racho; in manualibus autem non datur vacatio ex juribus in ea deductis; nam prædicta Jura loquuntur de vacatione stri-
20 ctè sumpta; non autem de illa, quam lato modo admittunt omnes Beneficialistæ in his Officiis manualibus, ut benè demonstrat Emin. Card. de Luca *d. disc.* 97. *de Benefic. num.* 18. & 19. his verbis: *In his*

igitur

Digitized by Google

igitur manualibus cum non detur verus titulus, exindè sequitur, quod non datur vacatio, neque collatio ex deductis apud Gregor. decis. 48. num. 5. & decis. 142. num. 6. Rota decis. 245. num. 3. & seq. part. 6. recent. & in aliis. Quod tamen intelligitur de vacatione vera, & propria ad effectus Juris, illum præsertim reservationis, vel affectionis: impropriè autem (notetur) ac largo modo de facto vacare dicuntur per mortem naturalem, vel civilem, vel per remotionem. Gonzalez ad Reg. 8. gloss. 13. §. 2. num. 24. Cavalerius decis. 389. num. 4. & Coccinus decis. 296. n. 8. in Perusina beneficii 10. Februarii 1648. coram Bichio; quæ extat decis. 152 part. 10. recent. ubi num. 16. aliæ auctoritates allegantur, docentes, dari vacationem largo modo dictam etiam in Officiis, ac beneficiis, manualibus.

Secunda non me movit; quia licèt aliqui Clerici in Collegiata Plebis Sacci promoti fuerint ad Sacros Ordines ad titulum eorundem Officiorum; dicta promotio fuit ex mera gratia, & ex facultate eis concessa per RR. Canonicos, & Capitulum ejusdem Ecclesiæ, quos sic concedere posse advertit ipse Emin. Card. de Luca de Benefic. d. disc. 80. num. 14. Porrò ex tali concessione liberali, & facultativa non insurgit observantia, quæ obliget ipsos Canonicos, & Capitulum ita semper facere; ut docet idem Emin. Card. de Luca eod. tract. de Benefic. disc. 58. num. 7. ita scribens: Absolutum autem, satisque notorium Juris
21 principium est, in facultativis non dari præscriptionem, nisi prævia prohibitione, seu respectivè coactione, ac subsequuta acquiescentia per tempus habile. Potissimè verò ubi observantia non est temporis longissimi, ac plurium successivè possidentium idem beneficium, cum nimia frequentia actuum, aliisque circunstantiis, ex quibus ad necessitatem magis, quàm ad facultatem observantia referri valeat juxta ponderata per Rotam decis. 186. part. 11. recent. cum similibus. Certè quando Capitulum Plebis Sacci consensit, Clericos ordinari in Sacris ad titulum Officii Subdiaconalis, vel Diaconalis in illa Collegiata, id fecit ex mera sua benignitate, & facultate; non autem ex necessitate, seu coactione.

Tertia pariter ratio contraria nullius roboris videbatur, scilicèt quod completa esset præscriptio super statu perpetuo Officii subdiaconalis; quia, ut supra ex doctrina Emin. Cardinalis de Luca dictum est, in facultativis non datur præscriptio, nisi prævia prohibitione, ac coactione, & subsequuta acquiescentia, quod repetit idem Emin. de Luca de Benefic. disc. 89. num. 13. Tantò minùs, quia ostendebantur protestationes ipsius Capituli pluries factæ, ac reiteratæ, de quibus supra num. 17. quod salva foret manualitas prædictorum Officiorum; quibus stantibus nunquam potuit introduci status perpetuitatis; nam, ut benè ait
22 Loterius de Re beneficiaria lib. 1. quæst. 40. num. 289. in Jure habetur regula, quod declaratio, & protestatio præservatoria perpetuò præservat declaranti, ac protestanti quodcunque Jus præservabile. l. 4. §. 1. ff. Quibus modis pignus, vel hypoth. solv. quam regulam post alios exornant Franc. Beccius cons. 34. n. 4. & Surdus Decis. 246. num. 11. ubi alios DD. cumulat.

Quarta ratio nihil concludit, quia est æquivoca; licèt enim Papa fuerit exoratus ab Archipresbytero, Canonicis, Diacono, Subdiacono, & duobus Clericis Collegiatæ Plebis Sacci, nihil determinavit circa statum eorum beneficiorum; sed tantummodò suppressit unum Canonicatum, uniendo ejus fructus Mensæ Capitulari pro sustentatione ipsorum Diaconi, & Subdiaconi, ac duorum Clericorum. Idcircò æquivocum est argumentum à nominibus supplicantium ad determinationem circa rem; quam supplicabant; æquivoca enim dicuntur, quæ secundum no-
23 men communia sunt, sed secundum substantiam sunt diversa. Mastrius in tract. de Logica part. 1. tract. 1. cap. 3 num. 12. Summus Pontifex non direxit suam determinationem ad statum personarum supplicantium; sed ad rem, quam omnes simul desiderabant; ideò non valet consequentia; Archipresbyteratus, & Canonicatus Plebis Sacci sunt beneficia Ecclesiastica perpetua; Ergo etiam Officia Diaconatus, & Subdiaconatus; imò si talis argumentatio valeret, sequerentur duo magna inconvenientia: Unum, quod Diaconus, & Subdiaconus in illa Collegiata essent Canonici habentes Votum in Capitulo: Alterum, quod etiam illi duo Clerici fruerentur eadem qualitate, & perpetuitate; quod nemo sanæ mentis audet asserere.

Quinta pariter ratio in contrarium adducta non stringit, quia duo sunt genera Officiorum; alia, quæ dantur ad vitam, & alia quæ conceduntur ad nutum, & beneplacitum concedentis. Prima regulantur adinstar beneficiorum, quia censentur perpetua, & abs-
24 que legitima causa auferri non possunt; & de illis loquuntur DD. ex adverso citati, & præcipuè Fagnanus in cap. Cæterùm à num. 35. & seqq. usque in finem, De Rescript. tom. 1. Alia verò, quæ dantur ad nutum, non cadunt sub regula beneficiorum, qualia sunt Officium Vicarii Episcopalis, Eleemosynarii, Sacristæ, Custodis, & similium, de quibus per Gomezium Regul. de Infirm. quæst. 22. Mandosium in Regul. 21. quæst. 7. & in Regul. 32. quæst. 2. ac latius Gonzalez gloss. 5. §. 11. per totum. Igitur Officia Diaconatus, Subdiaconatus, & duorum Clericorum in Collegiata Ecclesia Plebis Sacci de sui natura non sunt perpetua, nec reputantur adinstar beneficiorum; quia dantur per Capitulum ad sui ipsius beneplacitum, & amovibiliter.

Sexta tandem ratio non faciebat ad intentum; quia Summus Pontifex in dicta Bulla suppressionis Canonicatus dedit facultatem Diacono, Subdiacono, & duobus Clericis capiendi propria auctoritate possessionem fructuum, ac proventuum Canonicatus suppressi, ejus statim vacatione obveniente; non tamen
25 ex ipsorum personis, sed nomine Mensæ Capitularis, cui uniti, & annexi fuerunt iidem fructus, & proventus, ut legitur in ipsa Bulla Piana, ibi: ac etiam ex nunc, prout ex tunc, & è contra, liceat dilectis Filiis Capitulo dictæ Ecclesiæ, ac Diacono, & Subdiacono; nec non duobus Clericis præfatis, nunc & pro tempore existentibus, per se, vel alium, seu alios eorum, & dictæ Mensæ nomine corporalem, realem, & actualem Canonicatus, & Præbendæ sic suppressorum, & illis annexorum fructuum &c. possessionem propria auctoritate liberè apprehendere, &c. Cer-
26 tum est autem, quod quilibet alieno, ac procuratorio nomine agens, repræsentat personam sui principalis; & quidquid agit, dicitur agere nomine ejusdem principalis; non autem nomine, aut jure proprio. Postius de Manutent. observ. 48. num. 31. & Rota post ejus tract. decis. 647. num. 21. & ibi Vincent. de Franchis decis. 177. num. 5. & seqq.

Sententiavi igitur, prædicta Officia Diaconi, & Subdiaconi esse ab intrinseco manualia, & amovibilia ad beneplacitum Capituli; posse tamen ipsum, si velit, gratiam facere Clericis pauperibus, ac benè meritis, & consentire, ut possint ad sacros Ordines promoveri ad titulum eorundem Officiorum; & tunc erunt perpetua respectu ipsorum Ordinatorum, idest eorum vita durante; vel donec de alio titulo, seu pa-
27 trimonio provisi, sponte renuncient. At per hoc non destruitur intrinseca qualitas manualitatis, ac amovibilitatis horum Officiorum; adeòut deindè non possint ad nutum Capituli conferri; id enim semper remanet in facultate Capituli, ut benè probat Emin. Card. de Luca de Beneficiis in supracit. disc. 80. n. 14. & disc. 97. num. 25.

Porrò est advertendum, quod quando Capitulum vult ex gratia concedere alicui Clerico, ut se promovere faciat ad sacros Ordines ad titulum Diaconatus, vel Subdiaconatus ejusdem Collegiatæ Ecclesiæ Plebis Sacci; opus est, ut omnes de Capitulo consen-
28 tiant; itaut non sufficiat major pars eorum tantùm;

Siqui-

Digitized by Google

Siquidem ubi agitur de gratia facienda contra intrinsecam naturam, & qualitatem rei, de qua agitur, omnes debent consentire; quod si unus solus contradicat, hujus contradictio, ac dissensus impedit effectum petitæ gratiæ. *cap. fin.* & ibi DD. *De Major. & Obed. cap.* 1. *De His, quæ fiunt à major. part. Capit.* quod notat Venerius *in Exam. Episc. lib.* 4. *cap.* 30. *à n.* 2. *& seqq.* & docent Canonistæ, inter quos Abbas *in cap. Veniens. num.* 21. *de Præscript.* Barbosa *in Votis decisivis lib.* 2. *Vot.* 26. *num.* 22. *& lib.* 3. *Vot.* 126. *num.* 357. Lapus *alleg.* 85. Navarrus *de Redditib. Ecclesiastic. q.* 1. *cap.* 50. *num.* 8. & Rota *part.* 2. *rec. decis.* 755. *num.* 4. ubi DD.

Archipresbyter, & Canonici instantes pro perpetuitate horum Titulorum noluerunt acquiescere meæ Sententiæ, à qua appellarunt; & post non leves dissensiones, ac plura dispendia cum RR. Canonicis Martinio, ac Gonzardo defendentibus manualitatem, die 2. Julii 1695. utraque Pars se remisit arbitrio Emin. Cardinalis Episcopi Patavini, qui considerans esse magis favorabilem Sedi Apostolicæ, ac Indulto suo Cardinalitio perpetuitatem eorundem Titulorum, pro eis conferendis in Mensibus reservatis, ipsam arbitrando laudavit, & per laudum suum die 27. Martii 1697. de cætero Titulos censendos esse perpetuos declaravit.

Sequitur Bulla B. Pii V.

Pius Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

SEdis Apostolicæ providentia circumspecta circa Ecclesiarum quarumlibet, præsertim Collegiatarum, ac personarum in illis divinis laudibus insistentium statum, ne rerum temporalium, sine quibus vix spiritualia subsistere possunt, defectu, à divino cultu retrahantur, libenter intendens, nonnunquam Canonicatus, & præbendas, aliaque beneficia in eis consistentia, ad Divini cultus augmentum supprimit, & extinguit, aliterque desuper disponit, prout, rerum pensatis circumstantiis, conspicit in Domino salubriter expedire. Sanè pro parte dilectorum filiorum Archipresbyteri, & quatuor Canonicorum, residentium nuncupatorum, Ecclesiæ Sancti Martini Castri Plebis Sacci, Paduanæ Diœcesis, & unius Diaconi, ac etiam unius Subdiaconi, & Clericorum eidem Ecclesiæ inservientium petitio continebat, Quod, cum in dicta Ecclesia, quæ etiam sola inibi Parochialis existit, unus Archipresbyteratus pro uno Archipresbytero, ac unus Archidiaconatus pro uno Archidiacono, & octo Canonicatus, & totidem Præbendæ pro octo Canonicis existant, uni autem Diacono, & Subdiacono, ac Clericis ipsi Ecclesiæ in Missarum, & aliorum divinorum officiorum celebratione inservientibus præfatis nullum ibi emolumentum, & salarium constitutum, & designatum reperiatur; in eaque solus Archipresbyter, & qui residentes etiam nuncupantur, quatuor Canonici personalem residentiam faciunt; Archidiaconus verò, & qui non residentes similiter nuncupantur, reliqui quatuor Canonici dictam personalem residentiam non faciunt, ex quo ipsa Ecclesia in divinis plurimùm patiatur: Cumque benedicente Domino, dilecti Filii, Populus dicti Castri in tantùm creverit, ac Cura animarum Parochianorum dictæ Ecclesiæ per duo, vel tria milliaria, aut circiter extra ipsum Castrum se extendat, ut Archipresbyter præfatus, & primò dicti quatuor Canonici Missis, & aliis officiis prædictis, ac hujusmodi curæ Animarum exercitio sufficere non possint; & si unus, & una ex secundò dictis quatuor Canonicatibus, & Præbendis primò vacaturis, seu nunc jam vacantibus perpetuò supprimerentur, & extinguerentur; illorumque sic Suppressorum fructus, redditus, proventus, distributiones quotidianæ, & emolumenta quæcunque Mensæ Capitulari dictæ Ecclesiæ pro præfatorum Diaconi, & Subdiaconi, ac duorum Clericorum eidem Ecclesiæ deservientium victu, & sustentatione, atque dote etiam perpetuò applicarentur, & appropriarentur, ac ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus ipse Archidiaconus, & reliqui secundò dicti Canonici eidem Ecclesiæ deservire, ac prælatam personalem residentiam, & omnia alia, quæ ipse Archipresbyter, & primò dicti Canonici faciunt adinstar illorum facere tenerentur, ex hoc profecto Divini Cultus incremento, & Diaconi, ac Subdiaconi, nec non duorum Clericorum hujusmodi commoditate, plurimùm consuleretur; oneraque illi Ecclesiæ pro tempore incumbentia faciliùs supportarentur. Quare pro parte ipsius Archipresbyteri, & primò dictorum Canonicorum, ac Diaconi, Subdiaconi, & Clericorum hujusmodi, asserentium fructus, redditus, & proventus quorumlibet ex secundò dictis Canonicatibus, & Præbendis Vigintiquatuor Ducatorum Auri de Camera, secundum communem æstimationem, valorem annuum non excedere; ac dilectos filios Communitatem, & Homines dicti Castri præmissa summoperè desiderare, & exoptare; Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenùs in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia Ecclesiastica aliis uniri, teneren tur exprimere verum annuum valorem secundum eandem æstimationem etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur; alioquin Unio non valeret, & semper in Unionibus commissio fieret ad Partes, vocatis quorum interesset: ipsum Archipresbyterum, & primò dictos Canonicos, ac Diaconum, Subdiaconum, & Clericos hujusmodi, ac eorum quemlibet à quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & Pœnis à Jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes; ac dictæ Mensæ fructuum, redditruum, & proventuum verum annuum valorem præsentibus pro expresso habentes, Unum, & Unam ex secundò dictis quatuor Canonicatibus, & Præbendis, quos primò per cessum, etiam ex causa permutationis, vel decessum, aut privationem, seu quamlibet aliam dimissionem, vel amissionem illos nunc obtinentis, aut aliter quovis modo, & quandocunque, etiam in aliquo, & quocunque ex Mensibus Nobis, & pro tempore existenti Romano Pontifici, etiam per quascunque Constitutiones Apostolicas, ac etiam Cancellariæ Apostolicæ Regulas, ac aliter quomodolibet reservatis, & reservandis, aut Ordinariis Collatoribus, etiam per easdem, vel alias Constitutiones, & Regulas, aut alternativas, vel alia Privilegia, & Indulta Apostolica, ac aliàs quomodolibet concessa, & concedenda; nec non ubicunque, etiam apud Sedem Apostolicam, seu aliàs in Romana Curia, vel extra eam vacare contigerit, etiamsi jam nunc vacent, & tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio juxta Lateranensis Statuta Concilii ad Sedem eandem legitimè devoluta; ipsique primò vacaturi, aut jam nunc vacantes Canonicatus, & Præbenda dispositioni Apostolicæ specialiter, vel generaliter reservati existant, & super eis inter aliquos lis, cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, ex nunc prout ex tunc, & è contra Apostolica Auctoritate, tenore præsentium, perpetuò supprimimus, & extinguimus; illorumque sic suppressorum, & extinctorum fructus, redditus, proventus, distributiones quotidianas, ac emolumenta quæcunque dictæ Mensæ pro unius Diaconi, & unius Subdiaconi, ac duorum Clericorum, eidem Ecclesiæ deservientium hujusmodi victu, & sustentatione, atque do-

que dote, eisdem Auctoritate, & tenore etiam perpetuò applicamus, & appropriamus. Ita quod cum primùm aliquem Canonicatum, & aliquam Præbendam ex secundò dictis Canonicatibus, & Præbendis vacare contigerit, seu si illi nunc vacent, ut præfertur, ac etiam ex nunc, prout ex tunc, & è contra, liceat dilectis filiis Capitulo dictæ Ecclesiæ, ac Diacono, & Subdiacono, nec non duobus Clericis præfatis, nunc, & pro tempore existentibus, per se, vel alium, seu alios, eorum, & dictæ Mensæ nomine, corporalem, realem, & actualem Canonicatus, & Præbendæ sic suppressorum, & illis annexorum fructuum, juriumque, & pertinentiarum suarum quarumcunque possessionem propria auctoritate liberè apprehendere, & etiam perpetuò retinere: nec non fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, emolumenta, & distributiones hujusmodi percipere, exigere, & levare, ac in suos, videlicet Diaconi, Subdiaconi, & duorum Clericorum prædictorum, usus, & utilitatem convertere; Diœcesani loci, vel cujusvis alterius licentia desuper minimè requisita.

Præterea quod ex nunc deinceps, perpetuis futuris temporibus, ipse Archidiaconus, & secundò dicti Canonici, tàm moderni, quàm futuri, ad personalem in dicta Ecclesia residentiam faciendam, ac Missas, & alia Divina Officia celebrandum, eidem Ecclesiæ deserviendum, & omnia alia faciendum in omnibus, & per omnia adinstar ipsius Archipresbyteri, & primò dictorum Canonicorum omninò teneantur, ac etiam perpetuò obligati existant, ac ad id etiam inviti cogi, & compelli possint; & qui Inobedientes, ac renitentes, aut morosi reperientur, primùm fructibus, redditibus, proventibus, aliisque emolumentis suorum Archidiaconatus, & Canonicatuum, ac Præbendarum secundò dictorum mulctari, & deindè si se contumaces exhibuerint, Archidiaconatu, & Canonicatibus suis secundò dictis perpetuò, juxta Tridentini Concilii formam, privari possint Auctoritate Apostolica, & tenore præfatis similiter perpetuò statuimus, & ordinamus. Ac præsentes Litteras de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, vel impugnari, seu etiam per Nos, aut Successores nostros Romanos Pontifices, vel Sedem eandem revocari, suspendi, infringi, vel in aliquo eis derogari nullatenùs unquam posse; sed semper validas, & efficaces existere, & fore, ac suos plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; sicque in præmissis ab omnibus censeri, ac ita per quoscunque Judices, & Commissarios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac si secùs super his à quocunque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum, & inane decernimus. Non obstantibus voluntate nostra prædicta, ac felicis recordationis Bonifacii Papæ Octavi Prædecessoris Nostri, & aliis Apostolicis Constitutionibus dictæ Ecclesiæ, juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate aliàs roboratis, Statutis, & consuetudinibus contrariis quibuscunque: Aut si aliqui Apostolica præfata, vel alia quavis Auctoritate in dicta Ecclesia in Canonicos sint recepti, vel ut recipiantur insistant: seu si super provisionibus sibi faciendis de Canonicatibus, & Præbendis ipsius Ecclesiæ speciales, vel aliis beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus generales dictæ Sedis, vel Legatorum ejus Litteras impetrarint; etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel aliter quomodolibet sit processum. Quas quidem Litteras, & Processus habitos per easdem, & indè secuta quæcunque ad primò vacaturos, seu jam vacantes Canonicatum, & Præbendam hujusmodi volumus non extendi; sed nullum per hoc eis quoad assequutionem Canonicatuum, & Præbendarum, vel beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibuslibet aliis Privilegiis, Indulgentiis, & Litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus quorumcunque tenorum existant; atque præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumcunque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris Litteris mentio specialis. Nulli ergò hominum omninò liceat hanc paginam nostrorum absolutionis, suspensionis, extinctionis, applicationis, appropriationis, statuti, ordinationis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo, Quingentesimo, Sexagesimo Octavo, Tertio decimo Calendas Junii, Pontificatus Nostri Anno Tertio.

DISCORDIA XLII.

ARGUMENTUM.

Episcopus non potest erigere in Canonicatum cum obligatione quotidianæ residentiæ in Choro Capellaniam Laicalem habentem ex fundatione onus Missæ quotidianæ.

SUMMARIUM.

1 *Bordoni opinio, quod Episcopus possit convertere Capellaniam Laicam in Ecclesiasticam.*
2 *Cæsaris de Pammollis doctrina quod Episcopus non possit.*
3 *Onus Capellanis non est ab Episcopo imponendum, quod Fundatores non imposuerunt.*
4 *Canonicatus in erectione quæ sint exigenda, & contribuenda?*
5 *Testator quod non dixit, præsumitur noluisse.*
6 *Testatoris intentio in testamento non expressa non est attendenda.*
7 *Mansionaria præcipuè significat obligationem celebrandi Missas.*
8 *Capellani non sunt adstringendi ad Chori residentiam; neque fructus Capellaniæ sunt applicandi pro distributionibus quotidianis.*

Cum in Justinopolitana Cathedrali Ecclesia, vulgò *di, Capod'Istria*, quædam pia Testatrix reliquisset pinguem Capellaniam Laicalem cum onere Missæ quotidianæ; eâ defunctâ Capellanus per ipsam nominatus, ambiens Canonicalis Dignitatis, honorem suasit Episcopo, ut prædictam suam Capellaniam erigeret in Canonicatum cum onere residendi in Choro in eadem Cathedrali, & detraheret certam portionem fructuum ejusdem Capellaniæ, eam Mensæ Capitulari applicando pro distributionibus quotidianis lucrandis per dictum Capellanum factum Canonicum; asserens talem fuisse mentem Testatricis. Ita fecit Episcopus: sed defuncto primo Capellano Canonico; Capellanus Canonicus successor recusavit ratam habere dictam erectionem Capellaniæ suæ in Canonicatum, sentiens se gravatum tùm in obligatione residendi in Choro, tùm in detractione fructuum pro lucrandis quotidianis distributionibus. Idcircò cum Illustrissimus, ac Reverendissimus Paulus Naldinus Episcopus Successor requisivisset meam opinionem circa factum sui Prædecessoris, ita ei respondi.

Non transit absque magna dubitatione, An Episcopus potuerit erigere in Canonicatum Laicam Capellaniam, seu simplex Legatum cum onere Missarum, relictum à pia Testatrice; etsi accesserit consensus, imò supplicatio, & instantia primi Capellani ab ea-

Digitized by Google

ab eadem Testatrice nominati: nam quod sit valida prædicta Canonicatus erectio, faciunt rationes satis concludentes, exaratæ in quatuor foliis de hac re ad me transmissis; quibus addi potest id, quod scribit Bordonus *De Legatis cap.12. num.10.* his verbis: *Quæ-*
1 *res 6: An Capellania Laicalis per Episcopum converti possit in Ecclesiasticam? Respondetur, Posse, quando Testator non prohibuit expresse, & hoc de consensu hæredis; tùm quia id est favorabile Ecclesiæ, tùm quia est honorabilior Capellania Ecclesiastica, quàm Laicalis, tùm quia meliùs conservatur in sua perpetuitate.* Ita Gonzalez *gloss.5. n.58.* Castropal. *tract.13. de Benefic. disp.1. punct.6. num.3.* At in casu mihi supposito Testatrix non prohibuit expresse, imò juxta primi Capellani assertionem, ejus mens erat facere unum Canonicatum in illa Ecclesia Cathedrali ad exemplum prædefuncti mariti sui, qui in eadem alium Canonicatum fundaverat.

At è contra quod fieri non potuerit, & quod sit invalida prædicta Canonicatus erectio facta per Episcopum, ob magnum præjudicium resultans Capellanis pro tempore ad celebrationem Missarum eligendis, qui adstringuntur ad gravissimum onus quotidianæ residentiæ in Choro, absque ullo emolumento, ultra redditus relictos à Testatrice pro simplici celebratione Missarum, valdè urgent ea, quæ in consimili casu considerat Cæsar de Panimollis
2 *Decis.21. à num.6. & seqq.* his verbis: *Per Ordinarii auctoritatem interpositam non censetur mutata natura Legati.* Decius *cons.126. num.3 in fin.* Rota *decis.611. & seq.* coram Card. Seraphino. *& Decis.639. à num.5.* coram Card. Cavalerio. *& Decis.224.* coram Buratto. *Est enim Episcopo interdictum alterare qualitatem Capellaniæ contra voluntatem Testatricis, aut* (notetur) *in præjudicium eorum, quibus ejus vigore competit Jus; ad text. in cap. Porrò. extra de Privileg. & in Clement. Quia contingit. §. Cui autem. De Religios. Domib.* Perez de Lara *De Anniv. lib.2. cap.1. n.23. Vers. & perperam faciunt Ordinarii.* Rota *in Ripana Oratorii 10. Maii 1591.* coram Gyplio; *& alia Rotæ relata in Pampilonen. Capellaniæ 25. Maii 1646.* coram Card. Corrado. *Ac proindè cum perperàm accesserit Ordinarii auctoritas in fundatione hujus Capellaniæ, fundatricis dispositio nullam accepit alterationem, sed remansit in sua natura simplicis relicti pro celebratione Missarum, excludentis qualitatem beneficii Ecclesiastici.*

Cum igitur non possit Episcopus erigere in beneficium Ecclesiasticum Capellaniam Laicalem cum præjudicio vel electi ad illam, vel Testatricis, à qua fuit ordinata; erectio in Canonicatum illius Capellaniæ, de qua agitur, videtur invalida; tùm ob præjudicium Capellani, per illud onus ei impositum interes-
3 sendi Choro cunctis diebus, tùm ob præjudicium Testatricis; quia, si ex redditibus per eam relictis pro Missis celebrandis, detrahenda est aliqua notabilis portio, & ponenda in Massa Communi Canonicorum pro residentia, (ut mihi supponitur ex facto) eam Capellanus amittet, si non resederit, & sic numerum Missarum diminuet, cum Testatricis animæ præjudicio. Oportebat in dicta Canonicatus erectio-
4 ne, quod Capitulum reciperet Capellanum illum ad participandas distributiones absque aliqua contributione fructuum Capellaniæ; vel quod ille primus Capellanus, qui institit pro illa Canonicatus erectione, contribueret, de suis propriis bonis, honestam summam lucrandam à se, & Successoribus suis residentibus; vel quod Episcopus per alicujus beneficii simplicis unionem pro augendis distributionibus quotidianis providisset, hoc enim modo Canonicus Successor non reclamasset, tanquam gravatus, sine emolumento in sua Capellania.

Neque me movet assertio primi Capellani, quod voluntas Testatricis fuerit faciendi novum Canonicatum ad imitationem sui mariti; quia totum contrarium præsumitur ex ejus Testamento: si enim Testatrix voluisset, in Testamento dixisset; & est regula
5 Juris certa, *quod Testator non dixit, præsumitur noluisse. l. Quidam cum filium. ff. de Hæred. Instit.* Marcus Mantua Patavinus *tom.1. cons.326 num.4. & tom.2. cons.105. num.7.* ubi alios DD. cumulat. Sed esto, talem fuisse Testatricis intentionem, cum eam in
6 Testamento non expresserit, minimè est attendenda. Fusarius *de Substitut. quæst.261. num.9.*

Tandem etiam ex eo, quod primus Capellanus factus Canonicus in electione sui Successoris vocaverit eum ad Mansionariam, non autem ad Canonicatum, denotatur eum facti pœnituisse; siquidem illa Vox *Mansionaria*,
7 etsi sit æquivoca, & in Jure plures recipiat interpretationes, tamen ex communi usu loquendi significat titulum, & obligationem celebrandi Missas. Sed hoc parùm interest; tota difficultas est circa onus illud gravissimum impositum Capellanis, absque particulari emolumento, quotidianæ residentiæ in Choro; imò cum detractione alicujus notabilis portionis fructuum Capellaniæ pro quotidianis distributionibus; circa quas, si aliundè prudentia eximia moderni Episcopi remedium inveniret, facilè esset sopire omne litigium, & suasum reddere præsentem Capellanum, ut ratam haberet Canonicalem erectionem jam factam; & lucrando distributiones, ultra integrum Legatum à Testatrice relictum, non detrectaret horis Canonicis interesse; & hoc novo Canonicatus titulo, ac honore
8 potiri. At insistendo in erectione Canonicatus jam facta, valdè dubito de eius validitate, tùm, ut dixi, ob præjudicium Capellanorum, qui adstringuntur ad gravissimum onus quotidianæ residentiæ in Choro, ultra obligationem Missarum à Testatrice relictam; tùm ob detractionem redditi um ab eadem Testatrice assignatorum pro Missis celebrandis, & eorum translationem in quotidianas distributiones contra mentem, & voluntatem ejusdem Testatricis.

DISCORDIA XLIII.

ARGUMENTUM.

Refertur consilium Nicolai Noalis, olim Advocati Veneti, asserentis, Transactiones initas inter Episcopos Paduæ, & Capitulum Collegiatæ Plebis Sacci de Annis 1578. & 1620. super Jure eligendi Canonicos, esse invalidas tanquam præjudiciales eidem Capitulo, & Beneplacito Apostolico destitutas. Ponuntur rationes Curiæ Episcopalis Paduæ pro validitate earundem Transactionum, occasione litis exortæ de Anno 1668. ob electionem factam ab Episcopo ad Præbendam, & Canonicatum Theologalem ejusdem Collegiatæ.

SUMMARIUM.

1 *Hieronymus Martinius Canonicus Plebis Sacci laudatus.*
2 *Transactiones inter Episcopos Paduæ, & Capitulum Plebis Sacci de Annis 1578. & 1620.*
3 *Nicolai Noalis Advocati Veneti Consilium pro Capitulo Plebis Sacci.*
4 *Transactionum supradictarum Tenor.*
5 *Capitulum Plebis Sacci non tenetur servare easdem Transactiones.*
6 *Solemnitas eadem est necessaria in Transigendo, ac in rebus Ecclesiæ alienandis.*
7 *Transactio est species alienationis.*
8 *Alienari non possunt res Ecclesiæ sine Superioris consensu.*
9 *Res judicata habetur pro veritate.*

10 Ca-

Digitized by Google

OCcasione informationum, quas mihi dabat R.D. Hieronymus Martinius Canonicus Plebis Sacci super manualitate Titulorum Diaconalis, ac Subdiaconalis Collegiatæ Ecclesiæ illius loci, de qua in *Discord. XLI.* cum observarem, eum esse virum summoperè pium,
1 & valdè doctum, tanquam in utroque Jure Laureatum, & celeberrimo DD. Juristarum Collegio huic Patavino aggregatum, eum leniter improperavi de collatione per ejus Capitulum facta Canonicatus Theologalis non Curati (qui vacavit Anno 1668. die 30 Martii) Presbytero Joanni Salvo; cum ejusdem Canonicatus dispositio manifestè spectaret ad Eminentissimum Cardinalem Episcopum Patavinum vigore Transactionis, ac concordiæ bis initæ, ac renova-
2 tæ inter Patavinos Episcopos, ipsumque Capitulum de Anno 1578. ac de Anno 1620. in qua transactum, & concordatum fuerat, quod electio, & collatio quatuor Canonicatuum Curatorum spectaret ad Capitulum; electio verò, ac dispositio aliorum quatuor Canonicatuum non Curatorum pertineret ad Episcopum Paduanum pro tempore existentem; quæ transactio, & concordia semper observata, & inviolabilis extiterat usque ad d. Annum 1668. ut scripsi supra in *Discord. XXI.* præter creationem Canonicatus in Theologalem, qua attenta qualitate; electio spectat ad Episcopum. Modestè mihi respondit prælaudatus Canonicus Martinius, antedictam Transactionem, ac concordiam creditam fuisse per Capitulum de Jure nullam juxta studium, quod fecerat, olim celeberrimus Advocatus Nicolaus Noalis Venetus, & Votum suum, quod circa illam conscripserat; &
3 mihi legendum exhibere se paratum offerrebat: idque cum fecisset, & mihi visum foret prædictum Votum satis doctum; illud inter has Discordias inserere duxi de verbo, ad verbum transcriptum; eo quia inter Consilia ejusdem Noalis typis impressa non reperitur; & est hujusmodi.

De Anno 1578. inita fuit Transactio, sivè Concordia inter Illustrissimum, & Reverendissimum Dominum Episcopum Paduæ tunc temporis existentem ex una, & Reverendum Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ S. Martini Plebis Sacci ex altera, qua conventum est, electionem Canonicatuum Curatorum va-
4 cantium in mensibus Capituli spectare ad ipsum Capitulum: electionem autem aliorum Canonicatuum non curatorum ad dictum Illustrissimum Dominum Episcopum pertinere; & ista Transactio fuit postmodum de Anno 1620. denuò ab Episcopo Successore, & Capitulo prædicto approbata, & ratificata: Undè nunc Quæritur, An dicta Transactio, sivè Concordia valida sit, vel invalida? Et An Capitulum teneatur stare eidem Transactioni? Et veri-
5 tas est, eandem Transactionem sic ratificatam non

P subsi-

Digitized by Google

subsistere, sed esse de Jure nullam; & propterea Capitulum ei stare non teneri.

Primò quia eadem solemnitas requiritur in Transactione super rebus Ecclesiasticis, quæ requiritur in earum alienatione. Caccialupus *de Transact. q. 7. num. 7. & q. 8.* Rolandus *conf. 151. num. 1. & seqq.*
6 *vol. 1.* Rebuffus *de alienat. rer. Eccles. num. 66.* Rota *Decis. 755. num. 2. part. 2. recent.* Cravetta *conf. 323. num. 1. Vers. hoc ita.* Federicus de Senis *conf. 94. num. 1.* Verallus *Decis. 106. num. 3. part. 1. & Decis. 318. part. 3.* Et ratio est, quia transactio est species alienationis. Baldus *in l. 1. in princ. C. Si adver-*
7 *sus transact.* Rebuffus *loc. cit. num. 2.* Redoanus *de Rebus Eccl. non alien. q. 2. cap. 1. num. 1. & 2.* adeò ut prohibitus alienare est prohibitus transigere. *l. Non solum. C. de Præd. Minor.* Redoan. *d. cap. 1. in princ.* Tiraquellus *de Retractu Consanguin. §. 1. Gloss. 14. num. 65.* Surdus *conf. 501. num. 9. vol. 4.* Et in specie quod concordia facta inter Episcopum, & Capitulum, per quam aliquid detrahitur de mensa unius, sit alienatio, tradit, & tuetur Garzias *de Benefic. part. 5. cap. 4. num. 723.* Et hoc verum est non solùm quando quis transigit transferendo rem contentiosam in alium, prout in casu nostro, de quo nullum extat dubium. Rebuff. *de alien. rer. Eccl. num. 2.* Redoan. *q. 2. cap. 1. num. 1. & seq.* Roman. *conf. 166. num. 1.* Baldus *in cap. 1. num. 6. De Controv. inter domin. & alium. de benef. & in cap. Imperialem. num. 17. De Prohibita feudi alienat.* Parisius *conf. 1. num. 134. lib. 1.* Julius Clarus *in §. Feudum. q. 38.* cum aliis congestis per Rosentalium *de Feudis cap. 9. membr. 1. conclus. 21. num. 2. & seqq.* Sed etiam procedit, quando transigit illam dimittendo penes possessorem; nam adhuc ipsa transactio dicitur alienatio. Glossa *in l. Cum hi. §. Si uni in Verb. transactione. ff. de Transaction.* Et consequenter non potest fieri sine solemnitatibus requisitis in alienatione rerum Ecclesiæ, prout sic in terminis concludunt Bart. *in l. Nullo num. 1.* & Jas. *num. 2. ff. De Transact.* Abbas *in cap. Contingit. num. 3. Vers. concludere. eod. tit.* Federic. de Senis *conf. 94. num. 1.* Cravetta *conf. 323. num. 1. Vers. Hoc ita.* Et sic amplexa est Rota coram Coccino *Decis. 301. num. 1. & Decis. 362. num. 3.* ubi aliæ Decisiones allegantur; & alias plures cumulat Surdus *conf. 501. sub num. 9. vol. 4.* & Rosental. *loco citato num. 4. Litt. G.* Sed
8 in alienatione rerum Ecclesiasticarum requiritur consensus, & authoritas Superioris. *cap. Sine exceptione. cap. Abbatibus, & cap. Placuit. 2. q. 2. cap. In venditionibus 17. q. 4. cap. Nulli. De Reb. Eccl. non alien.* Extravag. *Ambitiosæ eod. tit. inter com.* & alienatio aliter facta est ipso Jure nulla. *cap. Si quis Presbyterorum.* Et ibi Glossa *in Verb. nulla. De Rebus Eccl. non alien.* d. Extravag. *Ambitiosæ. eod. tit.* & tradit Rebuffus *de Alienat. rer. Eccles. num. 102.* & facit etiam *text. in d. cap. Sine Exceptione 12. q. 2.* Idcircò cum in dicta transactione, sive concordia non intervenerit consensus, & auctoritas Superioris; ob id est ipso jure nulla; & Capitulum prædictum ei stare non tenetur; nam quod dicta transactio, vel concordia sit nulla, & invalida ex hujusmodi defectu authoritatis Superio-
9 ris, extat quoque de hoc res judicata; quæ habetur pro veritate. *l. Ingenuum, ff. de Statu hom. l. 3. in princ. ff. de liber. agnosc.* Cum enim de anno 1605. Mensis Augusti vacaverit unus ex dictis Canonicatibus non curatis per obitum q. R. D. Hieronymi Rebellini, & Capitulum illum contulerit R. D. Patritio de Patritiis; & è contra Episcopus illum contulerit R. D. Santino Stellæ, judicatum fuit per diffinitivam Sententiam Tribunalis Illustrissimi, ac Reverendissimi Nuntii Apostolici Venetiarum, in
10 contradictorio judicio, & non appellatam, provisum ab Ordinario nullum Jus habere; & tamen si ipsa concordia fuisset valida, valida quoque fuisset collatio ipsius Episcopi, stante quod vacatio successit in mense suo Ordinario, quia gaudebat alternativa. Sic decisum est à Rota *Decis. 232. part. 1. recent.* ubi inter Episcopum, & Capitulum cujusdam Collegiatæ facta fuit similis concordia, per Papam tamen confirmata super collatione Canonicatuum; & cum unus ex ipsis Canonicatibus vacasset in mense Ordinarii gaudentis alternativa, illum contulit uni; & Papa contulit alteri: undè vertente lite inter hos
11 duos provisos, decisum fuit ad favorem provisi ab Ordinario; & sic decisum fuit, Canonicatus ipsos comprehendi sub alternativa ejusdem Ordinarii; quod etiam decisum est apud Card. Seraphinum *Decis. 296. num. 8.* & alias Decisiones refert, ac sequitur Garzias *de Benef. part 5. cap. 1. num. 708. & num. 726.* & plenè Gonzalez *super Reg. 8. Cancell. gloss. 45. §. 1. num. 15. & seqq.* Ex quo fit, quod cum in casu nostro judicatum fuerit ad favorem provisi à Papa ad exclusionem alternativæ Ordinarii, necessariò dicendum est, non ex alia causa hoc evenisse, nisi propter nullitatem ipsius concordiæ, uti factæ sine authoritate Superioris in similibus actis requisita, ex superiùs dictis.

Nec obstat, quod idem Capitulum non possit venire contra factum proprium. *l. Post mortem. ff. de Adopt. l. Cum profitearis. C. De revoc. donat. cap. Veniens. De Filiis Presbyteror.* quia ista conclusio, quod quis non possit venire contra factum proprium, fallit in alienatione rerum Ecclesiæ, nam alienatores
12 ipsi possunt alienationes per se factas revocare. Textus est in *d. cap. Si quis Presbyter, De Reb. Eccl. non alien.* & ratio esse potest propter specialem favorem Ecclesiæ, & odium illius, qui accipit jura Ecclesiæ minùs legitimè; sic dicit Glossa *in cap. Diversis fallaciis. in Verb. Non per te. De Cleric. conjug.* Sed tamen alia ratio esse potest, quia unicuique licitum est venire contra factum proprium in iis, quæ à jure improbantur. *cap. Nosti. de Elect. cap. Pænitentes. 55. dist. l. Quemadmodum.* propè finem, & ibi Gloss. *1. C. De Agric. & Cens. lib 11.* Glossa *in cap. Quod semel. Vers. & incidit. De Reg. Jur. in 6.* Bart. *in d. l. Post mortem. in princ.* & ibi Alex. nec non idem Alex. *conf. 193 num. 1. lib. 2.* Felinus *in cap. 2. num. 9 de Except.* Afflictus *Decis. 335. num. 11.* cum aliis ibi citatis; quod enim nullum est, nullum præstat impedimentum. *cap. Non præstat. De Reg. Jur. in 6.*

Pariter non officit textus *in cap. 3. de Transact.* ubi dicitur, quod postquam Capitulum consensit transactioni, non potest ulteriùs eam revocare. Quia
13 respondetur, quod ibi agebatur de validitate ratificationis, & consensus præstiti; an scilicet ratificatio haberet vim validi consensus, non autem agebatur de authoritate Superioris, & sic loquitur textus respectu ipsius consensus, non respectu aliarum solemnitatum, præsertim authoritatis Superioris, ut in puncto respondit quoque Federic. de Senis *conf. 94. num. 2. vers. Non obstat.*

Itidem quis dicere non potest, hanc conclusionem, ut non possit transigi de rebus Ecclesiasticis sine authoritate Superioris, non esse intelligendam
14 de transactione, vel concordia super juribus incorporalibus; prout est Jus eligendi Canonicos, stante quod textus, & rubrica prohibentes hujusmodi alienationem loquuntur specificè de Rebus Ecclesiæ, non autem de Juribus ejusdem Ecclesiæ: Quia respondetur, quod in hujusmodi prohibitione alienativa comprehenditur etiam jus ipsum eligendi Canonicos; nam licet text. & rubrica loquantur de rebus; tamen
15 appellatione rei comprehenduntur etiam jura. *l. Rei. la 2.* & ibi Glossa ult. *ff. de Verb. Signif.* & non est mirum, quia quidquid habent homines in terra, venit sub nomine pecuniæ. *cap. Totum 1. q. 3.* appellatione autem pecuniæ continentur etiam jura. *l. Pecuniæ 3. ff. de Verb. Signific.* Sed in specie quod in hac

Digitized by Google

hac prohibitione alienationis intelligatur etiam pro-
hibita alienatio jurium Ecclesiæ decidit textus in *cap.*
Quicunque. 17. q. 4. ibi per ea verba *vel quidquid*
de jure Ecclesiæ alienare tentaverit: Quod etiam vo-
luit Abbas *in cap. Nulli. num.* 9. *De reb. Eccl. non*
alien. & in cap. Cum pridem. num. 4. *de Pactis*. Et
Quaranta *in Summ. Bullar. verb. Alienatio num.* 22.
& 26. ubi dicitur, quod Jura, vel actiones Eccle-
siæ non possunt cedi, vel alienari sine solemnitati-
bus; idemque tradit Rebuffus *de Alienat. rer. Eccles.*
num. 54.

Nec valet, si dicatur, quod Illustrissimus Domi-
nus Episcopus intervenerit in hujusmodi transactio-
ne; & sic iste interventus deserviat pro authoritate
requisita. Quia respondetur, quod iste ejus interven-
16 tus non satisfacit, cum ibi interfuerit tamquàm
principalis, & in facto suo proprio; nam in facto
proprio nemo authorizare potest. *l. 1. l. Pupillus. ff.*
De Author. Tutor. cap. fin. de Institut. Glossa *in Clem.*
fin. in Verb. Mensæ. De Reb. Eccl. non alien. Sed ta-
men hodie cessat omnis difficultas, stante quod re-
quiritur authoritas Summi Pontificis, de qua extat
textus apertus *in d. Extravag. Ambitiosæ. eod. tit.*
17 & in terminis transactionis quod necessarium sit
Beneplacitum Apostolicum, sic decisum est à Rota,
ut per Coccinum *Decis.* 301. *num.* 1. *& Decis.* 362.
num. 3.

Secundò principaliter quod dictum Capitulum Ple-
bis Sacci non teneatur stare eidem Transactioni,
vel concordiæ, adduco, quod ea fuit personalis, nec
afficit, nec legat successores ipsorum transigentium,
18 nec ad eos transit ex duobus. Primò quia non fuit
confirmata, & confirmatione cessante transactio re-
manet personalis, & non afficit successores. *cap.*
Veniens. & ibi Glossa *Verb. Confirmatum. de Tran-*
sact. Glossa penult. *in cap. Ex multiplici. de Decimis*
Federic. de Senis *cons.* 84. *per totum.* Garzias *de Be-*
nefic. part. 5. *cap.* 4. *num.* 721. *cum duob. seqq.* Re-
doanus *de Reb. Eccl. non alien. q.* 2. *cap.* 1. *num.* 10.
& 11. Ludovisius *Decis.* 152. *num.* 1. & ibi Adden.
num. 3. ubi allegat alias Rotæ Decisiones. Transa-
ctio enim est stricti juris, & non egreditur personas
in ea expressas. *l. Si unus §. Si ante omnia ff. de*
Pactis l. 2. *C. Res inter alios acta*. Secundò fit per-
sonalis ex eo, quod est præjudicialis eidem Ecclesiæ
Collegiatæ S. Martini, & Mensæ prædicti Capituli;
19 & propterea tanquam præjudicialis, & damnosa
censetur esse personalis, & non obligat, neque affi-
cit successores, nec ad eos transit. *cap.* 2. *de Pre-*
car. cap. Si quis Presbyterorum. De Reb. Eccl. non
alien. cap. Quod quis. 35. *q.* 9. Geminian. *cons.* 17.
num. 9. Rebuffus *de Alien. rer. Eccles. num.* 104.
Vers. 2. Redoan. *q.* 57. *num.* 67. Rota *Decis.* 659.
num. 3. *part.* 2. *recent.* & hoc procedit, & locum
habet, etiamsi auctoritas Superioris intervenisset;
nam quando extat præjudicium, tunc authoritas Su-
perioris nihil operatur; cum Principis rescriptum non
confirmet malè gesta. *l. Authoritate. C. Undè vi.*
Bellamera *Decis.* 502. Grammat. *Decis.* 56. *num.* 60.
Aretin. *cons.* 14. *col.* 9. Quod autem hæc transactio
fuerit præjudicialis, & damnosa prædictæ Ecclesiæ,
& illius Mensæ, id facilè dignoscitur ex eo, quia
ab ejus Mensa detrahitur jus eligendi omnes Cano-
nicos non curatos, quod quidem jus eligendi licèt ex
forma ejusdem transactionis devolutum esset in Men-
sam Episcopalem, hoc fieri non potest cum præju-
dicio unius partis. *cap.* 1. *De Reb. Eccles. non alien.*
ubi dicitur, quod licitum non est Episcopo terras
unius Ecclesiæ vertere ad aliam; & concordat Glos-
sa, & text. *in cap. Possessiones. eod. tit. de Reb. Eccl.*
non alien. qui loquitur de bonis Mensæ Capituli, &
post alios, quos refert, sic docet Garzias *de Benefic.*
part. 5. *cap.* 1. *num.* 523.

Nec relevat, quod cum dicta Transactio inita fue-
rit usque de Anno 1578. intrat præsumptio, quod
per lapsum triginta annorum ea fuerit confirmata.
20 Gabriel *de Præsumpt. concl.* 1. *num.* 3. Vasquez *Con-*
trov. illustr. lib. 2. *cap.* 64. Redoan. *q.* 39. *num.* 20. *&*
seqq. Menochius *de Præsumpt. lib.* 3. *Præsumpt.* 131.
num. 42. Surdus *cons.* 249. *num.* 24. *vol.* 2. Rota *De-*
cis. 179. *part.* 2. *divers.* & consequenter quod ista
præsumpta Confirmatio operetur, ut ipsa transactio
censeatur esse realis, & liget, ac afficiat successores,
prout sic in specie decisum fuit ab eadem Rota *De-*
cis. 159. *num.* 4. *part.* 1. *recent.* & tradunt Addent.
ad Ludovis. *Decis.* 152. *num.* 4. Nam respondetur pri-
mò, quod licèt ex cursu triginta annorum deduca-
tur præsumptio confirmationis transactionis, & al-
21 terius solemnitatis requisitæ, tamen hoc procedit in
dubio; secùs quando constat de contrario, quod sci-
licèt nulla adhibita fuerit confirmatio. Paulus de
Castro *cons.* 81. *num.* 2 *vol.* 2. Alex. *cons.* 1. *vol.* 4.
Jas. *cons.* 140. *& cons.* 148. *lib.* 4. Decius *cons.* 564.
num. 13. Roland. *cons.* 90. *num.* 46. *lib.* 1. Et ratio
est, quia præsumptio succedit solùm in casu dubio.
Glossa *in l. Unic. §. Accedit, in Verb. præsumitur. C.*
De Rei Uxor. act. Decius *in l.* 1. *num.* 2. *C. Qui ad-*
mitti. Berous *cons.* 19. *num.* 14. *vol.* 2. & cessat, ubi
22 constat de veritate. *l. fin. ff. Quod metus causa. l.*
Nuptura. in fin. ff. De Jure Dotium. Decius *cons.*
400. *num.* 8. Cardinal. *cons.* 28. *num.* 110. *& seqq.*
vol. 1. *& cons.* 181. *num.* 1. *vol.* 2. In hoc autem ca-
su constat, prædictam transactionem anni 1578. non
fuisse authoritate alicujus Superioris confirmatam,
sed fuisse nullam; idque apertè apparet ex eo, quia
partes ipsæ de Anno 1620. denuò per viam novæ
transactionis, vel concordiæ eandem primam tran-
sactionem ad evitandas lites, & expensas approba-
runt, & ratificarunt: nam eo ipso quod quis ratifi-
23 cat aliquem actum, vel procurat illius ratificatio-
nem, censetur fateri, illum non tenuisse, nec esse
confirmatum; quia ratificatio tunc habet locum,
quando id, quod factum est, non tenuit; secùs quan-
do tenuit. Gloss. 1. *post princ. in l. Julianus. ff. Qui*
satisd. cogant. id enim, quod validum est, non indi-
get approbatione, vel ratificatione. *l. Legatum inuti-*
liter. ff. de Legat. 1. Baldus *in tract. de Schismaticis*
num. 25. Hinc videmus, quod qui fecit se legitima-
re, censetur fateri, se pati defectum legitimitatis,
& illegitimum esse. *l.* 2. *in princ.* & ibi Baldus *num.*
1. *C. de Jure aur. anulor.* Paulus de Castro *in l. De-*
cem num. 4. & Alex. *num.* 34. *ff. de Verb. oblig.* Et
24 petens simpliciter se absolvi ab excommunicatione,
videtur pariter fateri, se esse excommunicatum, quæ
opinio verior, & tutior est. *cap. Venerabilem. §.*
Sunt enim. & ibi Glossa *in verb. Postulavit. de Elect.*
Bart. *in d. l. Decem. num.* 7. & Paulus de Castro
num. 4. *ff. De Verb. oblig.* & Roman. *cons.* 265. Igi-
tur pari modo, cum Dominus Episcopus procura-
verit, quod Capitulum de novo ratificet ipsam tran-
sactionem, censetur fateri, eam non esse confirma-
tam, & pati defectum nullitatis; & sic cessat alle-
gata præsumptio, quod fuerit auctoritate Superioris
confirmata.

Nec dicendum est, ipsam transactionem sustineri
in vim prædictæ ratificationis: Quia respondetur,
quod cum prædicta ratificatio non sit authoritate Su-
25 perioris confirmata, & laboret eodem defectu, quo
laborabat eademmet transactio ratificata, ipsa pari-
ter non transit ad successores transigentium, nec eos
ligat, neque afficit; nam ad effectum ut ratificatio
valida sit, debet continere omnes solemnitates, quæ
requiruntur in confectione actus principalis. *l. Sicut*
proponis. 2. *C. de Nupt.* Decius *cons.* 532. *num.* 2.
Aretin. *cons.* 128. *num.* 1. Roman. *cons.* 12. *num.* 6
Tiraquell. *de Retract. consanguin. §.* 1. *gloss.* 10. *num.*
93. Et in puncto, quod in ratificatione alienationis
rerum Ecclesiasticarum requirantur eædem solemni-
tates, quæ requiruntur in ipsa alienatione tradunt
Innocent. *in cap. Cum dilecti. Vers. Sed dicis. De*

P 2 *Empt.*

Digitized by Google

Empt. & Vendit. & ibi Jo. Andreas *num.* 5. Roland. *cons.* 9. *num.* 49. & *seq. vol.* 1. Surdus *cons.* 28. *num.* 120. *vol.* 1. Roman. *cons.* 12. *num.* 6. Et idem dicitur de ratificatione alienationis bonorum feudalium. Menochius *cons.* 2. *num.* 292. Osasch. *decis.* 165. *num.* 13. ubi multos concordantes allegat; & de contractibus minorum Berous *cons.* 34. *num.* 6. *vol.* 1. Sed in alienatione, vel transactione rerum Ecclesiæ, ad effectum ut valeat, & afficiat Successores transigentium, requiritur authoritas Papæ. *d. Extravag. Ambitiosæ. De Reb. Eccles. non alienan.* Ergo pari modo ea requiritur in ratificatione.

Ulteriùs ista conclusio, quod ex lapsu triginta annorum præsumatur beneplacitum Apostolicum, & Summi Pontificis confirmatio, non est sic indistinctè, & generaliter vera, nam ultra cursum temporis requiritur etiam quod concurat observantia; aliàs transactio, vel concordia non præsumitur confirmata per solum lapsum temporis, nisi etiam per dictum tem-
25 pus observata fuerit; adeòut hæc duo copulativè requirantur, ad hoc ut in transactione præsumatur beneplacitum, & confirmatio Apostolica, videlicèt cursus temporis triginta annorum, & observantia ejusdem transactionis: sic in terminis decisum est à Rota coram Coccino *in cit. decis.* 301. *num.* 2. *& seqq. & decis.* 362. *num.* 6. post alios DD. ibidem recitatos; quæ quidem observantia non concurrit in casu isto; nec de ea constat, vel constare potest. Igitur consequens est, cessare motivum præsumptæ confirmationis.

Nec valeret replicatio, quod hodiè adhuc sint in vita omnes illi Canonici, qui aderant de tempore prædictæ ratificationis, videlicèt de Anno 1620. & ideò non sit quærendum, An ipsa transactio ratificata liget Successores eorum transigentium, postquam hi omnes vivunt hodiè, qui tunc vivebant. Quia respondetur, quod etiamsi iidem Canonici essent iidemmet, qui aderant de eo tempore, Illustrissimus Episcopus non est idem, cum sit vita functus, & succes-
27 sit in ejus locum Illustrissimus, ac Reverendissimus D. Cardinalis Valerius; transactio enim, quæ personalis est, puta quia non est confirmata per Superiorem, vel facta est sub nomine proprio, vel ex alio respectu est personalis, remanet extincta ipso Jure
28 per mortem unius ex transigentibus. *l. Sed & interpellatur. §. fin. ff. de Arbitr. cap. Ex parte eod. tit.* Glossa *in l. Diem. §.* 1. *in Verb. morte. ff. eod. de Arbitr.* Lanfranc. *de Arbitr. part.* 4. *membr.* 5. *num.* 7. ibi enim habetur, quod morte alterius ex compromittentibus expirat compromissum quo ad omnes. Hinc videmus, quod si contingat locationem, quæ aliquo respectu personalis est, extingui per mortem locatoris, ea censetur extincta etiam quo ad conductores; itaut si successor in beneficio vellet eam rati-
29 ficare; id facere non posset, nisi consentiente etiam altera parte. Rota *decis.* 1. *De Locat. in novis.* Socin. *cons.* 32. *num.* 9. *vol.* 1. Ananias *in cap. fin. num.* 15. *Ne prælati vic. suas.* Et ratio præmissorum est, quia res semel extincta non potest aliquem effectum operari, & inter partes servanda est æqualitas *l. fin. C. de Fruct. ex expens.* Nec contractus debent claudicare *l. Litigatores. §. pen. & ult. ff. de Arbitr.*

Minus juvat asserere, quod hujusmodi transactio, vel concordia censeatur esse facta in utilitatem Ecclesiæ, tanquam facta de re dubia, & consequenter
30 liget Successores absque alia confirmatione Superioris. *cap. fin. de Pactis in* 6. Natta *cons.* 441. *n.* 9. cum allegatis per eum. Quia respondetur, casum nostrum non esse de re dubia, sed de re clara; cum sit conclusio satis recepta, quod Jus eligendi ad Canonicatus in Ecclesia Collegiata spectat ad Capitulum;
31 confirmatio autem ad Episcopum. *cap.* 1. *de Elect.* Gonzalez *Super Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 45. *num.* 47. latè Garzias *de Benefic. part.* 5. *cap.* 4. *num.* 64. *& seqq.* & tenuit Rota antiqua, & moderna. Siquidem de antiqua testatur Cassadorus *decis.* 22. *num.* 3. *de Præbend.* ubi dicit, quod Rota sequuta est hanc partem tanquàm communem, & allegat plures alias decisiones. Et de moderna Seraphinus *decis.* 1492. *num.* 4. Præte-
32 rea pro solutione dicti textus *in cap. fin. de Pactis in* 6. Respondetur, ibi esse speciale in Fratribus Prædicatoribus, & Mendicantibus ex ea ratione, quia non possunt possidere, nisi pauca, & modica, eis reservata ex dispositione textus in *Clem. Dudum. & Clem. Exivi. De Verb. Signific.* in quibus nulla requiritur solemnitas. *cap. Terrulas.* 12. *quæst.* 2. Sic respondent Canonistæ, inter quos Butrius *in d. cap. fin num.* 8. & Franchus *num.* 3. Ulteriùs etiam respondetur, quod ibi *in d. cap. fin.* non deducitur, quod transactio aliquod inferat præjudicium Ecclesiæ; nam si apparet, illam esse Ecclesiæ præjudicialem; tunc ad effectum obligandi Successorem, indigeret sine dubio confirmatione Superioris. Ita in specie respondet Rota *decis.* 659. *num.* 7. *prope fin. part.* 2. *recent.* & iste sensus deprehenditur etiam ex illo verbo textus, ibi: *dummodo aliàs sint licita.* Quod autem transactio, vel concordia in casu nostro sit præjudicialis Ecclesiæ Sancti Martini, & Mensæ prædicti Capituli, de hoc satis dictum est superiùs.

Ultimo loco non obstat, quod ista Concordia fuerit jurata. Nam & ad hoc potest multipliciter responderi; sed satis est dicere, quod Procuratores ipsi,
33 qui dictam concordiam fecerunt, & juramentum præstiterunt, non habebant hanc facultatem in mandatis; & nihilominùs ad Juramentum præstandum nomine alterius requiritur speciale mandatum. *cap. Qui ad agendum. De Procurat. in* 6. *l. Jusjurandum. §. Procurator. ff. de Jurejuran.* & de hoc amplè per Surdum *cons.* 190. *num.* 2. *vol.* 2. ubi plurimos allegat.

Nicolaus Noalis Jurisconsultus Venetus.

Nemo inficiari potest, supradictum Votum, seu Consilium Nicolai Noalis esse satis elaboratum, ac legali doctrina fulcitum, multorumque Doctorum veterum auctoritate stipatum. Verùm quia, ut ait Emin. Card. de Luca *de Benefic. disc.* 1. *num.* 19. pa-
34 rùm valet auctoritas venalis Consulentis ad pecuniam, ut ex Franch. *decis.* 260. *n.* 5. & Rota *part.* 9. *recent. decis.* 438. *num.* 12. hoc consilium Noalis ab Episcopali Curia Patavina, (glissentibus discordiis inter eam ex unâ, & inter Capitulum Plebis Sacci ex alterâ partibus, ob electionem per ipsum factam Presbyteri Joannis Salvi in Canonicum non Curatum *Anno* 1669. *die* 28. *Septembris* ad Præbendam, & Canonicatum Theologalem; ab Eminentissimo Patavino Episcopo antea collatum Rev. Bellino Lanfranco S. Theologiæ Doctori *die* 31. *Martii Anno antecedenti* 1668.) ad trutinam justitiæ, ac veritatis positum, repertum est à justitia, ac à veritate alienum; tùm quia Transactiones *de Annis* 1578. *&* 1620. de quibus in eo, ab initio fuerunt, & de præ-
35 senti sunt validæ, obligantes Capitulum in utroque foro ad illas perpetuis temporibus observandas; tùm etiam quia ipsæ non sunt, nec unquam fuerunt præjudiciales Capitulo, cui per eas confirmatum est Jus eligendi quatuor Canonicos Curatos juxta antiquam concessionem ei factam usque *de Anno* 1437. Mensæ autem Episcopali reservata est electio quatuor Canonicorum non Curatorum; quæ ex antiquissima, ac immemorabili consuetudine fuit propria Episcoporum Paduæ, excluso penitùs Capitulo; ut supra dictum fuit *in d. Discord. XXI.*

Et equidem pro clariori confutatione suprascripti Consilii Noalis Curia Episcopalis Paravina nonnulla præmisit verissima in Jure, & in facto. Primò præmisit in facto, quod antiquitùs Capitulum Plebis Sacci formabatur à decem personis, ab uno Archipresbytero, ab uno Archidiacono, & ab octo Ca-
36 nonicis; quorum nullus olim exercebat curam animarum illius Castri, nisi Archipresbyter, qui cum non sufficeret ad illud onus ob amplissimum Parochiano-

chianorum numerum, *Anno* 1437. obtinuit à Petro Donato Episcopo Patavino erectionem quatuor Canonicatuum ex prædictis in Curatos, quorum electio spectaret ad Capitulum, approbatio autem, & Confirmatio ad Episcopum; super quibus omnibus Eugenius Papa IV. datis Litteris Apostolicis suam interposuit auctoritatem; & à dicto Anno 1437. citra
37 in Collegiata Plebis Sacci, præter Archipresbyterum, fuerunt semper Canonici Curati quatuor; quinque verò non curati (Archidiacono comprehenso) usque ad Annum 1568. in quo fuit suppressus Canonicatus unus non curatus à B. Pio Papa V. pro dando stipendio uni Diacono, uni Subdiacono, & duobus Clericis, de quibus actum est supra *in Discord. XLI.* adeò ut post annum 1568. remanserint in eadem Collegiata Canonici non Curati quatuor tantùm.

Secundò ipsa Curia præmisit in facto, quod ab antiquis temporibus usque ad d. annum 1437. Capitulum Plebis Sacci nullum Jus habebat in electione ad Canonicatus vacantes, sed illa spectabat ad so-
38 lum Episcopum Paduanum, ut constat ex electione per eum facta Anno 1404. de persona Simonetti Avogarii; post annum verò 1437. Capitulum cœpit
39 eligere Canonicos Curatos juxta facultatem ei per Episcopum concessam; quorum per Episcopum confirmatio fiebat ad præscriptum ejusdem concessionis. Canonici autem non Curati, quando vacatio contingebat extra menses Sedi Apostolicæ reservatos, & extra casus Papæ non affectos, semper eligebantur ab Episcopo, excluso penitùs Capitulo; ut præter supradictam electionem Episcopalem de Anno 1404.
40 constat ex Electionibus ad Canonicatus non curatos factis ab Episcopo Cardinali Foscari de persona Jacobi Rosariæ *Anno* 1481. *die* 21. *Augusti*. Ab Episcopo Cardinali Pisano de persona Hieronymi Macedonici *Anno* 1529. *die* 29. *Januarii*. Ab eodem Episcopo Cardinali Pisano de persona Augustini Merzarii *Anno* 1557. *die* 22. *Novembris*. Ab Episcopo Federico Cornelio *Anno* 1581. *die* 26. *Junii* de persona Valerii Cauchi. Ab eodem Episcopo tunc Cardinale Cornelio de persona Felicis Mangiatorii *Anno* 1585. *die* 7. *Octobris*. Ab Episcopo Cardinali Barbadico de persona Bellini Lanfranchi *Anno* 1668. *die* 20. *Aprilis*. De his omnibus electionibus Episcopalibus constat tùm ex Libris Cancellariæ Episcopalis Paduæ, ac Synodis; tùm ex Actibus Capitularibus Plebis Sacci.

Tertiò præmisit in facto eadem Curia, quod ab Anno 1526. citra Capitulum Plebis Sacci tentavit sibi usurpare electionem etiam Canonicorum non Curatorum; sed sicut injustè, ita frustra, incassum,
41 & sine effectu. Nam *Anno* 1526. *die* 8. *Januarii* elegit ad Canonicatum non curatum vacantem per mortem Joannis de Gerio personam Marci Antonii Justiniani; sed, eo expulso, Canonicatus collatus fuit per Sedem Apostolicam tanquam sibi reservatus Petro Amato, qui fuit receptus, & missus in possessionem ab eodem Capitulo. Item *Anno* 1528. *die* 12. *Augusti* Capitulum elegit Valerium Montecchium ad Canonicatum non Curatum, tunc vacatum; sed sine effectu; nam illum obtinuit Hieronymus Macedonicus ab Episcopo Cardinali Pisano *die* 29. *Januarii Anno* 1529. ut dictum est supra; & illud pacificè possedit usque ad Annum 1554. ut ex actibus ipsius Capituli. Item *Anno* 1537. *die* 31. *Octobris* cum vacasset unus ex Canonicatibus non curatis per mortem Alberti Boni, electus statim fuit à Capitulo in Canonicum Joannes Franciscus Montecchius; sed neque hæc electio habuit effectum, quia Canonicatus erat Apostolicæ Sedi reservatus; & prædictus electus nunquam fuit receptus inter Canonicos. Similem electionem tentavit facere Capitulum de persona Angeli Franchi ad Canonicatum non curatum vacantem per obitum Francisci Corbi sequutum *die* 21. *Octobris* 1541. sed frustra, cum esset mensis Apostolicæ Sedi reservatus. Consimilem electionem præsumpsit facere Capitulum *Anno* 1554. *die* 7. *Septembris* de persona Sebastiani Merzarii; sed medietas Capitularium votantium protestata fuit de injustitia, iniquitate, ac nullitate ob prædictam reservationem; & in effectu Canonicatus collatus fuit per Papam Francisco Merzario, qui etiam obtinuit ejus pacificam possessionem. Eodem modo *Anno* 1559. *die* 18. *Junii* Capitulum affectavit eligere in Canonicum non Curatum Stephanum de Stephanellis; sed Canonicatus fuit collatus per Papam Valerio Montecchio, qui illud deindè possedit pacificè. Ex his injustis ausibus Capitularibus factum est, ut Episcopus Federicus Cornelius Anno 1578. ad eos penitùs eliminandos, fecerit transactionem illam, ac concordiam, in qua firmatum fuit id, quod justum, & rationabile erat; videlicet, electionem ad Canonicatus Curatos tantùm spectare ad Capitulum; electionem verò ad non Curatos pertinere ad Episcopum, salvis semper Apostolicis reservationibus; quæ transactio, ac concordia fuit iterùm ratificata Anno 1620. inter ipsum Capitulum, & Episcopum Marcum Cornelium; & utriusque Concordiæ tenor positus est supra post *d. Discord. XXI.*

Quartò præmisit in facto Episcopalis Curia; quod Capitulum Plebis Sacci neque antiquis, neque mediis, neque modernis temporibus habuit Jus eligendi Canonicos non Curatos; sed eorum electio sem-
42 per, & ab immemorabili tempore fuit propria Episcoporum Paduæ, ad quos jugiter spectavit, & spectat jus eligendi eosdem Canonicos; prout eos eligunt in aliis Collegiatis hujus Diœcesis Paduanæ, Montisilicis, Estensis, ac Montaneanæ. Hoc patet de Collegiata Plebis Sacci tùm ex electionibus Episcopalibus suprarecensitis; tùm ex gratiosa concessione eidem Capitulo per Petrum Donatum Episcopum Paduanum facta Anno 1437. eligendi Canonicos Curatos; in qua Episcopus adhibuit consensum Capituli suæ Cathedralis; quia sine illo non poterat conce-
43 dere Jus, quod suum erat, ipsi Capitulo Plebis Sacci, & illo semetipsum privare. *cap.* 1. *De his quæ fiunt à Prælat. sine consens. Capit. & cap. Sine exce-*
44 *ptione.* 12. *quæst.* 2. Cumque privatio supponat habitum. *l. Decem. ff. de Verb. obligat. cap. Ad dissolvendum. de Despons. Impub.* Rota *decis.* 371. *num.* 1. *part.* 1. *recent.* Si Episcopus *d. Anno* 1437. Se privavit Jure eligendi quatuor Canonicos, ob injunctam iisdem curam Animarum, sequitur, quod ante illud tempus habebat Jus eligendi omnes Canonicos in ipsa Collegiata; & eo se privavit tantùm respectu Canonicatuum curatorum, retento Jure suo antiquo, & inveterato eligendi omnes Canonicos non curatos; prout semper elegit, (ut ostensum est) absque ulla contradictione usque ad tempora Transactionum de *Annis* 1578. & 1620. in quibus mirari nemo debet, si parvus sit numerus electionum Episcopalium ad Canonicatus non curatos; horum enim possessores, ut plurimùm cum degerent Romæ, vel essent Episcopi titulares, aut familiares Papæ, quando moriebantur, Canonicatus erant affecti, aut reservati Apostolicæ Sedi, & ab ea conferebantur.

De Jure autem tria præmissa fecit Episcopalis Curia, quæ certa sunt, & verissima apud omnes in materia beneficiorum. Unum fuit, quod licèt de Jure in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis electio ad beneficia sit simultanea Episcopi, & Capituli; seu
45 quod ad hoc spectet electio, ad illum autem confirmatio. Gonzalez *ad Reg.* 8. *Canc. gloss.* 45. *num.* 71. tamen ex consuetudine fieri potest, ut electio, ac plenaria dispositio spectet ad solum Episcopum. *cap. Cum Ecclesia Vulterana. circa fin. de Elect. cap. Cum Ecclesia Sutrina. De causa possess. & propriet. cap. Cum dilectus. De Consuetud.* Gonzalez *d. gloss.* 45. *num.* 71. ubi DD. cumulat. Et dixit Rota *part.* 3. *recent.*

Digitized by Google

Emot. & Vendit. & ibi Jo. Andreas *num.* 5. Roland. *cons.* 9. *num.* 49. & *seq. vol.* 1. Surdus *cons.* 28. *num.* 120. *vol.* 1. Roman. *cons.* 12. *num.* 6. Et idem dicitur de ratificatione alienationis bonorum feudalium. Menochius *cons.* 2. *num.* 292. Osasch. *decis.* 165. *num.* 13. ubi multos concordantes allegat; & de contractibus minorum Berous *cons.* 34. *num.* 6. *vol.* 1. Sed in alienatione, vel transactione rerum Ecclesiæ, ad effectum ut valeat, & afficiat Successores transigentium, requiritur authoritas Papæ. *d. Extravag. Ambitiosæ. De Reb. Eccles. non alienan.* Ergo pari modo ea requiritur in ratificatione.

Ulteriùs ista conclusio, quod ex lapsu triginta annorum præsumatur beneplacitum Apostolicum, & Summi Pontificis confirmatio, non est sic indistinctè, & generaliter vera, nam ultra cursum temporis requiritur etiam quod concurat observantia; aliàs transactio, vel concordia non præsumitur confirmata per solum lapsum temporis, nisi etiam per dictum tem-
26 pus observata fuerit; adeòut hæc duo copulativè requirantur, ad hoc ut in transactione præsumatur beneplacitum, & confirmatio Apostolica, videlicèt cursus temporis triginta annorum, & observantia ejusdem transactionis: sic in terminis decisum est à Rota coram Coccino *in cit. decis.* 301. *num.* 2. & *seqq.* & *decis.* 362. *num.* 6. post alios DD. ibidem recitatos; quæ quidem observantia non concurrit in casu isto; nec de ea constat, vel constare potest. Igitur consequens est, cessare motivum præsumptæ confirmationis.

Nec valeret replicatio, quod hodiè adhuc sint in vita omnes illi Canonici, qui aderant de tempore prædictæ ratificationis, videlicèt de Anno 1620. & ideò non sit quærendum, An ipsa transactio ratificata liget Successores eorum transigentium, postquam hi omnes vivunt hodiè, qui tunc vivebant. Quia respondetur, quod etiamsi iidem Canonici essent iidemmet, qui aderant de eo tempore, Illustrissimus Episcopus non est idem, cum sit vita functus, & succes-
27 sit in ejus locum Illustrissimus, ac Reverendissimus D. Cardinalis Valerius; transactio enim, quæ personalis est, puta quia non est confirmata per Superiorem, vel facta est sub nomine proprio, vel ex alio respectu est personalis, remanet extincta ipso Jure
28 per mortem unius ex transigentibus. *l. Sed & interpellatur. §. fin. ff. de Arbitr. cap. Ex parte eod. tit.* Glossa *in l. Diem. §.* 1. *in Verb. mortem. ff. eod. de Arbitr.* Lanfranc. *de Arbitr. part.* 4. *membr.* 5. *num* 7. ibi enim habetur, quod morte alterius ex compromittentibus expirat compromissum quo ad omnes. Hinc videmus, quod si contingat locationem, quæ aliquo respectu personalis est, extingui per mortem locatoris, ea censetur extincta etiam quo ad conductores; itaut si successor in beneficio vellet eam rati-
29 ficare; id facere non posset, nisi consentiente etiam altera parte. Rota *decis.* 1. *De Locat. in novis.* Socin. *cons.* 32. *num.* 9. *vol.* 1. Ananias *in cap. fin. num.* 15. *Ne prælati vic. suas.* Et ratio præmissorum est; quia res semel extincta non potest aliquem effectum operari, & inter partes servanda est æqualitas *l. fin. C. de Fruct. ex expens.* Nec contractus debent claudicare *l. Litigatores. §. pen. & ult. ff. de Arbitr.*

Minus juvat asserere, quod hujusmodi transactio, vel concordia censeatur esse facta in utilitatem Ecclesiæ, tanquam facta de re dubia, & consequenter
30 liget Successores absque alia confirmatione Superioris. *cap. fin. de Pactis in* 6. Natta *cons.* 441. *n.* 9. cum allegatis per eum. Quia respondetur, casum nostrum non esse de re dubia, sed de re clara; cum sit conclusio satis recepta, quod Jus eligendi ad Canonicatus in Ecclesia Collegiata spectat ad Capitulum;
31 confirmatio autem ad Episcopum, *cap.* 1. *de Elect.* Gonzalez *Super Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 45. *num.* 47. latè Garzias *de Benefic. part.* 5. *cap.* 4. *num.* 64. & *seqq.* & tenuit Rota antiqua, & moderna. Siquidem de antiqua testatur Cassadorus *decis.* 22. *num.* 3. *de Præbend.* ubi dicit, quod Rota sequuta est hanc partem tanquàm communem, & allegat plures alias decisiones. Et de moderna Seraphinus *decis.* 1492. *num.* 4. Prete-
32 rea pro solutione dicti textus *in cap. fin. de Pactis in* 6. Respondetur, ibi esse speciale in Fratribus Prædicatoribus, & Mendicantibus ex ea ratione, quia non possunt possidere, nisi pauca, & modica, eis reservata ex dispositione textus in *Clem. Dudum.* & *Clem. Exivi. De Verb. Signific.* in quibus nulla requiritur solemnitas. *cap. Terrulas.* 12. *quæst.* 2. Sic respondent Canonistæ, inter quos Buttrius *in d. cap. fin num.* 8. & Franchus *num.* 3. Ulteriùs etiam respondetur, quod ibi *in d. cap. fin.* non deducitur, quod transactio aliquod inferat præjudicium Ecclesiæ; nam si apparet, illam esse Ecclesiæ præjudicialem; tunc ad effectum obligandi Successorem, indigeret sine dubio confirmatione Superioris. Ita in specie respondet Rota *decis.* 659. *num.* 7. *prope fin. part.* 2. *recent.* & iste sensus deprehenditur etiam ex illo verbo textus, ibi: *dummodo aliàs sint licita.* Quod autem transactio, vel concordia in casu nostro sit præjudicialis Ecclesiæ Sancti Martini, & Mensæ prædicti Capituli, de hoc satis dictum est superiùs.

Ultimo loco non obstat, quod ista Concordia fuerit jurata. Nam & ad hoc potest multipliciter responderi; sed satis est dicere, quod Procuratores ipsi,
33 qui dictam concordiam fecerunt, & juramentum præstiterunt, non habebant hanc facultatem in mandatis; & nihilominùs ad Juramentum præstandum nomine alterius requiritur speciale mandatum. *cap. Qui ad agendum. De Procurat. in* 6. *l. Jusjurandum. §. Procurator. ff. de Jurejuran.* & de hoc amplè per Surdum *cons.* 190. *num.* 2. *vol.* 2. ubi plurimos allegat.

Nicolaus Noalis Jurisconsultus Venetus.

Nemo inficiari potest, supradictum Votum, seu Consilium Nicolai Noalis esse satis elaboratum, ac legali doctrina fulcitum, multorumque Doctorum veterum auctoritate stipatum. Verùm quia, ut ait Emin. Card. de Luca *de Benefic. disc.* 1. *num.* 19. pa-
34 rùm valet auctoritas venalis Consulentis ad pecuniam, ut ex Franch. *decis.* 260. *n.* 5. & Rota *part.* 9. *recent. decis.* 438. *num.* 12. hoc consilium Noalis ab Episcopali Curia Patavina, (gliscentibus discordiis inter eam ex unâ, & inter Capitulum Plebis Sacci ex alterà partibus, ob electionem per ipsum factam Presbyteri Joannis Salvi in Canonicum non Curatum *Anno* 1669. *die* 28. *Septembris* ad Præbendam, & Canonicatum Theologalem; ab Eminentissimo Patavino Episcopo antea collatum Rev. Bellino Lanfranco S. Theologiæ Doctori *die* 31. *Martii Anno antecedenti* 1668.) ad trutinam justitiæ, ac veritatis positum, repertum est a justitia, ac à veritate alienum; tùm quia Transactiones *de Annis* 1578. & 1620. de quibus in eo, ab initio fuerunt, & de præ-
35 senti sunt validæ, obligantes Capitulum in utroque foro ad illas perpetuis temporibus observandas; tùm etiam quia ipsæ non sunt, nec unquam fuerunt præjudiciales Capitulo, cui per eas confirmatum est Jus eligendi quatuor Canonicos Curatos juxta antiquam concessionem ei factam usque *de Anno* 1437. Mensæ autem Episcopali reservata est electio quatuor Canonicorum non Curatorum; quæ ex antiquissima, ac immemorabili consuetudine fuit propria Episcoporum Paduæ, excluso penitùs Capitulo; ut supra dictum fuit *in d. Discord. XXI.*

Et equidem pro clariori confutatione suprascripti Consilii Noalis Curia Episcopalis Patavina nonnulla præmisit verissima in Jure, & in facto. Primò præmisit in facto, quod antiquitùs Capitulum Plebis Sacci formabatur à decem personis, ab uno Archipresbytero, ab uno Archidiacono, & ab octo Ca-
36 nonicis; quorum nullus olim exercebat curam animarum illius Castri, nisi Archipresbyter, qui cum non sufficeret ad illud onus ob amplissimum Parochiano-

chianorum numerum, *Anno* 1437. obtinuit à Petro
Donato Episcopo Patavino erectionem quatuor Ca-
nonicatuum ex prædictis in Curatos, quorum electio
spectaret ad Capitulum, approbatio autem, & Con-
firmatio ad Episcopum; super quibus omnibus Eu-
genius Papa IV. datis Litteris Apostolicis suam in-
terposuit auctoritatem; & à dicto Anno 1437. citra
37 in Collegiata Plebis Sacci, præter Archipresbyte-
rum, fuerunt semper Canonici Curati quatuor; quin-
que verò non curati (Archidiacono comprehenso)
usque ad Annum 1568. in quo fuit suppressus Ca-
nonicatus unus non curatus à B. Pio Papa V. pro
dando stipendio uni Diacono, uni Subdiacono, &
duobus Clericis, de quibus actum est supra *in Di-
scord. XLI.* adeò ut post annum 1568. remanserint
in eadem Collegiata Canonici non Curati quatuor
tantùm.

Secundò ipsa Curia præmisit in facto, quod ab
antiquis temporibus usque ad d. annum 1437. Capi-
tulum Plebis Sacci nullum Jus habebat in electione
ad Canonicatus vacantes, sed illa spectabat ad so-
38 lum Episcopum Paduanum, ut constat ex electio-
ne per eum facta Anno 1404. de persona Simonetti
Avogarii; post annum verò 1437. Capitulum cœpit
39 eligere Canonicos Curatos juxta facultatem ei per
Episcopum concessam; quorum per Episcopum con-
firmatio fiebat ad præscriptum ejusdem concessionis.
Canonici autem non Curati, quando vacatio contin-
gebat extra menses Sedi Apostolicæ reservatos, &
extra casus Papæ non affectos, semper eligebantur
ab Episcopo, excluso penitùs Capitulo; ut præter
supradictam electionem Episcopalem de Anno 1404.
40 constat ex Electionibus ad Canonicatus non curatos
factis ab Episcopo Cardinali Foscari de persona Ja-
cobi Rosariæ *Anno* 1481. *die* 21. *Augusti*. Ab Epi-
scopo Cardinali Pisano de persona Hieronymi Ma-
cedonici *Anno* 1529. *die* 29. *Januarii*. Ab eodem
Episcopo Cardinali Pisano de persona Augustini Mer-
zarii *Anno* 1557. *die* 22. *Novembris*. Ab Episcopo
Federico Cornelio *Anno* 1581. *die* 26. *Junii* de per-
sona Valerii Cauchi. Ab eodem Episcopo tunc Car-
dinale Cornelio de persona Felicis Mangiatorii *An-
no* 1585. *die* 7. *Octobris*. Ab Episcopo Cardinali Bar-
badico de persona Bellini Lanfranchi *Anno* 1668.
die 20. *Aprilis*. De his omnibus electionibus Episco-
palibus constat tùm ex Libris Cancellariæ Episcopa-
lis Paduæ, ac Synodis; tùm ex Actibus Capitula-
ribus Plebis Sacci.

Tertiò præmisit in facto eadem Curia, quod ab
Anno 1526. citra Capitulum Plebis Sacci tentavit
sibi usurpare electionem etiam Canonicorum non
Curatorum; sed sicut injustè, ita frustra, incassum,
41 & sine effectu. Nam *Anno* 1526. *die* 8. *Januarii* ele-
git ad Canonicatum non curatum vacantem per mor-
tem Joannis de Gerio personam Marci Antonii Ju-
stiniani; sed, eo expulso, Canonicatus collatus fuit
per Sedem Apostolicam tanquam sibi reservatus Pe-
tro Amato, qui fuit receptus, & missus in posses-
sionem ab eodem Capitulo. Item *Anno* 1528. *die* 12.
Augusti Capitulum elegit Valerium Montecchium ad
Canonicatum non Curatum, tunc vacatum; sed sine
effectu; nam illum obtinuit Hieronymus Macedo-
nicus ab Episcopo Cardinali Pisano *die* 29. *Januarii
Anno* 1529. ut dictum est supra; & illud pacificè
possedit usque ad Annum 1554. ut ex actibus ipsius
Capituli. Item *Anno* 1537. *die* 31. *Octobris* cum va-
casset unus ex Canonicatibus non curatis per mor-
tem Alberti Boni, electus statim fuit à Capitulo in
Canonicum Joannes Franciscus Montecchius; sed
neque hæc electio habuit effectum, quia Canonica-
tus erat Apostolicæ Sedi reservatus; & prædictus
electus nunquam fuit receptus inter Canonicos. Si-
milem electionem tentavit facere Capitulum de per-
sona Angeli Franchi ad Canonicatum non curatum
vacantem per obitum Francisci Corbi sequutum *die*
21. *Octobris* 1541. sed frustra, cum esset mensis Apo-
stolicæ Sedi reservatus. Consimilem electionem præ-
sumpsit facere Capitulum *Anno* 1554. *die* 7. *Septem-
bris* de persona Sebastiani Merzarii; sed medietas
Capitularium votantium protestata fuit de injustitia,
iniquitate, ac nullitate ob prædictam reservationem;
& in effectu Canonicatus collatus fuit per Papam
Francisco Merzario, qui etiam obtinuit ejus pacifi-
cam possessionem. Eodem modo *Anno* 1559. *die* 18.
Junii Capitulum affectavit eligere in Canonicum non
Curatum Stephanum de Stephanellis; sed Canonica-
tus fuit collatus per Papam Valerio Montecchio,
qui illud deindè possedit pacificè. Ex his injustis au-
sibus Capitularibus factum est, ut Episcopus Federi-
cus Cornelius Anno 1578. ad eos penitùs eliminan-
dos, fecerit transactionem illam, ac concordiam, in
qua firmatum fuit id, quod justum, & rationabile
erat; videlicet, electionem ad Canonicatus Curatos
tantùm spectare ad Capitulum; electionem verò ad
non Curatos pertinere ad Episcopum, salvis semper
Apostolicis reservationibus; quæ transactio, ac con-
cordia fuit iterùm ratificata Anno 1620. inter ipsum
Capitulum, & Episcopum Marcum Cornelium; &
utriusque Concordiæ tenor positus est supra post *d.
Discord. XXI.*

Quartò præmisit in facto Episcopalis Curia; quod
Capitulum Plebis Sacci neque antiquis, neque me-
diis, neque modernis temporibus habuit Jus eligen-
di Canonicos non Curatos; sed eorum electio sem-
42 per, & ab immemorabili tempore fuit propria Epi-
scoporum Paduæ, ad quos jugiter spectavit, & spe-
ctat jus eligendi eosdem Canonicos; prout eos eli-
gunt in aliis Collegiatis hujus Diœcesis Paduanæ,
Montisilicis, Estensis, ac Montaneanæ. Hoc patet
de Collegiata Plebis Sacci tùm ex electionibus Epi-
scopalibus suprarecensitis; tùm ex gratiosa concessio-
ne eidem Capitulo per Petrum Donatum Episcopum
Paduanum facta Anno 1437. eligendi Canonicos Cu-
ratos; in qua Episcopus adhibuit consensum Capitu-
li suæ Cathedralis; quia sine illo non poterat conce-
43 dere Jus, quod suum erat, ipsi Capitulo Plebis Sac-
ci, & illo semetipsum privare. *cap.* 1. *De Iis quæ
fiunt à Prælat. sine consens. Capit.* & *cap. Sine exce-
44 ptione*. 12. *quæst.* 2. Cumque privatio supponat habi-
tum. *l. Decem. ff. de Verb. obligat. cap. Ad dissol-
vendum. de Despons. Impub.* Rota *decis.* 371. *num.* 1.
part. 1. *recent.* Si Episcopus *d. Anno* 1437. Se priva-
vit Jure eligendi quatuor Canonicos, ob injunctam
iisdem curam Animarum, sequitur, quod ante illud
tempus habebat Jus eligendi omnes Canonicos in ipsa
Collegiata; & eo se privavit tantùm respectu Ca-
nonicatuum curatorum, retento Jure suo antiquo, &
inveterato eligendi omnes Canonicos non curatos;
prout semper elegit, (ut ostensum est) absque ulla
contradictione usque ad tempora Transactionum de
Annis 1578. & 1620. in quibus mirari nemo debet,
si parvus sit numerus electionum Episcopalium ad
Canonicatus non curatos; horum enim possessores,
ut plurimùm cum degerent Romæ, vel essent Epi-
scopi titulares, aut familiares Papæ, quando morie-
bantur, Canonicatus erant affecti, aut reservati Apo-
stolicæ Sedi, & ab ea conferebantur.

De Jure autem tria præmissa fecit Episcopalis Cu-
ria, quæ certa sunt, & verissima apud omnes in
materia beneficiorum. Unum fuit, quod licèt de Ju-
re in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis electio
ad beneficia sit simultanea Episcopi, & Capituli; seu
45 quod ad hoc spectet electio, ad illum autem confir-
matio. Gonzalez *ad Reg.* 8. *Canc. gloss.* 45. *num.* 71.
tamen ex consuetudine fieri potest, ut electio, ac
plenaria dispositio spectet ad solum Episcopum. *cap.
Cum Ecclesia Vulterana. circa fin. de Elect. cap. Cum
Ecclesia Sutrina. De causa possess. & propriet. cap.
Cum dilectus. De Consuetud.* Gonzalez *d. gloss.* 45.
num. 71. ubi DD. cumulat: Et dixit Rota *part.* 3.
recent.

Digitized by Google

recent. decis. 662. num. 2. Novissimè Fagnanus in d. cap. Cum Ecclesia Vulterana. num. 25. & 26. de Elect. tom. 2. Et Emin. Card. de Luca de Benefic. disc. 17.
46 num. 6. ubi id firmissimè observat procedere, quando Canonicatus in Collegiata dotati fuerunt ab Episcopo, ut inquit etiam Rota part. 2. recent. decis. 600. num. 4. & part. 6. recent. decis. 43. num. 2. & 3. Ex qua observatione deprehenditur ratio, ob quam Episcopus Patavinus olim eligebat omnes Canonicos Collegiatæ Plebis Sacci, quia scilicèt ab ipso fuerunt instituti, & dotati omnes illi Canonicatus per dona-
47 tionem Decimarum totius Territorii Plebis Sacci, quæ antiquitùs spectabant ad Mensam Episcopalem, & nunc deserviunt pro dote eorundem Canonicatuum; ut ex eorum publicis æstimis apparet; & idem est de Canonicatibus Castrorum Montisilicis, Estensis, ac Montaneanæ; ad quos omnes, usque in præsentem diem eligit Episcopus; nisi vacent in Mensibus Papæ reservatis, vel evadant aliquo alio modo eidem Papæ affecti.

Alterum præmissum de Jure per Curiam Episcopalem fuit, quod Episcopi gaudentes alternativâ habent sex menses alternatos cum Papa, in quibus disponere possunt de beneficiis, aliàs ad eorum liberam electionem spectantibus, si tamen verè, ac realiter ab
48 initio illius Mensis alternati, & toto ipso durante, fuerint residente, in eorum Diœcesi; adeòut si aliquo die illius Mensis fuerint irresidentes, amittant alternativam, & beneficia in illo vacantia censeantur vacare in Mense reservato, & spectent ad provisionem Papæ. Loterius de Re Benefic. lib. 2. q. 40. num 87. Rota apud Martin. Andr. decis. 110. num. 1. 17. & 18. & Emin. Card. de Luca eod. tract. de Benefic. disc. 18. num. 8. & pleniùs eod. tract. disc. 93. ubi num. 15. subdit, quod adeò strictè, ac rigorosè desideratur residentia, ut etiamsi Episcopus non resideat ex causa licita, & honesta, putà in tribus Mensibus à Concilio Tridentino concessis, sivè cum licentia Papæ, aut Sacræ Congregationis; vel absit occasione alicujus Legationis, Nunciaturæ, vel alterius publici muneris, non gaudeat alternativa; quod testantur etiam Gonzalez ad d. Reg. gloss. 43. num. 41. Rota part. 7. recent. decis. 98. num. 9. & coram Gregor. XV. decis. 70. per totam, ubi Adden. alias Decisiones cumulat.

Tertium Juris præmissum concernebat obligationem Episcopis impositam à Tridentino Concilio sess. 5. de ref. cap. 1. erigendi Præbendam Theologalem pro explicatione Sacræ Scripturæ non solùm in Ecclesiis
49 Cathedralibus, *sed etiam in Collegiatis existentibus in aliquo insigni oppido, etiam nullius diœcesis, si ibi Clerus numerosus fuerit, ubi nulla Præbenda, aut Præstimonium, seu stipendium hujusmodi deputatum reperitur, Adeòut Præbenda quomodocunque (præterquàm ex causa resignationis) primò vacatura, cui aliud onus incompatibile injunctum non sit, ad eum usum, ipso facto, perpetuò constituta, & deputata intelligatur*. In cujus Conciliaris Decreti executione Emin. Card. Gregorius Barbadicus S. M. Episcopus Patavinus, Anno 1665. die 23. Novembris in Visi-
50 tatione ejusdem Collegiatæ Plebis Sacci erexit in Theologalem primum Canonicatum ex quatuor non Curatis vacaturum, audientibus, & non dissentientibus Canonicis. At Anno 1668. die 31. Martii cum vacasset unus ex dictis Canonicatibus per mortem R. D. Josephi Ziati, & ab Eminentia sua electus fuisset ad illum R. D. Bellinus Lanfrancus S. T. D. Capitulum eam electionem impugnavit, & elegit simplicem Presbyterum Petrum Gonzardum, appellando ad Metropolitanum, in cujus Tribunali electio
51 Capitularis fuit rejecta, & abolita; quæ rejectio, & abolitio fuit confirmata etiam in Nunciatura Apostolica Venetiarum: sed cum cessisset cuicunque prætensioni suæ Presbyter Gonzardus, Capitulum ei subrogavit Presbyterum Joannem Salvum; cum quo diù disputandum fuit, An Capitulum potuerit illum eligere? vel teneretur servare Transactionem, & concordiam initam cum Episcopo Federico Cornelio Anno 1578. & ratificatam sub Episcopo Marco Cornelio Anno 1620. & tandem, An prædictæ Transactiones fuerint validæ, ligaverint, ac ligent Canonicos Successores?

His ita præmissis constans fuit assertio Curiæ Episcopalis Patavinæ, eas esse, ac fuisse validas; ligare, & obligare Capitulum, & Canonicos Plebis Sacci in perpetuum; quia pro earum validitate non erat opus Beneplacito Apostolico, neque Summi Pontificis confirmatione. Ratio est, quia prædictæ Transactiones de Annis 1578. & 1620. verè, & propriè
52 non sunt Transactiones; sed pacta, stipulationes, & conventiones inter Episcopum, & Capitulum de non auferendo Jure eligendi ad Canonicatus quod utraque pars ab antiquo habebat, & possidebat; sed de observanda reciprocè, & inter se justitia; itaut Episcopus eligeret ad Canonicatus non Curatos; & Capitulum ad Curatos, prout cantant verba earundem Transactionum. Igitur non fuerunt tales, nisi quo ad nomen; siquidem de essentia Transa-
53 ctionis est, ut aliquid detur, vel remittatur inter partes; & ubi nihil datur, aut remittitur, non est transactio. l. Transactio nullo dato. C. de Transact. Rota part. 2. recent. decis. 447. num. 2. & 3. Anton. de Possentib. Singular. 71. num. 15. & 16 Quod autem nihil datum, vel remissum sit in assertis transactionibus patet, quia in eis Episcopus, ac Capitulum promiserunt, salva sibi fore perpetuis temporibus Jura eligendi ad Canonicatus, quæ utrique parti antea competebant; & per consequens utraque pars adinvicem spopondit servare justitiam, quæ est constans, & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi. l. 1. ff. de Justit. & Jure. Ant. Pichard. in Instit.
54 eod. tit. in princ. num. 1. & num. 20. ubi ostendit, justitiam in eo differre ab aliis virtutibus, quia ejus proprietas est dare unicuique, quod sibi debitum est, ac de Jure debetur; ut latè probat Pax Jordanus tom. 1. lib. 1. tit. 20. per totum: ubi præcipuè demonstrat, Episcopos, ac omnes Ecclesiasticos cultores esse debere Justitiæ. Propterea non erat necessarium Beneplacitum Apostolicum in prædictis reciprocis promissionibus, quæ de sui natura sicut ligabant promit-
55 tentes, ita obligabant Successores. cap. Si sæculi. 12. q. 2. Rota part 15. recent. decis. 392. num. 5. & num. 15. & 17. ubi DD. Hinc falsum est, quod invehit Noalis in d. suo Consil. num. 19. promissiones, & conventiones factas per Capitulum Plebis Sacci Annis 1578. & 1620. cum Episcopis Patavinis, tanquam præjudiciales Successoribus, eos non obligare; quia apertissimè constat, ex eis nullum provenire præjudicium; dum nihil auferunt Successoribus, sed imò eis concedunt, confirmant, & ratum, firmumque esse volunt id, quod utrique parti debitum erat; hoc est, ut Episcopi eligerent Canonicos non Curatos, ut semper fecerunt, & probatum est in secundo præmisso num. 40. & quod ad Capitulum spectaret electio Canonicorum Curatorum, quam acquisiverat ab Anno 1437. citra; & ultra quam nullum aliud Jus in electionibus Canonicorum non Curatorum unquam habuit; ut ostensum est in tertio præmisso, num. 41. Quapropter cum in iisdem transactionibus, seu veriùs stipulationibus, Episcopi Paduani nihil abstulerint Capitulo; & electionem solam Canonicorum non Curatorum sibi firmaverint; quæ & ratione fundationis, & vigore immemorabilis consuetudinis soli Episcopo Patavino de Jure competit, ex text. citatis supra num. 45. & ex Gonzalez, Fagnano, Card. de Luca, & Decisionibus Rotæ; sequitur in eis non fuisse necessarium Beneplacitum Apostolicum; sed sine illo eas validas remanere.

Porrò dato, & non concesso, quod opus fuerit prædicto Beneplacito, Curia Episcopalis affirmabat, præsumen-

Digitized by Google

sumendum esse, illud obtentum fuisse ex continua observantia earundem Transactionum, & conventio-
56 num; & ex cursu quadraginta annorum quoad primam; & annorum nonaginta quo ad utramque. Quod transactiones observatæ fuerint ad favorem Capituli patet; quia ab ipso Capitulo conspiciuntur electi deinceps omnes Canonici Curati sequentes, videlicet *Anno* 1584. *die* 16. *Octobris* R. D. Paulus Marchesinus. *Anno* 1620. *die* 10. *Maii* R. D. Antonius Maz-
57 zalorsus. *Anno* 1645. *die* 26. *Martii* R. D. Sebastianus Stocchettus. *Eodem Anno* 1645. *die* 13. *Julii* R. D. Sanctus Gnocchus; ex quibus Capitularibus electionibus ad Canonicatus Curatos plenè probata remanet observantia transactionum non solùm respectu Capituli, sed etiam respectu Episcoporum; qui ap-
58 probarunt, & confirmarunt eosdem Canonicos Curatos, ut supra à Capitulo electos. Socinus *cons.* 15. *num.* 7. *lib.* 4. Surdus *decis.* 71. *num.* 9. Rota *part.* 2. *divers. decis.* 104. *num.* 5. eadem Rota coram Bichio *decis.* 316. *num.* 8. & 9. & Adden. ad Gregor. XV. *decis.* 557. *num.* 9.

Sed constat etiam de Observantia ad favorem Episcopi in electione Canonicorum non curatorum juxta tenorem earundem Transactionum; nam *An-*
59 *no* 1581. *die* 26. *Junii* Episcopus Federicus Cornelius elegit R. D. Valerium Caucchium. *Anno* 1605. *die* 8. *Augusti* Episcopus Marcus Cornelius elegit R. D. Sanctinum Stellam; & *Anno* 1659. *die* 5. *Februarii* Episcopus Georgius Cornelius elegit R. D. Alexandrum Marchesium. Nec obstat, quod hæ duæ electiones factæ per Marcum, ac Georgium Episcopos Cornelios non habuerint effectum, & contra illas prævaluerint provisi Apostolici. Nam respondetur id evenisse, non quia jus eligendi Canonicos non Curatos spectaret ad Capitulum; vel quia electio eorundem non esset propria Episcoporum; sed quia vacatio prædictorum Canonicatuum non
60 curatorum contigit in Mensibus Apostolicis alternatis; & quamvis Episcopi prædicti gauderent alternativa, iisdem Mensibus non erant ad residentiam, & extra Diœcesim morabantur: Marcus scilicèt Cornelius tunc erat Romæ ad visitanda Sacra Limina, ut constat ex ejus Epistolis scriptis Archipresbytero, & Capitulo hujus Cathedralis Paduæ: Georgius verò Cornelius tunc erat Venetiis ob carnis privium; ideò alternativa eis suffragari non potuit In provisione dictorum Canonicatuum Apostolicæ Sedi reservatorum ex doctrina Loterii, Card. de Luca, Rotæ, & aliorum, qui fuerunt supra allegati *in Præmiss.* 2 *de Jure num.* 48 Similiter non est dicendum, quod modicus sit numerus electionum per Episcopos Paduanos factarum; quia Canonicatus non Curati post initas transactiones ferè omnes vacarunt vel in mensibus Sedi Apostolicæ reservatis; vel apud ipsam Sedem per resignationem ad favorem, vel obitum Canonicorum in Curia; & provisiones spectabant ad Papam: At etiam modicus numerus Electionum Episcopalium satis est ad probandam observantiam transactionum ex Rota coram Bichio *d. Decis.* 316. *num.* 8. maximè quia Capitulum Plebis Sacci ab initio Sæculi usque ad præsentem diem nunquam fecit electiones validas, & quæ habuerint effectum ad Canonicatus non Curatos.

Attentâ itaque ipsa observantiâ transactionum non solùm per annos quadraginta; sed nonaginta, & ultrà post earum stipulationem; ex ea benè deducebat Curia Episcopalis præsumptionem solemnitatis, & obtenti Beneplaciti Apostolici, quia axioma est universaliter approbatum ab omnibus scribentibus; & frequenter Canonizatum à Rota, quod Beneplaci-
61 tum Apostolicum super transactione præsumitur spatio triginta annorum, juncta ejus observantiâ. Glossa *in cap. Pervenit*, & ibi Jo: de Imola *num.* 10. & 12. *De Empt. & Vendit.* Alexand. *cons.* 1. *num.* 20. *lib.* 4. Gozadin. *cons.* 73. *num.* 20. & 21. Felinus *in cap. Albericus. num.* 4. *Vers. Si autem in Instrumento. De Testib.* Cardin. Seraphin. *Decis.* 1042. *num.* 3. Rota *part.* 1. *recent. Decis.* 159. *num.* 4. & *part.* 6. *Decis.* 256. per totam. Adden. ad Gregor. XV. *Decis.* 152. *num.* 4. & *Decis.* 343. *num.* 5. & Adden. ad Burattum *Decis.* 45. *num.* 8. & ibi Gabriel *cons.* 36. *num.* 52. Gratian. *Discept. Forens. cap.* 474. *num.* 14. & Rota coram Coccino *Decis.* 301. *num.* 2. & 3. atque *Decis.* 362. *num.* 6.

Nec obstat, si dicatur, ad præsumendum Beneplacitum Apostolicum super transactione, seu alienatione rerum Ecclesiæ hodiè non sufficere spatium
62 triginta annorum; sed requiri cursum annorum centum cum observantia ex Bulla Urbani VIII. *Incipien. Romanus Pontifex, &c. la* 270. *edita die* 5. *Junii Anno* 1641. de qua Rota coram Priolo *Decis.* 196. *num.* 9. Nam respondetur dupliciter: Primò, quod Constitutio illa Urbana loquitur de alienationibus, seu transactionibus in futurum faciendis, non de illis antea factis, completis, ac præscriptis; lex enim non extenditur ad præterita, sed trahitur ad futura.
63 *l. Leges. C. de Legib. cap. Cognoscentes. & cap. ult. de Constit.* Covarruvias *lib.* 3. *Var. cap.* 13. *num.* 4. Navarrus *in cap. Cum contingat. De Rescript. except.* 14. Menochius *de Arbitrar. Judic. cas.* 185. *num.* 1. & 26. Farinacius *in fragm. crimin. part.* 2. *Verb. Lex. à num.* 25. & *seqq.* Et pluribus aliis congestis Barbosa *Axiom.* 136. *num.* 22. & 23. Respondetur secundò, quod prædictæ Constitutionis Urbanæ dispositio non procedit in contractibus, conventionibus, aut transa-
64 ctionibus initis inter duas Ecclesias, aut duas Mensas Ecclesiasticas, prout in casu nostro, inter quas cessat præsumptio usurpationis, quæ dedit causam Constitutioni. Rosa *de Executor. Litter. Apostol. part.* 1. *cap.* 4. *num.* 298. Urceolus *de Transact. q.* 24. *num.* 52. Pacian. *de Locat. cap.* 14. *num.* 8. Emin. Card. de Luca *De Alienat. & contract. probib. disc.* 1. *num.* 98. & *disc.* 2. *num.* 3. Rota coram Priolo *Decis.* 231. *num.* 6. nec non *part.* 14. *recent. Decis.* 10. *num.* 12. atque *Decis.* 209. *num.* 2. Eadem Rota *in Avellina*, *seu nullius Præstationum die Lunæ* 29. *Aprilis* 1697. coram R. P. D. Dell' Olmo; impressa post Jo: Carol. Antonellum *de Jurib. & onerib. Clericor. Decis.* 27. *num.* 7.

Ex his omnibus deducebat Curia Episcopalis, Consilium Nicolai Noalis esse penitùs destitutum omni Jure, ac ratione, dum asserit concordata, seu Transactiones *de Annis* 1578. & 1620. esse irritas, ac nullas tanquam præjudiciales Capitulo Plebis Sacci, & factas absque solemnitate Beneplaciti Apostolici; siquidem per eas nullum illatum fuit præjudicium eidem Capitulo, cui (ut supra dictum est) præservatum, & confirmatum extitit Jus eligendi Canonicos Curatos, juxta concessionem Episcopalem *de Anno* 1437. & nihil de novo datum fuit Episcopo Paduano; ad quem ab immemorabili tempore semper spectavit, & spectat electiò ad Canonicatus non curatos, ut demonstratum est *supr. num.* 40. 42. &
65 59. ideò cessante omni præjudicio utriusque partis, transactiones prædictæ valent absque beneplaciti Apostolici solemnitate, & obligant successores, cum sint conventiones justæ, ac honestæ; ut tradit Riccius *in Praxi part.* 1. *resol.* 32. *num.* 1. & 7. & Rota coram Bichio *d. Decis.* 525. *num.* 17. aliæque *cit. supr. num.* 55. Et estò, quod fuisset necessarium Beneplacitum Apostolicum, præsumitur obtentum ex cursu annorum quadraginta *ab Anno* 1578. usque *ad Annum* 1620. cum manifestâ observantiâ utriusque partis; & per alios Annos quadraginta octo à die Secundæ transactionis usque ad diem præsentis discordiæ *Anno* 1668. per Capitulum Saccen. excitatæ; à quo nulla unquam facta fuit electio valida, & effectuata ad Canonicatus non curatos per sexdecim antea decursa sæcula, & per consequens nullum Jus, nullamque rationem ei competere Curia Episcopalis affirmabat, nunc, & de

Digitized by Google

& de cætero eligendi Canonicos non curatos.

Tandem eadem Curia hanc Capituli injustitiam deducebat etiam ex qualitate hujus Canonicatus, qui vacavit *Anno 1668. die 31. Martii*: nempè quia erat erectus in Theologalem ab Emin. Episcopo pro executione Concilii Tridentini *sess. 5. de ref. cap. 1.* ut
66 prænotatum est *supra num.* 50. quâ attentâ qualitate, electio pertinet ad Episcopum ex sequentibus Decretis Sacræ Congregationis ejusdem Concilii, apud eandem Episcopalem Curiam in forma probanti existentibus. Videlicet:

Maioricen. Septembris 1585. Secundò: Item An electio Personæ ad dictam Lectoriam spectet solùm ad Episcopum? vel ad Episcopum unà cum Capitulo? Tertio: Item An collatio DD. Canonicatus,
67 & Præbendæ, ac Lectoriæ ex primeva erectione, & deindè occurrente vacatione ad solum Episcopum spectet? vel ad ipsum unà cum Capitulo? Congregatio Concilii respondit, Electionem soli Episcopo competere: Collationem Concilium reliquisse illis, ad quos Jure ante Concilium spectabat collatio ejus Præbendæ, quæ deindè ex hoc decreto Concilii fuit erecta in Theologalem. Ita reperitur *in Regesto Authographo Decretorum ejusdem S. Congregationis lib. 4. fol. 64.*

Perusina. Die 17. Maii 1599. Congregatio Concilii censuit, electionem Personæ Theologi pertinere ad Episcopum; collationem autem Theologalis Præbendæ, secundum ea, quæ proponuntur, pertinere ad Capitulum. Itaque ab ipso ad collationem esse procedendum; eaque Turnum Capituli, vigore concordiæ ad ipsum pertinentis, hac vice consumi; adeò ut sequens Turnus, ad ejusdem concordiæ præscriptum, omninò ad Episcopum debeat pertinere. *Ita in eod. Regesto lib. 9. fol. 67.*

Paduana. Die 23. Januarii 1627. Sacra Congregatio Concilii censuit, electionem Theologi spectare ad Episcopum: Collationem verò Præbendæ ad eum, ad quem ante Concilium spectabat. Ita *in eod. Regesto lib. 13. fol. 188. tergo.*

Eugubina. Cum in Ecclesia Eugubina non adsit Præbenda Theologalis, Eminentissimus Cardinalis Carpineus jam Episcopus, vigore Indulti beneficia dictæ Diœcesis conferendi, Canonicatum tunc vacantem in Præbendam Theologalem erigere curavit; ex quo tamen in hac Sacra Congregatione die 19. Septembris præteriti de validitate dictæ erectionis non constabat; ideò ad removendam quamcunque dubietatem, modò de consensu etiam Capituli, occasione Canonicatus de præsenti vacantis, ad erectionem hujusmodi Præbendæ Theologalis devenire intendit. Cum autem d. Capitulum habere prætendat in omnibus Mensib. ex concessione Leonis X. & Gregorii XIII. (*ut in Decis.* 240. *coram Ludovis. in princ.*) Jus eligendi ad Canonicatus vacantes; ideò idem D. Cardinalis, & Capitulum conjunctim supplicant declarari; An, si cum hoc Canonicatu erigatur Præbenda Theologalis, præjudicetur Juri, quod habet Capitulum eligendi, casu quo hujusmodi Præbenda vacare postea contingeret dictis quatuor Mensibus?

Die 12. Decembris 1643. Sacra Congregatio Concilii respondit, electionem dictæ Præbendæ Theologalis, etiam in supradictis quatuor Mensibus, spectare ad Episcopum. Ita *in eod. Regest. lib. 17. fol. 252.*

In fidem &c. *Hac die 16. Februarii 1692.*

Ita est R. Pallavicinus S. Congr. Conc. Secretarius.

Loco ✠ Sigilli.

Illustrissimus Fagnanus, qui fuit Secretarius ejusdem Sacræ Congregationis Concilii, aliam ejus vetustio-
68 rem antescriptis Declarationem refert *in cap. Quia nonnullis. num. 39. de Magistris tom. 6.* his verbis.

In una Bergomen. Die prima Decembris 1580. Sacra Congregatio Concilii censuit, electionem Theologi spectare ad Episcopum, collationem verò Præbendæ faciendam ab eo, ad quem antea spectabat.

Ex quibus omnibus Curia Episcopalis constanter tenebat, electionem ad Canonicatus non Curatos in Collegiata Plebis Sacci nullo modo esse faciendam à Capitulo; sed eam spectare ad solum Episcopum tùm ratione antiquæ eorum institutionis, ac dotationis; tùm respectu immemorabilis consuetudinis; tùm etiam attentis validissimis transactionibus, seu potiùs conventionibus *de Annis* 1578. & 1620. & multò minùs Capitulum posse disponere de Canonicatu, & Præbenda Theologali, quæ vacavit *Anno 1668. die 31. Martii*; cum electio Canonici Theologi ubique sit propria Episcopi ex supra relatis Declarationibus Sacræ Congregationis Concilii.

DISCORDIA XLIV.

ARGUMENTUM.

Examinantur quatuor petitiones Archidiaconi Patavini contra Hæredes sui Prædecessoris, quos condemnari instabat ad reparandas ædes Archidiaconatus, ad supplendas Missas non celebratas, ad danda sibi alimenta pro tempore præstitæ Coadjutoriæ; & ad relaxandam sibi congruam portionem fructuum usque ad eorum novam collectionem anni futuri. Ostenditur justitia harum omnium petitionum; & quadruplici responsione eliditur, ac evitatur Statutum Ecclesiæ Cathedralis Paduæ de modo dividendi fructus inter beneficiatos, quando evenit casus vacationis beneficii.

SUMMARIUM.

1 *Archidiaconatus Cathedralis Paduæ est ibi secunda Dignitas.*
2 *Beneficiarius est merus Usufructuarius redditũum beneficii.*
3 *Usufructuarius tenetur custodire sarta tecta ædificia.*
4 *Fructuum beneficii quatuor partes faciendæ. Et quibus dandæ?*
5 *Hæredes beneficiarii tenentur reficere ædes Ecclesiæ.*
6 *Reparare Ecclesiam, ac ædes quando beneficiarius teneatur?*
7 *Archidiaconatus Paduani opulentia.*
8 *Statutum Cathedralis Paduæ de domibus beneficiorum sartis tectis tenendis.*
9 *Beneficiarii circa res Ecclesiæ tenentur de lata, levi, & levissima culpa.*
10 *Melioramenta facta in ædibus Ecclesiæ cedunt ipsi Ecclesiæ.*
11 *Ecclesia Campestris Villæ de Brusaduris unita est Archidiaconatui Paduano.*
12 *Missarum duarum in hebdomada onus incumbit Archidiaconatui prædicto.*
13 *Hæredes tenentur exonerare animam defuncti.*
14 *Missæ celebrandæ sunt in loco per Fundatorem designato.*
15 *Actio cuilibet competit, ut Missæ impositæ celebrentur.*
16 *Judex tenetur ex officio exequi facere causam piam.*
17 *Suppellectilia Sacra à beneficiario providenda.*
18 *Alimenta præstanda sunt per Coadjutum Coadjutori.* & num. 20. & 21.
19 *Altari qui servit, de Altare vivere debet.*
22 *Pacta sunt servanda, & promissiones adimplendæ.*

23 Coa-

Digitized by Google

23 *Coadjutores quando petere non possint alimenta à Coadjutis?*
24 *Coadjutori etiam diviti alimenta debentur.*
25 *Congrua portio fructuum danda est Successori in beneficio habente onus residentiæ, vel Curæ animarum.*
26 *Statutum Ecclesiæ Cathedralis Paduæ de ordine dividendi fructus beneficiorum inter hæredes defuncti, & successorem.*
27 *Statutum prædictum procedit in vacationibus beneficiorum, non in Coadjutoriis.*
28 *Coadjuto beneficiato moriente beneficium non vacat.*
29 *Statutum est strictè interpretandum, & de solo casu, de quo loquitur.*
30 *Vacatio beneficiorum triplex. Et quæ?*
31 *Vacationis appellatione intelligitur illa, quæ talis est de Jure, & de facto simul.*
32 *Coadjutore dato, beneficium vacare non potest.*
33 Ex nunc, prout ex tunc *verba retrotrahuntur ad tempus datæ.*
34 *Statutum Cathedralis Paduæ de divisione fructuum nihil loquitur de congrua eorum portione successori solvenda, sed de Jure fructus colligendi.*
35 *Statutum intelligendum de solo casu, de quo loquitur.*
36 *Statuta Cathedralis Paduæ Anno 1439. reformata.*
37 *Georgii Cornelii Episcopi Patavini obitus die 15. Nov. 1663.*
38 *Statuti antiquati nullus est valor.*
39 *Statutum contrarium Sacris Canonibus est ipso jure nullum.*
40 *Statuti prædictæ Cathedralis Paduæ de divisione fructuum injustitia.*
41 *Statutum injustum est de Jure nullum, & non attendendum.*
42 *Consuetudo non potest à Statuto abrogari.*
43 *Statuti Cathedralis Paduæ de divisione fructuum, dum vacent beneficia, Tenor.*
44 *Onera collectarum solvenda ad proportionem fructuum.*
45 *Antonius Abbas Paulutius Auditor Sacræ Rotæ, olim Canonicus Patavinus, & Lector Sacrorum Canonum in hoc Gymnasio Publico Patavino.*

MOrtalem vitam cùm immortali commutavit Reverendissimus Bartholomeus Gallicius Archidiaconus Ecclesiæ Cathedralis Paduæ Mense Novembri Anno 1698 cum per annos triginta, & ultrà pingui, ac ditissimo illo Archidiaconatu, qui est se-
1 cunda Dignitas in eadem Cathedrali, potitus esset. Illustrissimus Matthæus Magnus Nobilis Venetus, ejus Coadjutor, qui per duos integros annos antea obtinuerat à Sede Apostolica coadjutoriam cum spe futuræ Successionis ejusdem Archidiaconatus, defuncto prædicto principali suo Coadjuto, contra ejus Hæredes excitavit quatuor prætensiones. *Prima* erat, quod ipsi tenerentur reficere domus tùm urbanam, tùm rurales ipsius beneficii, quæ minabantur ruinam. *Secunda* concernebat Supplementum Missarum duarum in hebdomada, celebrandarum in Ecclesia Campestri Villæ de Brusaturis, cujus ampli redditus fuerunt antiquitùs uniti Archidiaconatui, prout ex appolixiis ejus publici æstimi; in quarum Missarum celebratione Archidiaconus defunctus per plures annos defecerat; & eandem Ecclesiam sine Suppellectili Sacra reliquerat. *Tertia* petitio requirebat solutionem alimentorum, quæ sibi deberi dictus Coadjutor affirmabat ab eodem Coadjuto defuncto; ob personale servitium, & residentiam ejus nomine factam in Choro, per duos integros transactos annos absque ullo emolumento. *Quarta* verò concernebat congruam portionem, quam petebat, ex fructibus Archidiaconatus per Defunctum collectis, & ad hæredes transmissis; ut ipse Archidiaconus Magnus posset sustentari usque ad novos fructus Anni 1699. & interim Cathedrali Ecclesiæ inservire; Chori residentiam facere; & prædictarum Missarum celebrationem adimplere. Porrò cum hæ petitiones amaræ viderentur DD. Hæredibus de Gallitiis, & inter eos, ac Archidiaconum Successorem discordia orta esset; requisitus ego, Utrùm illæ essent justæ, ac exaudiendæ? Respondi Affirmativè. Siquidem:

Quo ad Primam petitionem de reficiendis ædificiis Archidiaconatus, quæ ob Archidiaconi defuncti incuriam minabantur ruinam, hoc onus transire ad hæredes testantur omnes Doctores, ea ratione quia (ut ostensum fuit supra in Discord. XXXV. num. 24.) beneficiarius Ecclesiasticorum redditum est simplex Usufructuarius. Glossa *in cap. 3. Verb. Finium*
2 *regundorum. De Probat.* nec non Glossa *in cap. Possessiones. 10. Verb. Monachi. De Reb. Eccles. non alien.* & latè differit Peregrinus *tom. 5. cons. 85. num. 2.* Sed omnis Usufructuarius de Jure tenetur servare tecta sarta, & benè custodita ædificia hæreditatis. *l. Usufructu legato 7. §. fin. ff. de Usufr.* ibi: *Quo-*
3 *niam igitur omnis fructus rei ad eum pertinet, reficere quoque eum ædes per arbitrium cogi.* Cui concordat textus *in l. Eum, ad quem. 7. C. de Usufr.* ibi: *Eum, ad quem ususfructus pertinet sarta tecta suis sumptibus præstare debere, explorati juris est.* Ergo etiam beneficiario imminet hæc obligatio; in qua si defecerit, ejus hæredes sunt adstringendi ad eam adimplendam. Idem Peregrinus *tom. 2. cons. 50. num. 7.* ubi DD. Surdus *cons. 62. num. 1. & 2.* Valasc. *Decis. 105.* Riccius *Decis. 154. num. 2. libr. 2.* M. Anton. Thomatus *tom. 1. Decis. 5. num 3. & 4.* Bartholomeus Sylvaticus Patritius Patavinus, & Eques *cons. 45. num. 2. & 3.* nec non ejus concivis, ac contemporaneus Eques Marcus Mantua *tom. 1. cons. 1. num. 36.*

Confirmatur hæc obligatio tùm Archidiaconi defuncti, tùm ejus hæredum *ex cap. Quatuor. 12. q. 2.* in quo statuitur, de redditibus beneficii quatuor fieri
4 portiones; *quarum sit una Pontificis, altera Clericorum, tertia pauperum, quarta fabricis applicanda.* nec non in subsequenti *cap. Episcopus. 22. q. 2.* ubi de hæredibus Episcopi deciditur ita: *De bonis, quæ reliquit, ab hæredibus ejus indemnitatibus Ecclesiæ consulatur.* Ergo domus Archidiaconatus sunt restaurandæ ex fructibus ejus, per ipsum Archidiaconum
5 tot annis collectis, ac ad ejus hæredes transmissis, ut notat etiam Glossa *in d. cap. Episcopus in fin.* prout etiam *in cap. Parochiano tuo. in Verb. Sed ejus hæredes. De Sepultur.* Faciunt *texx. in cap. 1. & 4. De Ecclesiis ædific.* & ibi Abb. Ancharan. Butrius, Berous, & alii Canonistæ; quos allegat, & sequitur Sperellus *Decis. 67. num. 4. & 5.* ubi firmat, quod si beneficium sit pingue, tenetur beneficiatus ex ejus redditibus ad reparationem tùm Ecclesiæ, tùm domorum ejusdem beneficii.

Consonat prædictis juribus Decretum Sacræ Congregationis Concilii *diei 26. Januarii 1581.* quod refertur à Nicolio in *Lucubrat. utriusque Jur. tom. 2. lib.*
6 *1. tit. 23. de Officio Archidiaconi propè fin.* in quo decisum fuit, quod si fructus beneficii excedant summam annuam ducatorum centum, ex dictis redditibus tenetur beneficiarius ad expensas reparationis Ecclesiæ, ac domorum ejus. Porrò redditus annuos prædicti
7 Archidiaconatus excedere summam ducatorum mille constat ex ejus publico æstimo, quod allibratum est in libras undecim, ac solidos undecim; & ex regula communi in hac Urbe Paduæ, una libra æstimi denotat redditus Ducatorum centum annuorum.

Accedit ulteriùs Statutum Cathedralis Ecclesiæ Paduæ, in quo præcipitur omnibus, & singulis beneficiatis habentibus domos, ac ædificia de ratione suo-
8 rum beneficiorum, ut debeant ea benè sarta tecta servare, & benè custodita, ac servata successoribus relinquere; ex quo Statuto fit, quod Archidiaconus erat strictissimè obligatus pro illius observantia ad benè custodiendas, & in bono statu servandas domus sui

Digitized by Google

Archidiaconatus, ut advertunt Abbas *in cit. cap. 1. de Eccles. ædific. num. 3.* Berous *cons. 3. num. 3. & 4. volum. 1.* & Sperellus *d. decis. 67. num. 2.* Quod cum non fecerit; & ipsæ domus ex forma Statuti consignandæ sint Archidiacono Successori benè fartæ, & tectæ; Sequitur, hæredes defuncti, qui ejus pinguem adepti sunt hæreditatem, obligatos esse ad easdem domos resarciendas, & reparandas.

His addendum venit id, quod scribit Genuensis *in Practicabil. Eccles. quæst. 286.* nec non Bellettus *De Clerico debitore §. 10. num. 8.* videlicèt tùm beneficiarios, tùm eorum hæredes teneri, & adstrictos esse de
9 Jure ad reddendam rationem non solùm de dolo, ac lata culpa in administratione, & guberuio rerum Ecclesiasticarum; sed etiam de levi, & levissima; ut communiter docent Canonistæ Innocent. Jo. Andr. Ant. de Butrio, Imola, & alii *in cap. Cum in Officiis. De Testam.* & tradit Glossa *in Auth. Idem Nestorianas. C. de Hæretic.* ac Molina *de Primogenit. lib. 10. cap. 27.* cum quibus concordat Abbas *in cap. Ea, quæ. De Offic. Archidiac.* Sed sic est, quod Archidiaconus Gallicius excusari non potest à culpa, dum per longum temporis spatium potitus est amplis redditibus Archidiaconatus, & neglexit reparare domus de illius ratione; itaut post ejus mortem sint in pessimo statu, ac minentur ruinam: ideò ejus hæredes omninò compellendi de jure veniunt ad easdem resarciendas.

Nec suffragari potest iisdem hæredibus, si dicant, per defunctum Archidiaconum facta fuisse diversis temporibus varia melioramenta in iisdem domibus, quorum expensæ videntur à Successore in Archidiaconatu vel solvendæ, vel compensandæ. Nam res-
10 pondetur, omnia melioramenta, quæ facit beneficiarius in rebus beneficii, ipso Jure cedere, ac evadere de Jure ipsius beneficii; & de illis nulla compensatio, aut solutio peti potest ab hæredibus, ut in puncto scribunt idem Abbas *in cit. cap. De his. num. 5. De Ecclesiis ædific.* & Peregrinus *de Fideicom. art. 50. num. 43.* ubi DD. cumulat. Quapropter estò, quod in aliquibus ipse Defunctus melioraverit ipsas domus; cum in aliis partibus illas deterioraverit, ob neglectam custodiam tectorum, tegularum, ac lignorum eas sustinentium; sequitur, remansisse debitorem, & ad hos defectus resarciendos, ejus loco, hæredes esse omninò condemnandos.

Quo ad secundam petitionem Domini Archidiaconi Magni instantis, Hæredes Prædecessoris sui defuncti condemnari ad supplendam celebrationem Mis-
11 sarum duarum, in Ecclesia Villæ Brusaturæ Archidiaconatui cum hac obligatione, ut ex apolixia ejus æstimi apparet, unita; quas Missas celebrare facere omisit per multos annos Archidiaconus prædefunctus, dubitari non potest de ejus justitia; cum enim prædicta Ecclesia antiquitùs fundata, & ditata sit cum prædicta obligatione, ut fatetur ipse q. Archidiaconus Gallicius in dicto æstimo novissimo; & ejusdem Ecclesiæ fructus, ac redditus fuerint incorporati ipsimet Archidiaconatui, cum onere duarum Missarum pro qualibet hebdomada pro anima Fundatoris, & commoditate populi ibi degentis; dubitare nefas esset,
12 talem obligationem possidentibus Archidiaconatum incumbere; cumque Archidiaconus Gallicius in ea adimplenda per plures annos defecerit, ut ex libris ejusdem Ecclesiæ, ac attestationibus habitantium penès illam; sequitur, ejus hæredes de Justitia obligatos esse ad supplendam eandem celebrationem ex pecunia hæreditatis, tùm ad exonerandam animam Archidiaconi defuncti, tùm ad adimplendam ordinationem Fundatoris, ut in puncto scribit Vinc. Gri-
13 lenzonius *consil. 52. num. 46.* his verbis: *Animam defuncti tenentur exonerare hæredes, aliàs in censuras incurrunt, cap. fin. ubi Ant. de Butrio. De Sepulturis. Et de Jure Civili, & Canonico amittunt hæreditatem. cap. Nos quidem. De Testam. Auth. Hoc amplius. C. de Fideicom. & in Auth. Undè sumitur. C. de Hæred. & Falcid. §. si quis verò.* col. 1.

Nec sufficit asserere, quod forsan Dominus Archidiaconus Gallitius eas celebraverit Patavii, vel Venetiis. Quia cum incerta sit hæc celebratio, certa autem, imò indubitabilis obligatio, ei satisfieri non potest ex hac sola suppositione. Præterquàmquod obligatio ipsa est localis, & Missæ sunt celebrandæ
14 in Ecclesia illius Villæ ad præscriptum Fundatoris, cujus præcepto non est satisfactum, quatenùs alibi prædictæ Missæ celebratæ forent. Azorius *tom. 2. lib. 6. cap. 24. q. 7.* Marchinus *de Ordine tract. 3. part. 2. cap. 24. num. 7.* Diana Coordinatus, alios DD. citans, *tom. 4. tract. 1. resol. 14.*

Minùs prodesse potest DD. Hæredibus, si dicant, Domino Archidiacono Successori non competere actionem ad exigendam prætteritarum Missarum celebrationem; & ei satis esse debere, si illas de cætero faciat celebrare: Nam respondetur, cum hujusmodi
15 Missarum celebratio sit causa pia, cuilibet de populo competere actionem ad ipsam celebrationem exigendam, ut in puncto docent tàm Theologi, quàm Canonistæ congesti per eundem Dianam Coordinatum *tom. 6. tract. 8. resol. 40.* & per Barbosam *de Jure Eccl. Univ. lib. 3. cap. 27. num. 104.* Imò etiam nemine instante Judex ex Officio suo tenetur compel-
16 lere hæredes ad piam causam adimplendam ex traditis per Ridolphin. *in Praxi Judic. part. 2. cap. 4. num. 68.* per Eminen. Cardinalem Manticam *de Conjectur. ultim. volunt. lib. 4. tit. 5. art. 10. num. 14.* & post alios per Peregrinum Equitem Patavinum *in Tractat. Var. lib. 1. tit. 1. num. 153.* Et quod affirmatur de obligatione Missarum adimplenda per DD. Hæredes Gallicios, idem tenendum est de provisione Suppellectilis Sacræ pro iisdem Missis celebrandis in
17 prædicta Ecclesia Villæ de Brusaturis; nam & ad eadem Suppellectilia serta tacta servanda in ipsa Ecclesia erat obligatus Dominus Archidiaconus Defunctus, ut tradunt DD. *in cit. cap. fin. 12. q. 1. & in cap. 4. & in cap. De his. De Eccles. Ædifican.* Surdus *cons. 62. per totum vol. 1.* Sperellus *d. decis. 67. à num. 4. & seqq.* & fuit à me dictum in meis Decisionibus *De Sacrificio Missæ decis. 44.* in qua plenè declaravi, ad quos spectet provisio ornamentorum Ecclesiæ, vel Altaris pro celebrandis Missis, ac aliis Officiis Divinis. Et quod ornamenta, atque Suppellectilia Sacra, per Prædecessorem empta pro usu suæ Ecclesiæ, sint ab hæredibus eidem Ecclesiæ relinquenda, docet Nicolius *in Lucubration. Canon. lib. 3. tit. 1. num. 85.* & ibi Bulla 42. B. Pii V. ita præcipientis.

Quo ad tertiam petitionem, in qua Dominus Archidiaconus Magnus instat sibi solvi alimenta ab Hæredibus Prædecessoris pro illis annis, in quibus tanquam ejus Coadjutor servivit Choro, & Ecclesiæ Cathedrali Paduæ, nullo interim recepto emolumento,
18 justissima est hæc petitio, & instantia ob quatuor rationes. Prima fundatur in ratione naturali, resultante ex illis verbis *Deuter. 25. Non alligabis os bovi trituranti.* ubi commentatur Cornelius à Lapide, *Quia nimirum par est, ut animalia laborantia comedant.* & ex illis verbis Apostoli. *1. Cor. 9. Quis militat suis stipendiis unquam?* ex quibus communi Axioma illud processit, *Qui Altari servit, de Altare vivere de-*
19 *bet. cap. Cum secundum Apostolum.* ubi Glossa, & DD. *De Præben.* & ideò, si Dominus Archidiaconus Magnus residentiam fecit, & adimplevit vices sui Coadjuti in Choro, & Ecclesia; jus naturale dictat, ut alimenta pro eo tempore, quo servivit, sibi solvantur. Tantò magis quia, (& est secunda ratio) sic præcipit Jus Canonicum, ut in *cap. 3. de Clerico ægrotante*, de cujus adjutore dicitur, *& de facultatibus Ecclesiæ,*
20 *ad sustentationem suam, congruam recipiat portionem.* Prout etiam *in cap. Unic. eod. tit. de Clerico ægrot. in 6.* in quo pariter decernitur, *ut Coadjutores hujusmodi de proventibus Prælatorum, in quorum assumuntur auxilium, sumptus recipiant moderatos.* Et concordat Con-

Digitized by Google

dat Concilium Trid. *sess.* 21. *de ref. cap.* 6. statuens, ubi opus sit dare Coadjutores, quod oporteat, *partem fructuum eisdem pro sufficienti victu assignare.* Tertia ratio fundatur in auctoritate Doctorum, qui omnes testantur, Prælatum egentem Coadiutore, si illum assumat, obligatum esse de fructibus suæ Eccle-
21 siæ ei alimenta præbere. Glossa *in cap Præcipimus.* 21. *q.* 2 *& in cap. Suam.* ubi etiam Abbas *De Simon.* Surdus *de Alimentis tit.* 1. *q.* 60 *num.* 15. Azorius *part* 2. *lib.* 3. *cap.* 2. *q.* 9 Barbosa *de Offic. & Pot. Episc. alleg.* 63. *num.* 15. & aliis omissis, Ventriglia in *Praxi tom* 2. *Annot.* 13. § *Unico num.* 18. ita dicens: *Nota secundò, utcunque sit Coadjutor, sivè datus à Papa cum futura successione, sivè ab Episcopo ad tempus, debet illi præstari competens salarium, & portio ex fructibus beneficii Coadjuti pro ejus sufficienti victu.* Quarta postea ratio, in qua fundatur justitia hujus petitionis, est promissio alimentorum, quam Archidiaconus Coadiutus fecit prædicto suo Coadjutori, ut eum suasum redderet ad hoc onus suscipiendum, residentiam Paravii faciendam, & servitium ejus vice in Choro præstandum. Certum est autem,
22 quod pacta sunt servanda, & promissiones adimplendæ. *cap.* 1. *de Pactis. l.* 1. §. *Si conveniat. ff. Depositi. l. Jurisgentium.* §. *Prætor ait. ff. de Constit. pecun.* quæ quidem obligatio, cum adimpleta non fuerit à defuncto, transit in ejus Hæredes. *l. Cum à Matre. C. De Rei vindicat. l. Mortuo. ff. de Fidejussor.* Menochius alios DD. & texx. allegans *consf.* 274. *num.* 59.

Nec juvat dicere ex usu, & consuetudine universali Coadiutores Canonicorum residere, servire in Choro, & alia munia obire pro suis Coadjutis absque aliqua alimentorum contributione, sola spe successionis in Canonicatu contenti. Nam respondetur, id procedere, ubi Coadjutor sic expresse pacifcitur, & contentatur cum approbatione Papæ, secùs si in
23 contrarium convenerit cum Coadjuto de alimentis recipiendis, ut in casu nostro; in quo Coadjutus tenetur absolutè alimenta præstare. Garzias *de Benefic. part.* 4 *cap* 5. *num.* 145. & Ventriglia *d. tom.* 2. *Annot.* 13. § *Unic. num.* 21. advertentes, quod ubi non constat de expressa renunciatione alimentorum per Coadjutorem facta, ea illi debentur à Coadjuto. Idcircò cum in Bullis Coadjutoriæ Domini Archidiaconi Magni non legatur prædicta alimentorum renunciatio; imò habeat apud se sufficientes attestationes de promissis sibi per Archidiaconum Coadiutum alimentis, hæc omninò illi solvenda veniunt à DD. Hæredibus Gallitus, in quantitate statui, & conditioni Coadjutoris proportionata, ut doctè scribunt Fagnanus in *cap Episcopus. num* 8. & 9. *De Præbend.* & Sperellus *decis.* 84. *num* 46. ubi pluribus DD. congestis advertit, nihil præjudicare eidem Coadjutori, si distulerit per multum tempus petere eadem ali-
24 menta; vel si dives ipse fuerit, itaut de suo Patrimonio vivere posset; quia satis est, eadem alimenta sibi fuisse debita à Coadjuto, ad hoc ut ejusdem Coadjuti Hærede condemnentur ad ea illi persolvenda.

Quarta tandem petitio Domini Archidiaconi Successoris erat, quod stante collectione omnium fructuum Archidiaconatus facta per Prædecessorem de Anno 1698. & attentâ ejus morte sequutâ initio Mensis Novembris ejusdem Anni, ipsius Hæredes obligati sint consignare eidem Archidiacono Successori suam congruam portionem fructuum ratione temporis usque ad eorum novam collectionem Anni 1699.
25 ad effectum, ut possit sustentari, residentiam facere, Choro inservire, onus duarum Missarum in hebdomada adimplere; & aliis incumbentiis ejusdem Archidiaconatus cum dicta congrua portione satisfacere. De justitia hujus petitionis non est dubitandum; innititur enim Sacris Canonibus, atque Doctorum auctoritati, qui omnes testantur, quod ubi in successore ad beneficium intrat onus vel Curæ Animarum, vel residentiæ in Choro; est ei solvenda congrua portio fructuum à Prædecessore collectorum per ipsius hæredes, habito respectu ad tempus decurrendum donec maturentur novi fructus; & interim possit beneficio deservire, & ejus onera portare, ut pariter demonstratum est supra in *d. Discord XXXV. num.* 16. juxta text. *in cap. Quia sæpè. De Elect. in* 6. & DD. quos allegant, & sequuntur Covaruvias *lib.* 1. *Variar. resol. cap.* 15. *num.* 12. Annæus Robertus *Rer. judicatar. lib.* 3. *cap.* 3. *per totum.* Parisius *de Resignat. lib.* 1. *q.* 6. *num.* 79. Garzias *de Benefic. part.* 2. *cap.* 1. *num.* 96. Barbosa *de Jure Eccl. Univ. lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 75. Bellettus *Disquisit. Clerical. part.* 1. § 15. Eques Peregrinus *in cit. consf.* 85. *num.* 4. *lib.* 5. ubi in terminis justitiam hujus petitionis, & congruæ divisionis fructuum inter hæredes beneficiati defuncti, & Successorem tuetur; quibus omnibus DD. novissimè adstipulatur Emin. Card. de Luca tùm *in tract. de Benefic. disc.* 100 *num.* 12 tùm *in tract. de Dote disc.* 160 *num.* 40. ubi ita concludit: *Fructus beneficii Curati, vel aliàs personale servitium requirentis dividuntur pro rata temporis, nulla adhibita distinctione inter naturales, industriales, & Civiles.* & actum est in his præcisis terminis supra *Discord. XXXVII.* per totam.

Cæterùm quò minùs Hæredes Gallitii poterant se subtrahere à contributione dictæ congruæ portionis fructuum intuitu Juris communis, Sacrorum Canonum; & universalis DD. sententiæ, eò fortiùs in negativa insistebant freti auctoritate cujusdam antiqui Statuti Ecclesiæ Cathedralis Paduæ,
26 positi sub Rubrica *De Ordine percipiendi fructus beneficiorum, quando evenit casus vacationis. Statut.* 56. in quo Statuto (cujus Tenor infra registrabitur) post plura prolixa verba, inter alios casus ordinatur, quod quando beneficiatus moritur post festum S Justinæ, Idest *die* 7. *Octobris*, fructus, & emolumenta omnia beneficii sint hæredum ejusdem beneficiati. Igitur DD. Hæredes Gallitii ajebant, Archidiaconus Prædecessor mortuus est Mense Novembri, sicque post festum S. Justinæ. Ergo vigore Statuti ipsius Cathedralis nulla portio fructuum debetur Domino Archidiacono Successori; sed omnes collecti, & colligendi à defuncto remanent, & remanere debent apud hæredes.

Resolvitur oppositio hujus Statuti quadruplici responsione. Prima est, quod Statutum hoc loquitur de beneficiis, quæ vacant in ipsa Cathedrali, juxta
27 verba Rubricæ ejusdem Statuti ibi: *quando evenit casus vacationis;* videlicèt quando quis moritur sine Coadjutore, vel renunciat, aut ex delicto privatur beneficio; & per eos, ad quos spectat, devenitur ad electionem Successoris; huic enim, si vacatio sequuta fuerit post festum S. Justinæ, non competit exactio fructuum illius anni, sed spectat ad hæredes antecessoris. At quando beneficiatus moritur relicto Coadjutore antea instituto cum spe futuræ successionis, beneficium non vacat, ut docet Loterius
28 *lib.* 2. *q.* 25. *num.* 43 & Rota coram Penia *decis.* 630. *num.* 6. & 7. & ideò, mortuo Coadjuto, nulla collatio illius beneficii fit Coadjutori, tanquam titulum, & jus habenti in eodem beneficio à die concessæ sibi Coadjutoriæ; neque licitum est aliis Canonicis, vel beneficiatis optare illam Præbendam ex Loterio, & Penia *ubi supra;* & Gonzalez *gloss.* 15 §. 1. ob hanc utique invincibilem rationem, quod beneficium Coadjuti per ejus mortem non vacat. Igitur cum non detur vacatio, non intrat Statutum, quod loquitur tantùm, *quando evenit casus vacationis;* siquidem Sta-
29 tutum est strictè interpretandum, & intelligendum de solo casu, de quo loquitur; & ad alium casum non est extendendum; seu ampliandum. Bartolus *in l. Omnes populi. sub num.* 58. *ff. De Instit. & Jure.* Loterius *d. lib.* 2. *q.* 43. *num.* 25. potissimùm si dispositio Statuti sit contraria dispositioni Juris communis, ut

Q 2 in no-

Digitized by Google

in nostro casu. Osach. *decis.* 4. *num.* 10. Marescot. *Var. Resolut. lib.* 2. *cap.* 80. *num.* 6. & 14. Rota coram Bichio *decis.* 627. *num.* 9. nec non *decis.* 634. *num.* 4. & 5. ubi plures DD. allegantur.

Nec obstat replicatio DD. Hæredum de Gallitiis, quod imò Archidiaconatus censeatur vacasse per mortem Coadjuti ex illis verbis insertis à Papa in Litteris Coadjutoriæ, quibus profitetur conferre Archidiaconatum Coadjutori, quando vacaverit: ibi: *Archidiaconatum prædictum &c. Cum primùm illum &c. vacare contigerit, Tibi ex nunc prout ex tunc &c. Apostolica Auctoritate conferimus*. Nam respondetur, Papam intelligere, & loqui non de propria; sed de impropria vacatione ob mortem Coadjuti. Quandoqui-
30 dem beneficia tripliciter dicuntur vacare, ut docet Gonzalez *d. gloss.* 15. §. 1. vel *de Jure tantùm*, quando quis obtinet secundum beneficium incompatibile; nam primum statim vacat de Jure, sed non de facto; quia expectanda est possessio per eum capienda de secundo. Vel *de facto tantùm*, quando beneficium est de Mensa alicujus Monasterii, aut Capituli, & decedit ille, qui erat deputatus ad exercitium curæ animarum; vel datus erat à Papa Coadjutor cum spe futuræ Successionis (ut in casu nostro) & moritur Coadjutus; in his enim casibus, beneficia impropriè dicuntur vacare, quia vacant de facto, sed non de Jure; & non est vera vacatio. Vel tandem dicuntur vacare *de Jure, ac de facto simul*; quando beneficiarus moritur absque Coadjutore, vel renunciat liberè, vel privatur ob delictum. His stantibus verba Papæ in Litteris Coadjutoriæ nominant vacationem impropriam, quæ consistit tantùm in facto, quando moritur Coadjutus; sed Statutum, de quo supra, intelligendum est de vera, & propria vacatione; quæ accidit, quando beneficium vacat simul de Jure, & de facto; ut ait Gonzalez *in cit. gloss.* 15. §. 1. *n.* 9. & *seq.*
31 his verbis: *Vacationis appellatione intelligitur vacatio tàm de Jure, quàm de facto. cap. Cum nostris. 6. De Concess. Præb. & verba, quæ possunt verificari de Jure, & de facto, non sufficit, si verificentur de altero, nisi quoque verificentur de utroque. cap. Litteras. 9. eod. tit. de Concess. Præb. cap. Licet Episcopus.* 28. *eod. tit. in* 6. Mandosius *cons.* 4. *n.* 20. & 24. *quia propriè vacare non dicitur, nisi à nemine detineatur nec de Jure, nec de facto*. Itaque Statutum loquens in casu vacationis restringitur ad solam vacationem veram, & propriam de Jure, & de facto simul. Rota coram Bichio *decis.* 350. *num.* 41. nec est intelligendum de vacatione impropria, scilicèt de facto tantùm, qualis est ista, dum moritur, Coadiutus; nam per ejus mortem beneficium non vacat, quia Coadjutor ab initio Coa-
32 diutoriæ obtinuit à Papa jus, & titulum in beneficio, & hinc est, quod in Litteris Archidiaconi Magni, ei conceditur à Summo Pontifice, ut frui possit *Regulis de Jure quæsito non tollendo, & de Possessore annali, & triennali*; quæ competunt veris possessoribus beneficii; quia quando fecit eum Coadjutorem, contulit ei Archidiaconatum, ut denotant ipsa verba suprarelata ab Hæredibus Gallitiis, *Tibi ex nunc, prout ex tunc Archidiaconatum prædictum Apostolica Auctoritate conferimus*; illa enim verba *ex nunc, prout ex tunc* ap-
33 posita in rescriptis Apostolicis sunt retrotractiva ad tempus Datæ, & operantur, ut rescriptum retrotrahatur, velut si actus à principio purè factus esset, ut inquit Barbosa *De Clausul. usu frequent. ad Clauf.* 61. *Ex nunc prout ex tunc*. ubi DD. ita docentes cumulat, subdens *num.* 7. *Gratia igitur concessa cum hac clausula retrotrahitur ad tempus datæ ipsius gratiæ*. Felin. *in cap. Licet causam. num.* 6. *de Probat.* Alex. *cons.* 113. *num.* 23. *lib.* 6. *undè perindè est, ac si Papa tempore datæ primam gratiam contulisset*. Crescentius *decis.* 14. *lib.* 2. *aliàs decis.* 7. *num.* 13. *de Concess. Præb.* Ferrettus *cons.* 314. *num.* 7. *lib.* 2. Rota *in Anconitana Canonicatus* 9. *Octobris* 1592. coram Penia. Ergo sumus extra casum vacationis Archidiaconatus; & per consequens DD. Hæredes defuncti capere non possunt omnes fructus vigore Statuti Ecclesiæ Cathedralis Paduæ, quod loquitur in casu vacationis; & de sola vacatione vera, & propria est intelligendum Statutum.

Respondetur Secundò; quod neque in casu veræ vacationis Statutum prædictum excludit petitionem, & assequutionem Congruæ portionis fructuum, de Jure ab hæredibus defuncti Successori in beneficio assignandam. Quandoquidem de ea Statutum non loquitur;
34 sed tantùm disponit de Jure colligendi fructus illius anni, quod spectare decernit ad hæredes beneficiati defuncti post festum S. Justinæ. Aliud est *jus* colligendi fructus; & aliud *jus* solvendi congruam portionem Successori. De primo disponit Statutum ad tollendas altercationes inter Successorem, ac inter hæredes defuncti; at hos non liberavit à solutione congruæ per Sacros Canones ipsi Successori assignatæ. Igitur Statutum est intelligendum de primo casu, non de secundo; quia semper est strictè interpretandum, ita ut minùs
35 corrigat Jus commune quoad fieri potest. *cap. Cum dilectus. De Consuetud.* Romanus *cons.* 197. *n.* 2. Surdus *de Alim. tit.* 8. *Privil.* 90. *num.* 4. & ibi Card. Parisius *cons.* 59. *num.* 20. *vol.* 3. idem Surdus *decis.* 56. *n.* 4. ubi alios DD. congerit. Loterius. *lib* 1. *q.* 19. *num* 34. Rota coram Buratto *decis.* 167. *num.* 6. & *decis.* 215. *n.* 8. Rota *part.* 1 *rec. decis.* 388. *num.* 3. eadem Rota *part.* 5. *rec. decis.* 203. *num.* 5. & novissimè *part.* 18. *decis.* 494. *num.* 14. *tom.* 2. nec non *part.* 19. *decis.* 165. *num.* 9.

Respondetur tertiò, quod prædictum Statutum abiit in desuetudinem, & est antiquatum; tùm quia
36 Statuta Cathedralis Paduæ Anno 1439. fuerunt reformata, & renovata; & nihil ampliùs in renovatione dispositum fuit de divisione fructuum beneficiorum inter hæredes defuncti, & Successorem in beneficio; tùm etiam quia mortuus est Episcopus Patavinus Georgius Cornelius *glor. mem. Anno* 1663. *die* 15. *Novembris*, & sic post festum Sanctæ Justinæ; &
37 nihilominùs Emin Card. Gregorius Barbadicus Episcopus ejus Successor petiit, & obtinuit ab ejus hæredibus congruam portionem ex hæreditate usque ad novos fructus *Anni* 1664. undè fit, ut Statutum prædictum, quod potissimùm operari debebat in ipso Prælato, tanquam capite Capituli, ac Ecclesiæ Cathedralis Patavinæ, sit antiquatum; & cum in desuetudinem abjerit, nihil nunc operetur. Gratianus *Di-*
38 *scept. Forens. cap.* 365. *num.* 2. Emin. Card. Tuschus *Verb. Statutum. Conclus.* 454. *num.* 1. Tondutus *resol. benefic. p.* 3. *cap.* 127. *num.* 9. & 10. & Rota *part.* 19. *rec. decis.* 316. *num.* 9 ubi DD firmantes, Statutum, quod abiit in desuetudinem, attendi ampliùs non debere.

Quartò, & ultimò respondetur, prædictum Statutum tanquam contrarium dispositioni Juris Canonici, & auferens congruam portionem fructuum Successori in beneficio, quam illi Sacri Canones concedunt ad residendum, ac onera beneficii supportanda, ut in *cap. ult.* § *Porrò. De Offic. Ordinar* Extravag. *Suscepti Regiminis.* 2. *De elect. & electi potest.* esse de
39 Jure nullum, nullius roboris, vel momenti, ut testantur omnes DD. quos allegat Ferentillus in addit. ad Burattum *decis.* 758. *num.* 13. ita dicens: *Capitulum, nec etiam interveniente consensu Episcopi, potest statuere contra jus commune*. Oldrad. *cons.* 259. *num.* 6. Federic. de Senis *cons.* 17. *per totum* Alex. *cons.* 106. *num.* 2. *lib.* 2. & fuit resolutum *in Hispalen. Portionis de Ossuna* 10. *Febr.* 1623. coram bon. mem. Patriarcha Manzanedo. Facit etiam doctrina Nicolai Noalis Advocati Veneti *in tract. de Transmis. casu* 70. *num.* 3. & 4. ubi demonstrat, Statutum contrarium Juri communi, si à Papa non sit confirmatum ex certa scientia, nihil valere, & allegat plures DD. Quibus novissimè adhærent Sperellus *decis.* 12. *num.* 39. Bellettus *Disquisit. Cleric. part.* 1. *de bonis Cleric.* §. 15. *sub num.* 13. Card. Zabarella *cons.* 110. *num.* 2. & 3. Bursattus *vol.* 3. *cons.* 238. *num.* 13. ubi alios adducit. Et equidem est fri-

Digitized by Google

est frigiditas quædam allegare Statutum non solùm antiquatum, sed etiam contrarium Sacris Canonibus, contra quos statuere Canonici non possunt; ac præcipuè circa congruam portionem fructuum debitam Successori in beneficio cum onere residentiæ de Jure naturæ, ac de Jure Canonico, & Civili, ut supra probatum est; præter manifestam injustitiam ejusdem
40 Statuti, cujus dispositione sæpè sæpius Successores in Canonicatibus, ac beneficiis Cathedralis Paduæ, si esset in usu, cogerentur residere, & Choro inservire absque alimentis per decem continuos menses, nam tot decurrunt à festo Sanctæ Justinæ de Mense Octobri usque ad Mensem Augusti sequentis anni, in quo fiunt conductiones frumenti in hanc Civitatem. Et è contra si dictum Statutum servaretur, frequenter accideret, ut beneficiatus per solam residentiam duorum Mensium, idest *à die 8. Augusti usque ad diem 8. Octobris*, lucraretur omnes, & quoscunque fructus beneficii, & illos transmitteret ad ejus hæredes absque obligatione solvendi congruam portionem Successori in eodem beneficio. Quid injustius? Quid iniquius? Quis tuebitur Statutum hoc penitùs irrationabile? Quis Judex permittet, uberes beneficii proventus remanere apud hæredes beneficiati defuncti; & Successorem in beneficio residere, Choro, & Ecclesiæ servire, & non ei esse quid manducare? Idcircò prædictum Statutum, quatenùs prætendatur ex-
41 clusivum congruæ portionis, de Jure debitæ Successoribus in beneficiis habentibus onus residentiæ in Choro, vel Curæ Animarum, est prorsùs nullum, tanquam injustum, & tanquam Sacris Canonibus contrarium; injustitia enim notoria æquiparatur nullitati. Rota *part.6. rec. decis.*322. *num.*2. & ideò non est attendendum, ut præter Sperellum *d. decis.* 12. *num.*39. scribit etiam Bordonus *Consil. Moral.*70. *n.* 34. his verbis: *Statutum tollens Ecclesiis, & Ecclesiasticis personis, quod illis jus commune concedit, est contra immunitatem Ecclesiasticam, ut docent omnes cum* Barbosa *de Immunit. in additam. num.*3. Ciarlin. *cap.*63. *num.*30. Sperell. *decis.*12. *n.*39. Donatus Ant. de Marinis *lib.*2. *cap.* 28. *num.* 7. *ac proindè ipso jure nullum est. cap. Ecclesia S. Mariæ. De Constitution. Auth. Cassa. sub leg.*12. *C. De Sacrosanct. Eccles.*

Quintò respondetur, quod consuetudo semper fuit, & est, ut Successori in beneficio, quod obligat ad residentiam detur congrua portio fructuum ab hæredibus beneficiati Defuncti. Talis autem consuetudo
42 non potest destrui à Statuto; ut in puncto ait Rota *part.*17. *recent. decis.*157. *num.*5.

Quare tenendum, Congruam portionem fructuum esse solvendam Domino Archidiacono Magno à DD. Hæredibus Gallitiis juxta punctualem doctrinam eximii Equitis Peregrini Patavini *in cit. conf.*85. *num.*4. *lib.* 5.

Sequitur Tenor supradicti Statuti.

Exemplum sumptum ex Libro Statutorum Ecclesiæ Cathedralis Paduæ.

De Ordine percipiendi fructus beneficiorum Ecclesiæ Paduanæ, quando evenit casus Vacationis. Statut. 56.

OPportunum est succurrere probationibus, ne Veritas occultetur; ob hoc antiquam hujus Ecclesiæ consuetudinem duximus in scriptis redigendam, quæ
43 habet, quod si beneficiatus in hac Ecclesia, sivè Archipresbyter, sivè Canonicus, sivè Mansionarius, sivè Capellanus, vel quicunque alius vixerit usque ad Assumptionem Gloriosissimæ Virginis MARIÆ inclusivè, fructus omnes consistentes in bladis grossis, quæ dicuntur grossulia, sint suorum hæredum ex testamento, vel ab intestato; & non successoris in beneficio. Et nomine grossuliorum intelliguntur granum, hordeum, spelta, avena, fabæ, ac legumina omnia, seu bladæ, quæ colliguntur ante diem præfatam Beatissimæ Virginis. Si autem attigerit diem Beatissimæ Justinæ Patronæ nostræ, fructus, & emolumenta omnia beneficii, vel beneficiorum, quæ minuta dicuntur, similiter sint hæredum ejus: & dicuntur minuta, millium, surgum, vinum, & omnia, quæ colliguntur post diem præfatam B. Virginis. Hoc tamen ultimo casu hæredes ad collectas, quæ dicuntur Dadiæ, persolvendas usque ad novos redditus, pro ipso beneficio, vel beneficiis obligantur.

Si verò Beneficiatus ante Assumptionem obierit, omnia prædicta, tàm grossulia, quàm minuta debentur successori. Sed si post Assumptionem ante diem Beatæ Justinæ defunctus est; tunc sola minuta debentur Successori; & utroque casu, tàm quando Beneficiatus ante Assumptionem, quàm post, tamen ante diem Sanctæ Justinæ defunctus est, onera collectarum pertinent ad Successorem. Quod si accidat, ut redditus beneficii pro parte, vel in totum sint locati pro pecunia, vel alio, quod solvi debeat post diem Assumptionis, licèt in hoc à nonnullis dubitaretur, quid observandum foret? tamen omnibus tandem visum est, quod si apparere potest, illud deberi pro grossulis, idem quod de grossulis; si autem apparuerit, quod pro minutis, idem quod de minutis censeatur. In dubio verò medietas loco grossuliorum, reliquum loco minutorum computetur.

Hucusque Verba Statuti. In quibus ibi: *Et utroque casu, tàm quando beneficiatus ante Assumptionem, quàm post, tamen ante diem Sanctæ Justinæ defunctus est, onera collectarum pertinent ad Successorem:* conspicitur alia magna injustitia, præcipiendo, ut onera collectarum solvantur à Successore, etiamsi ipse non habuerit frumentum, & grossulia beneficii; nam
44 omnia jura clamant, onera collectarum esse solvenda ratione fructuum. Emin. Card. de Luca *de Benefic. disp.*84. *num.* 12. & sic hæredes defuncti, qui habuerunt frumentum, & grossulia, ob ejus obitum post Assumptionem, debent solvere collectas pro majori parte; quia, ut plurimum, major pars fructuum beneficii consistit in frumento. *l. Quod si fructus. ff. de Usur.* Covaruvias *lib.*1. *Var. resol. cap.* 3 *num.* 3. Burattus *decis.*676. *num.* 8. & Gonzalez § 5. *Proemiali num.*163. Ideò Statutum ipsum plenum injustitiis est omninò spernendum, & habendum pro nullo. Emanuel Gonzalez *in Comment. ad cap. Cum omnes. 6. num* 13. & 15. *de Constitut. tom* 1. Rota coram Alex. VIII. *decis.*202. *num.*4. & 7. ubi DD. & *part.* 19. *re-*
45 *cent. tom.*2. *decis.*552. *num.*14. & 15. coram Paulutio olim Canonico Patavino, & Sacrorum Canonum Lectore in hoc publico Gymnasio Urbis Antenoreæ.

DISCORDIA XLV.

ARGUMENTUM.

Enucleatur tota materia divisionis fructuum inter hæredes Beneficiarii Prædecessoris, & Successorem in beneficio. Pro clariori intelligentia notantur octo præmissa, eosdem fructus concernentia, scitù prorsùs necessaria. Deindè discutiuntur duodecim differentes Casus; in quibus ostenditur, juxta eorum varietatem, Quomodo sit facienda prædicta fructuum divisio?

SUMMARIUM.

1 *Georgius Cornelius Episcopus Patavinus, qui obiit die 15. Novembris 1663. laudatus.*
2 *Gregorius Card. Barbadicus die 24. Martii 1664. translatus ab Ecclesia Bergomen. ad Patavinam.*
3 *Fructuum beneficialium species tres; & earum explicatio.*

4 *Fructus*

Digitized by Google

4 *Fructus Civiles usque ad quem diem debeantur beneficiariis?* & num. 33. & 70.
5 *Vacationis beneficiorum modi quatuor. Et quales sint?*
6 *Simplicium beneficiorum fructus quomodo dividantur?* & num. 66.
7 *Distributiones quotidianæ sunt duplicis generis. Earum divisio quæ?* & num. 58.
8 *Pecunia ex fructibus beneficii locatis quomodo dividatur?* & num. 57.
9 *Onerum tanta portio esse debet, quanta est portio fructuum.*
10 *Camera Apostolica pluribus in locis jure Spolii capit fructus beneficiorum.*
11 *Spoliorum Jus quando introductum in bonis Clericorum?*
12 *Spoliorum Jus quibus in regionibus non sit in usu?*
13 *Spolio sunt subjecta bona Clericorum negotiantium, vel incontinentium.*
14 *Camera Apostolica capiens bona Clerici defuncti dat congruam Successori.*
15 *Anni initium à quo mense desumendum pro dividendis fructibus.*
16 *Anni circa initium variæ consuetudines.* & num. seqq.
17 *Indictio, quæ notatur in publicis Instrumentis, cur, & quando introducta?*
18 *Annus incipit Calendis Januarii pro dividendis fructibus Civilibus.*
19 *Capellaniæ cum onere Missarum fructus quomodo sint dividendi?* & num. 34.
20 *Annus pro dividendis granis, & Vinis incipit Calendis Augusti.*
21 *Nunciatura Apostolica Neapolis illum incipit Calendis Septembris.*
22 *Fructus collecti ante mortem beneficiarii spectant ad ejus hæredum.*
23 *Succedens in beneficio post collectos fructus à Prædecessore, quid agat?*
24 *Successori danda est ab hærede Prædecessoris portio fructuum ad ratam temporis à die ejus electionis usque ad novos fructus.*
25 *Fructuum tertia pars debetur electo quatuor menses ante novos fructus.*
26 *Fructuum Episcopatus Patavini quantitas, & valor?*
27 *Alimenta Successori per hæredem Prædecessoris quando præstanda?*
28 *Opinionum circa divisionem fructuum conciliatio.*
29 *Alimenta Cardinalis Episcopi in qua summa taxanda?*
30 *Cardinalis Gregorii Barbadici pia liberalitas in pauperes.*
31 *Ejus obitus quo Anno, Mense, ac die acciderit?*
32 *Fructuum beneficii pendentium quomodo fiat divisio?*
33 *Fructus Civiles debentur hæredibus Prædecessoris usque ad diem mortis ejus.*
34 *Capellani cum onere Missarum lucrantur fructus de die in diem.*
35 *Successor in beneficio capit omnes fructus maturatos post obitum Prædecessoris.*
36 *Grimano Episcopo Bergomen. Anno 1640. dati sunt omnes fructus pendentes.*
37 *Beneficiario dantur fructus pro mercede sui laboris.* & num. 66.
38 *Fructus separati à solo, sed non exacti in vita Prædecessoris, an sint hæredum ejus?*
39 *Fructus prædicti de Jure communi spectant ad hæredes ejus.*
40 *Bulla Julii III. concedit Successoribus in beneficiis fructus inexactos.*
41 *Consuetudo dans hæredibus fructus beneficii inexactos est attendenda.*
42 *Consuetudo prædicta viget in Dominio Veneto.*
43 *Calculus fructuum habitorum à Prædecessore, & à Successore quando faciendus?*
44 *Fructus quomodo dividendi si uterque habuit aliquam partem.*
45 *Resignati beneficii fructuum quomodo sit facienda divisio?*
46 *Resignationis liberæ, & resignationis ad favorem differentia.*
47 *Resignans usque ad quem diem capiat fructus industriales?*
48 *Feltrensis Episcopatus Decimæ de Lignaminibus plurimæ.*
49 *Resignatarius capit omnes fructus pendentes. Et cur?*
50 *Fructus civiles quomodo dividuntur inter resignantem, & resignatarium?* & num. 70.
51 *Resignans quando teneatur restituere fructus civiles per eum exactos?*
52 *Federicus Cardinalis Cornelius Anno 1644. resignavit Patriarchatum Venetiarum.*
53 *Translatus ad aliam Ecclesiam capit fructus usque ad diem Translationis.*
54 *Beneficium vacat ipso Jure per assecutionem alterius incompatibilis.* & num. 56.
55 *Fructus beneficii vacantis per aliud incompatibile cui dentur?*
57 *Pecunia ex fructibus beneficii locatis quomodo dividatur?*
58 *Distributiones quotidianæ quomodo dividendæ inter Prædecessorem, & Successorem?*
59 *Statuta Ecclesiarum servanda circa divisionem distributionum.*
60 *Distributiones pro rata temporis dividendæ.*
61 *Beneficiarius si laboraverit agros Ecclesiæ, quam portionem fructuum habebit ejus Hæres?*
62 *Clerici conducere, & colere possunt agros Ecclesiarum.*
63 *Agricultura olim à Nobilibus Romanis exercita.*
64 *Colonica pars fructuum agrorum quanta sit?*
65 *Simplicium beneficiorum fructus exacti à Prædecessore sunt ejus hæredis.*
66 *Successori in beneficio debetur portio fructuum respectu laboris.*
67 *Præpositura SS. Trinitatis de Padua quo tempore data Auctori? Et quid egerit circa fructus ejus cum hæredibus Prædecessoris?*
68 *Consuetudo in Dominio Veneto relinquit omnes fructus collectos à Prædecessore hæredibus ejus in beneficiis simplicibus.*
69 *Fructus pendentes beneficiorum simplicium spectant omnes ad Successorem.*
70 *Fructus Civiles beneficii quomodo dividantur cum Successore?*
71 *Successori in beneficio à quo tempore sit ei danda portio illorum fructuum, quos Prædecessor exegit?*
72 *Beneficii collatio, seu electio ad illud dat titulum pro habendis fructibus.*
73 *Anno novorum fructuum intrante, si adhuc vacat beneficium, ejus onera sunt solvenda ex fructibus novis.*
74 *Successor in beneficio, qui tempore suæ electionis reperit maturatos omnes fructus novi Anni, an possit petere portionem fructuum Anni antecedentis ab hæredibus Prædecessoris?*
75 *Covaruvias, & Annæus Robertus de divisione fructuum scribentes, quomodo sint intelligendi?*

OBiit *Anno 1663. die 15. Novembris* Illustrissimus, ac Reverendissimus gloriosæ memoriæ Georgius Cornelius Episcopus Patavinus, Filius Serenissimi Francisci Cornelii Ducis Venetiarum, Antistes unde-
1 quaque eximius; erat enim in omni scientiarum genere versatissimus, etiam à juvenilibus annis, quibus Romæ sub Urbano Papa VIII. cui erat charissimus, Auditoratum Rotæ de facili obtinuerat, ac decorosissimè exercitaverat; in Juribus Ecclesiæ tuendis fortissimus, liberalissimus in pauperes, in studiosos munificentissimus, ac in suo Pastorali munere diù, noctúque vigilantissimus, ut pluries testatus sum in meis Decisionibus, præcipuè de Sacramento Extremæ Unctionis *Decis. 71. num. 5.* cui per annos circiter octo ab ejus

Digitized by Google

ejus clementia dignatus fui famulari in concernenti-
bus Ecclesiasticam disciplinam, & regimen spirituale
amplissimæ hujus Diæcésis, summâ cum generosissimi
animi sui gratitudine usque ad ejus obitum. Quo, ut
supra, sequuto, Eminentissimus, ac Reverendissimus
2 sanctæ recordationis Gregorius Cardinalis Barbadi-
cus, anno sequenti 1664. die 24. Martii à Summo
Pontifice Alexandro VII. motu proprio translatus fuit
ab Ecclesia Bergomensi, cui præsidebat, ad hanc Pa-
tavinam; cujus possessionem adeptus, inter alias cu-
ras spirituales, ac temporales ejus Pastoralis officii,
opus fuit videre, Quid, & Quantum de Jure sibi de-
berent pro sua congrua portione Administratores hæ-
reditatis prædicti Antistitis Cornelii Prædecessoris
(qui suos hæredes in testamento reliquerat Cameram
pauperum hujus Civitatis Paduæ; ac Monasterium
Monialium Convertitarum S. Cathærinæ) ex fructibus
Episcopatus anno præcedenti collectis; ad quem effe-
ctum Eminentia sua commisit mihi, tunc in suum
Auditorem assumpto, ut materiam hanc congruæ
portionis fructuum Successori Episcopo debitæ, enu-
clearem; non tantùm, ut habitâ notitiâ ejusdem,
quod justum, & honestum foret, ab iisdem Admini-
stratoribus peteret; sed etiam ut, quod petendum es-
set, prædictis piis locis ad hæreditatem Corneliam
vocatis, ex ingenita ejus charitate, atque liberalitate
condonaret.

Ut igitur huic commissioni diligenter obedirem;
eique debitam executionem darem; cum reperissem
varias opiniones Doctorum, pro eorum faciliori in-
telligentiâ, & discordiâ concordandâ, plura esse præ-
mittenda duxi, & diversos casus distinguendos putavi.

Primò præmittendum, dari diversos fructus bene-
ficiales; alii enim vocantur Naturales, alii Industria-
3 les, & alii Civiles; ut benè declarat Loterius *de Re
benefic. lib. 1. quæst. 44. num. 22.* Genuensis *in Praxi cap.
65. num. 20.* Honded. *cons. 85. num. 8 & 32. lib. 2.* Pe-
regrinus Civis, & Eques Paduanus, *Decis. 83. n. 10.*
Tondut *QQ. Benefic. part. 3. cap. 164. num. 9.* & no-
vissimè Emin. Card. de Luca *de Benefic. disc. 84. n. 4.
& disc. 100. num. 21.* Fructus naturales illi dicuntur,
quos natura ex se ipsa, absque hominum labore, pro-
ducit; utpotè fænum in pratis, nuces, poma, glan-
des, castaneas, ac similes partus arborum, à quibus
annuatim ipsi de per se nascuntur. Industriales sunt,
qui requirunt industriam hominum tùm in seminan-
do, tùm in colligendo, & post collectam in purgando,
ac perficiendo; & hujusmodi sunt triticum, hordeum,
& alia blada, quæ vocamus minuta; in quibus ma-
gnus exigitur hominum labor, ut apta reddantur ad
comestionem; & tales etiam censentur uvæ, ex qui-
bus fiunt vina; nam opus est vites putare, ligare, &
opportunè dirigere, uvas colligere, succus premere;
ad ebulliendum reponere, & ebullitos in doliis collo-
care. Civiles autem fructus sunt pensiones pecunia-
riæ, quæ ex locatione domorum exiguntur, census,
livelli, & aliæ consimiles exactiones; & inter hæc
genera diversorum fructuum diversæ sunt Juris regu-
læ circa eorum divisionem inter Hæredem beneficia-
rii defuncti, & Successorem in eodem beneficio; at
illa constans est, & firma circa dividendos fructus Ci-
4 viles; quod scilicèt hi lucrantur de die in diem; &
ideò spectant ad hæredem defuncti usque ad diem
mortis defuncti, ut infra demonstrabimus; & notat
Nicolaus Noalis *de Transmission. cas. 70. sub num. 6.*
Cæsar de Panimol. *Decis. 20. Adnot. 1. num 24. & 25.
ubi DD.* & Emin. Card. de Luca *de Benefic. d. disc. 84.
num. 4. & disc. 100. num. 21.* quibus in locis excipit ca-
sum vacationis beneficii per resignationem, nulla per
resignantem facta reservatione fructuum; nam in tali
casu etiam omnes fructus Civiles debentur resignata-
rio, ut infra videbimus.

Secundum præmissum est, opus esse distinguere
circa diversos modos vacationis beneficiorum ad rectè
decidendum; qualis, & quanta congrua fructuum sit
Successori assignanda. Idcircò quatuor modis vacare
possunt beneficia, ut notat Glossa *in cap. Si propter.
Verb. Vacabunt. de Rescript. in 6.* *Primò* per mortem
5 naturalem; quando vita hæc mortalis cum morte
commutatur. *Secundò* per resignationem; quando vel
purè, vel ad favorem, vel ex causa permutationis be-
neficiarius in manibus legitimi Superioris resignat
suum beneficium. *Tertiò*, quando quis à Summo Pon-
tifice transfertur de una Ecclesia ad aliam. *& Quartò*
quando quis privatur beneficio à Judice ob aliquam
causam de Jure sufficientem ad privationem ipsam fa-
ciendam; & circa harum vacationum varietatem va-
riæ sunt regulæ circa divisionem fructuum, de quibus
infra *à n. 43. & seqq.* & benè observat ipse Emin. Card.
de Luca *d. disc. 84. num. 5.*

Tertium præmissum est; quod in hac materia divi-
sionis fructuum inter hæredes Prædecessoris, & Suc-
cessorem, distinguendum venit beneficium simplex à
beneficio curato, & Parochiali habente obligationem
exercendi curam animarum; nec non à beneficio ha-
bente onus residentiæ, ac serviendi in Choro, ut sunt
omnes Canonicatus in Cathedralibus, & Collegiatis
Ecclesiis; prout etiam à beneficiis, quibus injuncta
est obligatio Missarum celebrandarum, quales sunt
Capellaniæ, & Mansionariæ cum hujuscemodi pon-
6 deribus institutæ: siquidem alia est regula servanda in
casu divisionis fructuum inter Successorem ad bene-
ficium simplex, & hæredes beneficiarii defuncti; &
alia in his aliis beneficiis ad residentiam, vel ad cele-
brationem Missarum obligantibus; de quibus disserit
Emin. Card. de Luca *de Benefic. d. disc. 84. à num. 6.
& seqq.* ubi advertit, quod in beneficiis simplicibus,
si resignatio fiat ante collectionem fructuum, hi om-
nes spectant ad Successorem, & ex eis nihil potest
prætendere Prædecessor resignans. Undè è contra si
resignatio beneficii facta fuerit post collectos fructus;
hi omnes sunt resignantis, à quo Successor nihil exige-
re valet, ut dicetur infra in casu Decimo.

Quartùm præmissum est; quod ubi quæritur, quo-
modo sint dividendæ Distributiones inter Successorem,
& hæredem beneficiati defuncti; oportet distinguere
distributiones habentes meram qualitatem salarii, seu
7 mercedis, à distributionibus redolentibus etiam natu-
ram Præbendæ, seu beneficii: nam circa primas di-
visio fit ratione temporis, quo præstitum fuit servi-
tium in Choro; at circa secundas veniunt attenden-
dæ regulæ, quæ dantur circa fructus aliorum benefi-
ciorum vel collectos, vel non collectos, ut latè scri-
bit Theodosius Rubeus in addit. ad Rotam *part. 4.
recent. tom. 3. decis. 576. à num. 22. & seqq.* nec non
eadem Rota *part. 9. recent. decis. 117. & decis. 418.* &
idem Emin. Card. de Luca *de Benefic disc. 100. num. 13.*

Quintum præmissum est, quod aliquando evenit,
fructus beneficii fuisse locatos ad certas summas pe-
cuniæ vel antecipatè; vel posticipatè solvendas; quo
8 in casu non est habenda ratio ad tempus, quo solutio
est facienda; ubi agatur de ejus divisione inter hære-
dem defuncti, & Successorem in beneficio; sed ad
tempus, in quo fructus beneficii sunt maturati, &
collecti à conductore; ut notat Tondut *QQ. Benef.
d. part. 3. cap. 164. num. 8.* Nicolaus Noalis *de Trans-
mission. casu 70. num. 6.* ipsemet Emin. Card. de Luca
d. disc. 100. num. 7. & ibi Loterius *lib. 1. cap. 44. num.
24. & seqq.* Rota apud Cavaler. *decis. 104. n. 6.* prout
etiam *part. 2. recent. decis. 278.* & apud Burattum *decis.
364.* & Antonell. *de Regim. Milit. Eccl. lib. 3. cap. 9.
num. 22.*

Sextum præmissum dat regulam inconcussam,
quod in quacunque divisione fructuum inter hæredem
defuncti beneficiarii, & Successorem in beneficio quo-
modolibet, juxta varietatem casuum infra referen-
dorum facienda; ubi sint onera solvenda super iis-
9 dem fructibus, vel publica, (ut sunt Decimæ Papa-
les, seu Subsidia, Dadiæ, aliæve contributiones pro
militiis, aliisvè urgentiis publicis, quas noster Clerus

solvit,)

solvit,) vel privata (ut Pensiones ad favorem certæ personæ à legitimo Superiore impositæ: vel livelli passivi privatis personis debiti) semper tanta portio onerum prædictorum est assignanda hæredi Prædecessoris defuncti, ac Successori in beneficio, quanta est fructuum portio, quæ utrique contigerit assignari, juxta eandem casuum varietatem, ut benè tradit ipse Emin. Card. de Luca tùm in *d. tract. de Benefic. disc.* 100. *num.* 2. tùm *de Pensionib. disc.* 24. & ante eum Parisius *de Confident. quæst.* 35. *num.* 50. *& seqq.*

Septimum præmissum advertit, pluribus in locis, dum Beneficiati moriuntur, fructus beneficii neque ad eorum hæredes spectare, neque ad Successorem in beneficio; sed ad Cameram Apostolicam; quæ
10 non solùm capit eosdem fructus; sed etiam jure Spolii succedit in omnibus bonis, quæ Beneficiarii relinquunt, ut ostendit Nicolius *Lucubr. Canonic. libr.* 3. *tit.* 1. *à num.* 70. *& seqq.* & ibi Lessius *de Justit. & Jure lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 6. Azorius *tom.* 2. *lib.* 8. *Instit. Moral. cap.* 1. ubi agit de Justitia hujus Juris spolii, ac de ejus origine hæc *sub quæst.* 3. subjungens: *Jus Spolio-*
11 *rum ab antiquo tempore esse introductum; nam Cardinalis in cap. Nisi cum pridem. §. Intueri. De Renunciat. apertè testatur usum, & morem in Spoliis Prælatorum decedentium ab antiquo tempore esse servatum.* Et Calderinus *cons.* 1. *de Pecul. Cleric.* refert idipsum; nec non Guido Papæ *decis.* 110. Nicolaus Boerius *decis.* 224. & in Rota Auditores *decis.* 41. *de Probat. in antiquis, ut certum ponunt, spolia Prælatorum obeuntium per Pontificias Constitutiones Papæ reservari. Undè Paulus III. in Constitutione sua de Spoliis Clericorum, cujus initium est*: Itaque sicut accepimus: *reprehendit eos, qui asserebant, jure antiquo spolia ad Papam non pertinere: simul tradit, ab antiquo tempore ea Sedi Apostolicæ fuisse reservata: & non solùm Spolia beneficiariorum in Italia morientium; sed & omnium aliorum in quibusvis Provinciis, & Regnis citrà, & ultrà montes, & maria decedentium; etiamsi ad ea loca Romanus Pontifex Spoliorum Collectores mittere non consueverit.* Undè concludit Azorius *ibid. Dubitare igitur nemo jure potest, jam olim Romanum Pontificem hæc Spolia tanquam sibi debita collegisse.* Cæterùm hoc
12 Jus Spolii abiit in desuetudinem tùm in Regno Franciæ, ut testatur Tondut *de Benefic. part.* 1. *cap.* 95. *n.* 24. *& part.* 3. *cap.* 164. *num.* 1. tùm in Hispania, in Statu Mediolani, ac in tota Lombardia, & per consequens in hoc Serenissimo Dominio Venetiarum, ut scribit Nicol. Noalis *de Transmiss. d. casu* 70. *num.* 2. Rota *part.* 10. *recent. decis.* 153. *num.* 5. Emin. Card. de Luca *de Benefic. d. disc.* 100. *num.* 9. Nicolius *d. lib.* 3. *tit.* 1. *num.* 84. & Cæsar. de Panimol. *d. decis.* 20. *Adnot.* 1. *num.* 37. adeò ut nunc Jus Spolii vigere censeatur tantùm in statu Ecclesiæ, & in Regno Neapolis; ubi tamen (teste eodem Nicolio) plurimæ Diæceses sunt compositæ cum Rev. Camera Apostolica, solventes singulis annis aliquam certam summam eidem Cameræ, vel ejus Collectoribus, aut Nunciis, seu Commissariis, ne bona Clericorum in iisdem Diæcesibus decedentium subiiciantur Spolio; sed prædicta compositio non comprehendit duos ca-
13 sus. Unus est, si Clericus, de cujus hæreditate agitur, fuerit negotiator. Alter, si aliquis Clericus vel inter vivos, vel causa mortis reliquerit bona sua directè, vel indirectè, seu per interpositam personam filiis Spuriis; nam in odium illicitæ negotiationis, atque Clericalis incontinentiæ datur Spolium contra facultatem Clericorum, qui aliquo ex iisdem criminibus maculati reperiuntur; ut latè differit Nicolius, *ubi supra*, & DD. per eam congesti. Igitur ubi intrat Spolium, cessat divisio fructuum inter hæredes beneficiatorum, ac Successores in beneficio; quibus tamen Camera Apostolica tenetur assignare con-
14 gruam portionem usque ad novos fructus, ut Ecclesiæ valeant servire; prout etiam obligata remanet tanquam hæres defuncti solvere ejus debita; ut demonstrat Novarius in *Summa Bullar. part.* 1. *Comment.* 122. *num.* 12. ubi DD. Emin. Card. de Luca *de Benefic. d. disc.* 100. *num.* 24. & Cæsar de Panimollis *decis.* 20 *adnot.* 2. *num.* 2.

Octavum præmissum monitos facit Lectores, varias esse apud Canonistas opiniones, à quo Mense desumendum sit principium anni, pro facienda divisione fructuum pro rata temporis inter hæredem bene-
15 ficiarii defuncti, & inter Successorem in beneficio. Sicut enim Theologi sunt discordes in docendo, quando Annus intelligatur incipere, ac finire ad effectum, ut sciatur terminus, intra quem Christi fideles debeant satisfecisse præcepto de semel in anno confitendis propriis peccatis; prout ostendi in meis Decisionibus *de Pœnitentia Decis.* 50. *num.* 9. ita Professores Sacrorum Canonum sunt inter se discrepantes in definiendo quando Annus incipiat, ut cognoscatur numerus mensium, pro quibus fiat partitio fructuum beneficii inter prædictos, hæredem, ac Successorem. Nascitur hæc varietas tùm à diversis Ecclesiarum, ac Diæcesum consuetudinibus; tùm à difformi methodo, quam habebant antiqui circa initium Anni. Olim enim facie-
16 bant incipere Annum *die* 25. *Septembris*; qua die oriebatur nova Indictio; quæ quidem erat publicatio tributi per omnes subditos Romani Imperii, eo anno, solvendi Imperatori; undè ab indicendo eodem tributo ipsa intimatio, seu publicatio vocabatur Indictio,
17 ut habetur *in tit. Cod. de Indict. lib.* 12. & ex Scaligero *lib.* 5. *de Emendat. Temp. cap. de Indict.* ex Emin. Card. Baronii Annalib. *ad Ann.* 312. *num.* 167. & ex aliis demonstrat Emanuel Gonzalez *in Comment. ad cap. ult. num.* 3. *de Observ. jejun. tom.* 3. Alii autem volebant initium Anni pro dividendis fructibus beneficii esse desumendum à die, quo vacavit Ecclesia. Ita Glossa *in cap. Si propter Verb. primi anni. De Rescript. in* 6. Alii à die Nativitatis Domini *die* 25. *Decembris*, ut scribit Genuensis *in Praxi cap* 53. *num.* 11. & Antonelius *de Juribus Clericorum lib.* 1. *part.* 3. *cap.* 35. *num.* 5. Alii à Calendis Januarii juxta morem universalem Ecclesiæ Romanæ. Garzias *de Benefic. part.* 2. *cap.* 1. *num.* 99. cui opinioni adhæret Tondut *Q.Q. Benefic. d. part.* 3. *cap.* 164. *num.* 3. Alii à die prima Aprilis, quos citat Garzias *ibid. num.* 100. Alii à Paschate Resurrectionis Dominicæ, ut refert Antonius Picchardus *in Proemio Institut. num.* 8. ubi alios notat. Alii tandem à prima die Augusti propter Messem bladorum, quæ eo tempore solvuntur dominis agrorum; & alii in festo S. Martini, in quo completæ habentur uvarum vindemiæ, ut doctè advertit Cevallos *commun. contra commun. part.* 1. *q.* 1. *num.* 22. ubi alios DD. ita scribentes allegat.

Cæterùm inter tot opinionum varietates; duæ sunt regulæ in usu, & practicantur in hac Diæcesi Patavina. *Prima*, ut principium Anni sumatur à Calendis Mensis Januarii ad effectum dividendi fructus Ci-
18 viles, quales sunt livelli, census, affictus domorum, apothecarum, cymbarum, naviumvè, & similium; cum enim decurrant de die in diem, & de die in diem lucrentur, etsi solutio fiat pro majori commoditate semel, aut bis in anno, in Paschate scilicèt, & in festo S. Justinæ; quandocunque sequatur mors beneficiarii, & prædicti fructus civiles sint dividendi pro rata temporis inter hæredem defuncti, & inter Successorem in beneficio, tot portiones debentur hæredi, quot menses fluxerint usque ad mortem Prædecessoris, ratione unius Anni; cujus initium est sumendum à prima die Mensis Januarii decursi. Ab hac quoque die erit numerandum principium Anni pro dividendis fru-
19 ctibus Capellaniæ habentis onera Missarum, quia cum redditus hujusmodi Capellaniæ sint, & censeantur esse annua stipendia pro celebrandis Missis à Fundatore præscriptis, in his Annus incipit à prima die Januarii, & desinit ultima die Decembris; adeòut quot Menses vixerit, ac celebraverit Capellanus defunctus, tot portiones ex duodecim capiat ejus hæres; & quot

Men-

Digitized by Google

Menses remanent usque ad ultimam diem Decembris, tot pariter portiones habeat Successor in Capellania, ut benè advertit Garzias *de Benefic. d. part. 2. cap. 1. num. 98.* & ibi Perez de Lara *de Anniv. & Capell. lib. 2. cap. 11. num. 27.* Secunda verò opinio de sumendo Anni principio à Calendis Augusti practicatur pro dividendis bladis, frumento videlicèt, siligine, & aliis granis, quæ ex Campis colliguntur, prout etiam uvis, & minutis juxta id, quod docet Cæsar de Panimollis *Decis. 134. num. 10.* & affirmat practi-
20 cari in Hispania Cevallos *d. p. 1. q. 1. num. 22.* & approbat Emin. Cardin. de Luca *de Pensionib. disc. 24. num. 3. & disc. 26. num. 6.* quam methodum incipiendi computationem anni vocat magis rationabilem; siquidem cum beneficia in Lombardia, & præcipuè in hoc Serenissimo Statu Veneto habeant suam dotem repositam vel in Decimis, vel in Quartesiis, quæ deducuntur ex bladis maturandis in Mense Julio, vel in campis, qui locantur pro certa quantitate frumenti, quod pariter maturatur, & colligitur eodem Mense Julio, solvitur autem per Colonos Dominis suis in principio Mensis Augusti; optima est ratio sumere initium Anni ab initio hujus Mensis, illum protrahendo usque ad finem Mensis Julii subsequentis Anni, quia usque ad illud tempus redditus bladorum, ac uvarum debent protrahi, servari, ac distribui tùm pro victus necessitate, tùm pro aliis oneribus civilibus supportandis; & ex hac regula incipiendi Annum à prima die Augusti servatur jus, & justitia in dividendis fructibus inter hæredes beneficiarii defuncti, & Successorem in beneficio; ut videbimus in casibus sequentibus, ad normam incipiendi Annum à d. prima die Augusti; etsi Emin. Card. de Luca *d. disc. 24. num. 3. & disc. 26. num. 6. de*
21 *Pensionib.* dicat, morem esse Nunciaturæ Apostolicæ Neapolitanæ, incipere ibi numerationem Anni à prima die Septembris pro fructibus dividendis; forsan quia tardiùs in illo regno colliguntur blada, & messis est serotina plusquàm in Lombardia ob alpium juga ibi decurrentia.

His ita constitutis, ac prænotatis, devenientes ad practicam decisionem Discordiarum, quæ frequenter oriuntur circa divisionem fructuum beneficii inter hæredes Prædecessoris, & Successorem in illo duodecim casus sunt distinguendi.

Primus Casus est, quando beneficiarius habens onus Curæ animarum, vel obligationem residendi pro servitio in Choro, sivè Episcopus regimini suæ Diæcesis incumbens, moritur post collectos, & exactos omnes fructus consistentes tàm in granis, & bladis grossulis, ac minutis; quàm in uvis, & pecunia sivè ex affictibus, aut livellis, censibus, aut aliis fructibus civilibus, prout accidit in vacatione hujus Episcopatus Patavini per mortem Illustrissimi, ac Reverendissimi Georgii Cornelii, qui (ut dictum est) ad meliorem vitam transitum fecit *Anno 1663. die 15. Mensis Novembris*, relictis in horreis Episcopalibus frumenti modiis mille, ac ducentis; Vini mastellis mille; denariorum autem ducatis quinque mille circiter, prout ex libris Factoriæ Episcopalis illius Anni. In hoc casu sicut omnes Doctores sunt concordes circa ipsos fructus collectos, & exactos quo ad personam Prædecessoris defuncti, ac ejus Hæredis; ita sunt discordes quo ad personam Successoris in beneficio. Concordant omnes scriben-
22 tes circa personam Prædecessoris, quod fructus omnes spectant ad illum, & per consequens ad ejus hæredem; ea ratione quia Beneficiarius similis est usufructuario, qui ipso jure fit dominus omnium illorum fructuum, quos colligit, & exigit ante mortem; & eos ad suum hæredem transmittit per *text. in l. Si Usufructuarius. ff. Quib. mod. usufruct. amitt.* & ita voluit Gloss. *in cap. Si propter. in Verb. primi anni. & ibi DD. de Rescript. in 6.* & in terminis scribunt DD. quos citat, & sequitur Nicol. Noalis *de Transmission. casu 70. num. 6.* & ex Beneficialistis Loterius *lib. 1. q. 44. num. 23.* Ventriglia *tom. 2. Annotat. 26. §. 2. num. 38.* Antonellus *de Regim. Milit. Eccles. lib. 3. cap. 9. num. 20.* qui omnes innumeros propè alios Auctores ita docentes cumulant, & Decisiones Rotales allegant; inter quas *Decis. 761. num. 4. & 6. part. 1. divers.* & coram Coccino *Decis. 476.* quibus accedit novissimè Emin. Cardin. de Luca *d. tract. de Benefic. disc. 81. num. 6 & disc. 100. num. 11.* qui ait, in hoc casu non esse recedendum à doctrina Calderini *in cons. 2. de Pecul. Cleric.* ubi firmat omnes fructus beneficii collectos, & exactos ante obitum Prædecessoris spectare ad eju. hæredem.

Porrò circa personam Successoris in beneficio, post exactos omnes fructus per Prædecessorem (itaut nihil eo anno restet exigendum ab ipso Successore, ut in præsenti casu) discordes sunt DD. in decidendo, quid agere debeat idem Successor? Duæ enim sunt
23 in hoc casu scribentium opiniones. *Una*, quod Successor petere possit congruam portionem fructuum exactorum per Prædecessorem ab ejus hærede pro rata temporis usque ad finem anni, & ad novos fructus: *Altera*, quod tantummodò petere possit ab hærede prædicto sua alimenta, & quod ipse hæres onera beneficii solvat usque ad ipsos novos fructus. Prioris opinionis sequaces sunt Doctores, quos refert illos sequendo, ipsemet Antonellus in suo opere Posthumo *de Jurib. Clericor. d. lib. 1. part. 3. cap. 35. n. 3. & 4.*
24 his præcisis verbis: *Fructus* (jam collecti, & exacti) *inter beneficiatum defunctum, & Successorem dividendi sunt pro rata anni, juxta l. Divortio. ff. Solut. Matrim. quia cum beneficium detur propter Officium, & servitium Ecclesiæ. cap. Cum secundum Apostolum. De Præbend. cap. fin. de Rescript. in 6. sicut dos propter onera Matrimonii. l. Pro oneribus. C. De Jur. Dot. ideò divisio fructuum facienda est juxta d. l. Divortio; & ita senserunt* Covaruvias *Variar. lib. 1. cap. 15. num. 12 & seq.* Molina *de Hispan. Primogen. lib. 3. cap. 11. num. 4.* Guttierez *Canonic. Quæst. lib. 1. cap. 33.* Parisius *De Resignat. 1. Benefic. lib. 1. q. 6. à num. 79. & de Confidentia quæst. [illegible] num. 49.* Zerola *in Praxi Episc. 1. part. Verb. Beneficium, §. 6. & 2. part. Verb. Renuntiatio. §. 2.* Castillus *de Usufructu cap. 79. num. 1. & seqq.* Layman *in Theol. Moral. lib. 4. tract. 2. cap. 3. num. 10.* Genuensis *in Praxi cap. 53. num. 11.* Garzias *de Benefic. d. part. 2. cap. 1. num. 96. & seqq. Et licèt utraque sententia probabilis sit, hæc tamen receptior est, præsertim in beneficiis curatis, & requirentibus residentiam.* Et paulò post exemplificans hanc fructuum divisionem inter hæredem beneficiati defuncti, & Successorem in beneficio faciendam pro rata temporis, ita subdit *num. 6. Hinc infertur, quod si fructus ex beneficio percipiantur certo anni tempore, puta tempore messium, vel vindemiarum, & beneficiatus eo anno vixerit v. g. decem Mensibus, fructus prædicti, etiamsi omnes percepti jam fuerint à beneficiato defuncto, dividendi sunt ita, ut pro rata decem Mensium spectent ad hæredes beneficiati, quia jam eo tempore substinuit onera beneficii: & pro rata aliorum duorum Mensium ad Successorem.* Ex hac igitur Antonelli
25 doctrina, & aliorum Doctorum hanc opinionem tenentium, dicendum erat in casu Eminentissimi Cardinalis Barbadici Successoris in Episcopatu Patavino *die 24. Mensis Martii 1664.* (quo die fuit translatus per Papam ab Ecclesia Bergomen. ad istam) quod ab hæredibus Episcopi Cornelii Prædecessoris Defuncti erat assignanda Eminentiæ suæ tertia pars fructuum Episcopatus; quæ correspondebat quatuor Mensibus, qui constituunt tertiam partem Anni, decurrendis usque ad finem Anni; nempè Aprili, Majo, Junio, & Julio; sumendo principium Anni à Calendis Augusti juxta Praxim Regionis, de qua supra *num. 20.* eo quia in initio Mensis Augusti coloni conducunt in horrea dominorum frumenta jam collecta, siccata, ac purgata. Et juxta hanc opinionem; &

Digitized by Google

hunc calculum dicebam, quod Eminentissimus Cardinalis Successor petere poterat ab hæredibus Episcopi Cornelii Prædecessoris ducatos quinque mille; siquidem fructus omnes hujus Episcopatus Patavini,
26 ut pluries intellexi ex ore ejusdem Illustrissimi, ac Reverendissimi Episcopi Cornelii defuncti, ascendunt ad summam annuam Ducatorum decem, & octo millium monetæ Venetæ, L. 6: 4. pro Ducato; de qua Summa, detractis Ducatis tribus mille, tùm pro Pensione Emin. Cardinalis Francisci Barberini, tùm pro Decimis Papalibus Serenissimo Dominio Veneto debitis, nec non Dadiis, & aliis oneribus toti Clero Patavino incumbentibus annuatim; redditus liberi remanebant in Ducatis quindecim mille, quorum tertia pars pro rata temporis, idest pro quatuor futuris Mensibus usque ad novos fructus competens Eminentissimo Cardinali Barbadico Episcopo Successori ascendebat ad prædictam Summam Ducatorum quinque millium.

Altera autem DD. opinio tenet; non esse faciendam hanc divisionem fructuum inter hæredem Prædecessoris, & Successorem; cum jam Prædecessor factus fuerit verus dominus omnium fructuum, ejus vita durante exactorum, & eorum dominium irre-
27 vocabiliter transmiserit in hæredem; sed ab isto, præter solutionem omnium onerum beneficii usque ad novos fructus, esse tantummodò subministranda alimenta Successori, ut possit residere in beneficio, & ei inservire. Hanc opinionem tuetur Nicolaus Noalis fultus auctoritate Doctorum eandem docentium, quos allegat *in tract. de Transmission. d. casu 70. num. 9.* his præcisis verbis: *Declarantur præmissa; nam si defunctus, vel resignans exegisset, & in horreis commixtos, vel à solo separatos haberet universos fructus; vel tantam ratam ex eis, ut fructus remanentes successori non essent sufficientes pro incumbentibus oneribus usque ad novos redditus supportandis; hoc casu non resistente consuetudine, vel constitutione, sivè statuto confirmato à Papa, modo supradicto, relinquenda est successori portio ipsorum fructuum pro victu ejusdem successoris, & aliis necessariis oneribus supportandis usque ad novam recollectam, inspecta scilicèt quantitate redditnum beneficii, & onerum supportandorum, ac qualitate ipsius successoris per text. in cap. fin. §. Porrò. De Offic. Ordin. in 6. Et Extravag. Suscepti. Joan. XXII. De Elect. & per rationem, quia fructus Ecclesiæ sunt deputati pro oneribus totius anni. cap. Valentes. 12. q. 1.* Geminian. *in d. §. Porrò. num. 4.* & Franch. *num. 2.* Gigas *de Pension. q. 72. ante num. 1. & conf. 124. num. 3.* & Covaruvias *Var. resol. lib. 1. cap. 15. num. 12. propè fin. Et ratio rationis est, quia successor, qui sustinet onera beneficii, debet vivere de ipso beneficio. cap. Ex his. 12. q. 1. cap Cum secundùm. de Præbend. cap. fin. De Rescript. in 6. Facit l Secundùm naturam. ff. De Regul. Jur. Et sic in specie, quod successoribus reliquenda sit portio fructuum pro victu, & aliis necessariis oneribus usque ad novos redditus, tenet* Borgnin. *Decis. 37. num. 89. part. 2 & Decis. 8. num. 80. part. 3.* Bolognin. *in addit. ad Joan. de Anania cons. 88. num. 6 & consuluit* Grilenz. *cons. 112.* Peregrinus. *cons. 85. num. 4. vol. 5.* Domin. Hieronymus Mainat. *in suo consil. impresso De Spol. & Fructib. benefic. num. 182. & seqq. & voluit in effectu* Geminian. *cons. 3. num. 7.* Hucusque Noalis, cujus opinionem amplectitur novissimè etiam Cæsar de Panimollis *Decis. 20. Adnot. 1. num. 42. & 43.* ita scribens: *Quod si Clericus moriatur perceptis, reconditis, ac commixtis omnibus beneficii fructibus, adeout successor non inveniat fructus, cum quibus se sustentare valeat; quod teneatur Prædecessor, seu ejus hæredes subministrare omnes expensas pro incumbentibus oneribus, & alimentare successorem usque ad novos redditus; ut potè quia in beneficiis redditus unius anni destinati sint pro dictis oneribus usque ad novos redditus sequentis anni, docent* Borgnign. *Decis. 37. num. 46. cum plurib. seqq. aliàs Decis. 81. secundùm aliam impressionem; cum qua etiam pertransit* Bellettus *Disquisit. Cleric. part. 1. de bonis Clericor. §. 15. num. 13.* Vivianus *de Jurepatron. part. 3. lib. 14. cap. 8. num. 19.* Moneta *de Distribut. Quotidian. part. 3. quæst. 3. num. 24. & 26. ubi allegat textum in cap. Præsenti. §. Porrò. De Offic. Ordin. in 6. & ego ipse tradidi in meo Plausinomo*, (idest Praxi sedandi jurgia) *Constit. 31. num. 9. 10 & seqq.* Volunt itaque supracitati omnes Doctores, quod in casu collectorum, ac exactorum omnium fructuum per Prædecessorem, de quo in præsenti disputamus, ipsi fructus non sint dividendi pro rata temporis inter Successorem, & hæredem Prædecessoris, sed ab hærede Successorem esse alimentandum, & onera beneficii persolvenda usque ad novos fructus; quibus DD. adhærere reperio, & pro hac opinione stare etiam Emin. Card. de Luca *d. tract. de benefic. disc. 84. num. 12.*

In hac opinionum discordantia circa modum solvendi congruam portionem successori in beneficio per hæredes Defuncti, qui collegit omnes fructus; mihi videbatur, in nihilo præjudicari bono juri ipsius Successoris; quia sivè stemus in prima opinione de di-
28 videndis fructibus pro rata temporis à die electi Successoris usque ad novos fructus, sivè adhæreamus secundæ, de præstandis eidem alimentis; cum hæc sint arbitranda respectu qualitatis personæ ipsius Successoris, & quantitatis redditnum beneficii, ad quod est electus; ut benè loquitur Concilium Provinciale Mediolanen. VII. *in tit. de Fructib. Eccles. Vers. Si verò.* relatum per Barbosam *de Jure Eccles. Univ. lib. 3. cap. 7. num. 82* & advertunt DD. pro secunda opinione allegati; eadem summa, & quantitas venit Successori ab hæredibus Prædecessoris refundenda. Nam reflectendo ad petitionem Eminentissimi Cardinalis Barbadici Successoris in Episcopatu hoc Patavino, quæ pro rata quatuor Mensium usque ad novos fructus attingebat summam Ducatorum quinque millium, ut dictum est supra *num. 26.* Si ejus loco Eminentia sua petiisset alimenta juxta suam qualitatem Episcopalem, & Cardinalitiam; cum hæc re-
29 quirat saltem summam annuam scutorum decem millium monetæ Romanæ; quæ faciunt Ducatos Venetos quindecim mille; congrua portio pro alimentis ejus, ac familiæ suæ ascendebat ad eandem summam Ducatorum quinque millium pro tertia parte Anni, idest prædictorum quatuor Mensium Aprilis, Maii, Junii, & Julii; quibus factus fuit Episcopus Patavinus Anno 1664. etsi ex mente DD. congruam debitam Cardinalibus in majori summa constituat Barbosa *de Jur. Eccl. Univ. d. lib 3. cap. 17. num. 20.*

In praxi hujus Casus facilis fuit modus concordandi, attentâ generositate, ac liberalitate ejusdem Eminentissimi Cardinalis Barbadici Episcopi, qui cum audisset, Hæredes Episcopi Cornelii Prædecessoris sui esse ex ejus testamento Cameram Pauperum hujus Civitatis Paduæ, & Monasterium Con-
30 vertitarum S. Catharinæ, contentus fuit assignatione suppellectilium sericeorum, & aliorum utensilium, quibus ab eodem Prædecessore Palatium Episcopale erat decentissimè ornatum; cumque deveniendum esset ad eorum æstimationem, quæ à ministris Eminentiæ suæ reputabatur satis inferior antedictæ summæ Ducatorum quinque millium; Eminentia sua subjunxit, cum hæredes sint pauperes, spectat ad nos potius eis dare; quàm ab eis alimenta recipere; sicque silentium imposuit ministris suis. Hæc de primo casu; in quo ubi ageretur de Parochiali, vel Canonicatu cum residentia non habentibus magnos redditus, facile semper erit Successoribus concordare circa congruam portionem vel in fructibus ad ratam temporis; vel ad arbitrium boni viri respectu Ducatorum centum Auri de Camera in anno juxta reflexionem Emin. Card. de Luca *de Benefic. d. Disc. 100.*

Digitized by Google

100. *num.* 14. vel magis, aut minùs respectu qualitatis beneficii.

Secundus Casus est, quando Parochus, vel Canonicus obligatus ad residentiam Chori, sivè Episcopus in regimine suæ Diæcesis moritur, nullis eo anno collectis fructibus, scilicèt quia tempore mortis ejus nondum erant maturati; ut evenit in vacatione Ecclesiæ S. Maximi hujus Civitatis Paduæ, cujus Rector Andreas Viecelli, (Vir satis doctus, ac eruditus, atque Synodalis Examinator) viam Cœli ingressus est hoc *Anno* 1706. *die* 3. *Julii*; vel quando vacavit hic Episcopatus Patavinus *Anno* 1697. per obitum Sanctæ Memoriæ prælaudati Emin. Cardina-
31 lis Gregorii Barbadici; qui *obiit die* 18. *Mensis Junii* ex inflammatione Sanguinis contracta ob exantlatos labores in Processione solemni Corporis Christi, & in Pontificalibus celebratis in Ecclesia Divi Antonii die ejus Festo 13. ipsiusmet Mensis. Quæritur itaque in hoc casu, ad quos spectent fructus pendentes, & hoc Anno vacationis Ecclesiæ maturandi, & colligendi? Et equidem etiam in hoc casu duæ sunt Ca-
32 nonistarum opiniones: *Una*, quod fructus postquam fuerint maturati, & collecti sint dividendi pro rata temporis inter hæredes Prædecessoris, & inter Successorem in beneficio; ea ratione quia fructus beneficiorum assignati sunt propter servitium, & Officium Ecclesiæ. *cap. Cum secundum Apostolum. De Præbendis cap. fin. de Rescript. in* 6. Ideò cum Prædecessor servierit Ecclesiæ, & in ea suum Officium exercuerit per duos, tres, aut plures Menses ante maturatos fructus, videtur convenire justitiæ, & æquitati, ut ad ratam eorum Mensium detur una portio fructuum hæredibus Prædecessoris; & alia portio reservetur successori juxta *d. l. Divortio. ff. Soluto Matrim.* & ita sentiunt DD. quos citat, & sequitur Antonellus *de Jurib. Cleric. in cit. lib.* 1. *part.* 3. *cap.* 35. *num.* 3. & 4. & alii plurimi congesti per Garziam *de benefic. d. part.* 2. *cap.* 1. *num.* 96. & *seqq.* ubi ait hanc opinionem sibi magis placere: *Altera* opinio est, quod fructus beneficii pendentes, & non maturati tempore mortis Prædecessoris spectent omnes ad Successorem in beneficio; adeò ut illius hæredes nihil consequi debeant de ipsis fructibus; ut communiter tenent omnes DD quos longa serie cumulant Barbosa *de Offic. & pot. Episc. alleg.* 117. *num.* 6. & Bellettus *de Bonis Cleric. d. §* 15. *num.* 4. & hæc opinio est verior, ut ait Bonacina *tom.* 1. *De obligat. beneficiar. disp.* 4 *punct.* 3. *num.* 8. quam etiam tenuit Antonellus sibi contrarius in *tract. de Regimine Ecclesiæ d. lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 23 & eam amplexus latè comprobat juribus, & Auctoritatibus Sperellus *Decis.* 82. *num.* 3. & 4.

Concordantur tamen hæ duæ opiniones, ut prima procedat primò in fructibus civilibus; qui cum decurrant de die in diem, spectare possunt ad hære-
33 dem Prædecessoris usque ad diem mortis ejusdem Prædecessoris, etsi quando obiit non erat maturatus terminus solutionis, ut dictum est supra in primo præmisso *num.* 4. Secundò ut prima opinio procedat circa divisionem distributionum quotidianarum, quæ habent rationem salarii, & dantur de die in diem ob personalem residentiam in Choro, ut prænotatum est supra in quarto præmisso *num.* 7. & tenet Card. Parisius *cons.* 34. *à num.* 22. & *seqq. vol.* 4. Gigas *cons.* 144. *num.* 21. & 34. Latè Moneta *de Distribut. quotidian part.* 3. *q.* 3. *num.* 13. & 14. & Antonellus *de Regimine Eccl. Milit. d. lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 32. & ibi Rota coram Card. Seraphin. *Decis.* 594. *num.* 6. & *part.* 2. *recent. Decis.* 665. *num.* 9. Idem Antonell. *De Jurib. Cleric d. libr.* 1. *part.* 3. *cap.* 35. *num.* 13. Tertiò, ut eadem prima opinio habeat locum in Capellaniis, Mansionariis, & aliis Legatis piis relictis cum onere
34 Missarum; in quibus cum fructus relicti sint à Fundatoribus pro eleemosyna earundem Missarum, & tanquam stipendium Capellanorum, ut dictum est supra *num.* 19. ex Garzia, & Perez de Lara ibi citatis, divisio fructuum fieri debet inter hæredem Prædecessoris, & Successorem ratione temporis, & numeri Missarum celebratarum eo anno, incipiendo à Calendis Januarii, ut dictum est in tertio præmisso supra *num.* 6. & notat Garzias *d. part.* 2. *cap.* 1. *num.* 98. præcipuè quia Legata pia solvenda veniunt in principio anni. *l. Si ita fuerit.* 41. *ff. de Manumiss. testam.* Cyriac. *Controv. for.* 363 *num.* 1. *tom.* 2. Francisc. de Angelis *in Opusc. De Regia Test. vol. num.* 142. Quartò tandem admittenda sit dicta prima opinio in iis locis, ac Diæcesibus, in quibus consuetudo sit, numerationem anni incipere à Calendis Januarii, de qua idem Garzias *d. part.* 2. *cap.* 1. *num.* 99. & Tondut *QQ. Benefic. part.* 3. *cap.* 164. *num.* 3. quos allegavi supra in octavo præmisso sub *num.* 18. His casibus exceptis servanda, & practicanda est secunda opinio supradicta; quæ quidem servatur, & practicatur in hac Diæcesi Patavina, in qua nihil datur de fructibus naturalibus, & industrialibus maturandis, & colligendis post mortem beneficiarii, ejus
35 hæredibus; sed ipsi omnes fructus pertinent ad Successorem, cui reservantur ab Œconomo per Episcopum deputato, si collectio fiat ante ejusdem Successoris electionem.

Hinc Nicolaus Noalis *cons.* 34. *num.* 1. scribens ad favorem Episcopi Grimani, qui de anno 1640. fuerat electus ad Ecclesiam Bergomen firmat, *quod omnes fructus obvenientes Ecclesiæ de tempore vacationis fu-*
36 *turo successori reservandi sunt. cap. Quia Sæpè. De Elect. in* 6. *cap fin.* & *ibi* Geminian. *num.* 5. & 11. & Francus *num.* 1. *De Offic. Ord. in* 6. *cap. Cum vos. eod. tit. in antiq. cap. Nec hujus. cap. Illud.* 12. *q* 2. *Quoniam.* 75. *dist. Clem. Statum. De Elect. Extravag. Suscepti Jo.* 22. *§. Nos de illo. De Elect.* Jo: Coppus *in tract. de Fructib. lib.* 4. *tit.* 3. *cap.* 2. Plottus *de in lit. jur. §.* 33. Gabriel *cons.* 197. *num* 14. *vol.* 1. Ancharan. *cons.* 158. *num.* 1. Surdus *cons.* 333. *num.* 23. *vol.* 3. & Redoanus *de Spol. quæst.* 5. *num.* 1. qui omnes Doctores confirmant, ad Successorem spectare quoscunque fructus beneficii, qui maturantur, & colliguntur post mortem Prædecessori juxta secundam opinionem supradictam; & ita factum est in vacatione hujus Episcopatus Patavini anno 1697. per obitum supranominati Eminentissimi Cardinalis Barbadici, qui cum obiisset *d. die* 17. *Mensis Junii*; omnes fructus postea collecti, & exacti ab Œconomis Capitularibus Mense Augusto subsequenti reservati fuerunt Eminentissimo Cardinali Georgio Cornelio Successori, qui cum adeptus esset possessionem Episcopatus *die prima Mensis Octobris* 1697. obtinuit, & consequutus est omnes, & singulos fructus ejusdem Anni.

Nec officit ratio in contrarium adducta, quod fructus dantur ob laborem beneficiarii, qui cum laboraverit in Ecclesia per tres, quatuor, aut quinque menses ante maturatos fructus illius anni, videtur defraudari sua mercede. Nam respondetur, mercedem congruentem labori suo usque ad novos fructus per eum receptam fuisse anticipatè in recollectione
37 omnium fructuum antecedentis anni; qui cum ei dati sint, ut stipendium futurorum mensium duodecim, quorum primus est Augustus, à quo incipit annus, quocunque mense deinde objerit in sequenti anno, ante alium futurum mensem Augusti, habuit debitam sibi mercedem. Quod si præcedenti anno fuisset ingressus in beneficium post maturatos, & collectos fructus à Prædecessore; ab ejus hærede consequutus fuit eorundem fructuum congruam portionem; ut de eodem Emin. Card. Barbadico Episcopo Patavino ostendimus supra *num.* 30. qui à Commissariis piorum locorum hæredum Episcopi Cornelii Prædecessoris obtinuit suam ratam fructuum anni 1663. pro quatuor ultimis mensibus anni 1664. in tot suppellectilibus sericeis, & aliis ornamentis Palatii Episcopalis, ac quadam alia pecuniæ summa.

Digitized by Google

Et ex his remanet justificata secunda opinio tanquàm verior, & communior, quod fructus maturati, & collecti post mortem Prædecessoris spectant omnes ad Successorem; ut affirmant omnes DD. supracitati *num.* 32. inter quos Ferrettus Advocatus Venetus *cons.* 256. *per totum*, *&* *cons.* 372. & Gigas, qui pariter advocabat Venetiis *in tract. de Pensionib. quæst.* 88.

Tertius Casus est: Obiit Beneficiarius tunc, & eo tempore, quando fructus erant maturati, & separati à solo; sed nondum per eum exacti, neque à colonis, seu affictuariis ad ejus domum conducti; & adhuc apud eosdem colonos, seu affictuarios extabant.
38 Quæritur ad quem pertineant? num ad hæredes ejusdem beneficiarii defuncti? vel ad Successorem in beneficio? Pro resolutione hujus casus tria jura sunt attendenda, scilicèt vel Jus commune, vel Bulla 7. Julii III. confirmata ab Urbano VIII. vel Consuetudo regionis, seu Diæcesis, quando in ea non sit Statutum à Papa confirmatum. Quo ad Jus commune, prædicti fructus spectant ad hæredem beneficiarii defuncti; ut respondit Antonellus *de Regim. Milit. Eccles. d. libr.* 3. *cap.* 9. *num.* 20 his verbis: *His positis dico, quod attento Jure communi fructus naturales, & industriales collecti, & à solo separati,*
39 *ac etiam civiles debiti, vel maturati ante obitum beneficiati, etiam non exacti spectant ad hæredem beneficiati defuncti, juxta terminos l. Defuncta. ubi DD. ff. de Usufruct.* Rota *Decis.* 761. *part.* 1. *divers.* Ludovic. *Decis. Perusin.* 33. *num.* 1. Navarrus *de Redditib. benef. quæst.* 2. *num.* 13. *&* *cons.* 7. *num.* 1. *de success. ab intest. &* *cons.* 3. *de Donat.* Bonacina *in tract. de Obligat. Beneficiar. disp.* 4. *punct.* 3. *num.* 8. *tom.* 1. *& alii permulti, quos refert, & sequitur* Vivianus *de Jurepatron. part.* 3. *lib.* 14. *cap.* 8. *num.* 6. *& hanc esse communem, & probabiliorem docet* Barbosa *de Offic. & pot. Episc. alleg.* 117. *num.* 6. *etiamsi fructus non essent per beneficiarium percepti, & in ejus horrea reconditi, ut decisum refert* Bonacina *ubi supr. num.* 3. & Tiraquellus *de Retract. Convent.* §. 5. *gloss.* 4. *num.* 1. *in fine. Sufficit enim, quod separatio à solo facta fuerit nomine ipsius beneficiarii, uti præsumitur facta, per debentes Decimas, & colonos.* Idem affirmat Nicolaus Noalis *de Transmiss. d. casu* 70. *num.* 2. *&* 6. & ibi Glossa *in cap. Si propter. in Verb. primi anni. de Rescript. in* 6. Ferretus *cons.* 225. *num.* 5. quibus adhærent novissimè Adden. ad Thesaur. *Decis.* 143. *litt. A.* & ad Burattum *Decis.* 852. *num.* 6. *&* 7. Nihilominùs Cæsar de Panimollis *d. Decis.* 20. *Adnot.* 1. *num.* 12. sustinet, quod in hoc nostro casu de Jure communi ipsi fructus spectent ad Successorem juxta *consil.* 2. *Calderini*; & citat Redoanum *de Spol. Eccl. q.* 3. §. *Verùm quia num.* 7. Clarum *in* §. *Testamentum q.* 27. *num.* 8. Bellettum *d.* §. 15. *num.* 5. Seraphinum *Decis.* 594. *&* *Decis.* 683. atque Coccinum *Decis.* 476. pro successore tenentes.

Ubi verò est in usu Bulla VII. Julii III. confirmata ab Urbano VIII. Anno 1628. quæ est *Const.* 80. *in Bullar. Cherubini tom.* 4. absque ulla hæsitatione fructus inexacti, juxta hunc tertium casum, spectant ad Successorem: quandoquidem ipse Summus Pontifex per dictam suam Constitutionem 7.
40 incipien. *Cum sicut, &c.* per viam Legis generalis publicatam *Anno* 1550. *die* 26. *Junii* perpetuò valituram, statuit, decrevit, & ordinavit, quod *Fructus beneficiorum, tempore obitus beneficiatorum, etiam Cardinalium, inexacti ad Successores in beneficiis, & non ad hæredes spectent in locis, in quibus non deputantur à Rev. Camera Apostolica spoliorum Collectores.* Quam Bullam confirmavit etiam Urbanus VIII. prædicta altera sua *Constit.* 80. *Anno* 1628. *de* 10. *Junii*, & de utraque differunt Quaranta *Verb. Beneficiorum possessio.* Marescottus *Var. resol. lib.* 2. *cap.* 2. Cavalcan. *Decis.* 44. *lib.* 1. Valenzuol. *cons.* 47. Maceraten. *Var. resol.* 46. *lib.* 1. Valerus *in different. utriusque fori Verb. Beneficium.* 2. Riccius *collectan.* 657. *&* 1749. & Jo: Novarius *in Summ. Bullar. part.* 1. *Comment.* 12. Igitur esto, quod de Jure communi casus iste possit controverti ob varias opiniones Doctorum; attentâ tamen hac expressâ lege Pontificiâ non est dubitandum, quod fructus etsi maturati, & separati à solo ante obitum beneficiarii, si non fuerint exacti ante ejus obitum non possunt spectare ad ipsius hæredes, sed omninò debent in Successorem beneficii pervenire; nam ubi habetur lex, ibi non est ulteriùs disputandum. Baldus *in l. Gallus.* §. *Stejus. ff. de Liber. & postb.* Decius *cons.* 563. *num.* 7. Surdus *cons.* 58. *num.* 3. *vol.* 1. Maceraten. *d. resol.* 46. *num.* 1. & ideò de observantia ejusdem Bullæ Julii III. testantur Barbosa *in Summ. Apost. Decis. Verb. Fructus collect.* 390. *num* 4. Antonellus *de Jurib. Clericor. d. lib.* 1. *part.* 3. *cap.* 35. *num.* 10. & Cæsar de Panimoll. *d. Decis.* 20. *Adnot.* 1. *num.* 11.

Cæterùm in locis, in quibus viget contraria consuetudo; itaut usus sit, ut fructus maturati, & separati à solo, etsi non exacti ante obitum beneficiarii, transmittantur ad ejus hæredes, non autem
41 ad Successorem in beneficio; talis consuetudo est omninò servanda, quia ei non est derogatum per dd. Bullas Julii III. & Urbani VIII. imò ipsa Consuetudo contraria prævalet iisdem Bullis, quæ non servantur neque in Gallia, neque in Hispania, neque in Statu Mediolani, neque in hoc Serenissimo Statu Veneto; ut testantur Doctores, quos allegat Antonellus *de Regimine Milit. Eccl. d. lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 29. ita scribens: *Observant 2. DD. quod hæc Constitutio Julii III. non habet locum, ubi adest contraria consuetudo, quod hujusmodi fructus à solo separati, seu aliàs debiti, ante obitum beneficiati pertineant ad hæredes, etiamsi exacti non fuis. arg. cap. fin. de Offic. Ord. in* 6. Bonacina *in tract. de oblig. benefic. disp.* 4. *punct.* 3. *num.* 7. *tom.* 1. Rota coram Coccino *Decis.* 376. *num.* 2. *&* *Decis.* 476. *num.* 4. *& alia Rota, quam refert* Barbosa *d. part.* 3. *post alleg.* 117. *Illamque non servari in Statu Mediolanensi testatur* Mar. Antonin. *Var. resol. lib.* 1. *resol.* 46. *num.* 4. Garzias *de Benefic. part.* 2. *cap.* 1. *num.* 104. *Neque servari in Gallia, & Hispania dicit* Navarrus *cons.* 4. *de Success. ab intest. & de Redditib. Ecclesiast. quæst.* 2. *num.* 26. *& juxta hanc consuetudinem pluries judicavit* Rota coram Cardinal Cavalerio *Decis* 638 & coram Coccino *Decis.* 376. *&* *Decis.* 476. *ubi aliæ Decisiones allegantur, ut notat etiam* Vivianus *part.* 3. *lib.* 14. *cap.* 8. *num.* 11. Hucusque Antonellus. Post cujus impressum à Typographis librum observo plurimas alias emanasse Decisiones Rotales canonizantes consuetudinem dandi fructus maturatos, & separatos à solo ante obitum defuncti ejus hæredibus, etsi ante dictum obitum non fuissent exacti; ut studiosus Lector videre potest *in part.* 10. *recent. Decis.* 153. *à num.* 7. *& seqq. & part.* 17. *recent. Decis.* 157. *à num.* 3. *& seqq.* ubi concordantes citantur, & referuntur.

Quod autem hæc consuetudo vigeat etiam in hoc Serenissimo Dominio Veneto, præter experientiam, quam ego habeo per annos quinquaginta, & ultra tùm in hac Diæcesi Patavina, tùm in aliis adja-
42 centibus, in quibus cum præsens casus sæpè acciderit, vidi ita servari; testatur de consimili consuetudine, & observantia suo tempore etiam Nicolaus Noalis *in d. tract. de Transmission. casu* 70. *num.* 2. ita dicens: *Eam autem consuetudinem in Dominio Veneto esse adverti, ut in vacatione per obitum servetur jus commune juxta primam opinionem relatam inferiùs num.* 6. *videlicèt quod fructus omnes naturales, qui tempore mortis separati sunt à solo, sivè affictus pro eis proportionabiliter debiti, etiamsi dies solutionis eorum non venerit, spectent ad hæredes. Affictus verò debiti pro fructibus civilibus dividantur pro rata temporis; ita namque pluries vidi servari in facto.*

Ex his

Digitized by Google

Ex his itaque resultat manifesta hujus tertii casus decisio; quod scilicet in his nostris regionibus fructus inexacti spectent ad hæredem defuncti beneficiarii, si ante ejus mortem erant maturati; & separati à solo. Ubi verò est in usu Bulla Julii III. pertineant ad Successorem. Est tamen verum, quod quando hæres illos capit, si sint in magna quantitate, debet eos dividere pro rata temporis cum Successore, incipiendo annum à Calendis Augusti usque ad diem obitus Prædecessoris, ut dictum est supra *num.* 24. itaut calculetur valor fructuum ad hæredes perve-
43 nientium, & aliorum ad Successorem spectantium; & ex utrisque fiat una summa dividenda in duodecim partes; quarum tot habeat Successor; quanti menses decurrunt à die suæ electionis ad beneficium usque ad finem mensis Julii subsequentis; reliquæ verò partes spectent ad hæredem cum obligatione solvendi Œconomo ejus salarium, & alia onera publica, & privata usque ad dictam diem electi Successoris, ob illam constantem rationem, quod fructus beneficii debent deservire pro solutione onerum; & sustentatione Successoris usque ad ultimam diem mensis Julii; ut benè notant Cavalcan. *d. Decis.* 37. *aliàs* 81. *à num.* 46. *& seqq.* Bellettus *de bonis Cleric. d. §.* 15. *num.* 13. Vivian. *de Jurepatr. part.* 3. *lib.* 14. *cap.* 8. *num.* 19. Moneta *de Distribut. quotid. part.* 3. *q.* 3. *num.* 24. *&* 25. Cæsar. de Panimoll. *d. Decis.* 20. *Annot.* 1. *à num.* 42. *usque in fin.* & Nicolaus Noalis *de Transmiss. d. casu* 70. *num.* 9. *&* 10.

Quartus casus est: quando Beneficiarius cum cura animarum, vel cum obligatione personalis residentiæ in Choro, obiit Mense Septembri, recollectis, ac exactis per eum fructibus bladorum, putà frumento, hordeo, spelta, & aliis granis, qui à villanis
44 solvuntur suis dominis in principio Mensis Augusti: itaut post ejusdem Beneficiarii mortem remaneant colligendæ, & exigendæ Uvæ, seu Vina, minuta, nempè milleum, frumentonum, & surgus; nec non livelli pecuniarii, quorum dies solutionis venire solet in principio Mensis Octobris, in festo S. Justinæ: In quo casu dubitari solet, quæ methodus, regulavè servanda sit in dividendis fructibus inter hæredes beneficiarii defuncti, ac Successorem in beneficio, si inter eos oriatur discordia? Respondeo, casum hunc fuisse à me examinatum, & resolutum supra in *Discord. XXXV.* occasione divisionis fructuum Præposituræ Parochialis S. Sophiæ de Padua inter Nob. DD. Zaccos hæredes Præpositi Defuncti, & R. D. Alexandrum Mantuanum Præpositum Successorem. Ibi quatuor fuerunt dicta. *Unum*, quod fructus maturati, & exacti ante mortem R. D. Præpositi Zacchi spectabant ad ejus hæredes. *Alterum*, quod uvæ, & minuta, post mortem Prædecessoris maturanda, & colligenda pertinebant ad Successorem. *Tertium*, quod redditus pecuniarii, seu livelli activi Præpositurae erant dividendi pro rata temporis à *die* 7. *Octobris* festo S. Justinæ, quo incipit Annus livellorum, usque ad diem mortis Præpositi Zacchi. *Et quartum*, quoniam Successor non erat contentus fructibus, & livellis post mortem Prædecessoris sibi obvenientibus, dixi, faciendum esse calculum, seu computum valoris omnium, & singulorum fructuum naturalium unius anni ipsius Præpositurae; atque ex summa illius valoris esse detrahenda omnia onera, tàm publica, quàm privata, ac Pensionem, quâ erat onerata Præpositura; & ex summa valoris fructuum ab omni onere purgatorum, duodecim partes esse faciendas; & earum duas fore assignandas prædictis hæredibus pro duobus Mensibus Augusto, & Septembri, quibus vixerat Prædecessor: reliquas partes decem esse attribuendas Successori: ita tamen, ut redditus livellorum tanquam fructuum civilium computentur à festo S. Justinæ (ut dictum est) de antecedenti Mense Octobri; ad hoc ut ex eis hæredes capiant partes circiter duodecim, quando Prædecessor obiit de Mense Septembri, idest usque ad diem mortis ejus; reliquum verò duodecimæ partis detur Successori; stante regulâ invariabili, commendatâ apud omnes Doctores, quod fructus civiles, quales sunt livelli, affictus domorum, & aliarum rerum beneficialium, dividuntur pro rata temporis, incipiendo computum à die ultimæ ratæ antea solutæ, & numerando tempus usque ad diem mortis beneficiarii, qui censetur lucratus eosdem fructus civiles de die in diem usque ad ultimam vitæ suæ, & illos in hæredes suos transmisisse, ut dictum est supra *num.* 4. & scribunt Spada *cons.* 34. *lib.* 3 Emin. Card. de Luca *de Dote disc.* 160. *& de Benefic. disc.* 84. *num.* 4. *& disc.* 100. *num.* 21. Rota coram Durano *Decis.* 20. eadem Rota *part.* 1. *rec. decis.* 240. *& par.* 2. *decis.* 278. Vinc. de Franchis *decis.* 79. *num.* 2. & alii plures, quos citat, & sequitur Cæsar de Panimoll. *d. decis.* 20. *Adnot.* 1. *num.* 24. *&* 25. Igitur in hoc quarto casu fructus naturales exacti à Prædecessore remanent apud ejus hæredes: maturandi, & colligendi post ejus mortem spectant ad Successorem: Fructus civiles dividuntur inter eosdem Hæredem, & Successorem pro rata temporis usque ad diem mortis Prædecessoris. Sed ne injustitia committatur inter ipsos, ob nimiam quantitatem fructuum naturalium, seu industrialium, atque civilium, quam una, vel altera ex prædictis partibus contendentibus exegisset; calculandus est ipsius valor, detractis omnibus oneribus, & tot portiones ex duodecim sunt assignandæ Successori, quot Menses decurrunt à die ejus electionis ad beneficium usque ad ultimam diem Mensis Julii. Fructuum verò Civilium tot portiones sunt dandæ hæredibus Prædecessoris, quot menses elapsi sunt à festo S. Justinæ præteritæ usque ad diem mortis ejusdem Prædecessoris; totum verò residuum remaneat in potestate Successoris. Tondut. *Resol. benefic. d. part.* 3 *cap.* 164. *num.* 12.

Quintus casus est, quomodo sint dividendi fructus inter resignantem, & resignatarium, quando beneficium vacat ex causa resignationis? In hoc casu
45 DD. distinguunt: Si resignans reservavit sibi aliquam portionem fructuum illius anni, vel eos omnes in actu resignationis factæ coram Papa, à quo resignatio sit admissa cum tali reservatione? Tunc cessat omnis dubitatio, nam resignanti debentur omnes fructus per eum sibi reservati, ad tradita per Cæsarem de Panimoll. *d. Decis.* 20. *num* 21. & per Emin. Card. de Luca *de Benefic. disc.* 34. *num.* 4. *& disc.* 84 *num.* 5. At ubi resignatio beneficii facta sit simpliciter, & absque ulla fructuum reservatione; discordes sunt DD. circa fructuum dividendorum tempus, & circa eorundem qualitatem. Quo ad tempus, idest usque ad quem diem resignans possit capere fructus beneficii resignati? Alii tenuerunt usque ad diem præstiti consensus nomine resignantis. Gabriel *cons.* 192. *num.* 34. Alii dixerunt usque ad diem signatæ supplicationis. Parisius *de Resignat. lib.* 1. *q.* 6. *num.* 37. quia resignans ab eo die amittit titulum beneficii, dominium, & possessionem. Rota *decis.* 4. *de Renunc. in novis*. Alii scripserunt usque ad justificatas conditiones Litterarum Apostolicarum. Glossa *in cap. Cum pridem. & ibi* Anton. de Butrio *num.* 18. & Abbas *num. fin. de Pactis*. Card. Parisius *cons.* 59. *num* 35. *lib.* 1. præcipuè si resignatio sit beneficii curati, & litteræ datæ sint resignatario *in forma dignum*, nam ei nullum jus tribuunt, donec verificentur, & demandentur executioni. Emin. Card. de Luca *de Benefic. disc.* 35. *num.* 13. & ibi Rota *part.* 4. *recent. decis.* 539. *num.* 3. *&* 4. *tom.* 3. nec non *part.* 6. *rec. decis.* 92. *à num.* 13. *& seqq.* prout etiam *part.* 12. *rec. decis.* 256. *num.* 2. Alii voluerunt, resignantem posse capere fructus beneficii usque ad diem captæ possessionis illius per resignatarium. Ita Rebuffus *cons.* 186 *num.* 19. Antonell. *de Regim. Mil. Eccl. d. lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 19. Rota coram Coccino *decis.* 358. *num.* 5. & alii, quos citat

Digitized by Google

citat Cevallos *com. contra com. part. 1. q. 561. à num. 44. & seqq.* ubi prædictas varias opiniones recenset; & pro earum concordia *num.* 58. distinguit dicens, quod in resignatione simplici, post præstitum consensum per resignantem, cessat tempus de cætero capiendi fructus; in resignatione autem ad favorem ter-
46 tii tempus durat usque ad diem signatæ supplicationis; quia, etsi postea resignatarius non habeat jus ad fructus, nisi justificatis Litteris, & capta beneficii possessione; his omnibus adimpletis tempus retrotrahitur ad diem signatæ supplicationis; adeò ut resignanti non debeantur fructus ultra eum diem, sed omnes competant resignatario; ut in terminis respondit Rota *part.* 2. *recent. Decis.* 278. per totam, ubi innumeri numerantur DD. ac decisiones idipsum tenentes; quibus se conformant Beneficialistæ moderni. Tondut *part.* 3. *cap.* 164. *num.* 13. *& seqq.* Cæsar de Panimollis *d. decis.* 20. *num.* 4. & 5. illam reddens rationem, quod resignans in favorem est dominus beneficii usque ad diem signatæ supplicationis, & non ultra, ex Glossa *in cap. Si propter. in Verb. primi anni. De Rescriptis in* 6. ex Corsetto *Verb. Clericus sing.* 4. & ex Honded. *cons.* 85. *num* 7. *vol.* 2. Hæc quo ad tempus.

At circa qualitatem eorundem fructuum, concordant omnes DD. quod naturales, & industriales separati à solo ante signatam supplicationem resignationis spectant ad resignantem; alii verò pendentes,
47 & non separati à solo pertinent ad Successorem resignatarium. Antonellus *de Regimine Milit. Eccl. d. lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 1. *&* 2. Cæsar de Panimoll. *d. decis.* 20. *num.* 4. reddens rationem de jure, quod habet resignans ad fructus à solo separatos ante admissam resignationem; scilicèt quia usque ad diem resignationis admissæ ipse est legitimus suæ Ecclesiæ sponsus, & per consequens dominus illorum fructuum; adeò ut, etiamsi dicti fructus essent locati, & nondum venisset dies solutionis; sed dies esset destinatus post tempus admissæ prædictæ resignationis, nihilominùs ipsi fructus, seu pretium, pro quo sunt locati, spectet ad resignantem, ut tenuit Rota coram Card. Cavalerio *decis.* 104. *& part.* 1. *recent. decis.* 240. nec non *part.* 2. *decis.* 278. Concordat Belletus *de Bonis Cleric. d. §.* 16. *num.* 1. & Nicolaus Noalis *cons.* 30. ubi consuluit pro Illustrissimo Savio Episcopo Feltren. translato ab illa Ecclesia ad Epi-
48 scopatum Adriæ, quod ei debebatur Decima lignaminum ex nemoribus incisorum, & projectorum in flumen Cismonis, ut ducerentur ad locum Fonzasii, (ubi solutio fieri solet ejusdem Decimæ) ante diem translationis, & dimissionis ejusdem Episcopatus Feltri. Quod autem alii fructus naturales, & industriales à solo non separati, etsi maturi, &
49 de proximo colligendi spectent ad resignatarium, illa est ratio, nempè quia resignans liberè, & absque ulla fructuum reservatione, abdicat à se omne jus, & actionem ad eosdem fructus. Ventriglia *tom.* 2. *Annot.* 16. *§.* 2. *num.* 32. *in fin.* Cæsar de Panimollis *d. decis.* 20. *num.* 16. Eminentiss. Cardin. de Luca *de Benefic. disc.* 84. *num.* 8. Rota coram Cardin. Cavaler. *d. decis.* 104. *num.* 1. *&* 2. *& part.* 2. *rec. d. decis.* 278. *num.* 4.

Discordant autem Doctores circa divisionem fructuum Civilium in hoc quinto casu inter resignantem, & resignatarium, ubi in resignatione nulla facta fuit reservatio. Siquidem quod etiam in istis
50 fructibus civilibus, idest livellis beneficii, affictibus domorum, apothecarum, hortorum, & similibus, divisio sit facienda inter resignantem, & resignatarium pro rata temporis, scilicet usque ad diem admissæ resignationis, docuerunt Honded. *d. cons.* 85. *n.* 8. *vol.* 2. Gabriel *d. cons.* 192. *num.* 5. Belletus *de Bonis Cleric. d. §.* 16. *num.* 5. *&* 6. & Antonellus *de Regim. milit. Eccl. d. lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 5. volens hanc divisionem esse faciendam, etiamsi dies solutionis eorundem fructuum Civilium tempore admissæ resignationis non advenisset; & ratio est, quia hi fructus maturantur dietim, & de die in diem illos beneficiarius lucratur, ut dictum est supra *num.* 4. nec non *num.* 33. in vacatione per obitum: ideò comparantur industrialibus separatis à solo; & adinstar ipsorum spectare debent ad resignantem, potissimùm in Episcopatibus, & beneficiis Curatis, in quibus resignans exercuit suum Officium, & portavit pondus diei, & æstus usque ad admissam, & signatam supplicationem, ut obiiciendo considerat Rota *d. decis.* 278. *num.* 3. *part.* 1. *recent.* Emin. Card. de Luca *de Benefic. d. disc.* 84. *num.* 6. & ibi Covaruv. *lib.* 1. *Var. cap.* 15. *num.* 12. & Parisius *de Resignat. d. lib.* 1. *q.* 6. *in fine*; ubi dicit hanc opinionem veriorem, & magis æquam. Nihilominùs communis opinio, quam amplectuntur Beneficialistæ, & approbat Rota Romana est; quod omnes fructus civiles spectent ad resignatarium; & ex eis nullam partem resignans consequi valeat, ob eam repetitam ab omnibus rationem, quod ipse censetur eos remisisse sponte, ac donasse resignatario, & se illis privasse; cum potuerit eos sibi reservare in actu resignationis, idque non fecerit; & sic à se abdicaverit omne jus, quod sibi competebat ad illos. Lotter. *lib.* 1. *q.* 44. *num.* 32. *& seqq.* Cencius *de Censib. q.* 70. *num.* 19 Nicol. Noalis *de Transinis. d. casu* 70. *num.* 8. Rota coram Cavalerio *d decis.* 104. *& part.* 2 *rec decis.* 278. *num.* 6. Emin. Card. de Luca *de Benefic. d. disc.* 34. *num.* 3. *&* 4. *& disc.* 84. *num.* 5. dicens hanc esse differentiam inter vacationem per obitum, & per voluntariam dimissionem; quod notat etiam Cæsar de Panimoll. *d. decis.* 20. *num.* 16. 17. 18. *&* 19. ubi considerat hanc aliam rationem, quod licèt fructus civiles maturentur de die in diem; tamen actio ad eos petendos non oritur; nisi in fine termini, in quo sunt integrè maturati, & à debitore veniunt solvendi. Idcircò cum tempore resignationis resignans non habuerit actionem, non potest eos petere tempore solutionis, quo est ab eo abdicata, & extincta omnis actio, juxta doctrinam Bart. *in l. fin. de Jure fisci*. Imò si resi-
51 gnans exegisset fructus civiles ante terminum solutionis, & ante finem anni, etsi tantùm pro rata temporis usque ad admissam resignationem, teneretur eos restituere resignatario; ut in puncto consuluit Nicolaus Noalis ad favorem Illustrissimi, ac Reverendissimi Grimani Patriarchæ Venetiarum; & contra Eminentissimum Cardinalem Federicum Cornelium, qui cum de anno 1644. Mense Aprili liberè
52 per resignationem dimisisset Patriarchatum, & paulò ante exegisset anticipatè quosdam affictus domorum, apothecarum, & tabernarum Venetiis existentium, supradictus Doctor *cons.* 64. *per totum* probavit, eosdem affictus esse restituendos Patriarchæ Grimano Successori; & inter alias rationes tetigit prædictam de defectu actionis, ita scribens sub *num.* 9. *&* 10. *Non obstat, quod eidem Domino Cardinali debeantur hujusmodi fructus civiles saltem pro rata temporis, quo præfuit Ecclesiæ dimissæ; & quæ ad eos non amiserit jus suum, illos sibi non reservando, stante quod eos jam facto exegerat, itaut non opus fuit reservatione. Nam quod dicitur de rata fructuum temporis præteriti, respondetur, hoc posse procedere in vacatione necessaria per obitum, non in voluntaria, qualis hæc est: in vacatione enim hac voluntaria potuit dimittens, si voluisset, sibi prospicere, eam sibi reservando. Et quod dicitur, non opus fuisse eam sibi reservare, cum fructus jam facto exegisset: Respondetur, quod de tempore dictæ exactionis adhuc non erat certa actio, nec dies venerat exigendi; ideò non suffragatur, cum non consideretur simplex factum exactionis, sed juris effectus, an potuerit exigere.* Bart. *in l. Quid ergo. §. Cum autem. ff. De his, qui not. infam.* Felinus *in cap. Ex tenore. num.* 9. *De Rescript.* Roman. *cons.* 199. *num.* 2. Surdus *cons.* 3. *num.* 20.

Et si

Digitized by Google

Et si inspiciamus actionem orituram, cum Cardinalis voluntariè dimiserit Ecclesiam, nullo sibi reservato jure, eandem actionem quoad se extinxit; abdicando à se jus dominii, & possessionis bonorum ipsius Ecclesiæ per dimissionem voluntariam; itaut censeatur totum jus suum amisisse. Rota decis. 278. num. 5. & seqq. part. 2. recent. Hæc omnia Noalis: & sic firmum remanet, quod omnes fructus civiles spectant ad resignatarium; quando resignans eos sibi expressè non reservavit usque ad diem dimissionis beneficii; quod est intelligendum de dimissione, & resignatio-
53 ne simpliciter voluntaria; quia in translatione Episcopi facta per Papam motu proprio de una Ecclesia ad aliam; cum dimissio primæ Ecclesiæ non sit simpliciter voluntaria in Episcopo translato, ei debentur fructus Civiles illius Ecclesiæ usque ad diem dimissionis. Cæsar de Panimoll. d. Decis. 20. num. 20. Emin. Card. de Luca *de Benefic. d. disc.* 84. *num.* 9. Rota coram Card. Cavalerio *d. decis.* 104. *& part.* 2. *recent. d. decis.* 278 *num.* 7.

Sextus Casus est. Quidam Parochus habens mediocre beneficium, cum aliud pinguius vacaret, accessit ad ejus concursum, & illud obtinuit. Cumque primum beneficium vacet ipso Jure per assecutionem
54 secundi incompatibilis. *cap. De Multa: De Præbend. cap. Ordinarii. De Offic. Ord. in* 6. *Extravag. Execrabilis eod. tit. de Præben. & Concil. Trident. sess.* 7. *de Ref. cap* 4. & subindè primum beneficium per novum concursum fuerit statim collatum alteri; quæritur, qualiter sint dividendi fructus primi beneficii inter prædictos Parochos Prædecessorem, & Successorem? Respondetur, quod fructus primi beneficii spectant
55 ad Prædecessorem usque ad diem, in qua cæpit possessionem beneficii secundi. Ratio est, quia primum beneficium non vacat, nisi quando beneficiarius adipiscitur pacificam possessionem secundi: Riccius *in Praxi fori Eccles. part.* 3. *resol.* 302. ubi allegat Rotæ decisiones, & Decreta S. Congregationis: Antonellus *de Regim. Mil. Eccl. d. libr.* 3. *cap.* 3. *num.* 20. Garzias *de Benefic. part* 11. *cap.* 5. *num.* 123. & habetur supra *in Discord.* XXX. in qua probatum fuit, quod licet beneficium primum non dicatur vacare, nisi post duos menses à die possessionis pacificæ secundi incompatibilis ex Barbosa *alleg.* 57. *num.* 45. & *seqq.* & ex Rota coram Card. Seraphino *decis.* 997. *num.* 10. atque ex aliis ibi allegatis *num.* 10. nihilominùs transactis iisdem duobus mensibus vacatio retrotrahitur
56 ad diem adeptæ possessionis beneficii secundi, siquidem dicti duo menses dantur à Jure non ad inducendam vacationem primi beneficii, sed ad securitatem beneficiarii, ut si molestiæ fortè insurgerent super secundo, possit interim insistere de facto in possessione corporali beneficii primi, ut latiùs *in d. Discord.* XXX. Igitur Prædecessor lucratur fructus primi beneficii non usque ad diem dimissionis, seu resignationis secundi; sed usque ad diem adeptæ pacificæ possessionis ejusdem beneficii secundi; adeout si ea die nondum sit finitus annus fructuum antea per eum perceptorum, debeat restituere Successori eorum congruam portionem, detractis oneribus, pro rata temporis, idest usque ad finem Mensis Julii, ut dictum est supra in præsenti *Discord. casu primo n.* 23. Si verò inceptus sit annus novorum fructuum, qui incipit Calendis Augusti juxta tradita *supr. num.* 20. & ipse Prædecessor nondum collegerit eosdem novos fructus, eos exigere poterit à Successore pro rata temporis usque ad diem adeptæ possessionis secundi; juxta pariter scripta in tertio casu *supra num* 41. ex juribus, rationibus, & Doctoribus ibi allegatis. Nec est disputandum de fructibus civilibus, idest Livellis, ac affictibus pecuniariis domorum ejusdem primi beneficii; quia & hi pro rata temporis debentur Prædecessori usque ad diem adeptæ possessionis beneficii secundi; attento quod dimissio, & resignatio primi non est simpliciter voluntaria, sed necessaria, tanquàm à Sacris Canonibus ordinata, & posita sub rigoroso præcepto; & sic vacatio symbolizat potiùs cum illa, quæ succedit per obitum; quàm cum illa, quæ evenit ex libera resignatione, ex reflexione Emin. Card. de Luca *de Benefic. d. disc.* 84. *num.* 9. circa beneficiatium translatum à Papa motu proprio de una Ecclesia ad aliam; nec non ex notatis per Cæsarem de Panimollis *d. decis.* 20. *n.* 20. & ibi Rota *d. decis.* 278. *num.* 7. *part.* 2. *recent.* & coram Card. Cavalerio *d. decis.* 104. impressa etiam post Pacificum de Salvian. *decis.* 224. *num.* 8.

Septimus est casus. Parochus locavit ad pecuniam omnes fructus naturales, & industriales beneficii, scilicèt grana, & uvas, ex Decima, seu Quartesio ad se spectantes; cum pacto, ut pecunia sibi solvatur à conductore in duobus terminis, scilicèt in festo Sanctæ Justinæ die 7. Mensis Octobris, & in festo Paschæ Resurrectionis Dominicæ anni subsequentis. Moritur talis Parochus in fine Mensis Novembris, primo termino locationis exacto, quæritur, An ejus
57 hæredes possint aliquid prætendere ex alio termino exigendo ad Festa Paschalia ventura? vel an teneantur aliquid refundere Successori? Respondetur, quod in tali casu hæredes nihil possunt prætendere de pecunia affictus exigenda in Festis Paschalibus; imò ipsi tenentur restituere Successori portionem pecuniæ exactæ à defuncto in festo Sanctæ Justinæ præterito, correspondentem duobus mensibus. Ratio est, quia divisio hujus pecuniæ ex affictu, ut supra, exigendæ in duobus terminis, est facienda eodem modo, quo dividerentur grana, & uvæ, ac alii fructus industriales; si fuissent collecti per Prædecessorem in beneficio. Natta *cons.* 141. *num.* 1. Honded *cons.* 85. *num.* 13. & 23. *lib.* 2. Ferrettus *cons.* 151. *n.* 2. & alii, quos citat, & sequitur Cæsar de Panimoll. *d. decis.* 20. *num.* 6. Sed sic est, quod de granis, & uvis ipsius beneficii tanta portio competit defuncto, quot menses vixit à Calendis Augusti usque ad diem obitus, ut jam firmatum est *supra num.* 43. & 44. cumque vixerit quatuor tantùm Menses, secuta ejus morte in fine Mensis Novembris, ad eum spectant fructus pro rata quatuor mensium tantùm; ideò cum exegerit pecuniam affictus pro medietate ejus, nempè pro sex mensibus; constat, ab ipsius hæredibus esse restituendam pro portione duorum Mensium; ut etiam in puncto scribit Nicolaus Noalis *de Transmission. d. casu* 70. *sub num.* 8. his verbis: *De tali affictu, seu pretio locationis, quod debetur ratione fructuum, idem judicatur, quod de fructibus ipsis, quorum loco affictus subrogatur; ita quod non consideratur dies solutionis affictus; sed tempus perceptionis fructuum, pro quibus affictus solvitur, ut tradunt DD. superiùs citati num* 6. & *decidit* Rota *d. decis.* 240. *num.* 3 *part.* 1. & *decis.* 278. *num.* 1 *part.* 2 *recent.*

Octavus Casus offert, quid dicendum, si moriatur beneficiatus in Ecclesia Collegiata; nullos alios habens fructus, quàm distributiones quotidianas, quæ tùm in bladis, tùm in pecunia dantur ei à Capitulo ad normam punctaturæ, & residentiæ? Quomodo
58 erunt dividendæ distributiones prædictæ inter hæredes Defuncti, & Successorem in beneficio? Exemplum desumi potest à Clerico S. Thomæ Apostoli de Padua residente in Collegio, seu Congregatione Parochorum, cujus nulla est Præbenda; sed habet tantùm unam partem bladorum, idest staria novem frumenti, milliei, ac surgi, & denariorum circiter libras annuas centum, si integram faciat residentiam. Respondetur *primò*, certum esse, quod fructus prædictos ex distributionibus quotidianis Clericus transmittit ad suos hæredes, sivè ex testamento, sivè ab intestato. Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancel.* §. 7. *Proemiali num.* 165. Marescott. *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 11. Bellettus *de Bonis Cleric.* §. 7. *num.* 18. & aliis pluribus citatis Cæsare de Panimoll. *d. Decis.* 20. *Adnot.* 1. *num.* 4. ubi advertit id procedere, etiamsi à defuncto non fuerint

exactæ

Digitized by Google

citat Cevallos *com. contra com. part. 1. q. 561. à num.*
44. *& seqq.* ubi prædictas varias opiniones recenset;
& pro earum concordia *num.* 58. distinguit dicens,
quod in resignatione simplici, post præstitum consen-
sum per resignantem, cessat tempus de cætero ca-
piendi fructus; in resignatione autem ad favorem ter-
46 tii tempus durat usque ad diem signatæ supplicatio-
nis; quia, etsi postea resignatarius non habeat jus
ad fructus, nisi justificatis Litteris, & capta bene-
ficii possessione; his omnibus adimpletis tempus re-
trotrahitur ad diem signatæ supplicationis; adeò ut
resignanti non debeantur fructus ultra eum diem, sed
omnes competant resignatario; ut in terminis res-
pondit Rota *part.* 2. *recent. Decis.* 278. per to-
tam, ubi innumeri numerantur DD. ac decisiones
idipsum tenentes; quibus se conformant Beneficiali-
stæ moderni. Tondut *part.* 3. *cap.* 164. *num.* 13. *&*
seqq. Cæsar de Panimollis *d. decis.* 20. *num.* 4. & 5.
illam reddens rationem, quod resignans in favorem
est dominus beneficii usque ad diem signatæ supplica-
tionis, & non ultra, ex Glossa *in cap. Si propter. in*
Verb. primi anni. De Rescriptis in 6. ex Corsetto
Verb. Clericus sing. 4. & ex Honded. *cons.* 85. *num* 7.
vol. 2. Hæc quo ad tempus.

At circa qualitatem eorundem fructuum, concor-
dant omnes DD. quod naturales, & industriales se-
parati à solo ante signatam supplicationem resigna-
tionis spectant ad resignantem; alii verò pendentes,
47 & non separati à solo pertinent ad Successorem re-
signatarium. Antonellus *de Regimine Milit. Eccl. d.*
lib. 3. *cap.* 10. *num.* 1. *&* 2. Cæsar de Panimoll. *d.*
decis. 20. *num.* 4. reddens rationem de jure, quod ha-
bet resignans ad fructus à solo separatos ante ad-
missam resignationem; scilicèt quia usque ad diem
resignationis admissæ ipse est legitimus suæ Ecclesiæ
sponsus, & per consequens dominus illorum fru-
ctuum; adeò ut, etiamsi dicti fructus essent locati,
& nondum venisset dies solutionis; sed dies esset
destinatus post tempus admissæ prædictæ resignatio-
nis, nihilominùs ipsi fructus, seu pretium, pro quo
sunt locati, spectet ad resignantem, ut tenuit Rota
coram Card. Cavalerio *decis.* 104. & *part* 1. *recent.*
decis. 240. nec non *part.* 2. *decis.* 278. Concordat
Belletus *de Bonis Cleric. d. §.* 16. *num* 1. & Nicolaus
Noalis *cons.* 30 ubi consuluit pro Illustrissimo Savio
Episcopo Feltren. translato ab illa Ecclesia ad Epi-
48 scopatum Adriæ, quod ei debebatur Decima ligna-
minum ex nemoribus incisorum, & projecto-
rum in flumen Cismonis, ut ducerentur ad locum
Fonzasii, (ubi solutio fieri solet ejusdem Decimæ)
ante diem translationis, & dimissionis ejusdem Epi-
scopatus Feltri. Quod autem alii fructus naturales,
& industriales à solo non separati, etsi maturi, &
49 de proximo colligendi spectent ad resignatarium,
illa est ratio, nempè quia resignans liberè, & absque
ulla fructuum resignatione, abdicat à se omne jus,
& actionem ad eosdem fructus. Ventriglia *tom.* 2.
Annot. 16. *§.* 2 *num.* 32. *in fin.* Cæsar de Panimol-
lis *d. decis.* 20. *num.* 16. Eminentiss. Cardin. de Lu-
ca *de Benefic. disc.* 84. *num.* 8. Rota coram Cardin.
Cavaler. *d. decis.* 104. *num.* 1. *&* 2. *& part.* 2. *rec. d.*
decis. 278. *num.* 4.

Discordant autem Doctores circa divisionem fru-
ctuum Civilium in hoc quinto casu inter resignan-
tem, & resignatarium, ubi in resignatione nulla
facta fuit reservatio. Siquidem quod etiam in istis
50 fructibus civilibus, idest livellis beneficii, affictibus
domorum, apothecarum, hortorum, & similibus, di-
visio sit facienda inter resignantem, & resignatarium
pro rata temporis, scilicet usque ad diem admissæ re-
signationis, docuerunt Honded. *d. cons.* 85. *n.* 8. *vol.* 2.
Gabriel *d cons.* 192 *num.* 5. Bellettus *de Bonis Cleric.*
d. §. 16. *num.* 5. *&* 6. & Antonellus *de Regim. milit.*
Eccl. d. lib. 3. *cap.* 10. *num.* 5. volens hanc divisionem
esse faciendam, etiamsi dies solutionis eorundem
fructuum Civilium tempore admissæ resignationis
non advenisset; & ratio est, quia hi fructus matu-
rantur dietim, & de die in diem illos beneficiarius
lucratur, ut dictum est supra *num.* 4. nec non *num.*
33. in vacatione per obitum: ideò comparantur in-
dustrialibus separatis à solo; & adinstar ipsorum spe-
ctare debent ad resignantem, potissimùm in Episco-
patibus, & beneficiis Curatis, in quibus resignans
exercuit suum Officium, & portavit pondus diei,
& æstus usque ad admissam, & signatam supplica-
tionem, ut obiiciendo considerat Rota *d. decis.* 278.
num. 3. *part.* 2. *recent.* Emin. Card. de Luca *de Bene-*
fic. d. disc. 84. *num.* 6. & ibi Covaruv. *lib.* 1. *Var.*
cap. 15. *num.* 12. & Parisius *de Resignat. d. lib.* 1.
q. 6. *in fine*; ubi dicit hanc opinionem veriorem, &
magis æquam. Nihilominùs communis opinio, quam
amplectuntur Beneficialistæ, & approbat Rota Ro-
mana est; quod omnes fructus civiles spectent ad
resignatarium; & ex eis nullam partem resignans
consequi valeat, ob eam repetitam ab omnibus ra-
tionem, quod ipse censetur eos remisisse spontè, ac
donasse resignatario, & se illis privasse; cum potue-
rit eos sibi reservare in actu resignationis, idque non
fecerit; & sic à se abdicaverit omne jus, quod sibi
competebat ad illos. Loter. *lib.* 1. *q.* 44 *num.* 32. *&*
seqq. Cencius *de Censib.* *q* 70. *num.* 19 Nicol. Noa-
lis *de Transmiss. d. casu* 70. *num.* 8. Rota coram Ca-
valerio *d. decis.* 104. & *part.* 2 *rec* *decis.* 278. *num.* 6.
Emin. Card. de Luca *de Benefic. d. disc.* 34. *num.* 3.
& 4. *& d. disc.* 84. *num.* 5. dicens hanc esse differentiam
inter vacationem per obitum, & per voluntariam di-
missionem; quod notat etiam Cæsar de Panimoll. *d.*
decis. 20. *num* 16. 17. 18. *&* 19. ubi considerat hanc
aliam rationem, quod licèt fructus civiles maturen-
tur de die in diem; tamen actio ad eos petendos non
oritur; nisi in fine termini, in quo sunt integrè ma-
turati, & à debitore veniunt solvendi. Idcircò cum
tempore resignationis resignans non habuerit actio-
nem, non potest eos petere tempore solutionis, quo
est ab eo abdicata, & extincta omnis actio, juxta
doctrinam Bart. *in l. fin. de Jure fisci*. Imò si resi-
51 gnans exegisset fructus civiles ante terminum so-
lutionis, & ante finem anni, etsi tantùm pro rata
temporis usque ad admissam resignationem, tenere-
tur eos restituere resignatario; ut in puncto consuluit
Nicolaus Noalis ad favorem Illustrissimi, ac Reve-
rendissimi Grimani Patriarchæ Venetiarum; & con-
tra Eminentissimum Cardinalem Federicum Corne-
lium, qui cum de anno 1644. Mense Aprili liberè
52 per resignationem dimisisset Patriarchatum, & paulò
ante exegisset anticipatè quosdam affictus domorum,
apothecarum, & tabernarum Venetiis existentium,
supradictus Doctor *cons* 64 *per totum* probavit,
eosdem affictus esse restituendos Patriarchæ Grima-
no Successori; & inter alias rationes tetigit prædi-
ctam de defectu actionis, ita scribens sub *num.* 9.
& 10. *Non obstat, quod eidem Domino Cardinali de-*
beantur hujusmodi fructus civiles saltem pro rata tem-
poris, quo præfuit Ecclesiæ dimissæ; & quod ad eos
non amiserit jus suum, illos sibi non reservando, stan-
te quod eos jam facto exegerat, itaut non opus fuit re-
servatione. Nam quod dicitur de rata fructuum tem-
poris præteriti, respondetur, hoc posse procedere in
vacatione necessaria per obitum, non in voluntaria,
qualis hæc est: in vacatione enim hac voluntaria po-
tuit dimittens, si voluisset, sibi prospicere, eam sibi
reservando. Et quod dicitur, non opus fuisse eam sibi
reservare, cum fructus jam facto exegisset: Responde-
tur, quod de tempore dictæ exactionis adhuc non erat
certa actio, nec dies venerat exigendi; ideò non suf-
fragatur, cum non consideretur simplex factum exactio-
nis, sed juris effectus, an potuerit exigere. Bart. *in*
l. Quid ergo. §. Cum autem. ff. De his, qui not. in-
fam. Felinus *in cap. Ex tenore. num.* 9. *De Rescript.*
Roman. *cons.* 199. *num.* 2. Surdus *cons.* 3. *num.* 20.
Etsi

Digitized by Google

*Et si inspiciamus actionem orituram, cum Cardinalis
voluntariè dimiserit Ecclesiam, nullo sibi reservato
jure, eandem actionem quoad se extinxit; abdicando
à se jus dominii, & possessionis bonorum ipsius Ec-
clesiæ per dimissionem voluntariam; itaut censeatur
totum jus suum annisisse.* Rota *decis.* 278. *num.* 5. &
seqq. part. 2. *recent.* Hæc omnia Noalis: & sic fir-
mum remanet, quod omnes fructus civiles spectant
ad resignatarium; quando resignans eos sibi expressè
non reservavit usque ad diem dimissionis beneficii;
quod est intelligendum de dimissione, & resignatio-
53 ne simpliciter voluntaria; quia in translatione Epi-
scopi facta per Papam motu proprio de una Eccle-
sia ad aliam; cum dimissio primæ Ecclesiæ non sit
simpliciter voluntaria in Episcopo translato, ei deben-
tur fructus Civiles illius Ecclesiæ usque ad diem di-
missionis. Cæsar de Panimoll. *d. Decis.* 20. *num.* 20.
Emin. Card. de Luca *de Benefic. d. disc.* 84. *num.* 9.
Rota coram Card. Cavalerio *d. decis.* 104. & *part.* 2.
recent. d. decis 278 *num.* 7.

Sextus Casus est. Quidam Parochus habens me-
diocre beneficium, cum aliud pinguius vacaret, ac-
cessit ad ejus concursum, & illud obtinuit. Cumque
primum beneficium vacet ipso Jure per assecutionem
54 secundi incompatibilis. *cap. De Multa. De Præbend.
cap. Ordinarii. De Offic. Ord. in 6. Extravag. Execra-
bilis eod. tit. de Præben. & Concil. Trident. sess. 7. de
Ref. cap.* 4 & subindè primum beneficium per novum
concursum fuerit statim collatum alteri; quæritur,
qualiter sint dividendi fructus primi beneficii inter
prædictos Parochos Prædecessorem, & Successorem?
Respondetur, quod fructus primi beneficii spectant
55 ad Prædecessorem usque ad diem, in qua cæpit pos-
sessionem beneficii secundi. Ratio est, quia primum
beneficium non vacat, nisi quando beneficiarius adi-
piscitur pacificam possessionem secundi. Riccius *in
Praxi fori Eccles. part.* 3. *resol.* 302. ubi allegat Rotæ
decisiones, & Decreta S. Congregationis: Antonel-
lus *de Regim. Mil. Eccl. d. libr.* 3. *cap.* 3. *num.* 20. Gar-
zias *de Benefic. part* 11. *cap.* 5. *num.* 123. & habetur su-
pra *in Discord.* XXX. in qua probatum fuit, quod
licèt beneficium primum non dicatur vacare, nisi
post duos menses à die possessionis pacificæ secundi
incompatibilis ex Barbosa *alleg.* 57. *num.* 45. & *seqq.*
& ex Rota coram Card. Seraphino *decis.* 997. *num.* 10.
atque ex aliis ibi allegatis *num.* 10. nihilominùs tran-
sactis iisdem duobus mensibus vacatio retrotrahitur
56 ad diem adeptæ possessionis beneficii secundi, siqui-
dem dicti duo menses dantur à Jure non ad inducen-
dam vacationem primi beneficii, sed ad securitatem
beneficiarii, ut si molestiæ fortè insurgerent super
secundo, possit interim insistere de facto in posses-
sione corporali beneficii primi, ut latiùs *in d. Di-
scord.* XXX. Igitur Prædecessor lucratur fructus pri-
mi beneficii non usque ad diem dimissionis, seu re-
signationis secundi; sed usque ad diem adeptæ pacifi-
cæ possessionis ejusdem beneficii secundi; adeout si
ea die nondum sit finitus annus fructuum antea per
eum perceptorum, debeat restituere Successori eorum
congruam portionem, detractis oneribus, pro rata
temporis, idest usque ad finem Mensis Julii, ut di-
ctum est supra in præsenti *Discord. casu primo n.* 23.
Si verò inceptus sit annus novorum fructuum, qui
incipit Calendis Augusti juxta tradita *supr. num.* 20.
& ipse Prædecessor nondum collegerit eosdem novos
fructus, eos exigere poterit à Successore pro rata
temporis usque ad diem adeptæ possessionis secundi;
juxta pariter scripta in tertiò casu *supra num* 41. ex
juribus, rationibus, & Doctoribus ibi allegatis. Nec
est disputandum de fructibus civilibus, idest Livellis,
ac affictibus pecuniariis domorum ejusdem primi be-
neficii; quia & hi pro rata temporis debentur Præ-
decessori usque ad diem adeptæ possessionis beneficii
secundi; attento quod dimissio, & resignatio primi
non est simpliciter voluntaria, sed necessaria; tan-
quàm à Sacris Canonibus ordinata, & posita sub ri-
goroso præcepto; & sic vacatio symbolizat potiùs
cum illa, quæ succedit per obitum; quàm cum illa,
quæ evenit ex libera resignatione, ex reflexione
Emin. Card. de Luca *de Benefic. d. disc.* 84. *num.* 9.
circa beneficiatium translatum à Papa motu proprio
de una Ecclesia ad aliam; nec non ex notatis per
Cæsarem de Panimollis *d. decis.* 20. *n.* 20. & ibi Rota
d. decis. 278. *num.* 7. *part.* 2. *recent.* & coram Card. Ca-
valerio *d. decis.* 104. impressa etiam post Pacificum de
Salvian. *decis.* 224. *num.* 8.

Septimus est casus. Parochus locavit ad pecuniam
omnes fructus naturales, & industriales beneficii,
scilicèt grana, & uvas, ex Decima, seu Quartesio
ad se spectantes; cum pacto, ut pecunia sibi solva-
tur à conductore in duobus terminis, scilicèt in festo
Sanctæ Justinæ die 7. Mensis Octobris, & in festo
Paschæ Resurrectionis Dominicæ anni subsequentis.
Moritur talis Parochus in fine Mensis Novembris,
primo termino locationis exacto, quæritur, An ejus
57 hæredes possint aliquid prætendere ex alio termino
exigendo ad Festa Paschalia ventura? vel an tenean-
tur aliquid refundere Successori? Respondetur, quod
in tali casu hæredes nihil possunt prætendere de pe-
cunia affictus exigenda in Festis Paschalibus; imò
ipsi tenentur restituere Successori portionem pecu-
niæ exactæ à defuncto in festo Sanctæ Justinæ præ-
terito, correspondentem duobus mensibus. Ratio est,
quia divisio hujus pecuniæ ex affictu, ut supra, exi-
gendæ in duobus terminis, est facienda eodem mo-
do, quo dividerentur grana, & uvæ, ac alii fructus
industriales; si fuissent collecti per Prædecessorem in
beneficio. Natta *cons.* 141. *num.* 1. Honded *cons.* 85.
num. 13. & 23. *lib.* 2. Ferrettus *cons.* 151. *n.* 2. & alii,
quos citat, & sequitur Cæsar de Panimoll. *d. decis.*
20. *num.* 6. Sed sic est, quod de granis, & uvis ipsius
beneficii tanta portio competit defuncto, quot men-
ses vixit à Calendis Augusti usque ad diem obitus,
ut jam firmatum est *supra num.* 43. & 44. cumque vi-
xerit quatuor tantùm Menses, secuta ejus morte in
fine Mensis Novembris, ad eum spectant fructus
pro rata quatuor mensium tantùm; ideò cum exege-
rit pecuniam affictus pro medietate ejus, nempè pro
sex mensibus; constat, ab ipsius hæredibus esse resti-
tuendam pro portione duorum Mensium; ut etiam
in puncto scribit Nicolaus Noalis *de Transmission.
d. casu* 70. *sub num.* 8. his verbis: *De tali affictu, seu
pretio locationis, quod debetur ratione fructuum, idem
judicatur, quod de fructibus ipsis, quorum loco affictus
subrogatur; ita quod non consideratur dies solutionis
affictus; sed tempus perceptionis fructuum, pro qui-
bus affictus solvitur, ut tradunt DD. superiùs citati
num* 6. & *decidit* Rota *d. decis.* 240. *num.* 3. *part.* 1. &
decis. 278. *num.* 1. *part.* 2. *recent.*

Octavus Casus offert, quid dicendum, si moriatur
beneficiatus in Ecclesia Collegiata, nullos alios ha-
bens fructus, quàm distributiones quotidianas, quæ
tùm in bladis, tùm in pecunia dantur ei à Capitulo
ad normam punctaturæ, & residentiæ? Quomodo
58 erunt dividendæ distributiones prædictæ inter hære-
des Defuncti, & Successorem in beneficio? Exem-
plum desumi potest à Clerico S. Thomæ Apostoli
de Padua residente in Collegio, seu Congregatione
Parochorum, cujus nulla est Præbenda; sed habet
tantùm unam partem bladorum, idest staria novem
frumenti, millei, ac surgi, & denariorum circiter li-
bras annuas centum, si integram faciat residentiam.
Respondetur *primò*, certum esse, quod fructus præ-
dictos ex distributionibus quotidianis Clericus trans-
mittit ad suos hæredes, sivè ex testamento, sivè ab
intestato. Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancel.* §. 7. *Proœmia-
li num.* 165. Marescott. *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 11. Bellettus
de Bonis Cleric. §. 7. *num.* 18. & aliis pluribus citatis
Cæsari de Panimoll. *d. Decis.* 20. *Adnot.* 1. *num.* 4. ubi
advertit id procedere, etiamsi à defuncto non fuerint
exactæ

exactæ ex Verallo *part.* 1. *decis.* 92. *num.* 3. & ex Card.
Seraphino *decis.* 594. *num.* 7. Respondetur *secundò*,
quod in casu prædictæ vacationis, & faciendæ fru-
59 ctuum divisionis servanda sunt statuta (si quæ ad-
sunt) illius Collegii, de cujus numero est illud be-
neficium; prout sunt in Congregatione Parochorum
Paduæ, quæ distinctè ordinant tempus, modum, &
quantitatem frumenti, millei, surgi, & denariorum
dandam tùm hæredibus defuncti, tùm Successori in
beneficio. Respondetur *tertiò*, quod in puncto juris,
cum distributiones quotidianæ dentur pro personali
residentia, & servitio Chori, & sapiant naturam
mercedis, ac salarii, dividendæ sunt pro rata tempo-
60 ris; adeòut hæredes defuncti capiant congruam por-
tionem convenientem ab initio anni usque ad diem
obitus defuncti: Successor verò consequatur aliam
congruentem portionem à prima die incæptæ residen-
tiæ usque ad finem anni correspondentem juxta do-
ctrinam Honded. *cons.* 85. *num* 8. *lib* 2. Belletti *de Bo-
nis Cleric.* §. 16 *num.* 5. Cæsaris de Panimoll. *d. decis.*
20. *num.* 17. & 18. nec non *eadem decis.* 20. *Adnot.* 1.
num. 4. Monetæ *de Distrib. Quot. part.* 3. *q.* 4. *num.* 20.
atque Emin. Card. de Luca *de Benefic. d. disc.* 100.
n. 13. & Theodosii Rubei *in Addit. ad Rotam part.* 4.
recent. tom. 3. *decis.* 576. *à num.* 22. *& seqq.* & habetur
apud ipsam Rotam *part.* 9. *recent. decis.* 117. *num.* 2. &
decis. 418. *n.* 22. prout etiam *part.* 10. *recent. decis.* 135.
num. 7.

Nonus Casus proponit resolvendam discordiam,
quæ sæpè oritur inter Successorem beneficii, ac hæ-
redes illius Prædecessoris defuncti, qui propriis ex-
pensis colebat agros suæ Ecclesiæ; & omnes fructus
naturales, & industriales ex iisdem agris provenien-
61 tes collegerat? Quænam quantitas ipsorum fructuum
danda sit ab hæredibus Successori? Præmittendum
est, licitum esse Clericis conducere, & colere agros
Ecclesiæ. *cap. Dilecti. De Decimis* Abbas *in cap. Se-
cundum num.* 2. *Ne Clerici, vel Monachi.* Ugolin. *de
62 Potest. Episc. part.* 1. §. 16 *cap.* 13. Bellettus *de Discipl.
Cleric.* § 21. *num.* 37. maximè si pauper sit, aut ha-
beat conjunctos sanguine egenos. *cap. Presbyter. cap.
Clericus victum.* 91. *dist. cap. Nunquam. de Consecr.
dist.* 5 *cap.* 1. *De Celebrat. Miss.* Speculat. *in tit. de Cle-
ric. Conjug. num.* 8. undè multò magis propriis expen-
sis, ne dicam propriis manibus, potest colere agros
proprii beneficii; nam etiam Nobiles Romani olim
non dedignabantur manum suam terræ ferendæ, &
63 colendæ præbere; imò ipsi Imperatores delectaban-
tur agros arare, & seminare, ut ex Columella *lib.* 1.
de Re Rustic. & ex Plinio in *Panegyric.* ostendit
Emanuel Gunzalez *in Comment. ad cap.* 3. *num.* 6. *De
Immunit. Eccl. tom.* 3. Hoc igitur præsupposito ad pro-
positum casum respondetur; hæredes prædicti bene-
ficiarii defuncti in primis, & ante omnia detrahere
debere omnes expensas eo anno factas in agrorum cul-
tura. Covaruv. *Var. resol. lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 3. Caroccius *de
Locat. quæst.* 10. *num.* 37. Antonellus, alios DD. alle-
gans *de Regim. Mil. Eccl. d. lib.* 3. *cap.* 9. *n.* 5. & quo-
niam difficile nimis est computare omnes expensas
in pecunia, usus concedit iisdem hæredibus, ut pos-
sint sibi ipsis appropriare partem colonicam omnium
fructuum ex agris beneficii ab eodem defuncto col-
lectorum; vel, (si alii remanent non collecti) col-
ligendorum; quæ juxta usum hujus regionis in gra-
nis grossulis *vulgo di spica* est integra medietas om-
64 nium bladorum; prout etiam Uvarum, & aliorum
fructuum naturalium; ex minutis verò, qualia sunt
milleum, frumentonum, surgum, fabæ, & similia,
quæ bis egent ligone, pars colonica consistit in dua-
bus tertiis; itaut una pars tantùm cedat domino
agrorum. Facta igitur hac divisione, seu separatione
partis Colonicæ; deveniendum erit ad divisionem
partis Dominicalis fructuum inter Hæredes, ac Suc-
cessorem in beneficio pro rata temporis, quo Succes-
sor fuit electus ad beneficium juxta regulas supra tra-
ditas respectu fructuum collectorum, vel non colle-
ctorum ante mortem Prædecessoris; salvâ semper,
& intactâ remanente parte colonicâ ad favorem
hæredum, ut ex doctrina Bart. *in l. Fructus. ff. so-
lut. Matrim.* tradunt Gratian. *Discept. For. cap.* 606.
num 18. Ciarlin. *lib.* 3. *cap.* 231. *num.* 18. & dictum est
supra in *Discord. XXXV. num.* 13. & 14.

Decimus Casus requirit, quomodo sit facienda
fructuum divisio in beneficiis simplicibus inter Suc-
cessorem, & hæredes Prædecessoris defuncti? In hoc
casu DD. respondent cum distinctione. Vel disputa-
tur de fructibus naturalibus, & industrialibus, ma-
turatis, collectis, & exactis vivente beneficiario Præ-
decessore? Vel de fructibus pendentibus, & nondum
collectis post ejus mortem? Si disputatio cadat super
fructibus exactis à Prædecessore? Hi omnes spectant
65 ad ejus hæredes, & nihil prætendere potest Succes-
sor circa illos. Ratio est, quia in tali casu benefi-
ciarius defunctus assimilatur usufructuario, qui om-
nes fructus sua vita durante perceptos facit suos, &
illos transmittit ad ejus hæredes juxta *l. Si Usufru-
ctuarius. ff. Quibus mod. ususfr. amitt.* ut communiter
testantur Glossæ, & DD. antiqui quos citat Cova-
ruvias *Var. resol. lib.* 1. *cap.* 15. *num.* 12. & alii moder-
ni, quos allegat, & sequitur Antonellus *de Regimine
Milit. Eccl. d. lib* 3. *cap.* 9. *num.* 20. & Vivianus *de Ju-
repatron. part.* 3. *lib.* 14 *cap.* 8. *num.* 6. nec non Barbosa
de Offic. & Pot. Episc. allegat. 117. *num.* 6. ubi affirmat
hanc esse magis communem, & probabiliorem opi-
nionem; eamque amplectuntur Ventriglia, Lotte-
rius, Emin. Cardin. de Luca, & Rota Romana,
quos, & quam allegavi supra *num.* 22. Confirmatur
hæc opinio, quæ omninò favet hæredibus Præde-
cessoris defuncti, aliâ etiam ratione; scilicèt quia
eatenùs in beneficiis Curatis, vel onus residentiæ ha-
bentibus, tenentur hæredes ejusdem Prædecessoris di-
videre pro rata temporis cum Successore fructus an-
66 tea perceptos, ob personale servitium, & onus
residentiæ, quod ipse Successor præstat, vel in Cho-
ro, vel in cura animarum, cujus respectu debetur ei
portio fructuum pro mercede, seu stipendio laboris,
ut dictum est *supra num.* 23. & 24. ex *cap. Præsenti.
§. Porrò. ubi DD. de Offic. Ordin. in* 6. Vivian. *d.
cap.* 8. *n.* 19. *lib.* 14. Moneta *de distribut. Quot. d. part.* 3.
quæst. 3. *num.* 23. & 24 & alii apud Cæsar. de Pani-
moll. *d. decis.* 20. *Adnot.* 1. *num.* 42. & 43. Sed in bene-
ficiis simplicibus cessat omne onus, & omnis labor,
quia beneficiarius Ecclesiæ non servit, nec residen-
tiam facit. Ergo nihil petere debet ab hæredibus
Prædecessoris, sed debet esse contentus vel fructibus
pendentibus, vel nascituris, & maturandis anno sub-
sequenti; ut innuit Emin. Card. de Luca *de Benefic.
disc.* 84. *à num.* 6. & *seqq.* nec non *disc.* 100. *num.* 12.
& ita servatur in praxi, & ego quoque expertus
sum; cum enim Anno 1673. de Mense Aprili à be-
67 nignitate Emin. Domini mei Gregorii Cardinalis
Barbadici Episcopi Patavini mihi collata fuisset Præ-
positura tituli Sanctissimæ Trinitatis de Padua, quæ
est Dignitas, sed beneficium simplex; & vacaverat
eo mense ob mortem R. D. Ægyptii Discalcii No-
bilis Patavini, nullam partem fructuum Anni 1672.
habui ab ejus hæredibus; imò permisi illis exactio-
nem librarum decem, & novem, quos solvere de-
bebat præstantissimus Cancellarius hujus Magnificæ
Civitatis Paduæ Dominus Jacobus Bonomus J. U. D.
de livello perpetuo super ejus domo, in contracta
Magdalenarum, pro rata Paschatis Resurrectionis
Domini proximè præteriti maturata; tanquam ei-
dem Prædecessori dietim acquisita, & ipsis DD. Hæ-
redibus debita; contentusque ego fui expectare fru-
ctus pendentes, & maturandos mense Augusto sub-
sequenti, ac livellorum aliorum ratas de Mense Octo-
bri in festo Sanctæ Justinæ exigendas; talis enim
68 est universalis consuetudo, & usus in hac Diæcesi
Patavina; imò in toto hoc Serenissimo Dominio
Veneto,

Digitized by Google

Veneto, ut fructus beneficiorum simplicium maturati, & collecti vivente beneficiario transeant in plenum ipsius dominium, & ab eo transmittantur ad hæredes, excluso penitùs Successore; cum huic dominio, & transmissioni nihil obsit titulus lucrativus, quem habet beneficiarius ex doctrina Gabrielis *lib.2. conf.35. num.44.* ubi firmat, quod ad lucrandos fructus æquè idoneus est titulus lucrativus, ac onerosus; & per consequens eandem virtutem habet beneficium simplex, ac beneficium Curatum, seu cum onere residentiæ.

Quod si possidens beneficium simplex decedat antequam fructus naturales, & industriales colligantur, & separentur à solo, &, (ut DD. loquuntur,) sint pendentes, omnes spectant ad Successorem, quam-
69 vis de proximo sint colligendi, imò etsi colligantur beneficio vacante. Barbosa *d. allegat.* 117. *n.* 6. Bellettus *de Bonis Cleric. d.§.15 n.* 4. Antonellus *d. lib.3. cap 9. num.23.* & alii congesti *supra num.* 35. & 36. Dixi naturales, & industriales, quia fructus civiles, licèt non maturati, idest licèt non venerit terminus solutionis eorum, debentur tamen hæredibus
70 Prædecessoris pro rata temporis usque ad diem mortis ejus. Gabriel. *d. lib.2 conf.191. num.* 5. Honded. *conf.85. num.8. vol.2.* Antonell. *d. lib.3. cap 9. num.25.* quamvis contrarium doceant plurimi DD. quos citat, & sequitur Cæsar de Panimollis *d. decis.20. Adnot.1. num.14.* inter quos Vivian. *d. lib.14. cap.8. n.* 9. Maceraten. *lib.1 resol.46* Rota coram Seraphino *decis.594. num.20. & decis.683. num.3. & decis.761.* cum aliis allegatis per Sperellum *decis.82. à n.45. & seqq.* quorum opinio intelligenda, & admittenda est in locis, in quibus est in usu *Constitutio VII. Julii III.* & *Const.80. Urbani VIII.* ut benè advertit Tondut *de Benefic part.3. cap.164. num.16.* & constat ex decisionibus Card. Seraphini præallegatis; adeòut in his regionibus, in quibus viget Jus commune, servanda sit divisio fructuum Civilium pro rata temporis cum hæredibus Prædecessoris; usque ad diem mortis ipsius, ut notatum est supra in primo præmisso *num.* 4. & *num.* 33. & ita ego practicavi, ut dixi, cum DD. Hæredibus Præpositi Discalcii Prædecessoris mei.

Undecimus Casus continet non levem difficultatem resolvendam, imò gravem discordiam concordandam; à quo scilicèt tempore sit metienda rata fructuum danda ab hæredibus Prædecessoris defuncti
71 Successori in beneficio, quando Prædecessor ante mortem collegerat, & exegerat omnes fructus? Circa hanc difficultatem tres sunt Doctorum opiniones; duæ extremæ, & una media. *Prima* extrema est, quod rata fructuum danda Successori metienda sit à die vacationis beneficii; itaut hæredes retineant sibi portionem correspondentem à Calendis Augusti usque ad diem obitus Prædecessoris; reliquos omnes fructus consignent Successori, etsi intraverit in beneficium in fine tantummodò illius anni. Ita Geminian. Calcaneus, Gabriel, & alii, quos allegat, & sequitur Surdus *conf.333. num.* 23. & 24. ea ratione quia, de Jure statim ac mortuus est beneficiarius, succedit Ecclesia in exactione fructuum, quæ tanquam custos vult eos servare ad commodum Successoris. *cap Cum in Officiis. De Testam. cap. Quia sæpè. De Elect. & cap. Præsenti. De Offic. Ordinar. in 6.* Cæsar de Panimoll. *d. decis.20. Adnot.2. num.1. Secunda* opinio pariter extrema est, quod portio fructuum prædicta pro Successore metiatur à die captæ per eum possessionis beneficii. Rebuff. *conf.186. num.19.* Cephal. *conf.49. num.13.* Navar. *conf. 7. num. 2. De Sent. Excom.* & alii, quos citat Cevall. *Com. contra Com. part.1. quæst.560 num.44. & 45.* Et hanc opinionem tenet Camera Apostolica, in locis, in quibus ipsa colligit Spolia beneficiatorum, & est in usu prædicta *Bulla 7. Julii III.* nam ab ea Successor non consequitur congruam portionem fructuum, nisi à die, quo adeptus fuit beneficii possessionem. Idem Cæsar de Panimoll. *d. decis.*
20. *Adnot.2. num.2.* ubi citat alias duas Constitutiones Pontificias, scilicèt *Gregorii XIII. & Sixti V.* ita disponentes; ea evidenti ratione, quia fructus dantur Successori, ut possit onus Curæ portare, & Ecclesiæ deservire. At hæc onus, & servitium non assumit, nisi post adeptam beneficii possessionem. *Tertia* opinio, media inter prædictas, est, quod Successori danda sit congrua portio fructuum per hæredes defuncti à die ejus electionis, seu collationis beneficii per Superiorem ipsi factæ. Loterius *lib. 3. quæst. 20. num. 120.* ea ratione quia collatio facit beneficiarium dominum beneficii, & dat ei titulum ad
72 consequendos fructus; qui quidem de jure debentur à tempore, quo acquiritur dominium, ut in *l. Fructus. ff. de Rei Vindicat. l. Traditionib. C. De Pactis. l. Fructus. C. De Act. Empt.* Cevallos *d. quæst.* 560. *num.* 54. Loterius *d. lib. 3. quæst. 20. num.* 120. & ibi Alex. *conf.121. num.6. lib.4.* Gabriel *conf.192. à n.1.* & Surdus *d. conf.333. num.24.* Et hæc opinio tanquam verior, & æquitati magis consona est tenenda, & practicanda; & secundum illam hæredes Prædecessoris defuncti non tenentur dare fructus Successori nisi à die collationis beneficii, sivè electionis ejus, usque ad finem Mensis Julii subsequentis, in quo finitur annus antecedentis collectionis fructuum, ut demonstratum est *supra num.* 24. cum hac tamen obligatione iisdem hæredibus solvendi salarium Œconomo durante vacatione beneficii; dummodò ipsa non protrahatur ultra dictum Mensem Julii: nam si intraret Mensis Augusti, & adhuc non esset electus
73 Successor in beneficio, nec ipsi facta collatio; tunc salarium Œconomi, & alia onera beneficii veniunt solvenda ex fructibus novi anni spectantibus ad ipsum Successorem; ut dictum est *supra d. num* 24. & tradit Cæsar de Panimollis *d. Decis.* 20. *Adnot.* 1. *num:*42. & *seqq.* Bellettus *de Bonis Cleric. d.§15. num.13.* Vivian. *d. lib.14. cap.8. num.19.* & in puncto docent Jordanus *tom.2. lib.12. tit.2. num.32. Vers. XIV.* Vulpes *in Praxi cap. 44. num.* 14. ubi refert Decretum Sacræ Congregationis hoc idem præcipientis; & Marchettus *in Praxi Vicar. Capitul. part. 1. tit. 6. num.4.* Nec obstant rationes pro fundamento primæ, & secundæ opinionis adductæ; non illa pro prima, quod de Jure Successor lucratur fructus omnes beneficii à die vacationis ejus; quia procedit in fructibus pendentibus, & post mortem Prædecessoris maturandis, & colligendis; non autem in maturatis, & collectis Prædecessore vivente ex DD. allegatis *supra n.* 35. Non illa de attendendo tempore possessionis, ut in secunda opinione; quia possessio cum sit tantùm quid facti protrahitur ad tempus collationis, seu electionis, quæ est quid Juris, & dat electo jus ad capiendos fructus. Nicol. Noalis *de Transmiss. d. casu 70. num.6. propè fin.* Praxis autem Cameræ Apostolicæ procedit ex speciali dispositione Summorum Pontificum pro locis, in quibus dantur Spolia in bonis Clericorum, de quibus latè per eundem Cæsarem de Panimollis *d. decis.20. Adnot.2.* Præterquamquod Bullæ pro dicta secunda opinione relatæ loquuntur principaliter de fructibus pendentibus, & non collectis, dum viveret Prædecessor; qui cum de Jure non transmittantur ad hæredes, Camera Apostolica eos capit, vacante beneficio, loco Successoris venturi.

Duodecimus tandem Casus non fictus, sed factus, decidendum proponit; An durante vacatione pinguis beneficii cum cura animarum usque ad recollectio-
74 nem novorum fructuum, possit Successor, qui tempore suæ electionis consequitur omnes, & singulos novos fructus illius beneficii, petere congruam portionem fructuum antecedentis anni ab hæredibus Prædecessoris, qui sua vita durante illos exegerat, & transmiserat in eosdem hæredes, à quibus salarium Œconomi, & alia onera soluta fuerant usque ad finem Mensis Julii, & ad tempus novorum fructuum? Certum est, hanc petitionem, & prætensionem Suc-

Digitized by Google

cessoris esse injustam. *Primò* quia ipse non potest petere congruam, nisi à die suæ electionis ex dictis *supra num.* 71. & 72. Sed de tempore vacationis beneficii usque ad finem præcedentis Anni, idest usque ad ultimam diem Julii, ipse non erat electus. *Secundò*: Ejus electio facta est post Annum fructuum per Prædecessorem collectorum. Sed hæredes non tenentur dare congruam ultra Annum, in quo Prædecessor defunctus fructus collegit, ut *supra num.* 24. *Tertiò*, quia tunc Successori competit jus petendi congruam portionem fructuum ab hæredibus Prædecessoris, quando tempore suæ electionis nullos, vel modicos reperit fructus pro sui sustentatione ex notatis *supra num.* 23. *& seqq.* Sed in hoc casu Successor reperit omnes novos fructus collectos, & sibi reservatos pro toto Anno. *Quartò*, quia tunc debetur congrua portio fructuum, quando Successor subiit onus curæ animarum, & residentiæ; in qua laborare cœpit. Bellettus *de Clerico debitore* §. 16. *num.* 1. Loterius *lib.* 2. *q.* 12. *num.* 20. Rota *part.* 1. *divers. Decis.* 16. *num.* 2. Sed iste Successor intra Annum præcedentis recollectionis fructuum factæ à suo Prædecessore, non laboravit, non resedit, nullum onus sustinuit; nec sustinere potuit, quia tunc non erat electus. Ergo nihil potest prætendere ab hæredibus pro antecedenti Anno. Rota *part.* 18. *rec. decis.* 23. *num.* 5. & 6.

Neque obstat auctoritas Covaruviæ *Var. resol. part.* 1. *cap.* 15. *num.* 12. & Annæi Roberti *Rer. Judicat. lib.* 3. *cap.* 3. *pag.* 604. docentium, dividendos esse fructus totius Anni inter hæredes Prædecessoris, & Successorem, nam advertendum est, ipsos loqui de
75 fructibus unius, & ejusdem Anni; tunc, & quando Prædecessor collegerit unam tantùm portionem fructuum, aliam verò ejusdem Anni obtinuerit Successor, qui ante finem Anni ingressus sit in beneficium; & non fuerit contentus illa parte tanquam nimis tenui; quod & nos concessimus *supra num.* 43. secùs autem ubi agitur de fructibus duorum Annorum, & quando Successor ingrediens in beneficium statim obtinet omnes fructus, ante suam electionem collectos, & sibi reservatos, ac consignatos, ut in præsenti casu. Præterquamquod Covaruvias, & Annæus Robertus tenent, Anni principium, pro dividendis fructibus inter hæredes Prædecessoris, & Successorem, sumendum esse à Calendis Januarii, juxta quam opinionem volentes sententiare ad favorem Successoris, & contra hæredes Prædecessoris, ignoranter sententiarent contra ipsum Successorem, nam obligarent eum dividere novos fructus, beneficio vacante collectos, pro medietate cum hæredibus Prædecessoris; itaut à primo ad ultimum tale judicium esset Jurisprudentiæ, & prudentiæ regulis contrarium.

Igitur in sensu veritatis in supra proposito duodecimo casu, Successori nullum jus competit petendi portionem fructuum Anni antecedentis, quos Prædecessor ejus exegit, & ad suos hæredes, juxta Sacros Canones, Doctorum communem opinionem, & hujus regionis notoriam consuetudinem, legitimè transmisit.

DISCORDIA XLVI.

ARGUMENTUM.

Electio ad Canonicatum vacantem facta à Capitulo de persona irregulari per ignorantiam, non privat ipsum Capitulum potestate eligendi aliam personam capacem ad eundem Canonicatum, quandocunque habuerit notitiam irregularitatis primi electi; & invaliditatis prioris electionis.

SUMMARIUM.

1 *Beneficiatus debet intra Annum suscipere Ordinem Sacrum requisitum à suo beneficio.*
2 *Irregulari collatio facta beneficii est ipso Jure nulla.*
3 *Ignorantia incursæ Irregularitatis non excusat à nullitate collationis beneficii.*
4 *Eligentes indignum privantur facultate iterum eligendi.*
5 *Capitulum non eligens ad beneficia vacantia intra sex Menses, perdit Jus eligendi pro ea vice.*
6 *Sententia privatoris beneficii lata in Mense reservato facit illud reservatum.*
7 *Vacatio beneficii non consumitur per electionem, seu collationem nulliter factam.*
8 *Excommunicato collatum beneficium semper est vacans.*
9 *Beneficia per errorem indignis collata, per eosdem Electores sunt dignis conferenda.*
10 *Eligentes indignum bona fide, vel per ignorantiam, non privantur jure suo eligendi.*
11 *Nemo præsumendus esse malus, seu delinquens.*
12 *Tempus ad eligendum, seu ad conferendum beneficium non currit à die vacationis, sed à die notitiæ ejus.*
13 *Patronis tempus à Jure datum ad præsentandum currit à die scientiæ vacationis.*
14 *Patronus, qui per errorem præsentavit indignum, potest alium dignum præsentare.*
15 *Sententiæ declaratoriæ incapacitatis beneficii, & Sententiæ privatoriæ ejusdem quæ sit differentia.*
16 *Sententia privatoria beneficii lata in Curia facit beneficium affectum Papæ.*

IN Diæcesi N. N. cum vacasset Canonicatus in Mense Ordinario, Cathedralis Ecclesiæ Capitulum procedens juxta sua Statuta, & immemorabilem consuetudinem ad ejusdem Canonicatus dispositionem, elegit Clericum in debita ætate constitutum, sed Ordinem Sacrum illius Canonicatus Præbendæ annexum non habentem; cui tamen per ipsum Capitulum facta fuit collatio, & tradita possessio cum præcepto, ut intra tempus à Jure statutum se promovere faceret
1 in Sacris, idest intra Annum juxta *text. in cap. Licet. & cap. Cum ex eo. De Elect. in* 6. nec non Sacr. Concil. Trid. *sess.* 24. *de Ref. cap.* 12. & ibi Barbosa *in Collect. DD. num.* 40. Porrò cum talis electus instaret apud Curiam Episcopalem pro Ordinibus Sacris, fuit in ea processatus, & condemnatus de crimine, annexam habente irregularitatem, incursam ante prædictam electionem ad Canonicatum; qui propterea vacare censetur; cum electio de ejus persona antea facta, & subsecuta collatio ob eandem irregula-
2 ritatem sit, & fuerit ipso Jure nulla. Covaruvias *in cap. Alma Mater. part.* 1. §. 7. *num.* 2. Navarrus *in Manuali cap.* 27. *num.* 351. Suarez *de Censur. disp.* 40. *sect.* 2. *num.* 30. & 36. ubi hanc opinionem dicit securiorem, & in praxi probabiliorem; quam amplectuntur omnes beneficialistæ. Parisius *de Resignat. lib.* 5. *q.* 3. *num.* 180. Vivino. *de Jurepatron. lib.* 6. *cap.* 5. *num.* 37. Garzias *de Benefic. part.* 7. *cap.* 11. *num.* 1. *& seqq.* & Barbosa alios cumulans ita docentes *de Jure Eccles. Univ. lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 146. Supposita etiam ignorantia Irregularitatis in ipso electo, ut scribit Costa *De Facti scientia, & ignorant. Inspect.* 96.
3 *num* 1. ea ratione, quia quamvis ignorantia excusset à pœna, non tamen tribuit robur actui aliàs invalido, ut inquit Baldus *in cap. Innotuit sub num.* 8. *De Elect.*

His stantibus contigit dubitare, Utrùm Capitulum possit procedere ad novam electionem, ac dispositionem ejusdem Canonicatus? Super quo dubio voluit me consulere; & prima facie videbatur respondendum negativè.

Primò quia Electores indignum eligentes, non solùm faciunt electionem nullam, sed ipsi privantur facul-

Digitized by Google

facultate iterùm eligendi. *cap. Cum in cunctis. De*
4 *Elect. cap. Postulastis. De Cleric. Excomm.* Gratian. *Discept. Forens. cap.* 58. *num.* 11. Layman *in QQ. Canonic. De Prælator. Eccl. Elect. quæst.* 70. Tamburin. *de Jure Abbat. tom.* 1. *disp.* 5. *q.* 8. *num.* 18. & Barbosa *De Canon. & Dignit. cap* 41. *num.* 10. ubi advertit, eosdem esse privatos potestate eligendi, sed pro prima tantùm electione immediatè sequenti.

Secundò, quia Capitulum caret potestate disponendi de beneficiis ad se pertinentibus, quando de eis non disposuit intra sex menses à die vacationis.
5 *cap. Nulla* 2. *de Concess. Præbend.* Garzias *de Benefic. part.* 10. *cap.* 2. *per totum.* Barbosa *de Offic. & Pot. Episc. part.* 3. *alleg.* 58. *num.* 1. *&* 2. ubi hanc temporis sex mensium limitationem ampliat ad omnia beneficia, quamvis sint in Cathedralibus, & aliis Ecclesiis tàm sæcularibus, quàm regularibus constituta. Sed jam à prima vacatione hujus Canonicatus transacti sunt non solùm menses sex; sed decem, & ultra. Ergo

Tertiò quia Sententia Judicis, qua Canonicus prædictus privatus fuit Canonicatu ob delictum habens annexam irregularitatem, promulgata fuit in Mense Apostolicæ Sedi reservato; quo attento, Canonica-
6 tus videtur, & ipse reservatus Apostolicæ Sedi, itaut ad ejus electionem Capitulum non possit procedere ex traditis per Gonzalez *Gloss.* 15. *num.* 142. per Lotterium *lib.* 3. *quæst.* 18. *num.* 58. *& seqq.* & per Parisium *de Resignat. lib.* 1. *q.* 4. *num.* 53. ubi notat, quod Sententia privationis lata in Curia inducit vacationem apud Sedem ex Rota coram Achille de Grassis *in una Compostellana Canonicatus, & Præbendæ die* 19. *Decembris* 1552. teste Caputaquen. *Decis.* 90. *lib.* 1. Ergo etiam lata in Mense Apostolico facit beneficium, quod per eam vacat, Apostolicæ Sedi reservatum.

Nihilominùs his minimè refragantibus respondi, posse jure optimo ipsum Capitulum procedere ad novam electionem alterius Canonici, & iterùm de eodem Canonicatu disponere; ea ratione quia prædictus Canonicatus non vacat per dictam Sententiam tunc, & quando ipsa publicata fuit; sed ejus vacatio est eadem illa, per quam vacabat ante electionem hujus ultimi Canonici irregularis, idest per obitum
7 Canonici ejus Prædecessoris; quæ quidem vacatio per obitum non remansit consumpta per electionem, & collationem nullam factam huic criminoso, & irregulari; nam ab initio fuit invalida, & nulla ipso Jure, adeòut Sententia Curiæ Episcopalis non est illa, quæ privat hunc reum dicto Canonicatu, sed declarat, eum privatum ab initio tanquam irregularem, & incapacem; & ideò præcedens vacatio semper duravit, quia per ejus electionem non fuit consumpta, ut pluries respondit Rota, videlicèt coram Penia *Decis.* 806. *num.* 10. coram Dunozetto Juniore *Decis.* 905. *num.* 6. coram Peutingero *Decis.* 17. *num.* 13. & coram Emin. Othobono *Decis.* 221. *num.* 12. ubi
8 aliæ Decisiones allegantur. Hoc idem confirmatur in terminis beneficii collati Excommunicato; quod per mortem ejus non dicitur vacare de novo ad effectum collationis faciendæ, ut docet Fermosinus *De Offic. Eccles. in cap.* 8. *quæst.* 2. & habetur in *cap. Postulastis* 7. *de Cleric. Excomm.* & latè differit Diana Coordinatus *tom* 5. *tract.* 1. *resol.* 172. quæ in opere antiquo existit in *part.* 5. *tract.* 9. *resol.* 102. Idcircò cum in præsenti duret prima vacatio Canonicatus, prout ab initio vacabat; & per Sententiam Curiæ Episcopalis amotus sit ille, qui ipsum ob suam incapacitatem, & irregularitatem invalidè detinebat, nihil impedit, quin Capitulum exercens jus suum,
9 quod habet ad eligendum in tali vacatione, de novo procedat ad electionem alterius personæ capacis ejusdem Canonicatus juxta textum in *cap. fin. de Filiis Presbyter.* in quo Gregorius Nonus rescribens Episcopo Turonensi, in cujus Diœcesi beneficia quædam ab incapacibus detinebantur, ita præcepit: *Mandamus, quatenus prædictis personis ab hujusmodi beneficiis prorsùs amotis, ea personis idoneis conferri facias per illos, ad quos collationem eorumdem de Jure noveris pertinere.*

Neque subsistunt objecta in contrarium facta. Non Primum, quod Capitulum videatur exutum pro hac vice potestate eligendi, eò quia antea elegerit indignum. Quia certissimi Juris est, privationem istam, utpotè staturam in pœnam delicti, incurri quidem ab illis, qui scienter indignum eligunt, & ei Canonicatus conferunt; non autem ab iis, qui bona fi-
10 de, & ignoranter ad electionem indigni processerunt; ut expressè loquitur littera ejusdem *tex. in cap. Postulastis* 7. *De Cleric. Excom.* ibi: *Qui scienter beneficia talibus contulerunt*: nec non *in cap. Apostolicæ. eod. tit.* ibi: *Vos reddit ignorantia probabilis excusatos.* Quod advertit Glossa *in cap. Dudum il prim. Verb. In ordinibus. De Elect.* & notant Abbas, & alii scribentes communiter in *d. cap. Cum in cunctis §. Clerici. De Elect.* novissimè Rota *Decis.* 291. *num.* 8. & 9. *part.* 14. *recent.* Porrò indubitata est in casu isto bona fides Capituli, & ejus ignorantia circa irregularitatem electi, quia cum esset occulta, habuit justissimam causam credendi eum non habere tale
11 impedimentum proveniens ex delicto penitùs ignorato; nemo enim præsumendus est delinquens: imò etiam in dubiis illa interpretatio est facienda, per quam excludatur delictum. Abbas *in cap. Cum tu. de Testib.* Natta *cons.* 549. *num.* 11. Menochius *lib.* 5. *Præsumpt.* 161. *num.* 26. Navarrus *in Manuali cap.* 27. *num.* 193. latè Rota coram Peutingerio *Decis.* 402. *num.* 17. Propterea vi hujus justæ ignorantiæ Capitulum cadere non potuit in pœnam privationis juris eligendi.

Secundum objectum pariter non subsistit, quod Capitulum nunc ad electionem novi Canonici procedere non possit, quia transacti sunt sex menses à die vacationis juxta *cap. Nulla De Concess. Præbend.* quia cum Capitulum habuerit justam causam credendi, quod Canonicatus non vacaret; & electionem intra legitimum tempus factam dubitare non potuerit, esse validam, & tantummodò in præsenti post publicatam Sententiam in Curia Episcopali certioratum sit de Irregularitate electi, & sic de nullitate ejus electionis, & per consequens de vacatione Canonicatus, nullum debet subire præjudicium ex lapsu temporis ad eligendum, & conferendum assi-
12 gnati; siquidem ex Juris utriusque regulis illud non currit à die vacationis, sed à die scientiæ ex apertissimo textu *in cap. Quia diversitatem in fin. De Concess. Præbend.* & docet Glossa *in d. cap. Nulla. Verb. Infra sex menses eod. tit.* ac prosequitur id explicando Garzias *part.* 10. *cap.* 2 *à num.* 15. *& seqq.* & est similis regula de tempore dato Patronis ad præsentandum, quod non metit[?] die veræ vacationis, sed à die scientiæ, quam [?]tronus habuit, quod be-
13 neficium vacaverit, ut copiosè firmat Pyrrhus Corradus *in Praxi benefic. libr.* 4. *cap.* 2. *num.* 74. *& seqq.* Quapropter clarum fit, quod, posthabitâ primâ electione nullâ, adhuc jus eligendi spectat ad Capitulum; cum tempus præsens retrahatur ad præteritum ex eadem ratione, qua Patrono, qui nulliter præsentavit, ob justam causam ignoratæ incapacitatis in præsentato, conceditur, ut possit alterum
14 capacem præsentare, ut post Lambertinum tradit Vivianus *de Jurepatron lib* 6. *cap.* 7. *num.* 71. Et quemadmodum Episcopo, beneficium ex errore nulliter conferenti, adhuc jus competit, detecto errore, procedendi ad novam collationem ejusdem beneficii, ut scribit Lotterius *lib.* 2. *quæst.* 51. *num.* 64. Constans enim, & irrefragabilis regula est apud beneficialistas, quod qui ignoranter contulit beneficium indigno, iterùm admittatur ad legitimè conferendum,

Digitized by Google

ut per *tex. in cap. Veniens*. 5. *De Filiis Presbyter. & cap. Cum vos. de Offic. Ordinar.* doctè differit Emanuel Gonzalez *in Commentar. ad d. Cap. Cum in cunctis. §. Clerici.* propè finem *De Elect. tom.* 1.

Tertium pariter objectum de facili tollitur ex doctrina eorundem Gonzalez *in Reg. 8. Cancell. gloss.* 15. *num.* 142. & Loterii *lib.* 3. *q.* 18. *num.* 58. qui benè distinguunt inter Sententiam declaratoriam vacationis beneficii ob præcedens impedimentum à Jure
15 statutum sub pœna nullitatis, & inter sententiam, quæ privat Clericum beneficio ob aliquod delictum ab eo patratum. In primo casu vacatio beneficii non oritur ea die, qua publicatur sententia; sed desumitur à die, qua vacaverat, antequam fieret collatio ejus habenti impedimentum. In secundo casu beneficium vacat ea die, qua publicatur sententia. Idcircò in casu nostro, cum à Curia Episcopali Canonicus jam electus fuerit declaratus irregularis de tempore suæ electionis, non privavit eum Canonicatu in eo instanti publicationis Sententiæ, sed declaravit eum incapacem ejusdem Canonicatus tunc, & quando fuit ab initio electus; & per consequens vacatio non potest metiri à die Sententiæ, nec causare reservationem, etsi lata in mense reservato; cum vacatio habeat suam originem ante primam electionem, & sit illa eadem, quæ per obitum Prædecessoris acciderat in mense Capitulari ordinario, & non reservato. Similiter non obstat doctrina Parisii
16 *d. lib.* 1. *q.* 4. *num.* 53. de Sententia lata in Curia; quia ex ea resultat reservatio beneficii, tanquam privatoria ejusdem, ut patet ex lectura ipsius Auctoris. Concludendum est igitur, quod Capitulum jure optimo potest devenire ad novam electionem alterius Canonici; & ei conferre prædictum Canonicatum, quem primus electus tanquam irregularis obtinere legitimè, & validè non potuit: nam est eadem vacatio, quæ contigit per obitum Prædecessoris ante electionem ignoranter factam prædicti Irregularis.

DISCORDIA XLVII.

ARGUMENTUM.

Beneficia, quibus per sententiam Tribunalis Sanctæ Inquisitionis privantur Parochi convicti de turpissimo crimine sollicitationis in Confessionibus Sacramentalibus pluries commisso, sunt Apostolicæ Sedi affecta, & reservata. Ordinarius tamen pro nova Parochorum electione ad illa, potest concursum, & examen facere, digniorem eligere, ac prælectionem suam ad Datariam mittere, ut ipsi prælecto beneficium à Papa conferatur.

SUMMARIUM.

1 *Lupi rapaces dicuntur Parochi sollicitantes in Confessione ad turpia.*
2 *Hæresis ob crimen beneficia vacant ipso Jure.*
3 *Sententia declaratoria est necessaria etiam ubi beneficia vacant ipso Jure.*
4 *Hæresis sola suspicio non inducit beneficiorum vacationem.*
5 *Hæresis ob vehementem suspicionem potest Clericus beneficiis privari.*
6 *Hæresis suspiciones tres, Levis, Vehemens, & Violenta.*
7 *Suspicione in vehementi de hæresi includitur etiam suspicio violenta.*
8 *Hæreticorum beneficia sunt Papæ reservata.*
9 *Parochi in Confessione sollicitantes ad turpia damnantur ad triremes, & beneficiis privantur.*
10 *Hæresis violenta suspicio ob frequentiam actuum probat reum esse hæreticum.*
11 *Absolutio à censuris contra hæreticum latis denotat absolutum fuisse de hæresi convictum.*
12 *Hæreticus quis præsumitur ex gravitate pœnarum, quibus est à Judicibus punitus.*
13 *Abjurantes Clerici de vehementi, si, nulla alia pœna afficiantur, beneficia non vacant.*
14 *Beneficia vacantia per Sententiam S. Officii sunt Papæ reservata.*
15 *Judices S. Officii Inquisitionis sunt Papæ Delegati.*
16 *Gregorii XV. Bulla quibus pœnis præcipiat Sollicitantes puniri?*
17 *Beneficium, quo quis privatur de mandato Papæ, est affectum, & reservatum ipsi Papæ.*
18 *Beneficia Curata, quibus privati sunt Parochi ad turpia sollicitantes, sunt ponenda per Episcopum ad concursum.*

Reperti sunt in hac Diœcesi Patavina *Anno* 1662. duo Lupi rapaces ex genere illorum, de quibus prædixit Apostolus *Act.* 20. 29. *non parcentes gregi;*
1 scilicèt duo Parochi rurales, qui impium, & nefandum scelus sollicitationis ad turpia in Confessionibus Sacramentalibus exercentes, pro medicina venenum, & pro pane aspidem mulieribus porrigebant; contra quos, præviis denunciationibus, & processuum fabricatione, insurrexit S. Inquisitionis Officium, & carceri mancipatos, convictos, & confessos, ob multiplices prædicti sceleris actus consummatos, damnavit ad triremes, & beneficiis Parochialibus, ab eis possessis, illos privavit; quâ auditâ Sententiâ dubitatum fuit, de duobus: Unum; An eorum beneficia essent Sedi Apostolicæ reservata? Alterum, esto quod sint reservata; An prædicta beneficia essent providenda per concursum? Pro majori horum dubiorum intelligentia, ac resolutione nonnulla sunt præmittenda, & notanda.

Primum est, quod licèt beneficia ob crimen hæresis vacent ipso jure. *cap. Ut commissi. §. Privandi.*
2 *De Hæretic. in* 6. adeò ut non sit opus Sententiâ privatoriâ; ut tenent Jo: Andreas, Geminian. & Franch. *in d. §. Privandi.* & Ricciullus *De Jure Personar. lib.* 5. *cap.* 19. *num.* 8. *&* 9. ubi alios DD cumulat, tamen requiritur semper Sententia declaratoria hæresis incursæ, ut prædicta privatio beneficii ad executio-
3 nem mittatur. *cap. Cum secundum Leges in fin. eod. tit. de Hæretic. in* 6. ubi scribentes, & novissimè Sanchez *lib.* 2. *in Decal. lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 12. Rota 707. *num* 4. *part.* 3. *divers.* & Farinaccius *de Hæresi q.* 189. *num.* 80.

Secundum præmissum est, quod hæc privatio beneficiorum ipso jure non comprehendit suspectos de hæresi, ut advertunt Sanctarell. *de hæresi cap.* 33. *num.* 6. Ricciull. *d. cap.* 19. *num.* 26. *&* 27. Carena
4 *de S. Offic. part.* 2. *tit* 1. *§* 27 *num.* 147. ubi deducit, quod Constitutio B. Pii V. (*quæ in Bullario est* 29.) reservans Sedi Apostolicæ beneficia vacantia ob hæresim, non habet locum in eo, qui abjuravit de vehementi; quod advertit etiam Parisius *de resignat. lib.* 4. *quæst.* 3. *num.* 17. & Genuensis *in Praxi Curiæ Archiep. cap.* 53. *num.* 6. & tenuit Rota *Decis.* 51. apud Farinacium *post Vol.* 1. *Concilior.*

Tertium præmissum est, quod licèt suspectus de hæresi, etiam vehementi suspicione, non sit privatus ipso Jure beneficiis, quæ possidet, nihilominùs pro qualitate criminum causantium vehementem suspicionem de hæresi potest beneficiis privari; ut adver-
5 tit Penia *in addit.* ad Eimeryc. *in Director. Inquisit. part. Comment.* 162. Sanchez *in Decalog lib.* 2 *cap.* 26. *num.* 14. & Farinac. *de Hæresi quæst.* 189 *num.* 86. Siquidem cum tres sint suspiciones hæresis, nempè levis, vehemens, & violenta, ut docet Carena *de*
6 *S. Offic. part.* 3 *tit.* 12 *num.* 4 alios DD. cumulans, quo ad praxim suspicio hæresis violenta non differt à suspicione de vehementi, ut subdit Carena *ibid. num.* 6. & Genuensis *in Praxi cap.* 84. *num.* 8. & ideò

ex sty-

Digitized by Google

ex stylo Supremi Tribunalis Generalis Romanæ Inquisitionis abjuratio ex violenta suspicione non est in usu; sed omnes abjurant vel de levi, vel de vehementi; quia in vehementi juxta facti circumstan-
7 tias, & actuum frequentiam includitur etiam violenta; & ob violentam suspicionem reus reputatur hæreticus; undè fit, quod qui abjuravit de vehementi, deindè iterum commisit eadem hæreticalia delicta, dicitur hæreticus relapsus. *cap. Accusatus in princ. De Hæretic. in 6.* Farinac. *de Hæresi quæst.* 195. *n.* 10. Carena *d. part.* 2. *tit.* 3. *num.* 29. & 31. & ibi alii DD. Novissimè Salelles *de S. Inquisit. tom.* 3. *lib.* 5. *regul.* 384. *num.* 70.

His sic prænotatis, ac præmissis, respondendo ad primum dubium dixi, prædictorum reorum beneficia, quibus fuerant per sententiam Officii S. Inquisitionis privati, remansisse Apostolicæ Sedi reservata, & affecta, adeò ut de eis nullus alius possit disponere, nisi Summus Pontifex. Hoc probatur duplici ratione. Prima est, quia prædicta beneficia dicuntur vacare ob crimen hæresis, & per consequens
8 sunt Sedi Apostolicæ reservata per Constitutionem 29. B Pii V. Incipien. *Cum ex Apostolatus Officio &c.* latam *Anno* 1567. *die* 24. *Januarii*. Quod autem ipsi Parochi ob crimen sollicitationis damnati habiti fuerint hæretici, deprehenditur; tùm ex pœna triremium, ad quos fuerunt condemnati per decennium; tùm ex abjuratione de vehementi, ad quam fuerunt obliga-
9 ti ob frequentiam actuum turpium, & carnalium commixtionum cum mulieribus ad eos pro recipiendo Sacramento Pœnitentiæ accedentibus; quas carnaliter cognoscere non verebantur in Sacristia, in Campanili, & in ipsa Ecclesia; ex quibus resultat violenta præsumptio hæresis, quæ cum sit Juris, & de Jure facit concludentem probationem, quod ipsi
10 fuerint hæretici; nequaquam credentes Sacramentum Pœnitentiæ esse verum Sacramentum ex traditis per Salellem *d. lib.* 5. *Regul.* 384. *à num.* 71. *& seqq.* & per Menochium *de Præsumpt. lib.* 1. *Præsumpt.* 100. *num.* 14. tùm etiam ex absolutione ab excommunicatione, quam eis impertivit Reverendissimus P. Inquisitor post præstitam per eis abjurationem; ex qua
11 desumitur, ipsos incurrisse in censuras contra hæreticos latas; & sic verè fuisse hæreticos. Carena *part.* 3. *tit.* 12 *num.* 46. Tùm etiam ex pœna privationis beneficiorum, quæ non infligitur, nisi constet ex
12 processu prædictos reos ob nimios excessus verè habendos esse hæreticos. Farinacius *de Hæresi q.* 189. *num.* 77. Sanchez *d. lib.* 2. *in Decalog. cap.* 26. *num.* 5. *& seqq.* & Ricciull. *de Jure personar. d. lib.* 5. *cap.* 19. & concordat Thesaurus *de Pœnis Ecclesiast. part.* 2. *Verb. Hæresis cap.* 4. ubi ex Penia, Umberto, Portellio, & aliis firmat; quod quando rei censentur egere in foro externo absolutione ab excommunicatione, reputantur hæretici non ex sola suspicione vehementi, sed ex suspicione violenta, quæ, ut dictum est, reddit eos verè hæreticos.

Neque obstat opinio DD de qua supra *num.* 4. dicentium, Bullam B. Pii V. reservatoriam beneficiorum per hæresim vacantium non comprehendere beneficia eorum, qui abjurarunt de vehementi, ut voluit etiam Sanchez *in Decal. d. lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 12. Quia respondetur, eorum opinionem procedere in suspectis
13 de hæresi, qui abjurarunt de vehementi, sed nulla alia pœna fuerunt affecti, vel puniti; hi enim si habeant beneficia, ea retinent; volentesque illa resignare in favorem alterius non prohibentur; & si usque ad eorum obitum eadem beneficia possideant, post eorum mortem non sunt Sedi Apostolicæ reservata ex juribus, & rationibus, quas considerat Rota *d. Decis.* 51. *post. Vol.* 1. *Consilior.* Farinacii. At præsens casus, de quo agimus, valdè differt à prædicto, nam præter abjurationem de vehementi addita est pœna triremium per decem annos, & inflicta privatio beneficiorum, quæ quidem privatio non ex alia causa emanavit, quàm ex hæresi resultante vel formaliter ob multiplices nefarios actus sollicitationis consummatos etiam in loco Sacro, vel saltem ex suspicione violenta, quæ habet vim æquivalentem ad
14 probandam hæresim formalem; & ideò cum beneficia vacent per sententiam privationis ex eadem suspicione violentà; remanent reservata Apostolicæ Sedi vigore prædictæ Constitutionis 29. B. Pii Quinti, de qua meminit etiam Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 15. *num.* 66.

Secunda ratio reservationis, & affectionis horum beneficiorum est, quia eorum privatio processit non solùm à Judicibus delegatis à Papa, quales sunt Reverendissimus P. Inquisitor, & Ordinarius, qui in causis contra hæreticos, vel de hæresi suspectos ge-
15 runt vices Papæ. Fagnanus *in cap. Sanè il* 2. *num* 5. *De Offic. Deleg. tom.* 2. Carena *de S. Offic. part.* 1. *tit.* 5. per totum, & præcipuè §. 6. *num.* 52. & §. 7. *num.* 61. Salelles *tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 3. *regul.* 25. & 26. sed etiam quia ipsamet pœna privationis beneficiorum emanavit de mandato, & commissione Papæ; quandoquidem Summus Pontifex Gregorius XV. in sua Constitutione 34. Incipien. *Universi Dominici Gregis &c.* edita 30. *Augusti Anno* 1622. ad eliminandum hoc turpissimum sollicitationis facinus in Sacramento Pœnitentiæ, vel ejus occasione, aut sub illius prætextu ab impiis Confessariis solitum perpetrari, expressè committit, mandat, & præcipit Inquisitoribus contra hæreticam pravitatem, ac Ordinariis locorum tanquam suis Delegatis, ut in Officio S. Inquisitionis quoscunque præfati sceleris reos repererint, severis-
16 simè puniant pro criminum qualitate, & circumstantiis, non solùm pœna suspensionis, & executionis ordinis, carceris, triremium, & aliarum similium, sed etiam privatione beneficiorum; ut ex lectura ejusdem Constitutionis, quam per extensum referunt Diana Coordinatus *tom.* 5. *tract.* 13. *in fine pag.* 543. & Novarius *in Summa Bullar. part.* 2. *Comment.* 120. *post num.* 1. & eam summatim recitat Bellettus *de Pœnis Cleric.* §. 8. *num.* 4. Porrò certa est conclusio apud Canonistas, & Beneficialistas, quod quando Papa mandat alicui Judici, ut privet Clericum aliquo beneficio; illud beneficium remanet affectum,
17 & reservatum ipsi Papæ; itaut à quocunque alio inferiori collatore non possit conferri, ut scribunt Æneas de Falconib. *de Benefic. prælud.* 3. *sub num.* 4. *Vers. Vel aliquando mandat.* Gonzalez *ad d. Reg.* 8. *Canc. gloss.* 52. *num.* 21. & Pax Jordanus *tom.* 2. *lib.* 10 *tit.* 2 *n.* 17. Idcircò cum privati fuerint prædicti duo iniquissimi Parochi suis beneficiis in Tribunali S Officii vigore antedictæ Bullæ Gregorianæ, quæ per expressum præcipit, & mandat, hujusmodi scelestissimos Confessarios severissimè puniri, & beneficiis per eos possessis privari; sequitur, affirmandum fore, quod eadem beneficia sint Apostolicæ Sedi affecta, & reservata.

Quo ad secundum dubium: respondetur, quod Episcopus, post publicatam sententiam privationis, nisi à suprema S. Inquisitionis generali Congregatione Romana sibi specialis prohibitio fiat; potest, & debet exponere edicta concursus pro provisione eorundem beneficiorum Curatorum vacantium prout su-
18 pra; & servatis servandis examen competitorum cum Examinatoribus Synodalibus facere, & unum ex eis, quem magis dignum, & idoneum judicaverit præeligere; talemque præelectionem Romam ad Datariam mittere, ut iisdem præelectis collatio per Summum Pontificem fieri valeat. Ita in puncto respondet Garzias *de Benefic. part.* 9. *cap.* 2. *n.* 153. plurimos DD. citans his præcisis verbis: *Quartò principaliter dubitatur, an Episcopus possit facere concursum ad Parochiales vacantes in mensibus reservatis, vel aliàs reservatas, seu affectas, non obstantibus regulis reservatoriis? In quo respondetur affirmativè ex d. cap.* 18. *sess.* 24. *de Ref. Concilii Tridentini, ibi:* Etiamsi ipsa Paro-

Parochialis Ecclesia reservata, vel affecta fuerit generaliter, vel specialiter &c. Et ex *d. Const.* 32. B. Pii V. quæ incipit *In conferendis &c.* Ita Zerola *part.* 1. *in Verb. Parochia*. §. 2. *dub.* 4. & 10. Zecchus *de Parocho cap.* 28. *num.* 6. M. Ant. Genuensis *in Praxi cap.* 65. *num.* 1. Rota *decis.* 48. *part.* 1. *divers. num.* 1. Leo *in Thesaur. Fori Eccles. cap.* 18. *num.* 23. & 59. Ugolin. *de Offic. Episc. cap.* 50. §. 4. *num.* 2. Piasecius *in Praxi Episc. part.* 2. *cap.* 5. *num.* 9. & 17. & Gonzalez *gloss.* 6. *num.* 111. Quibus novissimè adstipulantur Massobrius *in praxi habendi concurs. Requisit.* 1. *dub.* 4. *num.* 2. ubi loquitur de beneficio reservato, & affecto Apostolicæ Sedi vacante per sententiam privationis. Antonellus *de Regim. Mil. Eccles. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 16. Novarius *in Summa Bullar. part.* 2. *Comment.* 45. *num.* 1. Flamin Parisius *de Resignat. lib.* 8. *quæst.* 9. *num.* 103. Barbosa *de Parocho cap.* 2. *num.* 14. Marescot. *Var. resol. lib.* 1. *cap.* 52. *num.* 2. & Pax Jordanus *d. tom.* 2. *lib.* 10. *tit.* 8. *num.* 44. ita scribens: *Amplia primò, ut procedat dictum quintum requisitum concursus, & examinis, etiam in Parochialibus generaliter, vel specialiter affectis, seu quovis modo reservatis, ut latè probatur per Rotam Decis.* 48. *part.* 1. *divers.* & paulò infra *num.* 45. *Quamvis enim collatio pertineat ad Papam, debet tamen Ordinarius proponere edicta, concursum, & examen habere, atque ex approbatis magis idoneum seligere; & intra spatium quatuor mensium, à die vacationis, Summo Pontifici denunciare, ut talis præelectus, & non alius, ab ipso instituatur in beneficio.*

DISCORDIA XLVIII.

ARGUMENTUM.

Donationem Ecclesiarum Parochialium, antiquitùs per Episcopum factam Capitulo Canonicorum suæ Cathedralis, cum omnibus Juribus, & pertinentiis, habere vim Unionis; & subinde Parochos esse liberè nominandos, & præsentandos per Capitulum; atque per Episcopum examinandos, & admittendos absque concursu, in præsenti Discordia, ex Constit. 47. B. Pii V. & ex auctoritate Rotæ Romanæ plenissimè demonstratur.

SUMMARIUM.

1 *Ecclesia S. Luciæ de Padua Parochi duo.*
2 *Instrumenta originalia donationis illius Ecclesiæ Capitulo Paduano factæ Anno 964 reperta Anno 1696.*
3 *Parochorum in præelectione quàm trepidaret Card. Gregorius Barbadicus.*
4 *Ecclesia S. Luciæ de Padua est de Mensa R. Capituli.*
5 *Concursus pro electione Parochorum in quibus Ecclesiis sit faciendus?*
6 *Episcoporum conatus pro conferendis per concursum etiam Ecclesiis unitis, & de Mensa Capitulorum.*
7 *B. Pii V. Constitutio 47. prohibitiva concursus in Ecclesiis unitis, & de Mensa Capitulorum, seu Monasteriorum.*
8 *Manutentio Episcopis non datur pro concursu in Parochialibus unitis.*
9 *Unio, & Mensalitas beneficii quomodo probanda?*
10 *Donationum factarum Capitulo Paduano per Episcopos exempla.*
11 *Donatio Parochialis Ecclesiæ cum pertinentiis habet vim Unionis.*
12 *Episcoporum Paduæ erga suum Capitulum liberalitas.*
13 *Confirmationes Apostolicæ donationum factarum Capitulo Paduano.*
14 *Confirmationum Apostolicarum effectus quatuor. Et qui sint?*
15 *Unio Ecclesiæ probatur per donationem Episcopi, à Papa confirmatam.* Et num. 46.
16 *Confirmatio facta per Papam quando dicatur ex certa scientia?*
17 *Nominationes Parochorum longo tempore factæ à Capitulo probant Unionem.*
18 *Incendia Urbis Paduæ in Sæculo XII. & XIII.*
19 *Electiones subsequentes indicant existentiam antecedentium.*
20 *Electiones Parochorum sine concursu factæ etiam in mensibus reservatis probant unionem Ecclesiæ.*
21 *Regula 9. reservatoria Mensium non capit beneficia Unita.*
22 *Pluralitas Parochorum in eadem Ecclesia indicat eam esse unitam.*
23 *Visitandi Jus, quod habet Capitulum, aliquam Parochialem, denotat, eam esse illi unitam.*
24 *Consensus à Capitulo præstitus pro livellandis bonis alicujus Parochialis, probat eam esse sibi unitam.*
25 *Altaria in Parochialibus construi non possunt sine Parochi licentia.*
26 *Ecclesiæ defensio spectat ad eos, quorum mensæ est unita.*
27 *Enunciativa antiqua supra centum annos probat qualitatem beneficii.*
28 *Congregatio Parochorum Paduæ cur solvat annuatim certa blada Capitulo Canonicorum, & PP. de Somascha?*
29 *Similis ad simile argumentum valet.*
30 *Decima in Villa Tribani de Jure Ecclesiæ S. Luciæ de Padua possidetur à Capitulo Paduano.*
31 *Divisio fructuum Mensæ Capitularis Canonicorum Paduæ facta inter ipsos Anno 1226.*
32 *Decimas alicujus Ecclesiæ qui possidet, censetur Rector illius.*
33 *Portionarii Vox quid significet?*
34 *Visitatio Apostolica Cathedralis Paduæ facta per Cardinalem Valerium Anno 1583.*
35 *Visitationis ejusdem tenor circa beneficiorum dispositionem.*
36 *Collationis, & Institutionis nomine intelligitur etiam nominatio, & præsentatio ad beneficium.* Et num. 53.
37 *Dispositio beneficii significat ejus liberam provisionem.*
38 *Possessio Capituli Paduani disponendi de Parochialibus sibi unitis sine concursu.*
39 *Examen Parochi pro beneficio de Mensa fieri potest etiam ante ejus nominationem, & præsentationem.*
40 *Parochiales plures donatæ per Episcopos Paduæ Monachis, & Monialibus.*
41 *Exemplis quando sit judicandum?*
42 *Instrumento publico Unionis ipsa probatur.*
43 *Unio beneficii antiqua probatur præsumptionibus, & conjecturis.*
44 *Unire Ecclesias, & donare bona Capitulis prohibitum est Episcopis per Clementem V.*
45 *Lex non retrotrahitur ad præterita.*
46 *Confirmationes Apostolicæ quando dicantur factæ ex certa scientia?*
47 *Ecclesiæ filiales, & de Mensa vocantur Oratoria, & Capellæ.*
48 *Congregatio Parochorum Paduæ antiquissima.*
49 *Ecclesia non censetur de Mensa, si Parochus colligat omnia bona. Contrariam* num. 50.
51 *Parochialium de Mensa, quorum fructus omnes à Parochis colliguntur, exempla.*
52 *Vacatio Parochialis, & status ejus collativus repugnat Unioni.*
53 *Collatio lato modo sumpta significat præsentationem.*
54 *Beneficia unita dicuntur impropriè vacare per mortem Vicarii.*
55 *Provisiones Apostolicæ non mutant statum beneficii, nec destruunt ejus Unionem.*

56 *Vica-*

Digitized by Google

56 *Vicarius in beneficio de Mensa vocatur etiam Rector, & Parochus.*
57 *Concursus facti de Parochiali excludunt ejus Unionem.*
58 *Concursus non præjudicant Unioni, ubi constat de illa.*
59 *Sententia Judicis facit jus inter partes.*
60 *Quod de uno tantùm conceditur petenti duo, de altero denegatur.*
61 *Qui non exprimit, præsumitur non expressum reprobare.*
62 *Consilium qui petit, non tenetur illud sequi.*
63 *Consilium contra Sacros Canones est ipso Jure nullum.*
64 *Præscriptio centenaria derogat Papalibus Constitutionibus.*
65 *Præscriptionis centenariæ quando cesset vis, & effectus?*
66 *Pestis grassata est Patavii Annis 1629. 1630. 1631.*
67 *Præscriptio centenaria si habeat initium à titulo infecto, nihil valet.*
68 *Manutentio faciendi concursus quando detur?*
69 *Auctoris Apologema circa hanc discordiam.*
70 *Veritas est super omnes amicos amanda.*
71 *Justitia à Judicibus diligenda.*
72 *Evangelii liber cur osculandus deferatur Præsulibus Missam audientibus?*

PArochialis Ecclesia Sanctæ Luciæ de Padua à septingentis Annis, & ultrà regi, ac gubernari solet per duos æquales Parochos, ab antiquo Portionarios vocatos, quos Reverendissimum Capitulum Cathe-
1 dralis Ecclesiæ Paduanæ eligebat, semper, & in quocunque Mense per obitum eorundem Parochorum utraque Portio vacabat; illos investiendo, ac deputando ad exercitium Curæ animarum, salva approbatione Episcopi Patavini; qui Anno 1591. cæpit exponere edicta pro concursu, & ad portiones prædictas Parochiales ex competitoribus præeligere magis dignum pro executione S. Tridentini Concilii *sess.* 24. *de Ref. cap.* 18. fretus præcedenti Visitatione Apostolica Cardinalis Valerii Episcopi Veronensis; in qua de Anno 1583. dictum fuit, quod in vacatione omnium Parochialium Ecclesiarum spectantium ad collationem ejusdem Reverendissimi Capituli, inter quas numeratur prædicta Ecclesia S. Luciæ, Episcopus faceret concursum ad præscriptum dicti *cap.* 18. *sess.* 24. Concilii Tridentini; & mitteret magis dignum ab eo prælectum ad recipiendam collationem, ac Litteras institutionis, ad ipsum Capitulum; à quo nunquam fuit contradictum, imò ita fuit executum usque ad Annum 1696. Hoc Anno vacavit una ex dictis portionibus per obitum Rev. Antonii Tagliaferri Sacræ Theologi Doctoris; & statim parte, & nomine Reverendissimi Capituli notificatum fuit Episcopali Curiæ, quòd occasione universalis registri Scripturarum in
2 Archivio ejusdem Capituli existentium; reperta fuerant Instrumenta originalia, & authentica donationum plurium Ecclesiarum Parochialium, & inter illas hujus S. Luciæ, cum omnibus Juribus, & pertinentiis suis, per antiquos Episcopos Paduanos factarum eidem Capitulo, atque per diversos Summos Pontifices confirmatarum; ex quibus donationibus manifestè resultabat, hanc Parochialem Ecclesiam S. Luciæ esse unitam ipsi Capitulo, ac ejus Mensæ pleno Jure annexam, & incorporatam; adeòut ejus provisio non erat facienda prævio concursu, sed ad liberam electionem, & præsentationem Capituli ad præscriptum Constitutionis 47. Beati Pii V. Quæ incipit *Ad exequendum* declarativa antedicti Concilii Tridentini; & ideò instetit Capitulum abstineri à concursu: sed per Curiam Episcopalem neglectâ hac instantiâ, & expositis edictis pro concursu, data fuit ansa Capitulo appellandi ad Metropolitanum Aquilejen. & in ejus Tribunali introducendi causam super prætensa Unione, ac mensalitate prænominatæ Ecclesiæ S. Luciæ.

His auditis per Eminentissimum Dominum Cardinalem Gregorium Barbadicum tunc Episcopum Patavinum, imposuit Eminentia sua omnibus Ministris ejus Curiæ (inter quos senior ego quoque numerabar) ut summâ cum diligentiâ observarentur Scripturæ tùm Reverendissimi Capituli, tùm Cancellariæ Episcopalis, & quilibet pro veritate studeret, ac Eminentiæ suæ referret, An Ecclesia S. Luciæ subjaceret concursui? cumque ego dicerem in hac materia duas haberi posse reflexiones, unam in possessorio, quod primo aspectu videbatur favorabile Curiæ Episcopali ob antecedentes concursus, quibus Ecclesia S. Luciæ pluries collata fuit, Capitulo non reclamante, imò approbante; & alteram in petitorio, seu meritis prætensæ Unionis: subjunxit Eminentissimus Antistes, desiderare, ut studium fieret circa merita causæ, & justitiam hujus Capitularis petitionis; protestans se paratum permittere suis Canonicis electionem, & præsentationem Parochorum S. Luciæ, si, & quatenùs ipsa de Jure pertineat ad
3 eorum Capitulum; subjungens, in corde suo nihil amarius sentire, quàm eligere Parochos, & eos deputare ad Curam animarum, ob strictissimam rationem à Deo reddendam, si aliquem minùs idoneum eligeret juxta text. *in cap. Grave nimis. De Præbend.* innovatum à Tridentino Concilio *sess.* 7. *de Ref. cap.* 3. Hac piâ, sanctâque intentione, & commissione Eminentissimi Præsulis intellectâ, labori non peperci in perquirendis scripturis, quæ ad favorem Curiæ Episcopalis credebantur facere; & in observandis illis, quæ parte, & nomine Reverendissimi Capituli fuerant productæ in Actis hujus causæ coram Judice Metropolitano; & omnibus attentè, ac maturè
4 perpensis, Respondi circa merita, & in judicio petitorio, justitiam stare ad favorem ejusdem Capituli; cujus Mensæ concludenter constat, Ecclesiam S. Luciæ esse, ac semper fuisse unitam; quâ unione stante non erat providenda per concursum; sed ad liberam electionem, ac præsentationem ab eodem Reverendissimo Capitulo. Cæterùm pro clariori intelligentiâ rationum, quibus innititur meum Responsum; quatuor sunt præmittenda.

Primum est; quod à Tridentino Concilio *d. sess.* 24. *cap.* 18. mandatur Episcopis indicere concursum, & ex concurrentibus eligere magis dignum in provisione illarum Ecclesiarum Parochialium, quæ vel sunt
5 liberæ collationis eorundem Episcoporum, vel de Jurepatronatu Ecclesiastico, in quo Institutio electi non spectat ad Episcopum, sed ad Ecclesiasticos Patronos; & in illis Ecclesiis, in quibus Capitula, vel Prælati inferiores ex Privilegio, vel ex consuetudine habent collationem simplicem ipsarum Ecclesiarum; idest jus instituendi electum ab Episcopo in illis; dando ipsimet electo Litteras collationis, & institutionis; cessante in reliquis quacunque alia Jurisdictione in iisdem collatoribus, tàm circa personam electi, ac per eos instituti, quàm circa bona Ecclesiæ, & Ecclesiam ipsam; quæ in omnibus, & per omnia subjacet Episcopo, itaut ad collatores prædictos sola collatio pertineat; ut ex lectura ejusdem *cap.* 18. *sess.* 24. constat; & notant omnes DD. quos colligit Barbosa *ibidem*, & notat *num.* 1.

Secundum præmissum est, quod præter prædicta tria genera beneficiorum Parochialium, quæ per Tridentinum Concilium supposita fuerunt concursui; cum sit aliud quartum genus, de quo nihil fuit ordinatum à Tridentino Concilio, nempè Parochiales unitæ, & pleno jure annexæ Capitulis, Monasteriis, & aliis Dignitatibus Ecclesiasticis; quamvis ex dispositione Sacrorum Canonum in his electio Parochorum spectet ad eadem Capitula, Monasteria, seu Dignitates, quibus unitæ reperiuntur, *cap.* 1. *de Capell. Monachor. cap. De Monachis. De Præbend.* Episcopi post publicationem Concilii Tridentini conati fuere trahere etiam has Ecclesias unitas, ac de mensa sub

Digitized by Google

ſub diſpoſitione prædicti *cap.*18. *ſeſſ.* 24. ponentes il-
las in vacationibus ad concurſum, & ita præeligendo
6 unum ex competitoribus ſpoliabant Capitula, Mo-
naſteria, ac Dignitates ſuo antiquiſſimo Jure eligen-
di Parochos in iiſdem Eccleſiis ſibi unitis; undè exor-
tæ fuerunt infinitæ propemodùm diſcordiæ ubique in-
ter Curias Epiſcopales ex una, & Monaſteria utriuſ-
que ſexus, ac Capitula, & alios Prælatos inferiores
habentes Parochias ſuis menſis annexas ex altera;
ut conſtat ex recurſibus ad Rotam Romanam factis
contra inſiſtentiam Epiſcoporum deſtruentium menſa-
litates, & Jura eligendi Parochos ſine concurſu Mo-
naſteriis competentia; ut legitur in pluribus Deciſio-
nibus emanatis contra præfatos Epiſcopos, relatis ab
Emin. Card. Cerro *in Deciſ.*48. *num.*1. *&* 2. *part.* 10.
recent. & conſimilium agitationum, ac diſcordiarum
plurima habentur exempla hîc Patavii inter Curiam
Epiſcopalem ex una; & ex altera cum Monachis
Caſſinenſibus, nec non cum Monialibus Sancti Pe-
tri, Sancti Stephani, & aliis, quæ paſſa ſunt graviſ-
ſima diſpendia pro tuendis ſuis antiquis Juribus eli-
gendi Parochos ad Eccleſias curatas unitas, & de
menſa ſuorum Monaſteriorum, videlicet Sancti Lau-
rentii, Sancti Nicolai, Voltæ de Bruſegana, & ſi-
milium, de quibus Bartholom. Sylvaticus *conſ.* 31.
per totum.

Tertium præmiſſum eſt; quod B. Pius Quintus
Summus Pontifex ad refrænandum zelum indiſcretum
Epiſcoporum; qui ad concurſum ponebant etiam be-
neficia Curata, quamvis unita, & de Menſa Capi-
tulorum, ac Monaſteriorum, & ſibi arrogabant ele-
ctionem Parochorum ad illa, per ſuam Conſtitutio-
7 nem 47. Incipien. *Ad exequendum &c.* publicatam
Calendis Novembris Anno 1567. poſt taxatam ſum-
mam congruæ portionis, ſolvendam iiſdem Parochis,
ſeu Vicariis in Eccleſiis unitis, ac de Menſa ad ani-
marum Curam exercendam collocandis; decrevit,
præcepit, & mandavit, ut eorundem nominatio fie-
ret non ab Epiſcopis, ſed ab ipſis Capitulis, ac Mo-
naſteriis; reſervato Epiſcopis examine, & approba-
tione, ita §. 4. ſtatuendo. *Volumus inſuper, & ita
mandamus, quod dicti Vicarii perpetui non ad liberam
Ordinariorum electionem, ſed ad nominationem illo-
rum, in quorum Eccleſiis unitis ponentur, tum ipſo-
rum Ordinariorum, ſeu eorum Vicariorum, prævio
examine, approbatione deputentur*. Cui Conſtitutioni
idem Summus Pontifex adjecit decretum irritans, ſi
quid à quolibet, vel in quocunque tempore in con-
trarium fieri contingeret, dicens §. 6. *Sicque per quoſ-
cunque Judices, quavis auctoritate fungentes, ſublata
eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & in-
terpretandi poteſtate, judicari, & interpretari debere;
nec non irritum, & inane decernimus quidquid ſecùs
à quoquam quavis auctoritate attentatum forſan eſt
hactenus, vel in poſterum contigerit attentari*. Quo
decreto irritante attento concors eſt ſenſus tùm Sa-
cræ Rotæ, tùm eximiorum Doctorum, quod Epi-
8 ſcopi non poſſint prætendere manutentionem in poſ-
ſeſſione, vel quaſi faciendi concurſum in beneficiis
curatis unitis, vel de Menſa; quando conſtat de unio-
ne, ſeu Menſalitate, etiamſi feciſſent concurſus etiam
ultra centum continuos annos, ut ait Rota coram
Merlino *deciſ.*106. *& deciſ.*187. Item coram Cavale-
rio *deciſ.*595. *& deciſ.*599. nec non *part.*8. *recent. de-
ciſ.*184. *num* 9. ubi aliæ plures Deciſiones allegantur,
& ſcribunt Loterius *de Re beneſic. lib.*2. *quæſt.* 31. *n.*25.
& noviſſimè Emin. Card. de Luca tùm *in tract. de
Parochis diſc.*11. *num.*4. *&* 5. tùm in *Annot. ad Conc.
Trid. diſc.*32. *num.*33.

Quartum præmiſſum eſt: Quamvis ex prædicta
Conſtitutione Piana ceſſare debuiſſet omnis diſcordia
inter Curias Epiſcopales ex una; & inter Capitula,
Monaſteria, & alios inferiores Prælatos ex altera; cir-
ca liberam præſentationem Curatorum ad beneficia
ſibi unita, & de Menſa, remoto concurſu; expe-
rientia oſtendit totum contrarium ob ſubtilitatem mi-
niſtrorum Epiſcopalium aſſerentium, unionem, ac
menſalitatem Parochialium Eccleſiarum probari non
9 poſſe, niſi per Inſtrumentum publicum, ſeu Diploma
loquens expreſsè, & ad Litteram enuncians ipſas
Parochiales eſſe, ac fuiſſe unitas, & factas de menſa;
quare reiterati ſunt recurſus ad Sacram Rotam Ro-
manam ſuper hac rigida interpretatione; & opus
fuit, ut illud ſupremum Tribunal hanc unionum
materiam exactiſſimè diſcuteret, cum & in Curia,
& extra Curiam non mediocris ignorantia eſſet de il-
la, ut notat ipſe Emin. Card. de Luca *de Paroch.
diſc.*11. *num.*6. Quapropter ex pluribus Deciſionibus
emanatis in Rota firmatum fuit, Unionem, & Men-
ſalitatem beneficiorum probari poſſe non ſolùm ex-
preſſo Diplomate, ſeu Inſtrumento de ea loquente,
ſed etiam ex conjecturis, quarum præcipuæ ſunt do-
natio Eccleſiæ antiquitùs facta Capitulo, ſeu Mo-
naſterio cum omnibus pertinentiis ſuis, ſeu cum fa-
cultate exigendi Decimas ad eandem Eccleſiam de
Jure ſpectantes; ſivè ex actibus Juriſdictionis, &
Superioritatis per Capitula, aut Monaſteria exercitis
in ipſa Eccleſia, vel ſuper Parochis in illa poſitis;
aut ex aliis conjecturis, & præſumptionibus per Ca-
noniſtas notatis pro probanda unione, ac Menſali-
tate Eccleſiarum, ut legitur in Deciſionibus Rotæ
ſuper hac diſcordia emanatis, ſignanter *part.*1. *recent.
deciſ.*102. *& deciſ.*126. Item *part.* 4. *recent. deciſ.* 37.
*tom.*1. atque *deciſ.*485. *tom.*2. prout etiam *part.*10. *re-
cent. deciſ.*48. *& deciſ.*152. nec non *part.*15. *recent de-
ciſ.*6. præter plurimas impreſſas per ſuos Authores,
videlicet coram Card. Seraphino *deciſ.*1272. *& deciſ.*
1304. coram Gregorio XV. *deciſ.* 196. coram Buratto
*deciſ.*93. coram Merlino *deciſ.* 115. *& deciſ.* 187.
coram Cavalerio *deciſ.* 599. & coram Bichio *deciſ.*
237. *& deciſ.* 336. & aliæ infrà allegandæ.

His ita præmiſſis, ac prænotatis; cum ad exclu-
dendum concurſum in proviſione Eccleſiæ Parochia-
lis Sanctæ Luciæ de Padua, opus ſit oſtendere, eam
eſſe unitam Reverendiſſimo Capitulo Paduano, &
pleno jure eſſe annexam ejus Menſæ Capitulari, ta-
lis Unio, ac Menſalitas probatur:

Primò ex Charta originali, & Authentica Dona-
tionis factæ ipſi Capitulo tùm per Hildebertum Epi-
ſcopum Patavinum *Anno* 964. (cujus Donationis
exemplum legitur impreſſum etiam in Hiſtoria Ur-
10 bis Paduæ ab Equite Sertorio Urſato Nobili Pata-
vino conſcripta ad pag. 201.) tùm per Gauslinum pa-
riter Paduanum Epiſcopum *Anno* 970. in utràque enim
prædictarum Donationum, ipſi Antiſtites declarant,
ſe donare, ac concedere Canonicis, & Capitulo Ec-
cleſiæ Cathedralis, præter Decimas Civitatis, &
alia bona, *antedictam Eccleſiam Sanctæ Luciæ cum
omnibus ejus pertinentiis, domibus, terris, & bonis
quibuſcunque*. Ex his verbis colligunt omnes Cano-
niſtæ tàm antiqui, quàm moderni, Eccleſiam ip-
11 ſam fuiſſe pleno jure unitam Capitulo, & ei incor-
poratam, & annexam non ſolùm quò ad bona tem-
poralia; ſed etiam quò ad Jura ſpiritualia, qualia
ſunt Animarum Cura, Juriſdictio, ac Superioritas
in Eccleſia ipſa, & perſonis eidem inſervientibus,
& præcipuè facultas eligendi, & nominandi unum,
vel duos Vicarios, qui in illa exerceant curam ani-
marum nomine ipſius Capituli, in quo ipſa cura cen-
ſetur habitualiter reſidere; ut latè diſſerunt Calderi-
nus *conſ.*6. *de Verb. Signific.* Lapus *alleg.* 139. *num.*10.
& 11. Hoſtienſis *in cap. Expoſuiſti in fin. de Præ-
bend.* Cardinalis *in Clem.* 1. *num.* 10. *De Offic. Vicar.*
Gabriel *Com. Concluſ. lib.*6. *tit. de Verb. Signific. Con-
cluſ.*10. *num.*2. *&* 3. Turricell. *de Unione cap.* 4. *num.*
44. *Verſ. Simpliciter*; & alii, Quorum doctrina ca-
nonizata eſt in Rota, ex prædictis verbis Unionem,
& Menſalitatem probatam eſſe decidente coram Card.
Cavalerio *deciſ.*599. *num.*2. *&* 4. coram Merlino *de-
ciſ.*115. *n.*6. & in recentioribus *part.*4. *tom.*3. *deciſ.*630.
*num.*27.

Digitized by Google

num.27. & successivè *part.6. decis. 21. num.6. part. 11. decis.305. num.21. & part.15. decis.49. num.4.*

Secundò probatur prædicta Unio, & Mensalitas Ecclesiæ Sanctæ Luciæ facta Reverendissimo Capitulo ex aliis subsequentibus donationibus repetitis tùm de eadem Parochiali Sanctæ Luciæ, tùm de aliis per alios Episcopos Paduanos, nempè per Sanctum
12 Bellinum *Anno* 1130. per Gerardum *Anno* 1171. per Jordanum *Anno* 1215. & per Jacobum Corradum *Anno* 1233. qui omnes Episcopi, suorum Prædecessorum liberalitatem imitati, renovarunt donationem Sanctæ Luciæ, & aliarum etiam Parochialium, quas cum suis Decimis, Juribus, & pertinentiis simul pariter Capitulo Canonicorum suæ Cathedralis donarunt, & concesserunt; ex quibus enunciativis *Decimarum, Jurium, & pertinentiarum omnium* cum absque dubio deducatur, donationem habere vim perfectæ Unionis, ut testatur Rota *part.1. recent. decis.*102. & *decis.626.* nec non *part.2.decis.204. & part.9.decis.88. n.5.* prout etiam coram Seraphino *decis.*1034.*n.*3. & coram Bichio *decis.*237.*n.*4. & 5. consequenter dicendum venit omnes Ecclesias per supradictos Antistites donatas, inter quas recensetur etiam Parochialis S. Luciæ, fuisse unitas, & annexas pleno Jure ipsi Capitulo, à quo, tanquam retinente in se habitualiter curam animarum, Vicarii pro hac exercenda sunt liberè eligendi, nominandi, & præsentandi absque concursu, ut scribit etiam Emin. Card. de Luca *d. tract. de Parochis disc.10. num.6. & disc.11. num.3.* Et equidem ex quadruplici donatione Ecclesiæ S. Luciæ unà cum aliis Parochialibus factâ per Episcopos Paduanos suis Canonicis, & Capitulo in decursu unius sæculi cum clausulis unionem denotantibus, excludi minimè potest ipsa Parochialis S. Luciæ à statu unitivo impresso in aliis Ecclesiis, quarum Decimas tunc Capitulum acquisivit, & usque in hanc diem possidet, ut ex publicis æstimis Canipæ Capitularis; est enim Axioma certissimum Legale, quod una determinatio respiciens plura determinabilia, debet ea pariformiter determinare; ut benè probant Barbosa *Axiom. 69. num. 6.* Menochius *cons. 88. num. 19.* & Gratian. *Discept. forens. cap.70. num.39.*

Tertiò, quod Ecclesia S. Luciæ sit unita Capitulo Paduano probatur per confirmationes Apostolicas quas de prædictis Ecclesiarum, Decimarum, ac aliorum bonorum donationibus, fecerunt Summi Pontifices Calixtus III. *Anno* 1123. Alexander III. *An-*
13 *no* 1172. Urbanus III. *Anno* 1186. Innocentius III. *Anno* 1200. Honorius III. *Anno* 1226. & Urbanus IV. *Anno* 1263.; qui quidem omnes recipiunt Canonicos Paduanos, eorumque Capitulum sub sua, & Apostolicæ Sedis protectione, unà cum omnibus Bonis, & Ecclesiis per Episcopos Paduæ donatis; quæ omnes Ecclesiæ singulatim nominantur propriis vocabulis, & earum prima est Ecclesia S. Luciæ; & subindè confirmant dominium, & possessionem ejusdem Capituli circa prædictas Ecclesias, & earum bona; ut legitur in Bullis Apostolicis originalibus, & authenticis per ipsum Capitulum exhibitis, & in judicio coram Metropolitano Aquilejensi productis. Ex his Apostolicis confirmationibus quatuor effectus
14 resultant favorabiles DD. Canonicis. Unus est, quod donationes prædictæ eis factæ per Episcopos de nullo defectu argui possunt, ut inquit Rota *part.12. recent. decis.65. num.21.* & coram Buratto *decis.93. n.6.* Secundus est, quod remanet probatum dominium ipsius Capituli, quod habebat in iisdem bonis, & Ecclesiis eo usque tempore, ut advertit Rota post Tamburinum *de Jure Abbat. tom.3. decis.78. num.23.* Tertius est subsistentia justi Tituli, quo Capitulum possidet easdem Ecclesias, & earum jura, ac bona, ut scribit Fagnanus *in cap. Si quis. num. 23. De Confirmat. utili, vel inutili tom.3.* Quartus est, quod præ-
15 dictæ Apostolicæ Confirmationes probant, easdem Ecclesias verè esse unitas, & annexas eidem Capitulo, ac illius mensæ, ut loquitur Rota *part. 4. recent. decis.37. num. 6. tom. 1.* cujus hæc sunt verba: *Concurrit cum omnibus supradictis receptio facta ab Honorio sub sua, & Sedis Apostolicæ protectione de Præpositura Lilletti cum omnibus bonis suis, quæ tunc possidebat; & in specie cum Ecclesia de Osseja; & hæc enunciativa, junctis aliis supradictis antiquissimis, multum facit in probanda Unione;* scilicèt quod Ecclesia de Osseja erat unita Præpositturæ.

Nec valeret objectio, quod hanc probationem Unionis faciant Confirmationes Apostolicæ ex certa scientia; non autem illæ, quæ dicuntur ad instantiam partis, quales videntur esse istæ ob illa verba Pontificum *Vestris postulationibus clementer annuimus.* Nam respondetur, hæc verba referri ad supplicationes Sedi Apostolicæ per Capitulum porrectas, ut dignaretur ipsum, ac ejus bona sub illius protectione
16 recipere: at narrativa, & expressio bonorum, & Ecclesiarum facta per Summos Pontifices dicitur facta ex certa scientia, & ex matura præcedenti informatione sumpta per eosdem Pontifices circa veritatem donationum, & qualitatem Ecclesiarum donatarum; ut innuunt illa verba inserta in Bullis confirmationum, *Auctoritate Apostolica confirmanda duximus, & propriis exprimenda vocabulis,* ut benè observat Rota *part.1. recent. decis.405. num 2.* Et ideò quando Papa exprimit Ecclesias alicui Capitulo, vel Monasterio aliàs ab aliquo donatas, & donationem confirmando illas singillatim nominat, dicitur confirmare ex certa scientia, ut in his terminis docet Barbosa *in Collect. DD. ad cap. Si Apostolicæ. num.2. de Præbend. in 6.* & tenuit Rota coram Buratto *decis.93. num 1.* Imò cum sint plures Confirmationes à diversis Pontificibus factæ, & omnes nominatim exprimant Ecclesias donatas, quas donatario confirmant, dicuntur factæ *motu proprio*, ut notant Decian. *cons.33. num. 2. vol. 1.* & Cardin. Tuschus *tom. 4. Litter. G. conclus.28. num. 55.* & sic jure dicitur, per eas multum probari earundem Ecclesiarum Unionem à Rota *d. part.4. recent. decis. 37. num. 6. tom.1.* & ibi Puteus *decis. 208. lib. 2.* & Verallus *decis.344. part.3. num.2.*

Quartò Unio, & Mensalitas Parochialis S. Luciæ cum Capitulo Cathedralis Paduæ concludenter probatur ex eo, quod Episcopi Patavini per annos sexcentos, & ultrà, idest ab Anno 964. post primam donationem usque ad finem Anni 1591. nunquam elegerunt, neque nominarunt Parochos ad eandem Eccle-
17 siam S. Luciæ; sed semper fuerunt electi, & nominati ab eodem Capitulo, prout constat ex ejus nominationibus, quæ semper sortitæ sunt suum effectum; quarum exempla authentica exhibet idem Capitulum de Annis 1397. 1417. 1450. 1451. 1466. 1491. 1493. & 1574. quæ quidem nominationes nunquam impugnatæ ab Episcopis Paduanis, sed ab eis ratæ, approbatæ, & admissæ, faciunt plenam probationem unionis, ac mensalitatis cum ipso Capitulo; ut in his terminis respondit Rota coram Bichio *decis. 336. num.4.* & coram Buratto *decis. 172. num.10.* nec non *part.10. recent. decis.152.* ac etiam *part. 11. decis. 305. num.11.* Neque officit, quod Capitulum non ostendat easdem nominationes in tribus antecedentibus sæculis, scilicèt ab Anno 964. usque ad Annum 1397. quia respondetur, earum registra, prout omnium aliorum publicorum actuum non solùm ipsius Capituli, sed etiam Cancellariæ Episcopalis, ac ipsius Civitatis Paduæ periisse ob incendia, quæ ingruentibus bellis,
18 passa est tota Civitas illis temporibus, de quibus scribit Scardeonius in Historia Paduanæ Civitatis *lib. 1. class. 2. pag.27.* dicens: *Tota penè Urbs conflagravit:* & subdens: *Ex hoc quidem Urbis incendio credere dignum est, tunc periisse memoriam omnium ferè, quæ ad ea tempora Patavii memoratu digna contigerant: nam supra id tempus de gestis rebus, aut incremento Urbis Patavii, infra annos fermè quadringentos, nihil pror-*

Digitized by Google

hil prorsùs memorabile legitur. His jungenda est tyrannis Excellini de Romano, qua hanc Urbem oppressit, ut narrat idem Scardeon. *d. lib.1. class.2. pag.* 28. & longa dissidia factionum Guelfæ, & Gibellinæ, quibus Urbs diù dilacerata fuit. Certum est, quod Capitulum Paduanum ab Anno 964. usque ad Annum 1163. possidebat pacificè tàm hanc Ecclesiam S. Luciæ, quàm alias descriptas in Bullis Confirmationum Apostolicarum, ut exprimitur in eis per Summos Pontifices, à quibus emanarunt; cumque posterioribus, ac subsequentibus sæculis Capitulum doceat, Parochos S. Luciæ à seipso semper electos fuisse, præ-
19 sumitur, quod eosdem elegerit etiam sæculis antecedentibus, maximè quia nulla apparet electio facta ab Episcopis, ut firmat Rota *part. 1. divers. decis.* 282. *num.1. & 2.* eadem Rota *part.7. recent. decis.*254 *n.6. & part.9. decis.*330. *num.*12. *tom.2.* ubi plurimi *texx. & DD.* allegantur, docentes ob antiquitatem electiones præcedentes, & intermedias præsumi, quando constat de subsequentibus.

Quintò deducitur alia concludens probatio Unionis hujus Ecclesiæ S. Luciæ ex qualitate Mensium, in quibus vacavit, nempè, ut plurimùm reservatorum Apostolicæ Sedi, & tamen in iisdem absque ulla con-
20 tradictione Capitulum eligebat, & deputabat Parochos ad exercendam in ea Animarum Curam; prout faciebat in aliis Parochialibus descriptis in Bullis Apostolicarum confirmationum, ut constat tàm ex Anno, Mense, & die annotato in iisdem electionibus, quàm ex registro facto in Visitatione Apostolica Valeria Anno 1583. de ipsismet omnibus Capitularibus electionibus Parochorum, ad animarum Curam exercendam in prædictis Ecclesiis ab eodem Capitulo deputatorum. Ex his sequitur, quod Parochialis S. Luciæ erat unita, & annexa ipsi Capitulo, ac de ejus Mensa; nam Regula 8. Cancellariæ Apostolicæ reservatoria Mensium non capit beneficia unita, vel de
21 Mensa Capitulorum, aut Monasteriorum, ut latè demonstrat Gonzalez *ad d. Reg.8. Gloss.5. §.7. num.*33. & 37. Et quod electio Parochorum pacificè facta per Capitulum etiam in Mensibus reservatis sit concludens probatio unionis, & mensalitatis Parochiæ, ad quam ipsi deputabantur, docet, & admittit Rota *part.1. recent. decis.*626. *num.6. & part.* 11. *decis.* 305. *num.* 16. ubi aliæ Decisiones allegantur.

Sextò ejusdem Unionis, & mensalitatis Ecclesiæ S. Luciæ fortissimum argumentum est pluralitas Parochorum, quos semper Capitulum deputavit in illa, scilicèt duos, illos nominando Portionarios, ut constat ex Litteris electionis, & deputationis eo-
22 rum, ex publicis æstimis illius Ecclesiæ, ex Libris Congregationis Parochorum Paduæ; & ex actis Visitationis Apostolicæ Valeriæ *d. Anno* 1583. ex qua quidem pluralitate apparet, eos non esse veros Rectores, & principales Parochos S. Luciæ; quia sicut uni Sponsæ non dantur duo mariti; ita uni Parochiali non deputantur simul, & eodem tempore Parochi duo, ut ait Tondut *de Benefici lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 1. & Ventriglia *tom.* 1. *Annot.* 20. & ibi Addeo. *post §.* 2. *num.* 3. & Mascard. *de Probat. conclus.* 469. *num.* 5. & *seqq.* Idcircò necessariò est dicendum, quod ipsum Capitulum Ecclesiæ Cathedralis est unicus, & verus Parochus S. Luciæ; cujus cura habitualis in eo residet vigore Unionis, & annexionis, resultantis ex donationibus antiquis sibi per Episcopos factis; ipsi autem duo Portionarii sunt simplices Vicarii, & Capellani ejusdem Capituli, cujus nomine exercent ibi curam animarum; ut in puncto tenet Rota *Decis.*226. *num.* 7. *part.* 1. *recent.* & novissimè *part.* 18. *recent. Decis.* 316. *à num.* 21. & *seqq.* & ante eam Beltramin. *in addit. ad Gregor. XV. Decis.* 370. *num.* 11. ubi ita scribit: *Eo ipso quod sunt plures in Ecclesia deputati ad exercitium curæ animarum, eò ipso apparet, Curam penès ipsos non residere, sed nudum exercitium tantùm.*

Septimò probatur à Reverendissimo Capitulo ipsa Unio, & Mensalitas, quam habere affirmat ejusdem Ecclesiæ S. Luciæ ex antiquo Jure eam visitandi, quod possidet, unà cum aliis Parochialibus recensitis in Bullis Apostolicarum Confirmationum; de quo Jure constat tùm ex Visitationibus per ipsum
23 factis *Anno* 1483. 1504. 1535. 1552. 1563. & 1636. tùm ex antedicta Apostolica Visitatione Valeria, in qua hoc Jus visitandi spectare ad Capitulum decisum fuit. *d. Anno* 1583. quæ decisio postea fuit confirmata à Cardinale Elzio *Anno* 1647. tunc Nuncio Apostolico Venetiarum, in ejus famosa Sententia, quam fecit super pluribus discordiis inter idem Capitulum, & Episcopum Georgium Cornelium; affirmat enim Rota Romana ex communi sensu Canonistarum, quod ex Jure visitandi per Capitulum Ecclesiam Parochialem, infertur, eam esse unitam, & incorporatam eidem Capitulo; ut in terminis loquitur ipsa Rota coram Bichio *Decis.* 336. *num.* 11. coram Buratto *Decis.* 504. *num.* 1. & coram Gregorio XV. *Decis.* 4. *num.* 4. & 18. & utrobique DD. & aliæ Decisiones coacervantur.

Octavò evidens probatio Unionis, & Mensalitatis S. Luciæ, de qua agitur, apparet ulteriùs ex consensu per eosdem duos Portionarios requisito à Capitulo, & per ipsum, præviis informationibus, præ-
24 stito, dandi in Emphyteusim nonnulla bona stabilia prædictæ Ecclesiæ S. Luciæ cum evidenti utilitate, ut constat ex tribus publicis Instrumentis in actis hujus causæ productis de *Annis* 1444. 1466. & 1469. Si antedicti duo Portionarii S. Luciæ fuissent ejus principales Rectores, potuissent absque consensu Capituli, ex sola licentia Episcopi, dicta bona livellare, & in Emphyteusim concedere, ut docet Redoan. *de Rebus Eccl. non alien. quæst.* 26. *num.* 26. Fagnanus *eod. tit. in cap. Nulli. num* 11. Et Capell. Tholosan. *Decis.* 98. Verùm quia ipsi sciebant, se esse simplices Vicarios, & ministros Reverendissimi Capituli; ad illud tanquam verum, & principalem Rectorem ejusdem Ecclesiæ S. Luciæ, virtute Unionis ex donationibus provenientis, recursum habuerunt, & ab ipso uti vero Rectore principali consensus præstitus fuit; ex quo fit illatio concludens, & demonstrans, quod Capitulum non habebat ab antiquo solum Jus conferendi; sed plenum dominium, & Jurisdictionem in ea; ideòque prædictam Parochialem S. Luciæ esse unitam eidem Capitulo ejusdemque bona olim, & nunc annexa Mensæ Capitulari permanere, sic testantibus Loterio *lib.* 1. *q.* 28. *num.* 19. & Rota *part.* 2. *recent. Decis.* 288. *num.* 4 nec non *part.* 18. *recent. Decis.* 81. *num.* 22.

Nonò augetur probatio Unionis prædictæ, & quod Capitulum Paduanum sit principalis, ac verus Rector Parochialis Ecclesiæ S. Luciæ ex licentia Anno 1468. per Confraternitatem S. Rochi petita; & per ipsum Capitulum iisdem Confratribus concessa destruendi Altare vetus existens in eadem Ecclesia S. Luciæ, & ejus loco novum ædificandi, ut ex registro authentico Actorum Capitularium apparet.
25 Statutum est in Jure, nemini licere nova Altaria fabricare in Ecclesiis Parochialibus absque Parochi consensu, & permissione. *cap. Quicunque* 16. *q.* 1. *cap. Ad Audientiam il primo.* & ibi Glossa *in Verb. Rectoris. De Eccles. ædificand.* quod latè demonstrat Tambur. *de Jure Abbat. tom.* 1. *disp.* 23. *quæst.* 6. *num.* 5. & approbat Rota *part.* 16. *recent. Decis.* 165. *num.* 1. ubi DD. Igitur si prædicta licentia præstita fuit à Capitulo, non autem à Portionariis S. Luciæ, deducitur evidens probatio, Ecclesiam S. Luciæ esse unitam ipsi Capitulo, ac idem esse verum Rectorem, ac Parochum illius Ecclesiæ; Portionarios autem tenere locum simplicium Vicariorum, curam animarum exercentium nomine ejusdem Capituli.

Decimò corroboratur hæc probatio Unionis, nec non habitualis Parochialitatis, quam habet Capitulum

Digitized by Google

lum Paduanum in eadem Ecclesia S. Luciæ, ex sup-
plici instantia in scriptis porrecta *Anno* 1531. eidem
Capitulo per ipsosmet Portionarios, in qua narran-
tes, se litigio vexari à prædicta Confraternitate San-
cti Rochi, implorant auxilium prædicti Capituli,
& DD Canonicorum, vocantes eos Dominos Ec-
clesiæ S. Luciæ; & addentes, quod ad ipsum Capi-
26 tulum, & Canonicos spectat omnis Cura ejusdem
Ecclesiæ: quæ quidem verba non obscurè denotant
Curam S. Luciæ consistere in habitu apud Capitu-
lum; à quo tanquam vero, proprio, ac principali
Parocho erant compescendi Confratres S. Rochi in-
debitè cum iisdem Portionariis litigantes. Neminem
in jure versatum latet, quod enunciativa supra cen-
27 tum annos, qualis est illa facta à Portionariis præ-
dictis, valet ad probandam qualitatem beneficii, at-
tentis præcipuè non solùm aliis adminiculis, sed con-
cludentibus aliis probationibus, ut scribit Tondut
QQ. Beneficial. part. 3. cap. 166 num 1. & 2.

Undecimò influit in eandem Unionis probatio-
nem annua solutio Stariorum sexdecim Frumenti,
& totidem Millei, ac Surgi, quam facit ipsi Capi-
tulo Congregatio Parochorum ab immemorabili tem-
pore, ut ex eorum publicis libris, ac æstimus;
quæ bladorum summa cum sit de cumulo Decima-
rum, & Quartesiorum per Episcopos Paduanos an-
28 tiquitùs prædictæ Congregationi Parochorum pro
eorum sustentatione concessorum, præsumitur spe-
ctare ad Capitulum tanquam Parochum, & Recto-
rem dictæ Ecclesiæ S. Luciæ; juxta exemplum alte-
rius Summæ Stariorum duodecim Frumenti, Millei,
& Surgi, quam ipsa Congregatio Parochorum an-
nuatim solvit RR Patribus de Somascha, ob unio-
nem eorum Religioni factam per Summos Pontifi-
cem Parochialis Ecclesiæ S. Crucis de Padua; adeò
ut sicut hæc bladorum solutio, quæ fit Patribus de
Somascha, absque dubio processit ob unionem, &
incorporationem eorum mensæ illius Parochialis S.
Crucis; ita contributio eorundem bladorum, quæ à
Congregatione Parochorum Paduæ fit Reverendis-
simo Capitulo Ecclesiæ Cathedralis emanaverit an-
tiquis temporibus ob unionem Parochialis S. Luciæ,
Mensæ Capitulari factæ; valet enim argumentum à
29 simili ad simile. Everardus *in Topic. legal. loc.* 10.
Mascard. *de Probat. conclus* 123. *num.* 4. Peregrinus
vol 2 *cons.* 9. *num* 29. & pluribus congestis Barbosa
in Commun. loc. 101. *num.* 1. *& seqq.* ubi hanc reddit
rationem dicens, quia de similibus idem est judicium.
l. Non possunt. & l. seq. ff. de Legib. maximè quando
in utroque casu simili adest eadem ratio; prout ea-
dem omninò est in casu præsenti.

Duodecimò arguitur etiam, Ecclesiam S. Luciæ
esse unitam ipsi Capitulo Paduano, & ejus Mensæ
pleno Jure, donationum tempore, fuisse annexam,
ab una Decima super Campis circiter centum in
Villa Tribani de ratione, proprietate, ac Jure ejus-
30 dem Ecclesiæ S Luciæ; quam Decimam Capitulum
pro se retinuit, eam simul cum aliis redditibus Ca-
pitularibus annuis exigendo usque *ad Annum* 1226.
Quo tempore cum ob multitudinem eorundem red-
dituum difficilis foret exactio, & difficilior æqualis
divisio inter Canonicos, hi decreverunt assignare uni-
cuique eorum suam portionem propriis expensis, in-
31 dustriâ, ac sollicitudine exigendam nomine, & loco
ipsius Capituli; qua divisione, & assignatione factâ
contigit dicta Decima cum aliis bonis uni Canoni-
co, qui usque in præsentem diem eam exigit, &
colligit, & adhuc vocatur Decima S. Luciæ, ut ex
publicis Actibus divisionis bonorum Mensæ Capitu-
laris prædicti *Anni* 1226. Cum igitur hæc Decima
S. Luciæ fuerit per Capitulum possessa, & collecta
ab initio donationum Episcopalium per annos 250.
idest usque ad *d. Annum* 1226. & deindè usque in
præsentem diem illam colligat, & exigat, loco Ca-
pituli, Canonicus unus, cujus Præbendæ est assigna-
ta per ipsum Capitulum, sequitur dicendum, idem
Capitulum esse Rectorem, ac Parochum principa-
lem Ecclesiæ S Luciæ, eamque esse unitam, incor-
poratam, & annexam vigore donationum Episcopa-
lium *ab Anno* 964. citrà pluries sibi factarum cum
omnibus bonis, & pertinentiis ejus; quandoquidem
32 ille est verus Rector Ecclesiæ Parochialis, qui habet
jus exigendi Decimas ejusdem Ecclesiæ. Card de
Luca *in tract. de Parochis disc.* 11. *num.* 3. & latè de-
monstrat, ac tenet Rota apud Murgam *eod tract.
de Paroch. Decis* 7 *Decis.* 8. *Decis.* 9 *Decis.* 13. *&
Decis.* 17. ubi aliæ Decisiones, & Doctores plurimi
allegantur.

Decimo tertiò influit in hanc eandem Unionis,
& Mensalitatis Capitularis de Ecclesia S Luciæ pro-
bationem, denominatio Sacerdotum ad ejus curam
exercendam deputatorum; qui omnibus transactis
temporibus vocati semper fuerunt *Portionarii S. Lu-
ciæ;* quo vocabulo etiam Curia Episcopalis illos ap-
pellavit in edictis concursuum pro dispositione, &
33 provisione ejusdem Parochialis. Hæc vox *Portiona-
rius* significat Vicarium, Ministrum, & personam
inservientem nomine, & loco Rectoris principalis,
ut observat Vitalin. *in Clem. Unica. num.* 22. *&* 23. *De
Offic. Vicar.* & deducitur hoc vocabulum à portione
fructuum, quam Rector principalis assignat eidem
Sacerdoti, tanquam suo Vicario, ac Ministro, cu-
ram animarum exercenti; reliquis fructibus sibi re-
tentis, ut legitur *in cap.* 3. *De Offic. Vicar.* Igitur cum
ipsi duo Parochi S Luciæ semper fuerint appellati
Portionarii illius Ecclesiæ, ex hac appellatione con-
gruenter deducitur, eos esse Vicarios, Ministros,
ac inservientes vice, & nomine Reverendissimi Ca-
pituli, in quo cura residet habitualis illius Ecclesiæ
S. Luciæ; & à quo tanquam principali, & proprio
Rectore fuerunt assignatæ antiquitùs certæ portiones
fructuum iisdem duobus Presbyteris curam anima-
rum exercentibus pro eorum sustentatione; ut con-
siderat etiam Rota *part.* 18 *recent. Decis.* 81. *num* 9.

Decimo quarto non parvam probationem ejusdem
Unionis faciunt Verba definitivæ Sententiæ latæ
per Cardinalem Valerium Episcopum Veronen. &
Visitatorem Apostolicum *d. Anno* 1583 in actu Vi-
34 sitationis Ecclesiæ Cathedralis Paduæ super discor-
dia tunc vertente inter Capitulum ejusdem Cathe-
dralis ex una, & Episcopum Paduanum (qui tunc
erat Federicus Cornelius) ex altera, super Jure Con-
ferendi tùm omnia beneficia intra eandem Cathedra-
lem Ecclesiam existentia; tùm Parochiales expres-
sas in donationibus Episcopalibus antiquis, supra *num.*
10. *& num.* 13 relatis, nam his præcisis verbis ipse
35 sententiavit, videlicet *Canonicos Ecclesiæ Patavinæ
antedictæ habuisse, & habere legitimum Jus, & ad
eos, & eorum Capitulum possessionem, vel quasi cano-
nicè spectare, & pertinere in collatione, institutione,
& confirmatione, visitatione, & dispositione Dignita-
tum, Personatuum, Canonicatuum, Parochialium Ec-
clesiarum, & Curatarum Mansionariarum, &c tàm
in Cathedrali, quàm extra; quæ omnia inferiùs de-
scribi, & annotari mandavit.* Postea describendo Pa-
rochiales Ecclesias spectantes ad dispositionem ejus-
dem Capituli, in primo loco ponit Ecclesiam S. Lu-
36 ciæ de Padua. Circa prædicta Sententiæ verba tria
sunt notanda. *Unum* est, quod in illis vocibus *(col-
latione, & institutione)* de Jure continetur etiam
nominatio, & præsentatio, ut docent Canonistæ,
quos allegat Barbosa *de Appellativis Verbis Verb.
Collatio.* & admittit Rota *part* 15. *recent. Decis* 49.
num. 27. *&* 28 & *part.* 18. *recent. Decis* 163. *num* 9.
adeòut cum dixerit Visitator Apostolicus Capitulum
Paduanum habere Jus & possessionem in collatio-
ne, & institutione illorum beneficiorum etiam Paro-
chialium, intellexit simul, ipsum Capitulum habere
nominationem, & præsentationem ad illa. *Alterum*
est, quod ipse Visitator etiam usus est verbo dispo-

Digitized by Google

-sitionis, ibi *Institutione*, *& Confirmatione*, *Visitatione*, *& Dispositione Dignitatum*, *&c. Parochialium Ec-*
37 *clesiarum*, *&c.* Verbum autem *disponere* significat plenam, ac propriam facultatem providendi aliquem de beneficio vacante, absque ulla limitatione. *cap. Licet* 2. *de Præbend. in 6.* & est axioma legale, quod quilibet de re sua disponere potest. *l. Dudum. C. de Contrah. Empt. l. In re mandata. C. Mandati.* Igitur ex illo verbo (*dispositione*) in Sententia Visitatoris posito constat, Ecclesiam S. Luciæ pleno Jure spectare ad Capitulum Paduanum; & de ea posse pro libito disponere, eligendo scilicet, nominando, & præsentando, pro exercenda Cura animarum in illa, quem voluerit absque necessitate concursus. *Tertium* est, quod ipse Visitator affirmat,
38 Capitulum esse in possessione liberæ electionis, nominationis, & dispositionis Ecclesiæ S. Luciæ, & aliarum Parochialium; de qua possessione sibi constitit per dispositionem factam ab eodem Capitulo absque concursu etiam post Concilium Tridentinum de Parochiali Roncaleæ *Anno* 1565. de Parochiali Spasani *Anno* 1571. de Parochiali Camini *Anno* 1573. & de Parochiali ipsius S. Luciæ *Anno* 1574. quæ omnes provisiones, & dispositiones de prædictis Parochialibus per Capitulum sine concursu factæ in iisdem Annis fuerunt præsentatæ in Actis Visitationis Apostolicæ antedictæ. Cum itaque Visitator sententiaverit, Capitulum habere Jus, & possessionem liberè disponendi de Parochialibus, prout fecisse sibi constiterat, sequitur, judicatum esse, eas esse unitas, & de mensa Capituli, & ideò providendas fore sine concursu.

Neque quis dicat officere huic probationi, quod in provisionibus factis à Capitulo post Tridentini Concilii publicationem de iisdem Parochialibus, in antedictis annis, Parochi provisi fuerunt examinati, & approbati in Curia Episcopali ab Examinatoribus Synodalibus ante eorum electionem; nam respondetur, quod in provisis cum sit necessarium examen,
39 nihil præjudicat liberæ provisioni Capituli, si ab eo electi examinentur ante, vel post electionem, ac provisionem, ut benè notat Cardin. de Luca *in Annot. ad Concil. Trid. disc.* 32. *num.* 35. sicque restat inconcussa Sententia Visitatoris Apostolici determinans, potuisse, ac posse Capitulum liberè disponere de prædictis Parochialibus, eligendo ad illas tanquam sibi unitas Parochos absque concursu. Quod si quis iterùm obiiciat, à Visitatore non esse dictum, quod Capitulum possit providere de his Parochialibus sine concursu, imò ejus Vicarium in sua relatione circa statum horum beneficiorum dixisse in actis ipsius Visitationis, Parochiales esse conferendas prævio concursu; hoc objectum elidetur, & evacuabitur infra *num.* 60. *& seqq.*

Decimò quinto, ultra supradictas omnes Unionis probationes, signa, & argumenta, concurrit exemplum consimilium donationum Ecclesiarum Parochialium, quas antiquitùs fecerunt Episcopi Patavini tùm Monachis S. Justinæ de Padua, tùm Moniali-
40 bus S. Petri, & S. Stephani; à quibus omnibus Parochi absque concursu eliguntur, nominantur, & præsentantur, vigore Unionis, ac mensalitatis resultantis ex iisdem donationibus consimilibus illis, quæ factæ fuerunt Capitulo Paduano. Notorium est hic Patavii, quod Monachi S. Justinæ eligunt absque concursu Parochos S. Danielis, & Villæ Maseratæ; Moniales verò S. Petri nominant, & præsentant absque concursu Parochos S. Petri, S. Nicolai, & Villæ Vultæ Bruseganæ; prout etiam Moniales S. Stephani eligunt, & instituunt absque concursu Parochos S. Laurentii. Quamvis igitur asserant DD.
41 quod non sit judicandum exemplis. *l. Nemo. C. De Sentent. & Interlocut. omn. Judic.* nihilominùs quando exempla in omnibus, & per omnia sunt similia; ut in casu isto, idem judicium est ferendum. Menochius *de Præsumpt. lib.* 1. *q.* 1. *num.* 16. idem Menoch. *cons.* 1031. *num.* 7. Gratian. *discept. for. cap.* 544. *num.* 33. *&* 35. Et equidem si ob donationes ipsorum Monachorum, & Monialium in acerbissimis discordiis per Episcopos Paduanos post publicatum Tridentinum Concilium eis illatis, volentes ponere ad concursum antedictas eorum Parochiales, judicatum fuit non esse opus concursu, sed Parochos esse admittendos ad simplicem, & liberam nominationem, ac præsentationem ipsorum Monachorum, & Monialium respectivè; eò quia earum donationes habent vim Unionis, annexionis, & eorum Monasteriis incorporationis; cur non est idem dicendum, judicandum, & sententiandum pro Reverendissimo Capitulo Canonicorum, quorum donationes hujus Parochialis S. Luciæ, & aliarum, sunt in omnibus, & per omnia similes donationibus, prædictis Monachis, & Monialibus per eosdem Paduanos Episcopos elargitis, & ferè iisdem Verbis conceptæ? In consimilibus judiciis, & sententiis esse iisdem deferendum tenuit, & dixit etiam Rota *part.* 19. *recent. Decis.* 58. *num.* 15. & ex his omnibus concludendum venit, per donationem Ecclesiæ S. Luciæ cum omnibus bonis, & pertinentiis ejus factam Capitulo Paduano, constare manifestissimè eam esse pleno Jure unitam, & annexam eidem Capitulo; & subindè vigore Bullæ Pianæ 47. Incipien. *Ad exequendum.* eam esse providendam absque concursu; & Portionarios ad Curam animarum exercendam esse in ea ponendos ad liberam nominationem, & præsentationem ipsius Capituli.

His meis reflexionibus, & fundamentis Eminentissimo Cardinali Barbadico Episcopo exhibitis, & per Eminentiam suam in omnibus scientiis egregiè præditam consideratis, dixit, ea esse fortissima; at alii suæ Curiæ Ministri, opinantes hanc Ecclesiam S. Luciæ esse providendam per concursum, collegerunt objecta sequentia, quorum resolutionem à me idem Eminentissimus Præsul volebat attendere; ad quem effectum ea mihi consignavit, eaque consignata, ac diligenter perpensa, fuerunt per me, ut sequitur, elisa, & resoluta.

Primum objectum erat; quod ad probandam unionem beneficii necessarium est diploma, seu publicum Instrumentum, in quo habens auctoritatem uniendi expressè dicat, *unimus*, *annectimus*, *& incorpora-*
42 *mus*; ut docent Mascard. *de Probation. conclus.* 1418. *num.* 12. Menochius *lib.* 6. *Præsumpt.* 80. Barbosa *alleg.* 66. *num.* 49. Garzias *part.* 12 *cap* 2. *num.* 224. Rota coram Emin. Othobono *decis.* 179. & ibi aliæ Decisiones; novissimè Jordanus *lib.* 10. *tit.* 32. *num.* 102. Respondi, frivolum esse hoc objectum, quia Rota, & DD. allegati in eo, & alii omnes dicunt, Unionem esse concludenter probandam; & inter cætera probationum genera præcipuum esse diploma, seu Instrumentum publicum, in quo enuncietur, beneficium esse unitum. At nullus Doctor, nullus liber reperitur, qui asserat, Unionem probari non posse, nisi cum dicto diplomate, aut publico Instrumento; siquidem omnes docent, affirmant, & concedunt, quod Unio beneficii in antiquis probatur etiam præ-
43 sumptionibus, adminiculis, & conjecturis; & præcipuè donationibus de Ecclesia factis *cum Decimis*, *seu ejus bonis*, *& pertinentiis*; ut, pluribus DD. & Decisionibus Rotæ Romanæ allegatis, demonstrat Turricelles *in tract. de Unione cap.* 11. *num.* 38. Imò ipsamet Rota *part.* 1. *recent. decis.* 102. *num.* 2. loquitur his verbis: *Ecclesiam autem esse subjectam Monasterio, aut annexam; vel de Mensa, non est necesse probare per Instrumentum Unionis, vel annexionis; sed potest etiam probari per alia signa, & argumenta, ut fuit decisum in causa Pampilonen. de Stella* 14. *Decembris* 1598. *coram Illustrissimo Cardinali Seraphino.* quæ inter ejus Decisiones impressas est *Decis.* 1304. in qua fuit firmatum, quod donatio Ecclesiæ cum

ejus

Digitized by Google

ejus bonis facta Monasterio habebat vim Unionis. Et Rota *part. 2. recent. decis. 153. num. 1.* pariter repetit, non esse necessarium probare unionem beneficii per Instrumentum de ea loquens; sed posse etiam probari per alia signa, & argumenta. Ideò omninò cadit supradictum objectum; siquidem ex donationibus S. Luciæ factis Capitulo per Episcopos Patavinos *cum bonis, juribus, & pertinentiis suis*, deducitur concludens probatio Unionis, ut ex DD. & aliis Rotæ Decisionibus congestis per Turricell. *de Unione d. cap. 11. num. 70. & 72.*

Secundum objectum erat; quod donationes Ecclesiæ S. Luciæ factæ ab Episcopis Paduæ eorum Capitulo in sæculis X. XI. XII. & XIII. erant ipso Jure nullæ, irritæ, & invalidæ; quia interdictum fuit à Clemente Papa V. omnibus, & singulis Episcopis donare Ecclesias, aut bona Episcopalia Capitulis suis, ut
44 legitur in *Clem. Si una. §. Quod si Episcopus. De Reb. Eccl. non alien.* Respondi, hoc objectum esse satis frigidum; quia prædicta Clementina publicata fuit in Sæculo XIV. & est posterior iisdem donationibus S. Luciæ; siquidem Clemens V. electus fuit Pontifex *Anno* 1305. & dictam prohibitionem edidit in Concilio generali Viennensi *Anno* 1311. ut ex Annalibus Ecclesiasticis. Porrò neminem, etsi mediocriter in scientia legali instructum, latet, quod lex non retrotrahitur ad præterita, sed operatur tantum de futu-
45 ro; ut docent innumeri propemodùm DD. quos refert Barbosa *Axiom. 136. num. 22. & seqq.* cum quibus novissimè concordat Pignatellus egregius Jurisconsultus Romanus *tom. 6. Consult. 55. num 4.*

Tertium objectum impugnabat Apostolicas Confirmationes, de quibus supra *num.* 13. dicens, eas nullius valoris esse tanquam factas in forma communi, ad partis supplicationem, & juxta ejus narrativam. *cap. 2.* & ibi Gonzalez *De Confirm. utili, vel inutili.* Mascard *conclus. 1411. n. 1. & 11.* Respondi, quod attentâ speciali narrativâ non solùm Ecclesiarum, sed etiam
46 bonorum, quæ ab Episcopis fuerunt donata Capitulo Paduano, Confirmationes ipsæ dicuntur factæ ex certa scientia Papæ, ut ex Pontano *cons.* 388. *num.* 8. concludit Rota *part. 19. recent. decis. 132. num 25.* & habent magnam vim in probanda unione, ut tenuit Rota *part. 4. recent. decis. 37. num. 6. tom. 1.* cujus hæc sunt verba: *Concurrit cum omnibus supradictis receptio facta ab Honorio sub sua, & Sedis Apostolicæ protectione de Præpositura Lilletti cum omnibus bonis suis, quæ tunc possidebat, & in specie cum Ecclesia de Offeja; & hæc enunciativa, junctis aliis supradictis antiquissimis, multum facit in probanda unione.*

Quartum objectum erat, quod in donationibus Episcopalibus antiquioribus Parochialis Ecclesia S. Luciæ vocatur *Oratorium*, & *Capella*; ex quibus vocabulis videtur dicendum, tunc eam non fuisse Parochialem; sed posterioribus temporibus in ea collocatam fuisse ab Episcopis curam animarum; quæ propterea dici non potest residere habitualiter in Capitulo DD. Canonicorum, cum nunquam eam habuerint? Respondi, quod antiquitùs Ecclesiæ etsi Parochiales, quæ non erant Matrices, sed filiales, aut annexæ alicui Capitulo, seu Monasterio vocabantur
47 Oratoria, & Capellæ, ut docent Mandosius *ad Regul. Cancell. 33. quæst. 17. num. 8. & 9.* Calcaneus *cons. 31.* & scribit Jo. Andreas *in cap. Unico. num. 2. de Consecrat. Eccl. vel Altar. in 6.* & habetur exemplum *in cap. ult. de Eccles. Ædific.* in quo Cælestinus Papa III. loquens de quadam Parochiali Ecclesia noviter erecta pro commoditate populi, qui nimis distabat ab Ecclesia Matrice, vocat eam his vocibus *Oratorii, & Capellæ*. Ergo etiam Ecclesiæ S. Luciæ Annis 964. & 970. vocata fuit Oratorium, & Capella, etsi esset Parochialis, & Curata, quia respectu Ecclesiæ Cathedralis Paduæ, quæ Matrix est, & prior aliarum omnium, censebatur filialis, & inferior, ut benè explicat etiam Gonzalez *ad Reg. 8. Cancell. gloss. 5. num. 62.* ita dicens: *Addo, quod dicitur Capella quælibet Ecclesia etiam Parochialis de per se consistens, dummodo non fuerit collegiata. Abbas per illum text. in cap. Nobis de Jurepatron. sub num. 3. notabili 2. & in cap. Exposuisti num. 6. de Præbend.* Et subdit, quod omnes DD. in Rubrica *De Capellis Monachorum*, interpretantur eam, & totum illum titulum *De Ecclesiis Monachorum etiam Parochialibus*. Igitur, quando Episcopi Paduani donarunt Ecclesiam S. Luciæ *Annis* 964 & 970. Capitulo DD. Canonicorum, illa erat Parochialis, & ita per dictam donationem factam cum omnibus bonis, & pertinentiis ejusdem, unita, & annexa fuit cura animarum Mensæ ipsius Capituli, à quo statim cæperunt deputari duo Sacerdotes pro exercitio Curæ animarum in eadem Ecclesia S. Luciæ, vocando eos Portionarios ob portionem fructuum, & bonorum ipsis factam ad propriam sustentationem. Quod autem antiquis illis temporibus Ecclesia S. Luciæ esset Paro-
48 chialis deprehenditur etiam ex Scripturis Congregationis Parochorum Paduæ; qui *Anno* 1172 obtinuerunt ab Alexandro Papa III. confirmationem Decimarum, & Quartesiorum sibi per Episcopos Paduanos donatorum; & in eadem Congregatione erant aggregati prædicti duo Portionarii Parochi S. Luciæ; & ex his omnibus plenè constat, antedictam Animarum Curam Ecclesiæ S. Luciæ habitualiter stare in Capitulo DD. Canonicorum, à quibus sunt eligendi, nominandi, & præsentandi antedicti duo Parochi Portionarii absque concursu juxta Bullam 47. B. Pii Quinti.

Quintum objectum fundabatur in eo, quod duo Parochi S. Luciæ non recipiunt congruam portionem pro eorum sustentatione à Capitulo, sed habent propria bona, quæ de per se, & independenter à Capitulo annuatim colligunt, ut constat ex eorum pu-
49 blicis æstimis, & solvunt onera tàm publica, quàm privata iisdem bonis incumbentia; ex qua omnium bonorum assignatione præsumitur tota Cura actualis, & habitualis esse in ipsis Parochis; & sic cessare unionem ex traditis per Turricell *de Unione cap. 4. num. 42* ubi Decisiones Rotales plurimæ. Respondi, non esse novum, quod firma remanente Unione, & retenta Cura habituali in Capitulo, fuerint antiquitùs per ipsum assignata bona Portionariis S. Luciæ exercentibus Curam Animarum pro sua susten-
50 tatione; ut benè admittit Rota *part. 4. recent. decis. 37. num. 10 tom. 1.* & *ead. part. 4. tom. 3. decis. 580. num. 7.* & docet Glossa *in cap. Avaritiæ in Verb. redditus. & in cap. De Monachis. in fin. de Præbendis.* & Loterius *lib. 2. q. 31. num 24.* Non desunt exempla hic Patavii consimilia; nam Parochi S. Laurentii habent sua bona propria, & tamen Ecclesia est de Mensa Monialium S. Stephani; item Parochus S. Nicolai, cujus Ecclesia est unita, & de Mensa Monialium S. Petri; similiter Parochi S. Danielis, & Villæ Maseratæ, quorum Ecclesiæ sunt de Mensa
51 Monasterii S. Justinæ; & aliæ plures; quæ antiquitùs donatæ fuerunt iisdem Monasteriis per Episcopos Paduanos. Nec obscura est ratio hujus assignationis; quia cum finis, & intentio Episcoporum fuerit per donationes illarum Ecclesiarum, quæ plurima habebant bona, & divitias, benefacere, & ditare Mensas Monasteriorum utriusque sexus, nec non Capituli DD. Canonicorum; ab his omnibus pro minori molestia, & pro faciliori sustentatione Parochorum exercentium Curam Animarum, tanquam suis Ministri, & Vicariis assignatæ fuerunt certæ portiones bonorum stabilium, quas usque in præsentem diem retinent; reliqua autem bona, quæ erant multa, conservata sunt in propriis mensis; simul cum Cura habituali earundem Parochialium, & cum jure, ac facultate nominandi, & præsentandi ipsos Parochos; qui propterea etiam nunc nominantur; & præsentantur

Digitized by Google

tantur absque concursu; vigore sæpiùs repetitæ antiquæ Unionis, nunquam extinctæ, vel dissolutæ; sed custoditæ, & illesæ conservatæ. Rota *part.* 5. *recent. decis.* 441. *num.* 10. *& part.* 9. *decis.* 330. *num.* 20. nec non *part.* 10. *decis.* 334. *num.* 9. *& part.* 18. *decis.* 81. *num.* 11. *&* 12. in quibus omnibus decisum fuit pro unione; & pro præsentatione Parochorum sine concursu, quamvis ipsi non recipiant congruam portionem à Capitulo, vel Monasterio; sed habeant bona stabilia per illa antiquitùs assignata; nam talis assignatio in nihilo derogavit prædictæ Unioni.

Sextum objectum fundabatur à ministris Curiæ Episcopalis in statu collativo ipsius Parochialis S. Luciæ, quia in ejus vacationibus ante Concilium Tridentinum Canonici Cathedralis Ecclesiæ providentes de novis Parochis, & eos instituentes in eadem Parochiali vacante S. Luciæ dicebant in suis Bullis, seu Litteris patentibus, quod eandem Parochialem illis
52 conferebant: certum est autem in Jure, quod beneficia unita nunquam vacant; & quod status collativus repugnat Unioni, & est incompatibilis cum illa. *cap. Cum accessissent. de Constit.* Federic. *cons.* 187. *& cons.* 200. Aretin. *cons.* 63. & alii, quos citat, & sequitur Rota coram Ludovisio *decis.* 77. *num* 2. Respondi hoc objectum, (aliàs commune his, qui impugnant Uniones,) tolli, & evacuari à Canonistis, & ab ipsa Rota, advertendo, quod verbum collatio sumptum lato modo significat nominationem, & præsentationem ad beneficium; & ita intelligitur,
53 quando confertur beneficium unitum. Mandosius *ad Reg.* 32. *Cancell. q.* 4. *num.* 2. Vivianus *de Jurepatron. lib.* 5. *cap.* 1. *num.* 96. Gonzalez *ad Reg.* 9. *Gloss.* 16. *num.* 9. & alii plurimi, quos congerit Barbosa *de Appellat. Verbis in Verb. Collatio Apell.* 54. Similiter beneficia unita impropriè dicuntur vacare per mortem Vicarii præcipuè perpetui, quia licèt non
54 vacent de Jure, tamen vacant de facto, cum in locum defuncti sit deputandus novus Vicarius ad exercendam animarum curam, ut docent Glossa in *Clem. Unica §. Præmissa. Verb. revocari. De Supplend. neglig. Prælat.* Idem Gonzalez *gloss.* 15. *§.* 2. *num.* 24. Pyrrhus Corradus *de Benefic. lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 33. & Turricell. *de Unione d. cap.* 4. *num.* 56. *&* 57. Idcircò etsi legantur in Bullis Capitularibus Parochorum S. Luciæ hæc vocabula *Conferimus &c. stante vacatione &c.* per ea non potest argumentari contra existentiam Unionis, & Mensalitatis ejusdem Parochialis S. Luciæ, quia significant nominationem, & deputationem novi Vicarii in loco prædecessoris defuncti; salvâ semper, & firmâ consistente ipsâ Unione, ut pluries respondit ipsa Rota, nempè *part.* 1. *recent. decis.* 626. *part.* 2. *recent. decis.* 25. *part.* 10. *decis.* 152. *num.* 14. 15. *&* 16. ac *part.* 11. *decis.* 305. *n.* 33. prout etiam coram Bichio inter ejus impressas *decis.* 336. *num.* 16.

Septimum objectum præcedenti inhærens asserebat augeri statum collativum destruens Unionem Ecclesiæ S. Luciæ ex collationibus Apostolicis de eadem, ac de aliis in donationibus Capituli existentibus factis, tàm ante, quàm post Concilium Tridentinum; quarum exempla plura reperiebantur in libris Cancellariæ Episcopalis. Sed etiam hoc objectum non subsistere dixi ex communi Canonistarum doctrina,
55 quod collationes Apostolicæ non mutant statum beneficii; ea ratione quia, cum Papa admittendo resignationes in favorem non sit informatus de ejusdem beneficii statu, non intendit illum mutare; sed pro ea vice ex suprema sua auctoritate beneficium conferre; imò in Litteris Apostolicis inserit clausulam, quod per talem collationem nulli generetur præjudicium. Idcircò Uniones prædictorum beneficiorum quamvis pluries per Papam collatorum non infringi, sed firmas, & stabiles durare; neque eis esse derogatum demonstrat Loterius *lib.* 1. *q.* 34. *num.* 64. & Emin. Cardin. de Luca *in tractat. de Benef-icii disc.* 27. *num.* 17. & tenuit Rota *part.* 9. *recent. decis.* 330. *num.* 31. *& decis.* 152. *num.* 13. ubi aliæ allegantur.

Octavum objectum erat, quod si Ecclesia Parochialis S. Luciæ esset unita Capitulo DD. Canonicorum, illius Parochi non vocarentur Rectores, sed Vicarii. At respondi, centies respondisse ipsam Ro-
56 tam ex Canonistarum doctrina, quod hæc nomina Parochus, Rector, & Vicarius beneficii sunt Synonima, & unum pro altero ex communi usu loquendi sumitur sine præjudicio unionis; ut videre est apud Merlin. *decis.* 95. *num.* 4. *& decis.* 625. *num.* 3. apud Bichium *decis.* 336. *num.* 15. & apud Priolum *decis.* 252. *num.* 2. prout etiam *in recent. part.* 1. *decis.* 102. *num.* 1. *part.* 2. *decis.* 204. *num.* 6. *part.* 4. *decis.* 37. *num* 9. *& decis.* 580. *num.* 4. *part.* 6. *decis.* 16. *num.* 4. *& part.* 8. *decis.* 184. *num.* 5. & equidem Patavii Parochiales Ecclesiæ Sancti Petri, Sancti Georgii, Sancti Matthæi, Sancti Bartholomei sunt unitæ, ac de Mensa illorum Monasteriorum, à quibus sine concursu deputantur Sacerdotes eorum Vicarii pro exercitio curæ animarum; & tamen nullus eorum vocatur Vicarius, sed Parochus, & Rector.

Nonum objectum, quod à Ministris Curiæ forte vocabatur, considerabat Concursus factos ab Episcopis Paduæ in provisione prædictæ Ecclesiæ S. Luciæ toto hoc sæculo decimosexto, videntibus, & non reclamantibus Canonicis, imò iisdem conferentibus ipsam Ecclesiam prælecto per Episcopum; hi autem
57 concursus excludunt unionem; & faciunt statum collativum, ac ponunt Episcopum in possessione, vel quasi illos continuandi, & judicandi Ecclesiam non esse unitam ex traditis per Garziam *de Benefic part.* 9. *cap.* 2. *num.* 289. & per Rotam coram Cavalerio *decis.* 595. *num.* 4. *&* 5. nec non coram Othobono *decis.* 179. *num.* 5. *&* 6. ubi aliæ Decisiones adducuntur. Dixi, non esse opus, ut ego responderem huic objecto, sed ut adducerem responsa Loterii, Turricellii, & Emin. Cardinalis de Luca Principum in his materiis beneficialibus, qui ejusdem objecti fortitudinem conterunt auctoritate ipsius Rotæ Romanæ. Loterius *lib.* 2. *quæst.* 31. *num.* 25. ita respondet: *Neque hoc casu suffragaretur Episcopo ulla quasi possessio faciendi*
58 *concursum, quia cum præcitata Constitutio B. Pii V. det formam in providendis Vicariis hujusmodi, per viam legis generalis, cum clausula Sublata, & Decreto irritanti, talis quasi possessio remanet infecta, neque ullius est considerationis, ut in propriis his terminis respondit* Rota *decis.* 710. *num.* 6 *part.* 2. *recent.* & coram Buratto *decis.* 214. *& plenius excusso articulo* coram Merlino *decis.* 106. *ubi dictum fuit, nihil hoc casu referre consensum ejus, cui unio est facta; quia cum sit in illius facultate hoc etiam permittendi, intrat doctrina Bartoli in l. Quominùs. n* 27. *ff. de Fluminib. ne per actum facultativum, etiam ad mille annos, censeatur quis aliquid de jure suo remittere, quod alteri quæratur.* Hæc Loterius allegans alios DD. ita docentes, & subdens, nihil prodesse Episcopo concursus factos, etiamsi rejecisset præsentationem, & nominationem Capituli. Turricellius autem *in tract. de Unione cap* 4. *sub num.* 56. sic eidem objecto respondet: *Supposita Unione accessoriè facta, collationes per concursum factæ ad nominationem Capituli, seu Dignitatis, cui facta est Unio, non possunt turbare statum beneficii, aut præjudicare juri quæsito Capitulo, aut Dignitati, & Successoribus in ea; quominùs in futurum possint unicum nominare, cui absque concursu, & cum solo examine collatio fieri debeat; cum tales concursus per errorem facti præsumi possint, & obest Constitutio sanctæ mem. B. Pii V. efficacissimis clausulis, & decreto irritanti munita, quod inficit omnem titulum, & possessionem in contrarium adductam.* Cavaler. *decis.* 595. *n.* 5. *& decis.* 599. *in fin. & Recent. part* 4. *tom.* 3. *decis.* 580. *num.* 24. *& seqq. & part.* 5. *tom.* 2. *decis.* 443. *num.* 5. *&* 10. *& part.* 9. *decis.* 330. *num.* 27. *& seqq.*

Digitized by Google

seqq. & part. 11. *decis.* 305. *num.* 30. & 31. Hæc omnia Turricellius. Concordat Emin. Card. de Luca *in tract. de Parochis disc.* 11. *ubi num.* 4. & 5. respondens consimili objecto ob concursus antea factos ab Episcopo de Ecclesia unita ita dicit: *Ad prædicta verò contraria fundamenta plures dabam responsiones, quarum una sufficiens videbatur: primò scilicet, quod illi concursus potuerunt esse actus facultativi, ac ad quandam voluntariam superabundantem satisfactionem, qui non inducunt statum, ut apud* Merlinum *d. decis.* 106. *num.* 8. & 9. & *d. decis.* 330. *num.* 29. *part.* 9. *recent. Secundò ob decretum irritans contentum in d. Const. B. Pii V. quod inficit quamcunque contrariam consuetudinem, vel possessionem, ac impedit, ne nascatur, ut in omnibus supra allegatis decisionibus, ita ut potiùs dicenda sit corruptela, & abusus.* Hæc Emin. Cardin. de Luca. En itaque elisum objectum, nam concursus facti de Ecclesia S. Luciæ tanquam infecti ex decreto irritanti Bullæ Pianæ, nihil præjudicant Reverendissimo Capitulo; & nullum jus, nullamque possessionem tribuunt Curiæ Episcopali.

Decimum objectum inculcabat, quod præfati Concursus facti fuerant in executione Visitationis Apostolicæ Cardinalis Valerii, de hac Cathedrali Ecclesia Patavina habitæ *Anno* 1583. in qua dictum fuit, Ecclesiam S. Luciæ, & Ecclesias aliarum Parochialium in Confirmationibus Apostolicis contentarum spectare quidem ad Collationem Capituli; sed in earum provisione servandam esse formam concursus præscriptam à Tridentino Concilio *sess.* 24. *de Ref. cap.* 18. Por-
59 rò Sententia Judicis facit jus inter partes. *l. Ingenuum. ff. de Statu homin. l. Res judicata. ff. de Reg. Jur.* Rota *part.* 6. *recent. decis.* 60. *num.* 4. & 5. Respondi, præfactam conditionem faciendi concursum insertam in Visitatione Valeria neque esse sententiam, neque positam à Visitatore, sed prolatam ab ejus Vicario ad referendum deputato; & ideò tanquam opinionem erroneam unius personæ particularis nullam inducere obligationem. Hic notare oportet, quod Visitator Apostolicus deputavit Vicarium suum ad videndas scripturas tùm Curiæ Episcopalis, tùm DD. Canonicorum, & Capituli concernentes statum beneficiorum Cathedralis Ecclesiæ Patavinæ, de quorum collatione discordia erat inter Episcopum, & Capitulum, & ad referendum. Vicarius visis scripturis retulit collationem, & dispositionem eorundem beneficiorum spectare ad Capitulum, addendo quod in provisione Ecclesiarum Parochialium ad ejus collationem, & provisionem spectantium servetur prædicta forma concursus. Visitator Valerius visa relatione, sententiavit, & declaravit collationem, institutionem, & provisionem Canonicatuum, aliorumque beneficiorum, ac etiam Parochialium pertinere ad ipsum Capitulum: at nihil dixit de servanda forma concursus, imò hanc conditionem, & formalitatem penitùs tacuit, & omisit. Sequitur ex hoc, mentem Visitatoris fuisse, quod non esset servanda forma concursus attentâ regulâ, *Quod de uno conceditur, de*
60 *alio denegatur.* Glossa *in cap. Nonnè.* 5. *Verb. tacendo in fin. de Præsumpt.* Barbosa. *Axiom.* 196. *num.* 20. Duo dixerat Vicarius in relatione; *Unum* quod Beneficia omnia, etiam Parochialia spectabant ad dispositionem Capituli. *Alterum* quod esset servanda forma concursus: Visitator primum in sua sententia dixit, & approbavit; secundum tacuit, & omisit. Ergo hoc secundum reprobavit; siquidem qui non ex-
61 primit, præsumitur non expressum minimè velle. *cap. Ad audientiam. De Decim. l.* 1. §. *Sin autem. C. de Caduc. tollen.* Card. Parisius *lib.* 4. *cons.* 8. *num.* 2. Potuit autem Visitator dictam formalitatem concursus tacendo omittere, & omittendo tacitè reprobare, tùm quia relatio Vicarii erat simplex consilium; Visitator autem, qui consilium requisiverat à suo Ministro, non erat obligatus illud sequi, & observare. Menochius
62 *de Arbitr. Jud. lib.* 1. *quæst.* 23. *num.* 5. Bordonus *de Legatis piis cap.* 15. *n.* 51. tùm etiam quia prædictum consilium circa dictam formalitatem concursus erat erroneum, & injustum, tanquam contrarium antedictæ Constitutioni B. Pii V. jubenti, Parochiales unitas, annexas, vel de Mensa Capitulorum, Monasteriorum, & aliarum Dignitatum, qualis est ista S. Luciæ, provideri ad nominationem, & præsentationem eorundem Monasteriorum, Capitulorum, & Digni-
63 tatum absque concursu. Ideò ipsum Consilium fuit, & erat ipso jure nullum. *l.* 2. *C. Quando provoc. non est necess.* Loterius *in Apparatu num.* 82. & ideò non sequendum, imò spernendum. Card. Seraphin. *decis.* 251. & Card. Othobon. *decis.* 161. *in princ.* Erravit autem Vicarius Visitatoris, quia non vidit donationes S. Luciæ, & aliarum Ecclesiarum, de quibus supra; neque actus dominii, & Jurisdictionis exercitos per Capitulum in eis, & earum bonis.

Undecimum Objectum insistebat in Præscriptione centenaria, quam habere prætendit Curia Episcopalis Paduæ ponendi ad concursum hanc Parochialem Ecclesiam S. Luciæ, ostendens primum concursum de ea factum post Visitationem Apostolicam Valeriam *de Ann.* 1591. Qua stante, inferebant Ministri ejusdem Curiæ, non
64 esse locum Constitutioni B. Pii V. cui derogari potuit per dictam Centenariam. Rota coram Merlino *decis.* 593. *à num.* 26. & *seqq.* novissimè eadem Rota *part.* 19. *recent. decis.* 493. *à num.* 3. & *seqq.* ubi quod eam habens pro se potest allegare omnem titulum meliorem de mundo, privilegium Apostolicum, & quidquid est necessarium pro conservando Jure per centenariam Præscriptionem acquisito; ut ex pluribus decisionibus Rotalibus *ibid. num.* 4. & 5. allegatis. Respondi, Primò doctrinas prædictas de centenaria Præscriptione procedere, quando non constat de illius initio; sed in præsenti casu S. Luciæ habemus initium concursuum
65 de Anno 1591. cumque tale initium processerit ex errore ob relationem Vicarii Visitatoris Valerii, de quo supra, cessat prædictæ centenariæ effectus. Loter. *lib.* 1. *q.* 34. *num.* 35. & *seqq.* Emin. Card. de Luca *de Benefic. disc.* 37. *num.* 38. nec non de Parochis *disc.* 8. *num.* 9. & *disc.* 10. *num.* 3. Secundò, opus esse, quod Curia Episcopalis probet, Capitulum scivisse Ecclesiam Sanctæ Luciæ fuisse sibi unitam, & in præjudicium Unionis permisisse concursus fieri; prout etiam, quod Episcopi certam notitiam habuerint ejusdem Unionis, & voluerint eam destruere. Garzias *de Benefic. part.* 5. *cap.* 5. *num.* 113. Rota *part.* 9. *recent. decis.* 245. *n.* 37 Loterius *d. q.* 34. *n.* 53. Bichius *decis.* 118. *n.* 17. Utrumque requisitum deficit, quia cum Capitulum de præsenti tantùm repererit donationes antiquas hujus Sanctæ Luciæ, & aliarum Parochialium, nec ab ipso, nec ab Episcopis haberi potuit scientia Unionis, & voluntas illam destruendi. Imò ex contradictione ad concursus pro Mansionariis Curatis, de Mensa pariter hujus Capituli, ab eo factâ *Anno* 1600. arguitur quod si scivisset, Ecclesiam S. Luciæ esse de eadem Mensa Capitulari, etiam ad ejus concursus contradixisset. Tertiò, non posse dici completam centenariam, etsi incipiat à primo concursu de Ecclesia Sanctæ Luciæ facto *d. Anno* 1591. quia detrahi debent anni, quibus utraque portio ejusdem Ecclesiæ S. Luciæ collata fuit à Summo Pontifice: nam collationes Apostolicæ, ut dictum est supra *num.* 55. non mutant præcedentem statum beneficii. Turricell. *d. cap.* 4. *num.* 56. Pignatell. *tom.* 9. *consult.* 77. *à num.* 19. & *seqq.* Rota apud Card. de Luca post tractatum de Beneficiis *in addit. decis.* 28. *num.* 16. & *decis.* 29. *num.* 12. Fuit autem collata per Papam prima Portio S. Luciæ *Annis* 1597. 1612. & 1640. & hi tres provisi Apostolici vixerunt per Annos 80. Secundam autem portionem Papa contulit *Annis* 1594. 1606. 1626. & 1631. & duraverunt provisi ab Apostolica Sede per Annos 41. Item detrahi debent ab ipsa centenaria anni vacationis
66 utriusque portionis S. Luciæ, & pestis, quæ grassata est Patavii *Annis* 1629. 1630. & 1631. ut benè advertit Gra-

rit Gratian. *Discept. Forens. cap.*403. *à n.*24. *& seqq.* adeòut factis his detractionibus, destructa omninò remanet asserta centenaria. Quartò respondi, elidi effectum ejusdem centenariæ ex titulo infecto, à quo ipsa initium sumpsit, nempè à supradicta erronea relatione de formalitate concursuum facta per Vicarium Visitatoris Apostolici Valerii; ex ea enim in errorem ducti sunt tàm Episcopi, quàm Canonici, cæptique fuerunt concursus *Anno* 1591. & cum tali errore usque ad Annum 1696. continuarunt; certum est autem in jure, & apud omnes DD. quod nihil valet præscri-
67 ptio non solùm centum, sed neque annorum mille, quando constat de titulo infecto, & erroneo, à quo traxit originem. Gonzalez *ad Reg.* 8. *Canc.gloss.*18. *n.*48. Parisius *de Confident. q.* 28. *n.* 240. Salgadus *de Protect. Regia part.*3. *cap.*10. *num.*85. Rota *part.*5. *recent. decis.*197. *num.*90. nec non *part.* 10. *decis.*336. *num.* 30. atque Emin. Card. de Luca *de Jurepatr. disc.*57. *n.*28.

Duodecimum Objectum suadebat esse insistendum per ipsam Curiam Episcopalem in judicio possessorio summariissimo faciendi concursum in provisione hujus Parochialis S. Luciæ; certa enim videbatur victoria in obtinenda manutentione, attenta diuturni-
68 tate temporis, quo fiunt prædicti concursus; ex traditis per Card. de Luca *de Beneficiis disc.*94. *num.*10. & *de Parochis disc.*9. *num.*3. *disc.*15. *num.* 7. *& disc.*36. *n.*2. *&* 5. Respondi; de hoc objecto separatim esse agendum, quia non caret sua difficultate; non enim datur manutentio in possessorio summariissimo, quando in continenti constat de bono jure partis adversæ, ut fatetur ipsemet Card. de Luca *eod. tract. de Paroch. disc.* 15. *num.*8. atque docent Loterius *lib.*2. *q.* 31. *num.*25. Gonzalez *gloss.*67. *n.*64. Menochius *de Retinen. possess. remed.*3. *num.*539. Barbosa *clausul.*40 *num* 30. & Postius *de Manutent. observ* 43 *num.*11. & apud eundem Rota *decis.* 186. *tom.*2. præter alias decisiones in terminis probationis Unionis pro exclusione Concursus, quæ habentur coram Merlino *decis.*106. *& decis.* 187. prout coram Cavalerio *decis.*595. *& decis.*599. nec non *part.*8. *recent. decis.* 184. *num.*9. Mens autem, & intentio Eminentissimi Cardinalis Barbadici Episcopi requirit discussionem hujus discordiæ circa merita causæ, & circa justitiam, & veritatem Unionis, ut dictum est in principio. De justitia autem, & veritate Unionis prædictæ concludenter constat ex quindecim fundamentis pro ipsa supra relatis; & ex resolutione horum omnium objectorum.

Tertiodecimum, & Ultimum objectum impetebat meipsum: nam alii Ministri Curiæ Episcopalis respondere nescientes meis argumentis probantibus Unionem Ecclesiæ S. Luciæ, & exclusionem concursus,
69 blaterantes dicebant, me ita scripsisse tanquam nimia propensione indulgentem DD. Canonicis, qui Vicario Generali Prædecessori meo odibiles, mihi eadem Dignitate condecorato statim facti erant benevoli. Ad hoc objectum respondi id, quod ait Probus in *Addition.* ad Jo. Monachum, *in cap. Nemo deinceps. n.* 75.
70 *de Elect. in* 6. videlicèt: *Amicus Plato, amicus Socrates, sed magis amica Veritas*; ideòque per me scripta circa dictam Unionem, esse scripta in sensu Veritatis, quæ super omnia est amanda, & sequenda. *l. Si ita Legatum. ff. De Condit. & Demonstr.* Parisius *de Confident. q.*69. *num.*13. subdens summâ cum reverentiâ Eminentissimo Antistiti, ac Hero meo, quod à me ejus Vicario colenda erat amicitia DD. Canonicorum ad tollenda publica scandala, aliàs exorta ex cordis duritie Prædecessoris mei, non sine nota eximiæ Pietatis Eminentiæ Suæ; & ad redimenda præjudicia, quæ toto illius regiminis tempore passa erat Episcopalis Jurisdictio ex discordiis cum Capitulo. Me obtestari ipsam Eminentiam Suam, num fortiter pugnaverim scribendo, & disputando contra DD. Canonicos, pro Juribus Episcopalibus tuendis, per triginta continuos annos, & ultrà, Patavii, Venetiis, & Romæ, ut notorium est unicuique? Quare manifesta est calumnia, quod ego sentiens pro Unione unius Parochialis, Datariæ, & Episcopatus interesse pessundem, ejusdem Unionis juridicas rationes demonstrans; sicuti injuriosum est Venerabili, & integerrimæ utriusque Justitiæ id asserere; quia si Veritas est basis, fundamentum, & mater justitiæ, ut in-
71 quit Baldus *cons.*343. *col. penult. lib.*1. ab omnibus grato animo est audienda, & amplexanda, juxta illud: *Diligite justitiam, qui judicatis terram. Sap. cap.*1. *Vers.*1. nam, ut notat Rubeus ad Rotam Romanam *part* 3. *rec. decis.*2. *num.*96. idcircò Evangeliorum liber Præsulibus osculandus adfertur, quum rei divinæ adstant, ut ex eo colendæ Veritatis meminerint se stu-
72 diosissimos esse debere. Cæterùm quoad mei ipsius fortunam, cui pariter me præjudicare vociferabantur, adjunxi, me multo ab hinc tempore legisse, didicisse, & cordi obsignâsse id, quod legitur *in cap. Nemo peritorum. in fin.*11. *q.*3. Et in omnem eventum paratum esse exequi consilium illud Ovid. *Trist.*3.

Usibus edocto, & si quidquam credis amico,
Vive tibi; & longè nomina magna fuge.

Post hæc scripta audivi, DD. Canonicos consuluisse insigne Collegium Illustrissimorum Advocatorum, & Judicum Civitatis Bononiæ super hac discordia Ecclesiæ S. Luciæ, & ab eodem datum esse Votum favorabile Unioni, & contrarium concursui. Quare illud huc annectere volui in obsequium, & reverentiam tantorum Virorum, eorumque præexcelsæ Legalis doctrinæ.

VOTUM
INSIGNIS COLLEGII
Illustrissimorum Advocatorum, ac Judicum
CIVITATIS BONONIÆ
IN CAUSA PADUANA S. LUCIÆ

Pro exclusione Concursus
Ad favorem

Illustrissimi, ac Reverendissimi Capituli Ecclesiæ Cathedralis Paduæ.

DISCORDIA XLIX.

ARGUMENTUM.

De eadem causa Unionis Parochialis Ecclesiæ S. Luciæ de Padua, factæ Reverendissimo Capitulo DD. Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis per antiquas donationes Episcoporum, agitur etiam in præsenti Voto. Ostenditur egregiis rationibus, auctoritatibus, & novissimis S. Rotæ Romanæ Decisionibus, quod Unio prædicta probata remanet conjecturis, & argumentis hîc relatis. Ed quod Præscriptio centenaria faciendi concursus, in provisione supradictæ Parochialis, in nihilo suffragatur Curiæ Episcopali pro continuandis concursibus, quia in nihilo derogavit Unioni, cum desint requisita de Jure necessaria pro vi, & effectu ipsius Centenariæ.

SUMMARIUM.

1 *Parochialis unitæ non fit concursus ordinatus à Trid.* sess. 24. cap. 18.
2 *Præscriptio centenaria faciendi concursus derogat Constit.* 47. *B. Pii V.*
3 *Parochialis Sanctæ Luciæ de Padua non est conferenda per concursum.*
4 *Eadem est unita Capitulo Paduano, & de ejus Mensa.*

5 *Dona-*

Digitized by Google

5 *Donatio d. Ecclesiæ Sanctæ Luciæ confirmata à pluribus Episcopis Paduæ.*
6 *Confirmationes Apostolicæ quando dicantur factæ ex certa scientia?*
7 Clem. Si una. De Reb. Eccl. non alien. *explicatio.*
8 *Unire, & donare Ecclesias antiquitùs non erat Episcopis prohibitum.*
9 *Lex superveniens non inficit actus antea legitimè factos.*
10 *Observantia circa Ecclesias donatas probat earum Unionem.*
11 *Ecclesiæ plures Paduæ per donationem Episcoporum unitæ Monasteriis.*
12 *Exempla declarativa, procedentia à consimili Jure, in judicando sunt attendenda.*
13 *Electiones Parochorum, diù factæ à Capitulo, probant Parochialis unionem.*
14 *Extremis probatis media præsumuntur.*
15 *Status beneficii antecedens talis præsumitur, qualis est subsequens.*
16 *Electionum ad Parochialem factarum, ante, vel post Conc. Trid. differentia.*
17 *Conjecturis Unio benè probatur.*
18 *Parochorum duorum deputatio in una Ecclesia est circumstantia pro Unione violentissima.*
19 *Parochi duo si sint in una Ecclesia nemini unita, cura habitualis dicitur residere penes Episcopum.*
20 *Populus si multiplicetur, non multiplicantur Parochi, sed Capellani.*
21 *Portionarii dicuntur, qui sunt Ministri, & Vicarii alterius.*
22 *Visitandi Jus indicat Superioritatem in Ecclesia visitata.*
23 *Altaria non construuntur intra fines Parochiæ sine Parochi licentia.*
24 *Licentia livellandi bona Ecclesiæ dari non potest, nisi ab habente Dominium ejusdem Ecclesiæ.*
25 *Decimas exigere, ac portiones fructuum Parochialis, est signum Unionis.*
26 *Unio an requirat, ut ille, cui fit, retineat majorem partem bonorum?*
27 *Confinis unus in antiquis sufficit pro toto corpore bonorum probando.*
28 *Unio probatur per Electiones Capitulares factas in Mensibus Apostolicis.*
29 *Reg. 9. Cancell. reservatoria Mensium quando incæperit?*
30 *Unionis conjecturæ unitim sunt considerandæ pro ejus probatione.*
31 *Unio subjectiva faciliùs probatur.*
32 *Præscriptio Quadragenaria quando probet Unionem beneficii?*
33 *Sententia non applicatur ad casum, de quo in ea non fuit disputatum.*
34 *Expressum quod non reperitur, præsumitur non concessum.*
35 *Const. 47. B. Pii V. tollitur per contrariam observantiam centenariam.*
36 *Præscriptioni centenariæ quæ tempora sint demenda?*
37 *Vacationis beneficii tempore non currit Præscriptio contra illud.*
38 *Oppositio in casu simili rumpit Præscriptionem in utroque casu.*
39 *Præscriptio centenaria semel interrupta ampliùs non potest allegari.*
40 *Ignorans jus suum non impeditur postquam illud sciverit, allegare.*
41 *Præscriptio centenaria de cujus initio constat, non habet vim centenariæ.*
42 *Præscriptio centenaria non intrat, ubi constat de antecedenti Statu beneficii.*
43 *Præscriptio centenaria ut operetur, duo requiruntur. Et quæ?*
44 *Voluntas destruendi Unionem per concursus requiritur ad præscribendum contra Unionem.*
45 *Unionis scientia probanda est in eo, contra quem præscribitur.*
46 *Voluntas non præjudicandi alicui præsumitur in Ordinariis.*
47 *Collationes per concursum quando non præjudicent Unioni?*
48 *Titulus infectus, à quo incipit Præscriptio Centenaria, debilitat omnem ejus effectum.*
49 *Procurator producens Jura præjudicialia suo Principali, eidem præjudicat.*
50 *Præscriptio centenaria quot modis possit impugnari?*

Paduana. Concursus Sanctæ Luciæ.

IN hac celebri causa prætensi concursus Parochialis Ecclesiæ S. Luciæ verten. inter Eminentissimum Episcopum Paduæ, & Reverendissimum Capitulum Cathedralis ejusdem Civitatis, seriò, prout par erat, examinato negotio, fuit compertum totam difficultatem restringi ad duo tantùm puncta.

Quorum Primum est, An constet de plena Unione dictæ Ecclesiæ prædicto Reverendissimo Capitulo, qua concurrente regulariter collatio non fit per
1 concursum ordinatum à Sacro Tridentino Concilio *sess.* 24. *cap.* 18. *de Ref.* Sed fit ad præsentationem Capituli, seu Corporis, cui fuit facta Unio, ut declarando d. S. Concilium expressè statuit S. M. B. Pius V. in ejus Constitutione 47. §. *Volumus*, Bullarii Novi *tom.* 2. cujus Constitutionem passim sequuntur DD. & Tribunalia, ut videre est penes Turricell. *de Unione cap.* 4. *num.* 53. *& seqq.* Barbos. *de Offic. Parochi cap.* 2. *num.* 19. Antonell. *de Regim. Eccl. lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 29. *&* 38. Garziam *de Benef. part.* 9. *cap.* 2. *num.* 193. Rotam coram Merlino *decis.* 115. *num.* 1. coram Priolo *decis.* 252. *num.* 12. coram Cavaler. *decis.* 419. *num.* 2. & 3. coram Othobono *decis.* 159. *num.* 2. *& seqq. decis.* 179. *num.* 4. inter rec. *decis.* 330. *part.* 9. *decis.* 48. *num.* 2. *part.* 19. *decis.* 150. *num.* 7. *part.* 17. *decis.* 516. *num.* 1. *part.* 18. Et in Gerunden. beneficii 10. *Febr.* 1696. §. *Neque obstare* coram R. P. D. Ansaldo; ac in Carpentoraten. Vicariæ 23. *Junii* 1696. *in princ.* coram B. M. Emerix. Et in Novarien. Parochialis 14. *Junii* 1696. §. *& Sanè*. coram R. P. D. Molines.

Secundum Punctum, ad quod restringitur difficultas est (quatenùs etiam constaret de plena Unione) Nùm per posteriores concursus centenariam attingentes, quos pro se prætendit habere d. Emin. Episcopus, intret Præsumptio derogativa, seu præscriptiva ejusdem Unionis? qua præsumptione militan-
2 te non ampliùs servatur dicta Constitutio B. Pii V. sed rursùs subintrat dispositio d. Sac. Concilii Tridentini mandantis Ecclesias Parochiales conferri per concursum, ut post alios adverterunt Turricell. *de Union. cap.* 11. *num.* 21. Rota coram Priolo *decis.* 377. *num.* 15. & in Alerien. Parochialis 16. *Maii* 1689. §. *Verum etsi hæc non sufficerent*, coram R. P. D. Manuel, In Barchinonen. Hebdomadariæ majoris de Todera 1. *Junii* 1696. §. *His autem præmissis* coram R. P. D. Molines, & in alia Barchinonen. Parochialis de Albiniana *eadem die prima Junii* 1696. §. *Convenerunt cum seq.* coram R. P. D. Muto. Et in Gerunden. Parochialis 4. *Junii* 1696. §. *non obstat*. coram bon. mem. Emerix confirmata 23. *Januarii* 1697. §. *Tùm etiam*. coram R. P. D. Muto, & in Illerden. Unionis 27. *Junii* 1696. §. *Ab hac autem probationis specie*; usque in finem coram R. P. D. Ursino; cum aliis cumulatis in Tarraconen. Parochialis, seu Vicariæ 2. *Maii* 1698. coram R. P. dall' Olmo, ubi firmatur Centenariam esse exceptam in dicta Bulla B. Pii V.

Assumpto igitur pro veritate stricto examine dd. duorum punctorum, seu dubiorum, nostrum Collegium post maturam discussionem, fuit in Voto con-
3 stare de Unione dictæ Ecclesiæ S. Luciæ favore Capituli, nec intrare in casu dictam præsumptionem derogativam Unioni; proindè consuit dictam Eccle-

Digitized by Google

siam S. Luciæ non esse conferendam per concursum, sed ad præsentationem dicti Reverendissimi Capituli juxta supra allegatam Constitutionem B. Pii V.

Quantum itaque attinet ad Unionem, fundamentum resolutionis fuit, quia de ea plenè constat mediantibus duabus donationibus dictæ Ecclesiæ factis Capitulo per Episcopos Idelbertum *Anno* 964. &
4 Gauslinum *Anno* 970. quæ cum non sint simplices, sed amplissimæ omnium bonorum, Decimarum, & pertinentiarum, & sint factæ non à personis habentibus jus limitatum; sed à prædictis Episcopis tunc temporis habentibus omne Jus in Ecclesiis eorum Diæcesis, non est dubium, quin importent Unionem subjectivam, & totalem dictæ Ecclesiæ eidem Capitulo, juxta magistralem distinctionem, de qua per Turricell. *de Union. cap.* 11. *num.* 28. *& 72.* Adden. ad Ludovis. *decis.* 77. *num.* 11. Rota coram Martino Andr. *decis.* 11 *num.* 1. coram Seraphino *decis.* 1304. *in princ.* coram Merlino *decis.* 625. *num.* 4. coram Dunozetto Juniori *decis.* 61. *num.* 1. *& seq.* & in rec. *decis.* 626. *num.* 1. *part.* 1. *decis.* 513. *num.* 1. *part.* 2. *decis.* 37. *num.* 1. *& seq. part.* 4 *tom.* 1. *decis.* 88. *num.* 7. *& seq. part.* 9. & novissimè in Nullius, seu Caliguritana Quartæ funeralis de Naxera 11. *Junii* 1692. §. *Quod autem in fine* coram bon. mem. Emerix.

Tantò magis pro plena Unione visæ sunt sufficere dictæ duæ donationes, quia non solùm fuerunt, ut
5 nobis supponitur expressè approbatæ ab Episcopis Successoribus, nempè à S. Bellino *de anno* 1130. ab Episcopo Gerardo *de anno* 1171. ab Episcopo Jordano *de anno* 1215. ab Episcopo Corrado *de anno* 1252. quæ Confirmationes Episcoporum. indè Successorum etiam cum donatione aliarum Ecclesiarum, ostendunt omnes agnovisse justas causas dd. donationum Ecclesiæ, de qua agitur factarum per prædictos Episcopos Idelbertum, & Gauslinum.

Sed quoque, quod plus est, ut in facto pariter supponitur, fuerunt approbatæ à Summis Pontificibus Calisto III. *de anno* 1123. ab Alexandro III. *in anno* 1172. ab Urbano III. *in anno* 1200. ab Honorio III. *in anno* 1226. ab Urbano IV. *in anno* 1263. faciendo specificam mentionem donationum factarum dictæ
6 Ecclesiæ S. Luciæ, stantibus quibus Confirmationibus cum specifica mentione dd. donationum, non licet dubitare, quin fuerint approbatæ cum præcisa scientia, ac in forma specifica, ut in terminis dixerunt Rota *decis.* 513. *num.* 6. *part.* 2. *rec.* coram Dunozet. *decis.* 61. *num.* 1. *cum seq.* & *decis.* 525. *num.* 4. & in fortioribus videndus Turricell. *de Unione. cap.* 11. *num.* 72. *Vers. Ampliatur secundo.*

Nec est momenti in contrarium allegata *Clement. Si una*. §. *Quid de Rebus Eccl. non alien.* prohibens Episcopis donare Mensæ suæ, vel Capitulo suæ Cathedralis, de qua Clementina latè Pignatell. *Consult.*
7 108. *tomo primo*. Quoniam præterquàm d. Clementina loquitur de Unionibus, & donationibus solorum Episcoporum, non confirmatis à Summis Pontifici-
bus, & sic ex hoc capite non adaptatur: Insuper videtur error allegatio dictæ Clementinæ, dum edita fuit tantùm sub Clemente V. in sæculo XIII. Nempè *de Anno* 1305. & sic per quatuor sæcula post factas dd. donationes regulatas antiquis Juribus. *cap. Decimas*. *Vers. Quod autem*. 16. *q.* 1. *& cap. Sicut unire. De Excessib. Prælat.* per quæ, & alia jura tunc temporis non controvertebatur, quin Episcopi possent
8 cum causa unire, & donare Ecclesias, ut videre est apud Gonzalez *ad d. cap. Sicut unire. De Excessib. Prælat.* Turricell. *de Unione cap.* 6. *num.* 3. Lotter. *de Re benef. lib.* 1. *q.* 28. *num.* 115. Seraphin. *decis.* 1078. *num.* 2. Peniam *decis.* 1379. *num.* 9. Celsum *decis.*
9 472. *num.* 2. Estque Regula generalis, ut lex superveniens non inficiet actus præcedentes, legitimè factos. Gratian. *Disceptat.* 465. *num.* 14. Royas *decis.* 137. *num.* 1. *cum seq.* Rota idem *decis.* 235. *num.* 7. *part.* 19. Eademque responsione tollitur, & aliud objectum desumptum à Concilio Trid. *Sess.* 24. *cap.* 15. præscribente modum, seu facultatem limitatam Episcopis circa Uniones; eoque clariùs quià in *Sess.* 7. *cap.* 6. præservat Unionis factas ante 40. annos, dum solùm mandat examinari eas, quæ sunt intra illud tempus, & sic nullo modo intentioni Capituli nocere potest.

Fortiùs urgent dd. donationes, dum ipsis accedunt tùm observantia generalis omnium aliarum Ec-
10 clesiarum donatarum per dd. Episcopos, tùm particularis donationum Ecclesiæ S. Luciæ, de qua agitur, tùm denique quia plures conjecturæ; & hæc omnia suadent, d. Ecclesiam S. Luciæ cum omnibus bonis plenè fuisse per easdem donationes translatam in Capitulum.

Observantia, inquam, generalis suadet, d. Ecclesiam per dd. donationes plenè unitam fuisse Capitulo, quia in Paduana Diæcesi apparet, consimiles
11 donationes Ecclesiarum Parochialium S. Danielis, S. Laurentii, S. Nicolai de Padua, S. Mariæ de Maserata, & alias plures cum iisdem verbis, clausulis, & facultatibus, quibus conceptæ fuerunt donationes S. Luciæ, factas fuisse Monasteriis S. Justinæ, S. Petri, & S. Stephani Patavii, & tales donationes aliàs fuisse consideratas tanquàm facientes plenam unionem, & excludentes concursum. Bartolom. Sylvatic. *consil.* 31. Undè cum non sit potior ratio de illis, quam de donationibus S. Luciæ; & valdè durum sit, ut minùs obtinere debeat Mensa Capitularis magis conjuncta Episcopo, & quasi de ejus corpore, quàm dd. Monasteria ab eo separata; hinc ista generalis observantia aliarum debet servire
12 etiam pro Reverendissimo Capitulo, cum exempla declarativa procedentia à consimili jure multùm in judicando attendantur. Barbos. *Tract. Var. Axiom.* 86. *num.* 3. Tuscus *litt. E. conclus.* 549 *per tot.* latè Gobb. *consult. decisiv.* 146. *num.* 21. *& seq.* Quidquid secùs sit, quando exempla in Jure non sint fundata, in quibus terminis procedit conclusio, ut exemplis non sit judicandum.

Suadet quoque observantia particularis, d. Ecclesiam per easdem donationes plenè unitam fuisse d. Capitulo, quia in sex sæculis post eas effluxis non solùm ullatenùs constat, Episcopum elegisse aliquem Parochum d. Ecclesiæ; sed quod plus est, in annis 1397. 1417. 1426. 1491. 1493. 1574. 1591. constat
13 Portionarios electos fuisse à Capitulo. Profectò istæ electiones Capituli per tot sæcula ostendunt statum legitimè impressum pro Unione. Manzaned. *decis.* 41. *num.* 23. Coccin. *decis.* 2316. *num.* 3. Othobon. *decis.* 123. *num.* 3. *& 7.* ac Rota in Marsicana, seu nullius beneficii 7. *Junii* 1686. §. *Junctis præsertim.* coram R. P. D. Hervavult; & in Firmana Jurisdictionis 14. *Maii* 1688. §. *Ita etiam* coram Rondanino, Et operantur, ut non solùm intermediæ ele-
14 ctiones, quæ non reperiuntur, præsumi debeant per Regulam, quod probatis extremis media præsumuntur, quam Regulam in proposito adducit Turricell. *de Unione cap.* 11. *num.* 17. *Vers. Quod procedit*. Burat. *decis.* 172. *num.* 10. ubi Add. *num.* 37. In recentior. *decis.* 248. *num.* 3. *part.* 8. *decis.* 152. *num.* 4. *part.* 10. & *decis.* 305. *num.* 15. *part.* 11. Sed quoque operantur, ut præsumi debeant antecedentes ex alia regu-
15 la, quod status antecedens, donec contrarium probetur, præsumitur ejusdem naturæ, qualis est subsequens. Rota coram Coccino *decis.* 2323. *num.* 8. & inter recent. *decis.* 254. *num.* 6. *part.* 7. *decis.* 330. *num.* 12. *&* 18. *part.* 9. *tom.* 2 Potissimùm autem intrat ista Præsumptio in casu, dum in sæculis antecedentibus sæculum XIII. in quibus non adinveniuntur electiones Capituli, reperiuntur omnes confirmationes nostrarum donationum factas ab Episcopis Paduanis de dd. annis 1130. 1171. 1215. 1233 & à Summis Pontificibus in annis 1200. 1226. & 1263.

Neque hic intrat distinctio inter electiones

factas

factas ante, vel post Concilium, quam tradit de Luca *de Paroch. disc. 12. num. 15.* & motivavit præstantissimus Scribens pro Eminentissimo Episcopo: Quoniam illæ ante Concilium solùm non atten-
16 duntur, quando sunt sine Titulo, cum tunc præsumi possint processisse ex abusibus, & usurpationibus, pro quibus oportuit convocare Concilium, & in his terminis loquitur de Luca. Secùs autem si, ut in casu, sint cum præcedenti titulo donationum; hoc enim casu referri debent ad suam licitam causam, & ad suum Titulum, de quo constat, non autem ad usurpativum, de quo non apparet. Turricell. *de Unione cap.* 11. *num.* 92. Rota *decis.* 441. *num.* 6. *& seq. part.* 5. *rec. tom.* 2. *decis.* 248. *num.* 5. *part.* 8. *decis.* 203. *num.* 3. *decis.* 330. *num.* 6. 24. *&* 25. *part.* 9.

Conjecturæ denique suadent quoque in casu nostro plenam Unionem subjectivam Capitulo importare
17 prædictas Donationes, per quas conjecturas etiam solas probari Unionem juris explorati est apud Canonistas, ut videri potest penès Turricell. *de Unione cap.* 11. *num.* 38 Rota coram Cerro *decis.* 886. *num.* 52. Rota coram Zaratte *decis.* 71. *num.* 2. & 4 coram Ubaldo *decis.* 280 *num.* 5. coram Cavaler. *decis.* 599. *num.* 5. coram Merlino *decis.* 625. *num.* 2 coram Dunozetto *decis.* 911. *num.* 3. *in fine*; & inter recent. *decis.* 102. *num.* 2. *decis.* 153. *num.* 1. *part.* 2. *decis.* 48. *num.* 5. *part.* 10. *decis.* 62. *num.* 9. *part.* 15. Et in Nullius, seu Calliguritana Quartæ Funeralis de Naxera 11. *Junii* 1692. §. *Quod autem*. coram Emerix.

Concurrit enim primò, quod exercitium Curæ actualis S. Luciæ non uni, sed duobus apparet com-
18 missum; quæ circumstantia est violentissima pro ostendendo duos Deputatos verè non esse Parochos; nam sicut una mulier non potest habere duos, vel plures sponsos. *cap.* 1. *De Sponsf. duor.* & sicut pariter unum corpus non potest habere duo capita, quia redoleret in monstruositatem, ita monstruosum pariter esset, quod dicta Ecclesia duos Curatos, seu Parochos haberet, ut post Cardinal. *in Clementina Unica. num.* 14. *de Privileg.* & post Gonzal. *ad Reg.* 8. *Cancellar. gloss.* 6. *num.* 68. concludunt Gratian. *Discept.* 865. *num.* 26. Barbosa *de Paroch. cap.* 1. *num.* 1. *& num.* 43. *& seq.* Card. de Luca *in Annot. ad Concil. Trid. disc.* 9. *num.* 5. Tondut. *Resol. benef. part.* 3. *cap.* 141. *num.* 10. *& seqq.* Rota *in rec. decis.* 516. *num.* 2. *usque ad* 6. *part.* 18. coram Cerro *decis.* 886. *num.* 2. & in Vasionen. Vicariæ 6. *Junii* 1687. §. *Et per consequens*. Et §. *his denum*. coram R. P. Hervavult. Et in Gerunden Hebdomadariæ 5. *Maii* 1690. §. *Sextò demum*. coram R. P. D. Ursino; & in Nullius, seu Caliguritana Quartæ Funeralis de Naxera 11. *Januarii* 1692. §. *Tertiò* coram Emerix; novissimè, ac latissimè d. Rota in Novarien. Portionum Parochialium 4. *Junii* 1698. coram Molines.

Nec hæc conjectura ab omnibus recepta potest reddi æquivoca ab exemplo Ecclesiæ S. Jacobi Paduæ habentis duos consimiles Portionarios, & non existentis unitæ alicui Ecclesiæ: Nam in illa S. Jacobi non datur principium Unionis, sicut ob donationes datur casu nostro; & potest esse, quod cura habitualis ejus-
19 dem Ecclesiæ S. Jacobi fuerit reservata Emin. Episcopo; itaut ille sit solus Parochus, ut benè observavit Barbosa *de Parocho part.* 1. *cap.* 1. *num.* 44 *Vers. In alia verò diæcesi.* Minùs stringit allud erectionis duarum Præbendarum ex una pingui præbenda; nam secuta divisione Præbendatus unius non remanet Præbendatus alterius, nec se ingerit in alia; ubi è converso unus Portionarius, seu Capellanus servit toti Parochiæ non obstante, quod habeat Portionarium so-
20 cium. Multò minùs merebatur adduci, quod multiplicato populo multiplicentur Parochi; nam multiplicantur Capellani ministrantes Sacramenta, non autem multiplicantur Parochi, ut benè ait Barbosa *de Paroch. cap.* 1. *num.* 44. *Vers. Alterum*.

Tanto magis urget hæc prima Conjectura, dum dicti duo Sacerdotes exercentes Curam Animarum in Scripturis à Curia Episcopali exhibitis vocantur Por-
21 tionarii, quorum appellatione propriè veniunt Vicarii, & administrantes nomine alterius. Vitalin. *in Clem. unica. num.* 22. & 23. *de Offic. Vicar.* Cavaler. *decis.* 599. *num.* 7. Rota *inter rec. decis.* 81. *num.* 9. *p.* 18.

Concurrit Secundò, quod Ecclesia S. Luciæ visitatur à Capitulo, & enunciatur in Visitatione Apostolica Valeria; & quando agitur de demoliendo aliquo Altare; & de alio noviter erigendo licentia petitur
22 ab eodem Capitulo. Sanè hæc visitatio demonstrat actum subjectionis procedentem ab aliquo titulo. Ludovis. *decis.* 4. *num.* 4. & 18. Burat. *decis.* 504. Bichius *decis.* 336. *num.* 11. Rota inter *recent. decis.* 330. *num.* 21. *part.* 9. Sicuti actum subjectionis à titulo Parochi pendentem demonstrant petitio, & concessio licentiæ Altare construendi, cum nullus præter Parochum possit concedere licentiam, nedum in pro-
23 pria Ecclesia, sed neque intra limites Parochiæ Altaria, & Oratoria construendi. Carar. *de Paroch. tit.* 2. *cap.* 1. Barbosa *de Pot. Parochi cap.* 1. *num.* 26. Panimol. *in Annot.* 1. *ad. decis.* 5. *num.* 50. Riccius *in praxi tom.* 3. *resol.* 26. *num.* 2. *ac resolut.* 484. *num.* 2. Rota *decis.* 165. *num.* 1. *part.* 16 Qui titulus dandi licentiam semper refertur ad dictas donationes importantes subjectionem causatam ex Unione, dum de iisdem donationibus constat. Turricell. *de Unione d. cap.* 11. *num.* 92. cum aliis supra citatis, non autem ad alium divinativum titulum subjectionis referri potest, qui unionem non importet.

Concurrunt Tertiò tria Instrumenta concessionum Emphyteuticarum, & permutationum bonorum antiquitùs spectantium ad Ecclesiam S. Luciæ, facta de Annis 1444. 1446. & 1469. quæ fieri non potuissent à Capitulo ob ex adverso allegatam simplicem Superio-
24 ritatem, dum ad sui validitatem exigunt dominium translatum in Capitulum, ad effectum ut bona possint ab eo alienari. Turricell. *de Unione cap.* 11 *n.* 100. Rota *decis.* 9 *num.* 10. *part.* 10. & in fortioribus, nempè quod Unio arguatur ex solis locationibus Decimarum, & Emolumentorum Rota in Gerunden. Hebdomadariæ 5. *Maii* 1690. §. 5. coram Ursino; ac in d. Nullius, seu Calliguritana Quartæ Funeralis de Naxera 11. *Januarii* 1694. §. 3. *Vers. ac in terminis*. coram b. m. Emerix.

Fortiùs urgent dd. Instrumenta, dum constat Capitulum habuisse Decimam Tribani, quæ olim spectabat ad Ecclesiam S. Luciæ; illamque in divisione
25 bonorum Mensæ Capitularis secuta de Anno 1226. assignasse uni ex Canonicis. Constat, ut nobis pariter supponitur, Capitulum exigere portionem frumenti, hordeique solitam exigi à Congregatione Parochorum per Ecclesias Curatas; ex his enim clarior insurgit Præsumptio plenæ Unionis, ut ex possessione bonorum, seu Decimæ Ecclesiæ unitæ inquit Card. de Luca *de Paroch. disc.* 11. *num.* 3. Rota post Murgam *de Paroch. decis.* 7. 8. 9. 13. *ac* 17. ac ex aliis, de quibus supra firmat Rota *in cit. Nullius, seu Caliguritana Quartæ Funeralis de Naxera* §. 4. *ex obligationibus*. coram Emerix.

Nequaquàm relevantibus responsionibus huic conjecturæ per Dominum Scribentem pro Eminentissimo Episcopo datis; nam Prima deducta ex Card.
26 Zabarella *in Clem.* 1. *de Offic. Vic.* scilicet ut possessio bonorum arguat existentiam curæ habitualis penès possessorem, requiratur, quod possideat majorem partem bonorum, nil prorsus concludit; tùm quia in se non est vera, cum possit dari casus Unionis pauperis Ecclesiæ Curatæ, in qua pro manutenendo Vicario necessarii sint ferè omnes redditus, & ferè omnia bona ejusdem Ecclesiæ: Tùm quoque quia in antiquitate sæculorum octo existentia nonnullorum effectuum Ecclesiæ S. Luciæ penès Capitulum facit arguere alia bona in ipsum collata fuisse, &

Digitized by Google

se, & non posse probari ob variationes nominum, & confinium, & ob permutationes, quæ in tanta antiquitate etiam memoriam hominum elidunt; hinc dicitur, quod in antiquis in materia Identitatis pro
27 probando toto corpore sufficiat unicus confinis. Urceol. *decis.* 30. *num.* 50. Rota in Bononien. Immissionis 15. *Januarii* 1691. §. *Quatenus*. coram Hervavult. & in Romana Salviani 14 *Junii* 1697. §. *attenta* coram R. P. D. Lancetta. Secunda verò responsio deducta ex possibilitate, quod dicta Decima Tribani, & dicta portio Frumenti fuerint assignatæ Capitulo pro livello, vel fuerint assignatæ Capitulo habenti propriam Parochiam, cujus primus Parochus est Archipresbyter; Hæc, & alia similia poterant omitti; dum, cum habeamus causam donationum, de qua constat, vanum est excogitare titulos, de quibus non constat, & ad illos prædicta referre.

Concurrit Quartò, & ultimò, quod electiones Portionariorum apparent factæ indistinctè non solùm in quatuor Mensibus Ordinariis, sed etiam in
28 octo Mensibus, absque aliqua Pontificia præventiva solita illis temporibus concedi, vel alia Apostolica provisione. Sanè id mirabiliter ostendit dictam Ecclesiam S. Luciæ tanquàm unitam Capitulo, quod non moritur, numquàm vacasse. Gonzal. *gloss.* 5. §. 7. *num.* 33. Rota *decis.* 626. *n.* 6. *part.* 1. *decis.* 305. *n.* 16. *p.* 11. *rec.*

Et quamvis Nos non lateat, quod reservatio Mensium secundum plurium opinionem fuit solùm adinventa de Anno 1591. à Clemente Octavo, quando publicavit Regulam octavam Cancellariæ juxta
29 scripta per Gonzalez *de Mensib. & alternat. gloss.* 1 *num.* 1. *p.* 1. Tamen admissa etiam hac opinione tanquam veriore, nunqoam tolleretur, quin ante sæculum XIV. si non adfuisset Unio, non adinvenirentur concessiones dictarum Expectativarum, passim illis temporibus concedi solitarum; & quæ solùm prohibitæ fuerunt de Anno 1447. ut observarunt Bursatus *cons.* 126. *num.* 102. *lib.* 2. Loterius *de Re Benefic. lib.* 2. *q.* 21. *num* 119. Et nunquam excluderetur, quin quoties post Annum 1591. in mensibus reservatis vacasset Ecclesia, collatio obtinenda non suisset à Sede Apostolica. Propterea cum in mensibus reservatis ab ea Nobis supponatur numquàm impetrata, semper regurgitat argumentum Unionis, ob quam Ecclesia unita Capitulo nunquàm vacat, Turricell. *de Union. cap.* 4. *num.* 23. *ad* 30

Hæc autem tantò magis urgent pro probanda Unione Capitulo, tùm quia unitim considerata (prout considerari debere, quando agitur de examinanda
30 existentia Unionis advertit Rota in *d. Nullius, seu Calaguritana Quartæ Funeralis* coram Emerix) adeò determinant Intellectum ad Unionem credendam, ut aliter esse posse suspicari non valeat; tùm quoque quia Rota cum longè minoribus motivis millies judicavit pro unione, ut patet ex Decisionibus supra allegatis. Tùm tandem quia non agitur de Unione simpliciter extinctiva; sed de illa extinctiva, quæ
31 accessoria, & subjectiva vocatur, quæ cum habeat minorem Juris resistentiam, utpotè quia extinguendo Titulum istius, Ecclesia alteri unitur tanquam prædium, ut explicat Turricell. *de Unione cap.* 11. *num.* 34 faciliùs probatur, itaut sufficiat etiam sola qua-
32 dragenaria cum bona fide, nisi contrarium probetur. Garz. *de Benef part* 12. *cap.* 2. *num.* 239. Gratian. *Discept.* 614. *num.* 9. Turricell. *de Union. d. cap.* 11. *num.* 34. Dunozett. *Decis.* 806. *num.* 2. *Decis.* 911. *num.* 12. & 13. & in rec. *Decis.* 9. *num.* 21. & *seq. p.* 10.

Nec contra prædicta quidquam urget Visitatio Valeria, in qua post discussa Jura in contradictorio Episcopi de Anno 1583. fuit concessa collatio Ecclesiæ, de qua agitur, Capitulo: nam cum tunc temporis nulla adesset alia lis cum Episcopo, nisi super perti-
33 nentia collationum, non debet relatio tunc temporis, etsi specificativa concursus ad formam Concilii trahi ad decidendam præsentem controversiam, quæ de illo Anno non vigebat; nec illis temporibus Capitulum habebat occasionem, revocandi in dubium propriam facultatem eligendi Portionarios, dum habebat statum recentem legitimè impressum pro Unione, contra quem Episcopus ob decretum irritans contentum in Constitutione Piana edita de Anno 1567. nil tentare poterat. Potissimùm quoad concursus fieri non potest fundamentum in dicta relatione, dum de facto, ut fuit nobis suppositum, Visitator Apostolicus in Sententia per ipsum prolata pro pertinentia collationum favore Capituli, nullam addidit conditionem servandi formam concursus juxta Sacrum Concilium
34 Tridentinum; ex quo benè comprobatur, ut etiam ipse quo ad concursum agnoverit injustitiam relationis, & ideò illam in hac parte sequi noluerit; facit Regula, de qua per Parisium *cons.* 8. *num.* 3. *Vol.* 4.

Probato igitur ex prædictis, quod dictæ donationes Ecclesiæ S. Luciæ fuerint validæ, & tàm ex verbis, quàm ex observantia generali similium donationum, quam ex observantia particulari earundem donationum continuata per sex sæcula, & ultrà; quàm tandem ex conjecturis etiam probato, ut eædem donationes univerint, & subjecerint d. Ecclesiam Reverendissimo Capitulo Cathedralis, remanet resolutum primum dubium, nempè plusquàm abundanter probatum constare de Unione.

Quantum verò pertinet ad secundam difficultatem, seu secundum Dubium concursuum centum annorum, per quam Centenariam solet induci Præsumptio derogativa Unioni, circa hoc secundum Dubium ratio resolutionis fuit, non applicatio dictæ Præsumptionis abrogativæ Unionis, dum eadem Præsumptio in casu ex pluribus facti circumstantiis, etiam uti singulis ex se sufficientibus, prorsùs, & omninò excluditur.

Prima dd. facti circumstantiarum est; quia, ut dicta Præsumptio intret, requiritur observantia pro concursibus, quæ verè, & realiter centenariam attingat, ut punctualiter firmavit Rota in Tarraconen. Parochialis, seu Vicariæ 2. *Martii* 1698 §. *Quin in contrarium* coram R. P. D. Dall'Olmo. Et ratio est,
35 quia dicta Constitutio B. Pii Quinti, exceptâ verè centenariâ, derogat cuicunque alii observantiæ contrariæ, quantumvis longæ, & etiam longissimi temporis. Turricell. *de Unione cap.* 4. *num.* 56. Loter. *de Re Benefic. lib.* 2. *q.* 31. *num.* 25. Card. de Luca *de Parocho disc.* 10. *num.* 3. *disc.* 11. *num.* 5. Tondut. *tom.* 2. *part.* 3. *cap.* 187. *num.* 13. Rota *in rec. Decis.* 4. *Decis.* 580. *num.* 24. *part.* 5. *Decis.* 443. *num.* 7. *part.* 6. *Decis.* 16. *num.* 15. *part.* 9. *Decis.* 330. *num.* 19. *part.* 11. *Decis.* 305. *num.* 3. coram Merlin. *Decis.* 106. *num.* 5. & *seqq. Decis.* 373. *num.* 8. coram Bichio. *Decis.* 211. *num.* 6. & 7. penès Postium *de Manutent. Decis.* 186.

Visa autem nostro Collegio fuit non haberi in casu observantia pro concursibus, quæ Centenariam verè attingat: Nam demi debet tempus, quo durarunt
36 Provisiones Apostolicæ, cum illæ non immutent statum. Pignatell *tom* 9. *consult.* 77. *num.* 19. & *seqq.* Turricell. *de Union. cap.* 4. *num.* 56 *vers. Similiter*. Rota in Novarien. Portionum Parochialium 4. *Junii* 1696. §. *Neq. collatio*. coram Molines. & 26. *Junii* 1697. §. *Demum* coram ecd. Impress. *in addit.* ad de Luca super materia de benefic. *Decis.* 28. *num.* 16. & *Decis.* 29. *num* 12. *tom.* 12. Quæ quidem Apostolicæ Provisiones per Pontificem in prima Portione fuerunt factæ de Annis 1597. 1612. ac 1640. & durarunt per Annos 80. ut ex calculo ad nos transmisso. In secunda autem portione fuerunt factæ de Annis 1594. 1606. 1626. ac 1631. & durarunt per Annos 41. ut ex dicto calculo. Item demi debent tempora, in quibus ad
37 sensum Eminentissimi Episcopi Ecclesia vacavit, juxta scripta per Gratian. *Discept.* 403. *num.* 24. & *seqq.* Quæ vacationes in Prima Portione contigerunt de Annis 1597. 1622. 1631. 1640. 1695. & 1696. & fuerunt

fuerunt Mensium viginti juxta dictum calculum. In secunda verò Portione successerunt de Annis 1606. 1631. 1652. ac 1667. & fuerunt Mensium 26. Rursus demi debent tempora belli, pestis, feriarum repentinarum, & alia penès d. Gratian. *in cit. cap.* 403. *num.* 24. *& seqq.* ubi sub *num.* 27. nuncupatim loquitur de Centenaria. Episcopus Rocca *cap.* 7. *num.* 24. ubi quod etiam in Centenaria de Jure Canonico fit deductio impedimentorum. Quibus deductionibus factis profectò non remanet necessaria observantia concursuum, quæ Centenariam attingat.

Secunda facti circumstantia, per quam tantò magis existimatur non intrare dictam Præsumptionem derogativam Unioni, existit, quia observantia Concursuum, cui nititur Eminentissimus Episcopus, videtur interrupta usque de Anno 1600. de quo tempore occasione Concursus indicti per Episcopum Paduanum
38 ad Mansionariam unitam Capitulo ob Curam Animarum, idem Reverendissimum Capitulum se opposuit per viam Juris generalis, nempè sub motivo, quod Sacrum Concilium non haberet locum in beneficiis habentibus Curam Animarum sibi unitis; undè cum oppositio fuerit generalis, & non minùs inducens malam fidem in Episcopo in illa Mansionaria Curatà Capitulo unita, quàm in aliis, eodem modo, & iisdem donationibus unitis; hinc videtur interrupta Præscriptio, cum (ut optimè ait doctissimus Advocatus Reverendissimi Capituli) non actus singularitas, sed universalitas causæ sit spectanda, quæ omnes actus ab ea provenientes pari forma determinat. Rota *part.* 9. *decis.* 316. *n.* 12. *&* 13. *part.* 15. *decis.* 266. *n.* 4. *decis.* 251. *num.* 33. *&* 34. *part.* 19. & coram Royas
39 *decis.* 279. *num.* 10. In specie quod quando Centenaria fuit interrupta, non possit allegari. Antonell. *de Temp. legali lib.* 2. *cap.* 102. *num.* 7. Rota in Romana reintegrat. Primogenit. 23. *Junii* 1698. §. *Non obstat.* coram R. P. D. Lancetta.

Nec dicatur, cum ex dicta oppositione pateat, Capitulum habuisse notitiam Ecclesias Parochiales sibi unitas non subjacere concursui, indè ex quo ad differentiam Mansionariæ Curatæ, super qua obtinuit declarationem contra Episcopum, passum fuerit provisionem per concursum in Ecclesia Sanctæ Luciæ, agnoverit quoad hanc Ecclesiam Unioni fuisse derogatum.

Tollitur enim objectum, quia silentium circa Ecclesiam S. Luciæ vel processit ex ignorantia, quod
40 illa fuerit ex unitis, ac ex errore; quo casu non nocet. Rota in Novarien. Portionum Parochialium 4. *Junii* 1696. coram Molines. §. *Non obstant duo concursus.* Vel si processit cum scientia, id fuit, quia Capitulum sciebat, habere Jura salva ex interruptione Præscriptionis Centenariæ facta de Anno 1600. & ex d. Constitutione B. Pii V. quæ aliis præscriptionibus minoris temporis centum annorum derogat, ut supra fuit firmatum.

Tertia facti circumstantia, per quam existimatum fuit clariùs non intrare dictam præsumptionem, est, quod non tractatur de observantia Concursuum 100. Annorum, de cujus initio non constet; quia nempè appareat de concursibus observatis per 100. Annos, & ultra illos nil aliud adinveniatur: sed versamur in prætensa observantia, de cujus initio constat in solo Anno 1591. dum de Anno 1564. quantumvis immediatè post Concilium, Ecclesia S. Luciæ, prout per plura præcedentia sæcula extiterat, fuit provisa sine Concursu; in istis enim terminis Centenaria
41 non habet vim immemorabilis, nec inducit præsumptionem tituli sufficientis pro derogatione Unioni; ut in terminis præsumptæ derogationis fideicommisso ex observantia contraria Annorum centum benè distinguit Episcopus Rocca *disputat. Jur. cap.* 6. *num.* 10. *& seqq.* ibi: *Existimo hanc pernecesse adhibendam esse distinctionem pro auferendis æquivocis in hujusmodi articulo satis inter Doctores, potissimùm recentiores involuto; quod nempè aut nullo modo constat de certo initio, ut in hoc casu, cum Centenaria æquipolleat immemorabili, eamdemque vim habeat. assit allegari quicumque melior titulus de mundo juxta veriorem sententiam &c. Aut verò constat, prout in præsenti themate de initio, stante alienatione facta à gravato, & in hoc casu cum ex infra firmandis Centenaria non æquipolleat immemorabili, meritò non potest sub se includere præsumptionem Tituli;* latè, & optimè Avendan. *ad l.* 41. *Tauri gloss.* 1. *num.* 15. & in *tract. de Censib. cap.* 8. *num.* 18. Castill. *de Tertiis lib.* 7. *cap.* 26. *num.* 69. *in fin.* Fontanell. *decis.* 586. *à num.* 1. *usque ad* 12. *&* 22. *lib.* 2. Rota *decis.* 291. *num* 14. *& seqq. part.* 16. *rec.*

Sed potiùs eadem Centenaria (stante dicto initio, & stante claro statu contrario legitimè impresso per plura sæcula, & derivante à legitimis titulis donationum, etiam Apostolica auctoritate confirmatarum) deducitur, quod processerit ex errore, & præsupposito, quod talis fuerit status præcedens: Undè sicuti præsumptio cedit Veritati, ita ultimus status,
42 quantumvis Centenarius, cedere debet antiquo. Card. de Luca *de Paroch. disc.* 8. *num.* 9. *& disc.* 10. *num.* 3. *De Benefic. disc.* 37. *num.* 38. Loter. *de Re Benefic. lib.* 1. *q.* 34. *num.* 35. *& seq.* Novissimè contra Centenariam, quæ aderat favore Episcopi, Rota in Bononien. Parochialis 3. *Junii* 1679. coram Ursino §. *Quibus. &* §. *Nec adversatur, ac* 26. *Junii* 1682. coram eodem Ursino.

Imò, præsupposito etiam initio concursuum in Anno 1591. neque videtur, quod dicta Præscriptio Centenaria unquam potuerit cum vero, & solido
43 effectu incipere, dum per Eminentissimum Episcopum non docetur de duobus extremis necessariis ad illam inducendam; Quorum unum est, quod Capitulum habuerit præcisam scientiam Juris præsentandi Vicarios, volueritque præsentare, fuerit rejectum, & rejectioni acquieverit; vel saltem scienter passum fuerit actus positivè contrarios Unioni, de quo requisito Geminian. *in cap. Cum de Beneficio. num.* 9. *de Præbend.* Garzias *de Benefic. part.* 5. *cap.* 5. *num.* 113. Rota *decis.* 245. *num.* 37. *part.* 9. Cerrus *decis.* 445. *num.* 19. *&* 20. & in d. Bononien. Parochialis 1. *Junii* 1678. §. *Non obstat.* coram Vicecomite; *&* 3. *Junii* 1679. *ac* 28. *Novembris* 1681. §. *fin.* coram Ursino. *&* 26. *Junii* 1682. §. *etenim ad effectum* coram eodem.

Alterum verò requisitum extat, quod Episcopi pro tempore cum specifica scientia Unionis certum habuerint animum, atque determinatam Voluntatem
44 Ecclesiam conferendi tanquàm de libera, & per Concursum in præjudicium Capituli scientis, & patientis. Loter. *de Re Benefic. d. q.* 34. *num.* 53. *& seqq.* Vivian. *de Jurepatr. lib.* 5. *p.* 2. *cap.* 4. *num.* 55. *& seqq.* Bichius *decis.* 118. *num.* 17. Dunozett. *decis.* 265. *num.* 61. Cerrus *decis.* 145. *num.* 19. & in d. Bononien. Parochialis 2. *Februarii* 1680. §. *cessat difficultas.* coram Vicecomite, *&* 26. *Junii* 1682. §. *Et secundo quod legitimi*, coram R. P. D. Ursino.

Tantum abest, ut hæc duo requisita in præsenti concurrant, quinimò utrumque deficit, namque pri-
45 mum scientiæ Capituli, dum illa non probatur, ut opus esset, Rota in d. Bononien. Parochialis 26. *Junii* 1682. §. *tantum autem.* coram Ursino. Nec potest sufficienter præsumi ex multiplicatis concursibus, quia sæpè pertransiit tantum temporis spatium inter mortem unius Vicarii, & obitum alterius, ut ferè omnes juvenes, & senes Capituli sint mortui. Deficit similiter secundum intentionis Ordinariorum imprimendi statum contrarium Unioni, dum in Or-
46 dinariis lex præsupponit voluntatem non præjudicandi juri tertii. Calderin. *cons.* 26. *in fin. de Præbend.* Rota *decis.* 245. *num.* 39. *part.* 9. & in d. Bononien. Parochialis 26. *Junii* 1682. §. *secundam verò*, coram Ursino. In specie quod deficientibus dd. duobus requisi-

Digitized by Google

47 requisitis collationes per concursum non attendantur Loter. *de Re Benefic. lib. 2. q. 31. num. 25. & seqq.* Rota penès Postium *de Manutent decis.* 186. *num.* 8. *ad fin.* & in d. Bononien. Parochialis super manutentione 12. *Februarii* 1680. §. *Maximè* coram R. P. D. Vicecomite, & 2. *Febr.* 1680. §. *Cessat difficultas* coram eodem Vicecomite.

Quarta tandem, & ultima circumstantia, per quam sine difficultate creditur, Eminentissimo Episcopo non suffragari allegatam Centenariam, est; quod ipse produxit titulum, à quo Centenaria causam habuit, nempè relationem Vicarii Visitatoris Apostolici Anni 1583. in qua relatione dictus Vicarius non considerando Bullam B. Pii V. declaratoriam Concilii, inadvertenter quoad Ecclesias Parochiales unitas Capitulo addidit illa verba: *Servata tamen quo ad Ecclesias Parochiales forma concursus Sacr. Conc. Tridentini, & Apostolicarum Constitutionum*; ex quorum verborum additione in subsequenti collatione Anni 1591. Ordinarius sumpsit occasionem incipiendi indicere 48 concursus S. Luciæ. Cum igitur constet de titulo infecto, & erroneo, à quo Centenaria sumpsit exordium, illa nequaquàm attenditur; & cessat præsumptio alterius validi tituli, etsi, quod plus est, esset mille Annorum. Decius *in cap. Dudum num.* 1. *& 2. de Decimis*. Gonzalez *ad Reg. Cancell. gloss.* 18. *num.* 48 Genuens. *Prax. Archiepisc. cap.* 63. *num.* 5. Parisius *de Confiden. Benef. q.* 28. *num.* 240. Card. de Luca *de Jurepatron disc.* 57. *num.* 28. *ac de Alien. disc.* 3. *n.* 18. Riccius *in Praxi Eccles. Jurispatr resol.* 129. *n.* 1. & 2. Salgad *de Regia Prot. p.* 3 *cap* 10. *n.* 85. *& seqq.* Rota *decis.* 197 *n* 90. *part.* 5. *decis.* 336. *n.* 30 *part.* 10. Et in Bononien. Jurispatronatus de Ghisleriis 31. *Januarii* 1695. §. *aut enim.* coram R. P. D. Pio.

Nec exclusio ulteriùs validi tituli resultans ex productione d. relationis Vicarii Visitatoris Apostolici potest evitari, ex quo fuerit Procurator, qui talem 49 Titulum exhibuerit; nam mandatum speciale dicti Procuratoris Mensæ, & consensus Ordinarii pro tempore resultat, tùm ex repetita productione ejusdem relationis in quocunque Concursu; tùm ex quo finibus Scriptura relationis Visitatoris non potuit aliundè haberi per Procuratorem Mensæ nisi à Principali, nempè ab Episcopo. Adden. ad Ludovis. *decis.* 131. *num.* 12. Adden. ad Burat. *d.* 294. Card. de Luca *de Regalibus disc.* 47 ubi, licèt tentaverit contrarium defendere, tamen in numero finali sui discursus ingenuè fatetur succubuisse, & judicatum fuisse, productionem Tituli factam à Procuratore exclusisse allegationem alterius validi; tùm postremò quia productio Tituli facta à dicto Procuratore fuit acceptata antequam Emin. Episcopus illam revocaret. Buratt. *decis.* 551. *num.* 3. *ad.* 12.

Tàm igitur ex quo factis deductionibus temporum non concurrit Præscriptio, quæ centenariam astringat; quàm ex quo Præscriptio fuit interrupta; quàm 50 ex quo esset centenaria cum initio, etiam sine requisitis ad illam introducendam, quàm denique ex quo ex productione Tituli infecti cessat præsumptio validi tituli, quæ ex ipsa prætensa centenaria resultare posset, etiam undique patet, non concurrere aliquam præsumptionem derogativam Unionis; & sic quoque secundum Punctum militare favore dicti Reverendissimi Capituli.

Quare cum ex supradictis omnia duo Puncta, à quibus resolutio præsentis causæ pendet, de Jure stent pro eodem Reverendissimo Capitulo, Nostrum Collegium nullam habuit difficultatem præsenti Responso in Testimonium boni Juris ejusdem insignis Capituli se subscribere.

Ita est *Ego Lucius Marescotti Advocatus Collegiatus, Mensæ Archiepiscopalis Bononiæ Consultor; & in hac causa ab insigni Collegio Illustrissimorum DD. Advocatorum, & Judicum ejusdem Civitatis Bononien. Unus ex Deputatis, ac Relator.*

Ita est *Ego Dominicus Maria Zocca Advocatus Collegiatus, Lector Publicus in patrio Bononiæ Archigymnasio; & in hac causa ab insigni Collegio Illustrissimor. DD. Advocatorum, & Judicum ejusdem Civit. Bononiæ Unus ex Deputatis, ac Relator.*

Viso, ac diligenter secundum omnes illius partes examinato suprascripto Responso de mandato nostri Antiquissimi Collegii per suprascriptos duos celebres Advocatos, & Collegas pro veritate edito, ac ab altero eorum, nempè ab insigni, & consumatissimo Advocato, & Canonista Illustrissimo D. Lucio Marescotto extenso; Idem responsum postquàm adinventum fuit in omnibus partibus cum veritate concordare; Auctoritate Nostri Collegii, qua fungimur, emologamus, atque approbamus. Ita est *Ego Jacobus Franciscus Zavalea Ceroni in Publico Archigymnasio Bononiæ de mane Juris Cæsarei Interpres, ac dicti Collegii Excell. DD. Advocatorum, & Judicum Modernus Prior.*

Tota animadversione perpenso Voto elaboratissimi Extensoris, & in omnibus illius partibus cognito uniformari sententiæ supremorum Tribunalium, & Collegii, ac signanter Sacræ Rotæ Romanæ, & Juris scelectioris principiis; ideò scriptis à tanto viro cum sensu intemeratæ Veritatis subscribo *Ego Joannes Baptista Benatius Bononiæ Advocatus, & Illustrissimi Senatus Bononiensis Consultor, ac de Collegio.*

Doctissimum Responsum Illustrissimi Domini mei Advocati Marescotti in hac Curia Bononiensi numquàm satis laudati, cum adinvenerim in omnibus fundamentis per eum, ut supra deductis, Juri, & rationi consonum, requisitus de mea subscriptione libentissimè me subscripsi *Ego Julius Cæsar Pandinus Ill. Coll. Publicus Lector, ac Bononiæ Advocatus.*

Ego Antonius Francus de Liveriis Doctor Collegiatus, & Publicus Lector in Archigymnasio Bononiæ examinato, de mandato Illustrissimi D. Prioris supradicto Responso, extenso à celeberrimo Canonista, & Advocato Illustrissimo D. Lucio Marescotti, adinveni illud in omnibus, & per omnia concordare cum veritate, & sensu dicti Nostri Collegii habito in discussione prædictæ Causæ.

Examinavi Ego quoque supradictum doctissimum Responsum juxta mandata Illustrissimi D. Prioris supradicti, & adinveni esse omninò conforme determinationi nostri Collegii; unde in Testimonium talis veritatis hic me subscripsi *Ego Joseph Cultellinus Doctor Collegiatus, Publicus Lector in Archigymnasio Bononiensi, & Lector emeritus &c. Advocatus &c.*

Ego Petrus Antonius Roversius Advocatus Collegiatus examinato suprascripto Responso juxta mandata Illustrissimi Domini Nostri Prioris, illud adinveni in omnibus ejus partibus veritati consonum; quapropter cum aliis DD. Collegiis conveni.

Ego Carolus Antonius de Abbatibus Advocatus Collegiatus examinato suprascripto Responso de mandato Illustrissimi D. Prioris, sentio in omnibus ejus partibus illud esse conforme veritati, & ad mentem nostri Insignis Collegii extensum.

Ego Vincentius Antonius Guinesius J. V. D. & Advocatus Collegiatus cum eisdem DD de Collegio concurro, & approbo supradictum Responsum in omnibus illius partibus.

Ego Joannes Andreas Grimani J. V. D. Advocatus Collegiatus, & Lector Publicus ita omninò, ut supra relatum est, Juris esse censeo.

Juxta mandata Illustrissimi Prioris nostri Collegii per me quoque diligenter examinato suprascripto Responso, agnovi illud adamussim continere sensum habitum in discussionibus factis per dictum nostrum Collegium, quapropter ego etiam subscribo:

Ita est *Ego Franciscus Maria Gabriel de Cominis Doctor Collegiatus.*

Viso suprascripto Responso de mandato nostri Illustrissimi Collegii edito per suprascriptos duos celebres

Digitized by Google

bres Collegas, ac extenso per præstantissimum D. Advocatum Mariscotti, repertoque in omnibus, & per omnia esse conforme sensui pro veritate ab eodem nostro Collegio habito, illud omninò etiam in executionem mandatorum Excellentissimi D. Prioris approbo *Ego Thomas Montecalvus Jurisconsultus Collegiatus*.

Licèt solùm undique celebre nomen famosissimi, integerrimi, ac numquàm satis laudati Collegħæ Illustrissimi Domini mei Advocati Mariscotti, qui suprascriptum doctum Responsum extendit, satis esset ad assecurandum, nihil in eodem Responso reperiri, quod non sit juxta solidam Jurisprudentiam, & juxtà purgatum sensum in discussionibus causæ per Universum nostrum Collegium habitura; nihilominus, quia sequendo commendabile stylum; placuit Illustrissimo D. Priori me quoque inter revisores includere; ideò diligenter secundum commissionem habitam, singulas partes dicti Responsi sedulò examinavi, & adinveni illud in omnibus, & per omnia adamussim fuisse extensum juxta motiva, & mentem nostri Collegii; in cujus Veritatis testimonium hìc me subscripsi *Ego Faustus de Massis Jurisconsultus Collegiatus*.

Ego Joseph Antonius de Brusiis J. V. D. Bononiensis, ac unus ex Illustrissimis DD. de insigni Collegio Judicum Civitatis Bononiæ approbo suprascriptum Responsum uti extensum ad mentem dicti Collegii.

Præsenti Publico Documento cunctis ubique pateat evidenter, & notum sit, qualiter Millesimo Septingentesimo Indictione Octava, die verò vigesima octava Mensis Junii; tempore autem Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Innocentii Divina Providentia Papæ Duodecimi.

In mei, testiumque infrascriptorum præsentia, præsentes, & personaliter constituti Illustrissimi, & Excellentissimi D. D. Lucius Mariscotti, Dominicus Maria Zocca, D. Franciscus Jacobus Ravalea de Ceronis Prior Collegii DD. Advocatorum, & Judicum Civitatis Bononiæ; D. Joannes Baptista de Penatiis Illustrissimi Regiminis Bononiæ Consultor, D. Julius Cæsar Pandinus, D. Antonius Franciscus de Liveriis; D. Joseph Coltellinus; D. Petrus Antonius Roversius; D. Carolus Antonius de Abbatibus; D. Vincentius Antonius de Guiniis; D. Joannes Andreas Grimani; D. Franciscus Maria Gabriel de Cominis; D. Thomas Montecalvus; D. Faustus de Massis; D. Joseph Antonius de Brusiis omnes Jurisutriusque Doctores, ac Collegiati: & in Archigymnasio Bononiæ respectivè Publici Lectores; Visis, lectis, & optimè consideratis suprascriptis subscriptionibus, sub eorum respectivè Nominibus,& Cognominibus cantan. eisdem, & unicuique eorum per me Notarium infrascriptum ostensis, spontè &c. medio eorum Juramento dixerunt, fassi fuerunt, & publicè recognoverunt, & quilibet ipsorum dixit, easdemmet subscriptiones fuisse, & esse eorum propriis respectivè manu, & charactere factas, & scriptas, in testimonium omnium contentorum in præmissa Scriptura, dictamque Scripturam veritatem in omnibus ejus partibus continere; & ita recognoscendo &c. Jurarunt &c. manu tactis &c. ad delationem mei &c. super Quibus &c.

Præsentibus continuò Excellentissimo Domino Joanne Baptista olim Excell. D. Andreæ de Blanchinis J. U. D. Capell. SS. Gervasii, & Prothasii; & & D. Joanne Andrea filio D. Antonii de Calzolariis Capel. S. Proculi, qui cum me &c. *testibus &c.*

De præmissis recognitionibus rogatus extiti *Ego Carolus Antonius Maria olim D. Pauli de Canalibus Civis, & Notarius publicus Bononiæ Collegiatus, Apostolicus, etiamq; & Imperialis. In quorum fidem &c.*

Locus ✠ Sigilli Notarii.

Nos Corrector, & Consules Almi Collegii DD. Notariorum Bononiæ.

Universis &c. fidem facimus, & attestamur supradictum D. Carolum Antonium Mariam de Canalibus esse Civem, & Notarium publicum Collegiatum Bononiæ fide dignum, ac talem qualem &c. ejusque Scripturis publicis, & authenticis plenam, indubiamque fidem adhibitam fuisse, in diesque magis adhiberi hìc, & ubique locorum, in Judicio, & extra. In Quorum &c. *Datum Bononiæ hac die 30. Junii* 1700.

Locus ✠ Sigilli Collegii Notariorum Bononiæ.

Integr. Peregrinus Guerrinus Pellizonus Notarius de mandato &c.

DISCORDIA L.

ARGUMENTUM.

Parochum non posse habitare extra domum Parochialem, & multò minùs extra limites propriæ Parochiæ, copiosè comprobatur Auctoritate Doctorum, Synodalium Constitutionum, & Declarationum S. Congregationis Cardinalium, sub pœna peccati mortalis, & obligatione restituendi fructus beneficii.

SUMMARIUM.

1 *Parochi an tutâ conscientiâ possint habitare extra suam Parochiam?*
2 *Parochorum præcipua obligatio residendi in sua Parochia.* & num. 5.
3 *Residentia Parochorum est de Jure Divino.*
4 *Ea consistit non in sola habitatione in Cura, sed in exercitio Curæ.*
5 *Parochus pernoctare debet in sua Parochia.*
6 *Parochi vox quid significet?*
7 *Parochiani quinam sint?*
8 *Barbosæ doctrina de habitanda per Parochum domo Parochiali.*
9 *Jordani Episcopi Traguriensis similis doctrina.*
10 *Nicolii conformis assecuratio.*
11 *Fagnani idem sensus, & judicium.*
12 *Franc. Leo idem scribens.*
13 *Pignatelli de hac obligatione Parochorum adstipulatio*
14 *Parochus non habitans in Parochia an peccet mortaliter?*
15 *Doctorum communis opinio attendenda circa Legis obligationem.*
16 *Synodi Patavinæ præceptum, ut Parochi resideant in domo Parochiali.*
17 *Præcepta tria facta Parochis à Synodo Patavina circa habitationem.*
18 *Synodi Diœcesanæ Decreta obligant sub mortali.*
19 *Mediolanensis Concilii Sanctio circa Parochorum habitationem.*
20 *Justinianearum Constitutionum idem Præceptum.*
21 *Synodi Abbatiæ Farfensis dispositio de domo per Parochos habitanda.*
22 *Parochorum non habitantium domum Parochialem delicta tria.*
23 *S. Congregationis Declarationes plures, quod Parochi debeant habitare in Parochia, & in domo Parochiali.*
24 *Fagnanus diù fuit Secretarius S. Congregationis.*
25 *Parochis permittitur habitare in domo paterna, si, & quatenùs sit intra eorum Parochiam.*
26 *S. Congregationis Declarationibus obediendum sub pœna peccati mortalis.*
27 *Ludovici Bejæ opinio erronea, & reprobata de licita habitatione Parochi extra Parochiam per unum milliare Italicum.*
28 *Modicum significat quasi nihil.*
29 Chivali? *molestus occursus nocturnus Paduæ.*

30 *Levi-*

Digitized by Google

30 *Levitæ in Lege veteri residebant apud eorum populum.*
31 *Obediendum est Superioribus.*
32 *Scandala omninò tollenda, & res, à quibus nascuntur.*
33 *Parochus tenens Capellanum non est liber ab exercitio Curæ.*
34 *Societas Leonina si onera non sint æqualia lucro.*
35 *Veritas rarò manifestatur Potentibus.*
36 *Peccatores Deus permittit non puniri in hac vita, ut puniantur graviùs in alterâ.*
37 *Tacitum in prohibitis non habet vim expressi, nec ex eo præsumitur consensus.*
38 *Dianæ Coordinati Verba monitoria ad Parochum intra suam Parochiam non residentem.*

UNus ex duobus Parochis simul exercentibus Curam animarum, tanquàm Vicariis perpetuis, in pingui beneficio Curato (quod dicitur de Mensa,) habens domum Parochialem commodam, & perpulchram, atque contiguam Ecclesiæ (ibi ab antiquo pro habitatione Parochi fabricatam) eam locat personis Laicis, non levi pensione annuâ pecuniariâ; & ipse habitat in domo propria existente extra limites suæ Curæ, & sub aliâ Parochiâ constituta; & à prædictâ suâ Curâ non parùm distante, siquidem inter utramque interfecat tertia alia Parochia, per quam oportet transire; duos, tres, ac etiam quatuor vicos ambulare, & pontem ampli fluminis præterire, si ejus Parochiani illum vocaturi ad ministranda infirmis Sacramenta, de suis ad ejus habitationem velint accedere. Hic monitus fuit ab amico fideli, salutem ipsius animæ concupiscente, ut domum illam deserat; die, ac nocte tanquam bonus Pastor resideat inter suas oves, ac in domo Parochiali habitet, ut suo muneri satisfaciat, & tollat scandalum, quod ex ejus absentiâ à Parochia, nocturno potissimùm tempore, exoritur. At ipse dixit amico, se non multùm distare, & quandocunque vocabitur, velociter ad vocantes paratum esse occurrere: ulteriùs Collegam suum, idest alium comparochum, seu Vicarium habitare intra limites communis Curæ; & ab eo ejus vices posse suppleri; nec scrupulum de hac absentia sua, & habitatione extra Parochiam habere, quia Curia Episcopalis tacet, & sic tacendo censetur approbare, quod non habitet in Parochia. Non acquiescens amicus his rationibus, & dubitans de damnatione æterna prædicti Parochi, voluit me consulere, & in sensu veritatis à
1 me audire: An tutâ conscientiâ possit quilibet Parochus, propriâ domo Parochiali relictâ, habitare in alia domo extra limites suæ Curæ constituta, cum notabili distantia, ob intermediam aliam Parochiam, & duos, vel tres, ac etiam quatuor vicos considerabilis longitudinis?

Respondi Negativè. Pro intelligentia autem mei responsi, observare oportet: *Primò*, quod præcipua Parochorum obligatio est personaliter residere apud suam Ecclesiam, & populum, ut Sacri Canones
2 præcipiunt, & legitur in *cap. Quia nonnulli.* in *cap. Conquerente.* & in *cap. Relatum. De Cleric. non residentib.* qui quidem Canones innovati fuerunt à Sacro Tridentino Concilio *sess. 6. de Ref. cap.* 1. necnon *sess.* 23. *de Ref. cap.* 1. & à *Bulla* 65. B. Pii V. Incipien. *Cupientes*, &c. ubi de novo præcipitur Parochis facere personalem residentiam apud suas Ecclesias, & populum sub pœna peccati mortalis, amissionis fructuum, atque privationis beneficiorum; de qua obligatione tractant tàm Theologi Morales, quàm Canonistæ, inter quos Azor. *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 12. *q.* 1. Garzias *de Benefic. part.* 3. *cap.* 2 *à num.* 16. Barbosa *de offic. & pot. Episc. alleg.* 53. *num.* 2. & de *Parocho cap.* 8. Pax Jordanus *tom.* 2. *lib.* 10. *tit.* 40. *à num.* 3 &c *seqq.* ubi inferiùs *num.* 64. subdit, quod *Pœna Parochis absentis absque causa, & licentia, in scriptis obtenta, præter mortale peccatum, quod incurrit, est amissio fructuum beneficii pro rata absentiæ.* quod prosequitur Fagnanus *in cap. Extirpandæ.* §. *Qui verò à num.* 1. & *seqq. tom.* 4. ubi reddit plures rationes hujus necessariæ residentiæ personalis; &
3 *in cap. Ex parte. De Cleric. non resident. eod. tom.* 4. in quo *à num.* 10. &c *seqq.* latissimè probat, personalem resindentiam impositam esse Parochis, & omnibus Pastoribus animarum de Jure Divino.

Secundò observandum est, quod hæc personalis residentia, ad quam Parochi tenentur, non debet esse quo ad corpus tantùm, sed quoad spiritum, & operationem; idest, ut Parochi non credant satisfacere obligationi suæ habitando in Parochia, & ni-
4 hil aliud faciendo; siquidem, ut scribit Jordanus *d. lib.* 10 *tit.* 40. *num.* 50. debent *per seipsos obire pastoralia munera, & non per substitutum, nisi quatenùs supplere per seipsos non valeant.* Concilium enim Tridentinum *d. cap.* 1. *sess.* 23. personæ industriam requirit, quæ per alium præstari nequit, juxta *l. Inter artifices ff. de Solutionib.* quod advertunt Possevin. *de Offic. Curati cap.* 1. *num.* 8. & Barbosa *de Parocho cap.* 8. *num.* 40. subdentes, Parochum residentem quidem, sed officium suum non exercentem minimè satisfacere præcepto residentiæ nec in foro interiori, neque in exteriori; atque in utroque se culpabilem reddere, ac proindè mortaliter, vel venialiter peccare pro qualitate culpæ, negligentiæ, & ignaviæ suæ; inferentes, quod etsi Parocho liceat habere coadjutorem, & Capellanum, qui eum adjuvet in exercenda cura animarum, ad majorem quietem; omnia tamen ardua illi non debeat relinquere, veluti surgere nocturno tempore, multas audire confessiones, assistere agonizantibus, & portare pondus diei, & æstus; in quibus omnibus ipse Parochus debet esse primus in opere, ut differit idem Jordanus *d. lib.* 10. *tit.* 40 *num.* 58. & ibi Cajetan. 2. 2. *q.* 185. *art.* 5. Sotus *de Just. & Jure lib.* 10. *q.* 3. *art.* 5. Rodriquez *in Summa tom.* 2. *cap.* 33. *num.* 2. & Possevin. *d. cap.* 1. *num.* 10. atque Barbosa *de Parocho d. cap.* 8. *num* 41.

Tertiò est observandum; quod pro adimplendo munere Parochiali in bono regimine animarum; & in administrandis Sacramentis; præcipuè tempore nocturno in repentinis infirmitatibus cum periculo mortis, necessarium omninò est, ut Parochus habitet in sua Parochia, & pernoctet in illa; hæc enim
5 habitatio, & pernoctatio spectat ad majorem, eamque essentialem partem residentiæ; certum est enim, quod si extra limites suæ Curæ habitet, & pernoctet, non potest esse promptus, & paratus accurrere ad infirmos, ad quos repentè in subitaneis morbis arcessitur. Hinc qui promovetur ad animarum curam vocatur *Parochus*, quæ vox græca est, & pro-
6 priè significat *Incolam*, & *habitatorem* in loco suæ Curæ, ut legitur in *l. Pupillus.* 239. §. *Incola. ff. De Verb. Signific.* & observat Vivian. *de Jurepatron. lib.* 15. *cap.* 3. *num.* 105. & Graffius *Decis. Aur. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 39. *num.* 7. prout etiam populi, qui habitant sub eadem Ecclesia Curata, vocantur Parochiani, videlicèt incolæ, & habitatores in ipsa Pa-
7 rochia, juxta *text. in cap. Dominicis.* 9 *q.* 2. & *in cap. Inter cætera.* 22. *q.* 4. & eruditè explicat Magrius *in Hierolexic. Verb. Parochianus.* Undè fit, quod sicut illi, qui firmant alibi, & extra Parochiam habitationes suas, non possunt dici Parochiani; ita neque Rector animarum potest vocari Parochus, si degat extra Parochiam, & in ea non teneat suum domicilium, & habitationem.

His ita observatis; non posse Parochum habitare, & pernoctare extra Confines Parochiæ suæ tutâ conscientiâ probatur, Auctoritate Doctorum, Synodalium Constitutionum, & Decretorum Sacræ Congregationis Concilii.

Inter Doctores primus est Barbosa *de Parocho d. cap.*

Digitized by Google

d. cap. 8. num. 34. ubi ita loquitur: *Ut Parochus verè resideat, tria requiruntur: primò, ut in propria Ecclesia: secundò, ut personaliter: tertiò, ut continuò:
8 & circa quodlibet eorum aliquid adnotabimus: & in primis quoad primum illud est sciendum, Parochum debere residere in domo ipsius Parochialis; si verò illa non habeat domum, tunc in alia domo, quæ sit intra limites Parochiæ*. Sed sic est, quod in casu, de quo agimus, Parochialis habet domum pro Parocho, pulchram, amplam, commodam, & Ecclesiæ contiguam. Ergo tenetur ipse Parochus habitare in ea; qui si alibi habitet, non facit residentiam, & non est tutus in conscientia.

Hoc ipsum confirmat Pax Jordanus Episcopus Traguriensis *d. tom. 2. lib. 10. tit. 40. num. 55.* his verbis: *Parochus residere debet in propria Ecclesia, & in do-
9 mo ipsius Parochiæ; non alibi, aut in alia domo, nisi Ecclesia propriâ careat domo; tunc enim permittitur habitatio in alia, intra tamen limites Parochiæ, ut indigentiis curæ præstò esse queat*.

Non dissimilis est Nicolius *Lucubrat. Canonic. lib. 3. tit. 2. num. 11.* ita scribens: *Amplia 9. ut Parochus te-
10 neatur residere in loco, ubi est Ecclesia, & in domo Parochiali; quæ si non adsit, ædificetur, & interim habitet in aliqua domo sita in Parochia; quæ, quoad fieri poterit, sit Ecclesiæ vicinior: in qua simili domo habitare debet, licèt ex aliquo casu propriam Parochiæ construere non possit*.

Concordat Prosper Fagnanus *in cit. cap. Extirpandæ. §. Qui verò. De Præbend. tom. 4.* in quo sub *n. 1.* cum firmasset regulam, quod Parochialium Ecclesia-
11 rum Rectores tenentur personaliter residere, eam pluribus modis declarando, & extendendo, sub *n. 12.* subdit: *Extenditur tertiò, ut nec sufficiat Parochum ubilibet residere infra limites Parochiæ, sed oporteat eum habitare in ædibus Parochialibus, ut sæpè fuit resolutum*.

Accedit prædictis DD. etiam Jo. Franciscus Leo *in Thesaur. Fori Eccles. part. 3. cap. 2. num. 18.* sic di-
12 cens: *Parochi sunt cogendi ad habitandum in domo Ecclesiæ, vel si Ecclesia domum non habeat, in propinquiore, intra limites Parochiæ, aliàs tenentur ad restitutionem fructuum, de quibus in cap. 1. sess. 23. Conc. Trid.*

Novissimè omnibus aliis adstipulatur etiam Pignatellus *tom. 10. consult. 150. num. 24.* hæc de hac Paro-
13 chorum obligatione subjungens: *Residere adeò strictè apud Doctores accipitur, ut residens in domo Patrimoniali, & non in domo Ecclesiæ, residere non dicatur; quia in singulis casibus repentinis, & in quacunque hora commodè adesse debet; cum residere sit deservire*.

Attentis igitur tot gravissimorum Doctorum dictis, attestationibus, & assertionibus, quod Parochus habens domum Parochialem debet habitare in ea sub pœna peccati mortalis, si eam non habitet;
14 ob illam manifestam rationem, quia debet residere in loco ita commodo omnibus suis Parochianis, ut in omni casu repentino, præcipuè tempore nocturno, possint facilè eum vocare; & ipse citò, ac sine mora valeat ad infirmos accurrere, manifestum est, quod Parochus Urbanus, qui sprevit monitionem amici sui, illum suadentis ad habitandum in propria Parochia, & in propria domo Parochiali, excusari non potest à culpa mortali, & ab obligatione restituendi fructus sui beneficii, tanquam irresidens, cum habitet extra Parochiam, & in domo fraterna; nam ut ex Suarez *de Legib. lib. 6. cap. 1. num. 5. & 6.* scribit Baldellus *in Theolog. Moral. lib. 5. disp. 22. num. 7. Ad
15 cognoscendam obligationem Legis ad culpam mortalem, aut venialem, multùm juvat Doctorum interpretatio, cum in unaquaque facultate standum sit Peritorum judicio: & si Doctores communiter consentiant, quod hic, aut ille sit verus sensus, & vera intelligentia Legis; credendum illis omninò est, cum saltem tacito consensu sufficienter declaret, quomodo Lex fuerit acceptata, & quomodo se habeat communis usus circa illius observationem*.

Ex Synodalium autem Constitutionum tenore multò magis deprehenditur, quod prædictus Parochus sit in statu damnationis æternæ, nisi deserat domum fraternam, extra suam Parochiam in magna distantia constitutam, & se conferat ad habitandam propriam domum Parochialem penès Ecclesiam suam existentem. Quandoquidem Synodus Patavina *part. 2. cap. 11.* agens de Residentia Curatorum, proponens neces-
16 sitatem ejusdem de Jure divino impositam residendi in Parochia; ita præcipiendo dicit: *Quocirca cum nullum tempus assignari possit, in quo Parochi opera quis non indigeat, jure Curati in assidua debent esse statione, & vigilia, ut præsenti opera, in omni eventu, suo gregi præstò esse possint; salutaribusque Sacramentis, & verbis, quibus refici maximè, & in Domino gaudere fideles solent, eos solari, & recreare*. Deindè ad positivum præceptum circa domum habitandam descendens hæc addit: *A Parochiali igitur sua Ecclesia nullo modo discedant. Ædes juxta eandem Ecclesiam, & gregem suum Parochis destinatas inhabitent: non longiùs extra Parochiæ fines ad alia diverticula divagentur; nisi in scriptis veniam à Nobis impetrarint, ut ruinosam fortasse domum possint reparare*. Sequitur ibidem Synodus Patavina: *Si nulla sit domus Parocho propè Templum attributa, conducant quam possunt viciniorem; neque ut ab ea discedant, vel aeris intemperiem, vel Cœli inclementiam, vel inimicitias, vel aliquod aliud forsan fictum infirmæ valetudinis commentum, sibi suffragari existiment, nisi à Nobis priùs facultatem obtinuerint*. Tandem addit eadem Synodus: *Sed eò ampliùs, ne oves sibi commissas spiritualem inediam experiri periculum sit, extra locum suæ Curæ absque nostra in Civitate, vel Vicarii foranei in Diœcesi, sub cujus Jurisdictione degunt, facultate in scriptis obtinenda, pernoctare non audeant; quam veniam ultra tres dies ab ipsis Vicariis consequi nequeant*. Tria igitur facta sunt præcepta Parochis à Synodo Patavina. *Unum*, ut inhabitent do-
17 mum Parochialem. *Alterum*, ut si eam non habeant, aliam vicinam Ecclesiæ conducant, vel si in Parochiali domo ob aliquam causam legitimam habitare non valeant, licentiam obtineant ab Episcopo ad aliam habitationem, Ecclesiæ tamen contiguam, divertendi. *Tertium*; ne audeant pernoctare extra Parochiam sine licentia, quæ per tres dies tantùm à Vicariis Episcopalibus sit concedenda. Quomodo igitur Parochus ille potest excusari à peccato mortali, qui domum Parochialem habet, & non habitat in illa? Extra Parochiam pernoctat, non bis, vel ter, sed toto anni tempore, & absque ulla licentia? Ipse utique est transgressor non solùm sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini; sed etiam prævaricator, & contemptor Legis Diœcesanæ; quam habere vim præcepti, & in re gravi, qualis est hæc habitatio annalis, & continua extra Parochiam, obligare ad culpam mortalem testantur tàm Theologi,
18 quàm Canonistæ, inter quos Suarez *de Legib. lib. 4. cap. 6. num. 9. & 10.* Azorius *part. 2. lib. 5. cap. 47. quæst. 9.* Salas *de Legib. disp. 8. sect. 15. num. 79.* Bonacina *eod. tract. disp. 1. q. 1. punct. 7. num. 1. Vers. Quod lex, seu potestas Ecclesiastica*. nec non *eod. punct. 7. §. 4. num. 6.* & alii, quos citat, & sequitur Baldellus *d. tom. 1. lib. 5. disp. 8. num. 1.* Quibus addendi sunt Host. & Abbas *in cap. fin. Qui Matrim. accus. poss.* & ex Theologis Collegium Salmanticen. *tom. 13. in tract. de Legib. tract. 11. cap. 2. punct. 1. & 2.* per tot. & novissimè Cardenas in Crisi Theologica *part. 2. disp. 22. de Legib. & Præcept. cap. 2. & 3.* ubi ex pluribus DD. probat, id esse de fide.

Et ne dicat antenominatus Parochus Synodum Patavinam, de qua supra, esse nimis rigidam, & insolitam; observet sequentes aliarum Diœceseon rectè guber-

Digitized by Google

gubernatarum; in prædicto præcepto concordantes:
videlicèt Decretum Sancti Caroli *in Conc. Provinc.*
19 *Mediol.* 1. summariè relatum à Gavanto *in Manuali Episc. Verb. Parochorum Residentia num.4. & 5.* his
verbis: *Resideant Parochi in ædibus Ecclesiæ Parochialis, nisi aliud videatur Episcopo. Si non habent ædes
proprias, conducant viciniores Ecclesiæ intra fines Parochiæ.* In Constitutionibus autem Justinianeis, compilatis per Illustrissimum, & Reverendissimum D.
Michaelem de Justinianis Vicarium Apostolicum Alerien. vulgari sermone, sed non vulgari zelo *in lib. 3.*
20 *tit.1. cap 9. num 20.* ita decernitur. *Ordiniamo però in
esecutione de Sacri Canoni, del sodetto Sacro Concilio di Trento, e delle Bolle de diversi Sommi Pontefici, come d'alcuni Decreti delle Sacre Congregationi de
Vescovi, e del medesimo Concilio, à ciaschedun Parocho della nostra Diocese, che di giorno, e di notte stia
nella sua residenza, habitando nella Casa Parochiale:
& in difetto di essa, in un'altra esistente nella sua Cura, più vicina alla Chiesa Parochiale, à giudicio dell'
Ordinario sotto le pene promulgate contro li absenti, &
non residenti,*

At, cæteris clarior, & majoris energiæ in hoc puncto, de quo hìc disceptatur, est Synodus Diœcesana
insignis Abbatiæ Farfensis, celebrata *Anno* 1685.
ab Eminentissimo, & Reverendissimo Carolo Cardinali Barberino; in qua *cap. 22. De Officio Parochi
sub num. 5.* post inculcatam obligationem residendi,
21 animarum Rectoribus incumbentem, ita legitur statutum: *Residere autem non aliter intelligantur, nisi in
ædibus Parochiali Ecclesiæ conjunctis, vel (si eas non
habeant) saltem in domo aliqua intra fines Parochiæ
perpetuò inhabitent. Qui secùs fecerint, præter mortalis noxæ reatum, quem incurrunt, gravesque mulctas pro modo culpæ, arbitratu nostro infligendas; sciant
se pro rata temporis absentiæ quoscunque beneficii fructus illegitimè percepisse, nec illos tutâ conscientiâ,
etiamsi nulla pro eis declaratio secuta fuerit, retinere
posse; sed inutilitatem Ecclesiæ, à qua absfuerint, vel
in pauperes ejus loci, arbitrio nostro, esse convertendos.* Si antenominatus Parochus urbanus inurbanè
non vult credere amico eum monenti, ut vadat ad
inhabitandam domum Parochialem, & non pernoctet extra limites suæ Curæ; neque Doctoribus, eum
ita facere debere asserentibus; neque suæ, & aliarum
Diœceseon Synodis idem mandantibus, credat huic
pijssimo, & religiosissimo Cardinali, & Abbati, qui
22 de Parochis extra suam Parochiam habitantibus tria
affirmat, reatum culpæ mortalis: non acquisitionem
fructuum beneficii: & obligationem eos restituendi,
etiamsi nulla contra eum fiat sententia declaratoria;
sic enim est statutum *in cap. fin. De Cleric. non residen.*
in Tridentino Concilio *sess.6. de Ref. cap. 1.* nec non
sess.23. de Ref. cap. 1. atque *in Constit 65.* B. Pii V.
Incipien. *Cupientes: diei 13. Julii 1568.* supra *num.2.*
relata.

Decretis tandem, atque Declarationibus Sacræ
Congregationis tùm Concilii, tùm Episcoporum probatur hæc Parochi obligatio habitandi in domo Parochiali, & ea deficiente, in alia intra limites Parochiæ, quæ sit Ecclesiæ vicina. Easdem declarationes
referunt Doctores sequentes. Primò Garzias *de Be-*
23 *neficiis part.3 cap. 2 num. 179.* his verbis: *XXI. Congregatio Concilii censuit, Rectores Parochialium debere residere in domo ipsarum Parochialium, quod si
Parochiales domos non habent, tunc in alia domo, quæ
sit intra limites Parochiæ, aut saltem ita vicina Parochiali Ecclesiæ, ut indè commodè possint per seipsos
ei inservire. XXII. Eadem Congregatio censuit, Parochum cogendum esse habitare in domo Ecclesiæ, vel
si Ecclesia eam non habeat, in propinquiori intra limites
Parochiæ; quod si non habitaverit, eum teneri ad restitutionem fructuum; de quibus in hoc decreto;* scilicèt
sess.23. cap.1. Concilii Tridentini. Hanc eandem Declarationem refert Barbosa *in Summa Apostol. Decis.
collect. 561. num.4.* Secundò aliam Sacræ Congregationis Concilii Declarationem ponit Nicolius *in Lucubrat. Canonic. lib. 3. tit. 4. De Clericis non residen. sub
num.11.* his verbis. *Sacra quoque Congregatio Concilii
in Una Bononien. censuit, Rectores Parochialium debere residere in domo ipsarum Parochialium. Quod si domos Parochiales non haberent, tunc in alia domo, quæ
sit intra limites Parochiæ, aut saltem ita vicina Ecclesiæ Parochiali, ut indè commodè possint per seipsos ei
inservire.* Tertiò in supracitatis Constitutionibus Justinianeis *d. lib.3. tit.1. cap 9. num.20.* legitur alia Declaratio Sacræ Congregationis Episcoporum *diei 7.
Januarii* 1578. quæ ad Episcopum Ariminen. ita scripsit: *Vegga ancora V.S. se per giustitia si possino ricuperare quelle Case Parochiali alienate malamente da
Rettori, per haver scusa di non fare residenza; alla
quale ogni Curato deve in ogni maniera stare. Et
quando non si ricuperassero, V.S. gli faccia risedere in
una altra Casa, che sia nella Parochia, e più vicina
alla Chiesa, che si potrà commodamente; & à questo
capo ella non manchi d'attendervi diligentemente.* Quartò, cæteris copiosiùs Reverendissimus Prosper Fagnanus, qui diù fuit Secretarius ejusdem Sacræ Con-
24 gregationis, ipsius Decreta, & Declarationes ponit
in cit. cap. Extirpandæ. §. Qui verò. num.12. De Præbend. tom. 4. ubi hæc dicit: *Et in specie, cum multi Rectores Parochialium Ecclesiarum in Diœcesi Eboren. tametsi Parochiales proprias ædes haberent, vel
saltem percommodè possent alias conducere intra limites Parochiæ; tamen aut extra Parochiam, aut extra prædictas ædes inhabitarent; & Episcopus quæsivisset, quid agendum? Sacra Congregatio censuit,
Parochos teneri habitare in domo Ecclesiæ Parochialis; ac si domum non habeant, debere aliquam conducere, saltem intra limites Parochiæ.* Similiter *num.13.*
subsequitur: *Et rursùs petente Præposito Piscien. declarari, An possit compellere Parochos ad habitandum ædes conjunctas Ecclesiis Parochialibus? Sacra
Congregatio censuit, Posse compellere. Si tamen aliquis casus occurrat, qui rationibus specialibus innitatur, rescribendum ad Sacram Congregationem.* Successivè idem Fagnanus ita narrat. *Vincentio Tantel-*
25 *lio postulante sibi concedi, ut posset habitare in domibus
paternis, eo quod in domibus Ecclesiæ Parochialis satis commodè, cum senex esset, habitare non posset;
præsertim cum Ecclesia esset vicina domibus paternis,
& in Ecclesia etiam Coadjutorem sustentaret. Censuit,
scribendum Episcopo, si vera sunt narrata, permittendum Oratorem permanere in domibus paternis; dum
tamen & ipse curam animarum exerceat, ut debet.*
Tria pariter sunt colligenda, & consideranda ex his
SS. Congregationum Cardinalium Declarationibus.
Primum, quod ubi adest domus Parochialis, debet
Parochus in ea habitare. *Secundum*, quod si non adsit, debet conducere aliam vicinam Ecclesiæ. *Tertium*, catenùs posse permitti Parocho, ut inhabitet
in domo paterna, quatenùs illa sit intra limites Parochiæ. In casu præsenti, de quo agitur, domus paterna, seu fraterna est extra Parochiam, & in magna distantia. Ergo ex tenore earundem Cardinalitium Declarationum non potest iste Parochus tutâ
conscientiâ habitare in domo fraternâ; prænarratæ
26 enim Declarationes SS. Congregationum habent vim
Legis; & per consequens est eis obediendum sub culpa peccati mortalis. Barbosa *de Jure Eccl. Univ. lib.1.
cap.4. num.83.* Nicolius *Lucubr. Canonic. in Proemio
num.13.* Peyrin. *de Subdito quæst.1. cap. 25.* Rota coram Buratto *decis.479. num. 21.* Et ego aliàs probavi
De Sacram. Ordinis decis.15. num.31. & plenè dixi *supr.
Discord. 29. num.34. & 36.*

Neque securus potest esse in conscientia antedictus
Parochus, allegando opinionem Ludov. Bejæ *in Respons. Cas. Conscient. par.4. casu 21.* in quo versus finem
27 dicit: *Quocirca illum credo, dicendum esse residere,
qui intra ambitum Parochiæ commoratur, neque ab*
illius

Digitized by Google

illius confinio ultra milliare Italicum diſtat. Quiá talis
opinio eſt erronea, & prorsùs damnata à Doctoribus,
à Synodalibus Decretis, & à Declarationibus SS.
Congregationum ſupra relatis, in quibus omnibus
præcipitur, ut habitatio Parochi ſit intra limites Pa-
rochiæ; vel ei ita vicina, ut commodè poſſit ipſe
vocari ad infirmos, potiſſimùm nocturno tempore,
& hyemali. Convincitur de erroneitate dicta opinio
ex verbis ejuſdem Bejæ *d. caſ.* 21. per eum prolatis;
nempè: *Modicitas eſt quaſi nihilitas, & juxta Philo-*
28 *ſophi Sententiam* 2. *Phyſicor. modicum quaſi nihil ac-*
cipitur. Quomodo igitur modicum diſtabit Parochus
à confinio ſuæ Parochiæ, ſi habitet extra eam per
milliare Italicum? Ipſemet Beja ſubdit *ibidem. Verſ.*
Non tamen. Quomodo ſenes, claudi, vel honeſtæ fœ-
minæ, ſi neceſſitas adminiſtrandi aliquod Sacramen-
tum nocte, vel in hyeme occurrat, tàm longum iter
pedeſtres agere poterunt, vel facile Parochum adire?
Quis non videt, Leucam unam in eundo ad domum Pa-
rochi; & poſtea in redeundo, duas conficere Leucas,
tempuſque in tanto itinere peragendo ſatis notabile
conſumi; ut infirmus poſſit priùs exhalare animam,
quàm Parochus ad illum confitendum, & communi-
candum accedat? Hæc, quæ dicit Beja de Parocho
diſtante per unam Leucam, benè applicari poſſunt
noſtro Parocho Urbano habitanti in domo frater-
na, quæ diſtat à propria Cura per duas alias interme-
dias Parochias, & ad quam ut habeatur acceſſus,
oportet per quatuor, aut quinque longos vicos de-
ambulare; ut in facto cognoſcitur, ſi ejus Parochia-
ni degentes in confinio Curæ versùs Meridiem cogan-
tur iter agere uſque ad dictam domum fraternam, in
qua Parochus ille habitat, ſituatam verſus Aquilo-
nem. Abſque mendacio ab uno termino ad alium de-
currit quarta pars Civitatis. Quomodo igitur (ut ver-
bis Bejæ utar) poterunt ſenes, claudi, honeſtæ fœ-
minæ, de nocte, & in hyeme accurrere ad habita-
tionem ejuſdem Parochi extra Parochiam tàm longè
ſitam? Certè non ſine magno incommodo, imò cum
evidenti periculo, attento abuſu hujus Urbis Paduæ,
29 faciendi de nocte *Chivalî?* & tormenta bellica ex-
plodendi, ut ſcripſi *de Sacram. Pœnitentiæ Deciſ.* 32.
num. 8. Rejectâ igitur opinione Bejæ, ſtandum eſt
probationibus contrariis ſuprà ponderatis, & ex eo-
dem Beja attendendum id, quod dicit in fine prædicti
caſus 21. videlicèt, quod etiam in Lege veteri Levi-
30 tæ obligati erant habitare in medio populi, ad cujus
regimen ſpirituale erant deputati, ut legitur in *Deu-*
ter. cap. 12. *& cap.* 16.

Pariter non ſuffragatur conſcientiæ ejuſdem Paro-
chi aſſertio habendi bonas tibias, & paratum ſe
ſemper eſſe de domo fraterna accurrere ad ſe vocan-
tes. Nam reſpondetur; obediendum eſſe Eccleſiæ
præcipienti, ut habitet in domo Parochiali; quia ad
aggrediendum iter ad cœlum, ideſt ad ſalvandam ani-
31 mam ſuam, non eſt opus tibiis, ſed obedienntiâ
juxta illud *ad Hebr.* 13. *Obedite Præpoſitis veſtris,*
& ſubjacete eis. Imò cum hæc velocitas pedum ſit
ſcandaloſa, nam populi videntes eum decurrere à do-
mo fraterna ad Eccleſiam ſuam Parochialem, vel
ad domos ejus Parochianorum infirmorum, & ſcien-
tes eum contra bonum uſum aliorum Parochorum ha-
bitare extra Parochiam, ſcandalizantur, & ex hoc etiam
capite eſt in ſtatu damnationis æternæ, & tenetur,
ad redimendam animam ſuam, facere id, quod in-
32 jungitur omnibus ab Evangelio *Matth.* 18. 8. *Si pes*
tuus ſcandalizat te, abſcinde eum, & proijce abs te:
Quæ verba exponens Cornelius à Lapide, *in Com-*
ment. ad Matth. 5. 30. ait, *per ea ſignificat, abijcien-*
dum eſſe omne id, quod ad peccatum nos ſollicitat,
quantumvis charum, pretioſum, & neceſſarium
ſit. Et utique ſi prædictus Parochus vult animam
ſuam ſalvam facere, debet abijcere domum fra-
ternam, & habitare intra limites ſuæ Parochiæ, &
in ejus domo Parochiali; quod ſi affectat fraternam
domum, dimittat Parochiam; aliâs in æternum pe-
ribit.

Multò minùs hunc Parochum juvare poteſt, ut li-
beret eum à culpa mortali, exiſtentia, & cohabitatio
in Parochia Collegæ ſui, ideſt alterius Vicarii, Por-
tionarii, ſeu Curati eandem Curam animarum cum
ipſo exercentis: quandoquidem patientia Socii in exer-
33 citio Curæ non liberat conſocium à præciſa ipſius obli-
gatione exercendi perſonaliter diu, noctuque eandem
Curam; eſt enim hæc obligatio perſonalis, ut nota-
tum eſt ſupra in ſecundo præmiſſo *num.* 4. ubi dixi-
mus, quod cum in Parocho quocunque ſit electa indu-
ſtria perſonæ; quilibet Parochus tenetur perſonaliter
animarum Curam gerere; & cum in beneficio, de
quo agitur, ab antiquo poſiti ſint duo Vicarii Curati,
ſivè duo Parochi, ut populus numeroſus ſub hac Ec-
cleſia degens commodiùs Sacramenta recipiat, præ-
cipuè de nocte, & in repentinis infirmitatibus; non
poteſt unus ex eis ſe ſubtrahere pernoctando extra Pa-
rochiam, & alteri Socio totum onus Curæ relinquere.
Præterquamquod cum æqualiter dividant ipſi duo Pa-
rochi inter ſe emolumenta Parochiæ tàm certa, quàm
incerta; ſicque iſte Parochus ſe abſentans de nocte,
& pro majori parte diei ab eadem Cura, capiat me-
dietatem omnium emolumentorum, peccat contra
juſtitiam, & facit Societatem ſuam Leoninam, ut
34 inquiunt DD. *in princ. tit. Inſtit. de Societate*, to-
tum lucrum ad ſe ſpectans capiendo; & totum onus,
ad quod tenetur, non perferendo; eſtque reus culpæ
mortalis etiam ex hoc capite; nam Societas eſt velut
fraternitas. *l. Verum.* 64. *ff. Pro Socio*; & ubi tàm
lucrum, quàm onus non eſt æquale, intrat peccatum
injuſtitiæ. Navarrus *in Manuali cap.* 17. *num.* 152.
Sylveſter *in Summ. Verb. Societas* 1. *num* 8. Pichardus
in Inſtit. Civil. lib. 3. *tit.* 26. *in princ. tit. n.* 24. & Nicolius
eod. tit. §. *De illa. num.* 2.

Inutilis pariter, & frivola eſt alia excuſatio, quod
Curia Epiſcopalis tacet, & ſic tacendo cenſetur appro-
bare, quod non habitet in Parochia. Triplici namque
reſponſione reſolvitur. *Una* eſt, quod Curia Epiſco-
palis tacet, quia Epiſcopus notitiam non habet de hu-
juſmodi irreſidentia, & derelictione domus Paro-
chialis; etenim ſi eam ſciret, non taceret; illam
compeſceret, & non permitteret. Nec mirum, quod
de ea nullus Antiſtitem monitum fecerit; nam, ut
ſcribit Baldus *lib.* 1. *conſil.* 326. *Incipien. Rex Roma-*
35 *norum num.* 5. *Potentes cum omnia habeant, hoc*
unum eis deeſt, ſcilicèt qui eis verum dicat. Et ut ce-
cinit Urbanus VIII. dum eſſet in minoribus in ſuis
Poematibus, *in tit. de Adulat.* quem refert Rubeus
in Annot. ad Rotam part. 3. *recent. Deciſ.* 2. *num.* 167.
Fugit Potentum limina Veritas. *Secunda* reſponſio
eſt, quod ſi Curia Epiſcopalis ſciret, & taceret, Pa-
rochus ille tremere, non autem exultare deberet; ſæ-
pè enim Deus permittit, peccantes non puniri à ſuis
Superioribus in hac vita, & quodammodo eis miſere-
ri, ut eos ipſe puniat in æterna, juxta illud *Iſa* 26.
36 *Miſereamur impio, & non diſcet facere juſtitiam,*
& non videbit gloriam Domini. Quam miſericordiam,
indulgentiam, & permiſſionem recuſabat S. Bernar-
dus, & rogabat, ne ſibi daretur, dicens *Serm.* 42. *in*
Cantic. Hanc ego miſericordiam nolo. Procul fiat à me
miſeratio tàm crudelis. *Tertia* reſponſio legalis eſt,
quod ſivè ſciat Curia Epiſcopalis, ſivè neſciat, ante-
dictum Parochum non reſidere in Parochia, domum
Parochialem non habitare, extra limites Curæ, &
Parochiæ ſuæ degere, ac pernoctare; ejuſdem Epi-
ſcopalis Curiæ taciturnitas non ſalvat conſcientiam
ejus, nec poteſt habere vim licentiæ; quia agitur de
caſu prohibito à Sacris Canonibus, à Tridentino Con-
cilio, & à Decretis S. Congregationis: in prohibitis
37 autem tacitum non habet vim expreſſi; & ex eadem
taciturnitate conſenſus Prælati non infertur, neque
præſumitur, ut benè advertit Caſtrenſ. *conſ.* 259.
Circa primum. lib. 2. Cravetta *conſ.* 200. *num.* 7. & 8.

Digitized by Google

Card. Tuschus *Litt.* T, *conclus.* 7. *à num.* 39. *& seqq.* & Barbosa *Axiom.* 218. *num.* 5. Quare concludendum est cum verbis Pacis Jordani relatis supra sub *num* 2. quod *pœna hujusmodi Parochi absentis à sua domo Parochiali absque causa, & absque licentia in scriptis, præter mortale peccatum, quod incurrit, est amissio fructuum beneficii pro rata absentiæ*; ac proindè tutâ conscientiâ non potest habitare extra
38 domum Parochialem, & multò minùs extra limites suæ Parochiæ. Dianæ quoque Coordinati verba *tom.* 1. *tract.* 3. *resol.* 40. *in princ.* sunt hic pro fine appositè ponenda: *Lege cum attentione hanc resolutionem, ò Parocho, & cave ne in hora mortis illa te tangat.*

DISCORDIA LI.

ARGUMENTUM.

Simonia committitur in permutatione Beneficiorum, si recipiens pinguius beneficium paciscatur, & promittat solvere publicas gravedines, & Pensiones, eidem Beneficio incumbentes, antea decursas. Multò magis si ab eodem donetur domus vel ipsi recipienti Beneficium magis tenue, vel, simulato nomine, ejus Nepoti, quæ nihilominùs donatio est ipso Jure irrita, & nulla. Hinc prædicta domus, mortuo donante, & primo ejus herede, potest capi in tenutam ab Uxore secundi heredis pro solutione suæ Dotis, cujus Privilegium dat ei prælationem in bonis ad maritum spectantibus contra quoscunque creditores, & possessores.

SUMMARIUM.

1 *Promissionis Simoniacæ Tenor inter compermutantes sua beneficia.*
2 *Juramentum compermutantium beneficia, quod inter eos non intervenerit illicita pactio.*
3 *Simoniaci beneficiarii evidens ultio divina per celerem ejus mortem.*
4 *Simonia committitur, cum datur temporale pro spirituali.*
5 *Beneficia Ecclesiastica sunt res spirituales, & invendibiles.*
6 *Simonia est promittere solvere debita cedentis beneficium.*
7 *Decimarum Papalium, & Collectarum onus inhæret fructibus beneficii.*
8 *Pensio beneficii ab eo est solvenda, qui fructus percepit.*
9 *Resignatarius promittens solvere Pensiones antea decursas, Simoniam committit.* Et num. 10.
11 *Donare domum Nepoti resignantis sibi beneficium, est Simonia.*
12 *Simulatio contractus probatur conjecturis.*
13 *Simonia præsumitur ex actorum vicinitate.*
14 *Donationis simulatio probatur à persona, quæ rem donatam detinet.*
15 *Æstimi publici partita probat rem esse ejus, ad cujus nomen est posita.*
16 *Simoniaca res retineri non potest, sed est restituenda.*
17 *Simoniacæ rei restitutio cui sit facienda?*
18 *Donatio Simoniaca est ipso Jure irrita, & nulla.*
19 *Præscriptio non datur ad retinendam rem per Simoniam acceptam.*
20 *Principale si est invalidum, corruunt omnia ejus intuitu facta.*
21 *Sacrificia non sunt efferenda Deo ex fructibus rei Simoniacæ.*
22 *Heres succedit in omne Jus defuncti.*
23 *Heres heredis est heres primi Testatoris, ac primi defuncti.*
24 *Dominium rei, quod habebat Testator, transit ipso Jure in ejus heredem, & in heredem heredis.*
25 *Uxor pro sua dote habet sibi hypothecata omnia bona, quæ spectabant ad ejus maritum.*
26 *Privilegium Dotale dat prælationem mulieri repetenti dotem contra quoscunque creditores, etiam specialem hypothecam in re habentes.*
27 *Possessores rei per Simoniam acquisitæ nunquam censentur domini illius.*
28 *Hypotheca Dotalis capit bona, quæ spectabant ad Maritum, quamvis reperiantur apud tertios possessores.*
29 *Possessor rei, alteri hypothecatæ, tenetur vel eam dimittere, vel ejus valorem creditori privilegiato solvere.*

TRiginta ab hinc annis, in Diœcesi Vicentina, duo beneficiarii convenerunt inter se de permutandis adinvicem suis beneficiis in manu Episcopi: sed quia redditus beneficiorum erant inæquales, qui dabat beneficium tenue, & obtinebat beneficium pingue, ex pacto se obligavit, ac promisit compermutanti, se soluturum debita decursa, & per eum non soluta, transactis annis, super eodem beneficio pingui, publicarum gravedinum; Decimarum scilicèt Papalium, ac Subsidiorum; necnon duas ratas Pensionis, super eodem pingui beneficio existentis, pariter antea decursas; prout ex verbis sequentibus ejusdem obligationis in scriptura privata à promittente subscripta
1 ante prædictam futuram compermutationem: *Resta stabilito, e convenuto, che D. N. promette, e si obliga in sua specialità non solo pagare tutte le gravezze del suo beneficio, mà etiandio quelle del Beneficio di San N. permutante, che sono corse fino al presente giorno: come pure anco la Pensione de Ducati 30. scaduta di due Rate per tutto l'anno passato 1674. così che il Sig. D. N. non habbi à sentire aggravio alcuno, parlando delle Decime, e Pensione scadute, e Gravezze solette.* Post duos circiter Menses à die hujus conventionis in Curia Episcopali fuit admissa dictorum beneficiorum compermutatio ex causis, Episcopi animum moventibus, & præcipuè propter aëris intemperiem, quæ valetudini unius ex compermutantibus erat valdè nociva; iisdem dato Juramento, quod *inter eos non*
2 *intervenerit, nec interveniat dolus, fraus, Simoniæ labes, aut aliqua illicita pactio, vel corruptela, &c.* Subindè post admissam per Episcopum permutationem antequam compermutantes possessionem beneficiorum ingrederentur; qui relinquebat beneficium pingue, observans alterius beneficii nimis tenues esse redditus, & minores valdè suppositâ quantitate, reclamare volebat, ac recedere à permutatione nondum per reciprocam possessionem completâ: quare qui promiserat solvere debita pinguis beneficii, ut illud prorsùs adipisceretur, spopondit ulteriùs, se donaturum eidem compermutanti quandam domum, quam habebat in loco beneficii tenuis permutati; quam Sponsionem ipse acceptavit, sed ne talis donatio tanquam illicita redargui posset ab Episcopo; convenerunt, in Instrumento donationis occultare, ac supprimere nomen donatarii compermutantis, & ejus loco inserere nomen Nepotis ipsius; simulantes, ac fingentes, prædictam domum donari eidem Nepoti ex mera benevolentia, quam ille, qui beneficium pingue adipiscebatur, affectebat habere cum illius genitore, etsi sibi penitùs ignoto. His peractis promissor, & qui domum donaverat obtinuit possessionem pinguis beneficii compermutati, & statim solvit Decimas, annis præteritis decursas super eodem beneficio, in summa L. 352. nec non pro ratis decursis antedictæ Pensionis solvit alias L. 241: 16. & manum apposuit etiam ad extinguendam, seu affrancandam Pensionem ipsam anticipatis solutionibus;

sed,

Digitized by Google

3 sed, non absque evidenti Dei Judicio, ante completum annum habitæ possessionis hujus beneficii pinguis, vitam deseruit præsentem, & ad æternam celeri infirmitate transivit.

Eo defuncto, statim ejus heres vocavit in judicium coram Vicario Episcopali antedictum compermutantem possessorem tenuis beneficii, & ab eo petiit restitutionem tùm librarum 352. solutarum ab ipso beneficiario defuncto, Auctore suo, pro Decimis; tùm librarum 241:16. pariter solutarum pro Pensione; tùm etiam petiit affictum domus, quam ex asserto titulo donationis tenebat, & habitabat, dicens de nullitate ejusdem donationis, super quibus omnibus prædictus compermutans, & possessor beneficii tenuis permutati fuit in contumacia condemnatus; quæ prævia notificatione in judicatum transivit. Diù actum est extrajudicialiter inter heredem Defuncti super executione Decreti contumacialis, & inter ipsum beneficiarium debitorem, qui non impugnando petitionem heredis, sed dilationem ad solvendum flagitando, per amicorum officiosas instantias, distulit solutionem usque ad mortem ejusdem heredis, quæ post annos octo à die Decreti contumacialis prædicti, condito priùs testamento, evenit.

Statim heres heredis iterùm judicialiter petiit antedictas pecunias, & affictus decursos assertæ donatæ domus, tanquam sibi spectantis hereditario Jure; sed interim mortuo etiam herede prædicti heredis, Uxor secundi heredis pro solutione suæ Dotis, inter alia mariti defuncti bona, ex Judicis Decreto intenutavit antedictam domum, ejus possessionem capiendo; contra quam se opposuit Nepos prænominati beneficiarii, tanquam donatarius ex liberali asserta donatione à possessore pinguis beneficii, triginta ab hinc annis sibi facta.

His ita stantibus in facto, de tribus dubitare contingit: *Unum* est, an prædicta beneficiorum permutatio fuerit legitima, vel Simoniaca? *Alterum*, Utrùm donatio domus, de qua supra, fuerit valida? Et *Tertium*, Nùm Uxor ultimi heredis ejusdem donantis possit pro solutione suæ Dotis capere in tenutam eandem domum, à Nepote beneficiarii in præsenti possessam? Super his dubiis requisitus quid sentiam? In sensu veritatis, justitiæ, ac de Jure respondi.

Ad Primum: Prænarratam beneficiorum permutationem non fuisse legitimam, sed Simoniacam, & à Sacris Canonibus penitùs damnatam, & reproba-
4 tam. Siquidem Simonia committitur, quandocunque datur pretium temporale pro re spirituali, vel spirituali annexa. S. Thomas 2. 2. *q.* 100. *art.* 1. Navarrus *in Manuali cap.* 23. *num.* 100. Idem Navar. *lib.* 5. *de Sim. cons.* 67. *num.* 3. *Vers. Non obstat etiam tertium*. Menochius *lib.* 5. *præsumpt.* 9. *num.* 8. idem Menoch. *cons.* 67. *num.* 10. Mascardus *de Probat. conclus.* 1311. *num.* 3. & passim omnes Theologi, & Canonistæ de Simonia scribentes. Sed in hac permutatione beneficiorum, quæ ratione tituli, & officii
5 sunt res spirituales, & invendibiles. Giballin. *de Simonia quæst.* 19. *propos. Unic.* intervenit pretium temporale in solutione debitorum unius compermutantis, & in donatione domus, de qua supra. Ergo permutatio illorum beneficiorum fuit Simoniaca. Menochius *d. cons.* 67. *num.* 10 & ibi Cravetta *cons.* 112. & Natta *cons.* 263. *num.* 2. *lib.* 2. Idem Menochius *d. lib.* 5. *Præsumpt.* 8. *num.* 4. ubi probat, Simoniam esse, si aliquid donetur cedenti beneficium; & *num.* 7. ubi demonstrat, pariter committi Simoniam, si pro habendo beneficio facta sit promissio rei temporalis.

Ulteriùs probatur, Simoniam intervenisse in prædicta permutatione beneficiorum, eò quia recepturus beneficium pingue promisit solvere debita Decima-
6 rum, ac Pensionis, quæ incumbebant relinquenti idem beneficium; nam remittere debita est aliquid pecunia æstimabile, & proprium munus à manu, Giballin. *d. tract. de Simonia quæst.* 16. *consectar.* 5. *num.* 1. Bellettus *disquisit. Cleric. part.* 2. *de Pœnis Cleric.* §. 35. *num.* 10. Ergo est Simonia; quia remittere aliquod debitum idem est ac dare. Glossa *in cap. Veniens.* 1. *Verb. remittere*. ubi Abbas *num.* 7. *de Testib.* Lambertin. *de Jurepatron. lib.* 2. *p.* 2. *q.* 9. *art.* 3. *num.* 8.

Confirmatur, quia Decimæ, ac Pensiones decursæ super beneficio pingui permutato erant solvendæ à possessore ejusdem beneficii; & verè erant debita ipsius, & per ipsum solvenda; ea ratione quia onus
7 collectarum; & Decimarum Papalium inhæret fructibus beneficii; & qui percipit fructus beneficii, fit debitor earundem Decimarum. *l. Si pendentes.* §. *Si quid Cloacarii. ff. De Usufruct. l. Omnes. C. Sine censu, vel reliq. & l. Si negotium. C. De Negot. gest.* Decianus *vol.* 3. *Resp.* 69. *num.* 6. Ergo dum recipiens beneficium pingue promisit illud sibi resignanti solvere Decimas Papales super fructibus annorum præcedentium decursas; & ab eodem resignante perceptis; remisit debitum ipsius resignantis. Ergo Simoniam commisit. Idem dicendum est ob promissam solutionem Pensionum, quas debebat solvere ipse
8 resignans præteritis annis; nam sunt debita propria ipsius resignantis beneficium, & ad eum spectant, itaut si ipse eas non solverit, ejus heredes teneantur ad illarum solutionem. Decian. *Vol.* 2. *Resp.* 37. *num.* 15. Caccialupus *de Pensionib. q.* 11. Gigas *eod. tract. quæst.* 39. *num.* 4. & 10. & hoc ob rationem supra allegatam, scilicèt quia ille tenetur Pensionem solvere, qui fructus percepit. Decius *cons.* 155. *num.* 1. Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancell. Gloss.* 5. §. 5. *num.* 44. Barbosa *in Praxi Exig. Pensiones lib.* 1. *Vot.* 5. *num.* 31. Rota coram Card. Mantica *decis.* 339. *num.* 3. & coram Card. Millino *decis.* 448. *à num.* 2. *& seqq.* Igitur cum ille, qui resignavit beneficium pingue permutationis causa perceperit, annis præteritis, eiusdem beneficii fructus, tenetur ipse solvere etiam Pensiones eorundem annorum; & per consequens si resignatarius ejusdem beneficii, ut illud consequatur, se obliget ad illas solvendas; & promittat per
9 pactum expressum illas solvere, & liberare resignantem ab illarum solutione, Simoniam committit; quia dat temporale pro spirituali, debita remittendo, ac solvendo, quæ ad resignatarium omninò spectant. *cap. Veniens.* 10. *de Testib.* & ibi Glossa *in Verb. remittere*, ita dicens: *Qui debitum remittit, dare intelligitur.* 8. 9. 3. *cap. Talia & ff. de Calumn. l. Quinetiam. & ff. de Condit. causa data. l. Si mulier.*

In terminis autem præsentis casus, quod Simoniam committat, qui ad consequendum beneficium promittit illud resignanti, se paratum esse solvere debita propria ipsius resignantis, docuerunt Rebuffus *cons.* 94. & post eum Parisius *de Resignat. lib.* 14.
10 *q.* 7. *num.* 71. ita scribens: *Vigesimus tertius casus: An renunciatio facta cum pacto, ut resignatarius solvat debita resignantis, sit Simoniaca? Respondeo Affirmativè, ut in terminis consuluit Rebuffus cons.* 94. *per text. in cap. Consuluere.* 38. *de Simonia; & ex notatis in cap. Cum pridem.* 4. *de Pactis.* Et hanc eandem doctrinam amplexata est Rota Romana in casu consimili de promissa solutione debiti, quod imminebat possessori Canonicatus, facta per illum, qui sibi obtinuerat ipsum Canonicatum resignari, ut legitur apud Verallum *part.* 1. *Decis.* 200. quam Decisionem refert etiam Menochius *d. lib.* 5. *Præsumpt.* 9. *num.* 18. Verbis istis: *Nona est* (Simoniæ) *conjectura, quam probavit Rota Romana, referente Verallo in Decis.* 200. *part.* 1. *quando scilicèt constat ex Litteris resignatarii scriptis resignanti, sibi factam fuisse beneficii resignationem ob id, quod ipse resignatarius solverat debitum ejus creditori.* Utique in casu nostro constat ex Scriptura subscripta à beneficiario adspi-

Digitized by Google

adspirante ad beneficium pingue, quod ipse se obligavit solvere debita Decimarum, ac Pensionis, incumbentia possidenti idem beneficium pingue, à quo illud sibi resignari sub hac pactione, & obligatione convenerat. Ergo pactio, & obligatio illa fuit Simoniaca, & illicita; quam subindè ad executionem misit, solvens prædicta debita; ac etiam tradens sub prætextu Donationis domum suam, eidem resignanti, sub simulato nomine Nepotis ejus.

Quo ad Secundum Dubium; in quo quæritur, *An donatio ipsius Domus fuerit valida?* Pariter respondeo, Negativè. Pro meæ responsionis evidentia duo sunt observanda, Unum in facto, aliud in Jure. Primum observandum in facto est, quod domus, de qua agitur, non fuit donata Nepoti illius, qui simoniacè resignaverat beneficium pingue donanti; sed donatio facta fuit ipsi resignanti, simulato nomine Nepotis; quia facta permutatione beneficiorum, cum repertum esset beneficium tenue nimis tenue, voluit reclamare, & impugnare permutationem; quod ne fieret, qui adeptus fuerat beneficium pingue, ad supplendam tenuitatem fructuum beneficii compermutati, donavit suam domum eidem compermutanti; quamvis ad occultandam labem Simoniæ
11 simularit donare domum ejus Nepoti; sed re vera fuit domus donata ipsi resignanti, quæ donatio fuit Simoniaca ex traditis per Navarrum *in Manuali d. cap. 23. num. 100.* per Vasquezium *in Opuscul. de Benefic. cap. 2. §. 4. dub. 3.* per Bonacinam *de Simonia q. 4. §. 12. num. 10.* & plenè per Rotam coram Penia *decis. 430.* Quod autem domus simulatè fuerit donata Nepoti resignantis; sed verè, & realiter ipsi
12 resignanti; cum simulatio probetur conjecturis ex Mascard. *de Probat. conclus. 447. num. 3.* evidenter demonstratur Tribus fortissimis conjecturis. Una est, quod in Instrumento donationis ejusdem domus facto *die 7. Maii 1675.* donans adhuc vocatur, & erat possessor beneficii tenuis; nondumque obtinuerat possessionem beneficii pinguis, obsistente resignatario ejus, etsi ab Episcopo fuisset admissa permutatio *die 5. Aprilis 1675.* Igitur, ut resignans beneficium pingue acquiesceret, & permitteret Resignatario, ut ejus possessionem intraret; ipse Resignatarius statim in compensationem tenuitatis beneficii permutati donavit ei domum illam; fingens eam donare
13 ejus Nepoti, ad occultandam Simoniam, quæ præsumitur ex actorum vicinitate. Chassan. *Decis. Crimin. 16. num. 31.* & ibi Glossa *in cap. Officii.* Nec non Host. Butrius, Abb. & alii *De Elect.* atque Menoch. *lib. 6. Præsumpt. 12. num. 34.* Corsettus *Singul. 111. Verb. Præsumptio.* Farinacius *quæst. 162. num. 146. & num. 154.* & pluribus citatis Marta *cons. 138. num. 8.* ubi firmat, quod ex vicinitate contractuum præsumitur simulatio, & fraus; quæ evidenter resultat in casu nostro, in quo donatio domus, & possessio beneficii pinguis eodem tempore factæ fuerunt. Secunda conjectura simulati nominis est, quod ipsa domus post donationem nunquam fuit habitata ab ipso Nepote, sed ab ejus Patruo, cui verè donata fuerat in compensationem fructuum beneficii tenuis; siquidem ad probandam simulationem rei donatæ attenditur persona, quæ possidet, & detinet
14 rem donatam. *l. Quamvis. C. Si quis alteri, vel sibi.* & in terminis Decianus *vol. 4. Resp. 79. num. 18.* ubi jura, & DD. cumulat. Tertia conjectura est, quod ipse resignans beneficium pingue, cui à resignatario verè fuit donata ipsa domus, illam transtulit in publicis æstimis ad nomen suum; declarans, se esse dominum ejusdem domus, non semel, sed bis, & tertiò; idest in æstimis 1677 1684. & 1690. Cum igitur partita publici æstimi probet, rem esse in do-
15 minio ejus, ad cujus nomen est posita. Peregrin. *de Fideicom. art. 44. n. 7.* & Genua *de Scriptura privata lib. 3. tit. de Libris Æstimi q. 1. num. 19. & q. 2. num. 11. & seqq.* ubi DD. plurimi id præcipuè affirmantes; si ille, ad cujus nomen posita sunt bona in æstimo, solvit collectas; utique in casu nostro, donatio facta fuit Beneficiario compermutanti, qui fecit ponere in æstimo ad suum nomen dictam domum, & pro ea solvit collectas tanquam verus dominus, & possessor illius domus; non autem Nepos, cui simulatè donata fuit; nunquam enim ipse se immiscuit in eadem domo, eodem Patruo suo vivente, neque illam ad suum nomen in publico æstimo ponere curavit. Stat igitur hæc veritas in facto, quod domus non fuit donata Nepoti, sed ejus Patruo, in compensationem fructuum beneficii pinguis ab eo permutati cum beneficio tenui, quod donans possidebat.

Alterum observandum in Jure est; quod qui committit Simoniam in beneficio, illud tradens seu resignans pro re temporali, non potest rem illam tem-
16 poralem tenere, sed obligatus est illam restituere, etiam ante Judicis sententiam, ut præcipiunt sacri Canones, & docent omnes Theologi, & Canonistæ. Quod sit facienda restitutio rei temporalis simoniacè acceptæ pro spirituali, & pro beneficio, præceptum legitur *in cap. Si quis dator. 1. q. 3.* ubi hæc habentur: *Si quis dator, vel acceptor Dei Ecclesias, vel Ecclesiastica beneficia, quæ quidam Præbendas vocant, sub pecuniæ interventu susceperit, sivè dando emerit, sivè accipiendo vendiderit, à Simonis non excluditur perditione,* & infra: *Rationis ergo vigore cogitur, quod injustè receperit restituere; & quidquid turpis lucri gratia receperat, non tenere.* Idem reperitur statutum in *cap. Ea, quæ. d. 1. q. 3.* his verbis. *Ea, quæ à Sanctis Patribus de Simoniacis statuta sunt, nos quoque & judicio Sancti Spiritus, & Apostolica Auctoritate firmamus. Quidquid ergo vel in Sacris Ordinibus, vel in Ecclesiasticis rebus vel data, vel promissa pecunia acquisitum est, nos irritum esse, & nullas unquam vires habere censemus.* Similiter de hac obligatione restituendi id, quod Simoniacè acceptum est, expressè statuitur *in cap. De hoc. 11. De Simonia*, in quo Alexander III. circa electionem ad Episcopatum à Rege Hispaniarum per munera factam sic jubet: *Regem autem, & Principes ejus debes inducere, ut si qua receperint à præfato Episcopo, ut ejus electioni præstarent assensum Ecclesiæ Oxomensi, sine diminutione restituant; cum ea sine gravi suæ salutis periculo retinere non possint.* Concordat dispositio *cap. Veniens 19. eod. tit.* ubi de pecunia per Simoniam accepta, à quodam Abbate, ac Monachis ita mandatur: *Mandamus, quatenùs si ita esse inveneris, Abbatem, & Monachos ad restituendam pecuniam præfato F. tam indignè acceptam compellas.* En igitur aperta Jura præcipientia restitutionem rei temporalis acceptæ Simoniacè pro consequendo beneficio; quibus attentis idem concorditer docent tàm Theologi, quam Canonistæ, ut videre est apud Sanchez *in Consil. Moralib. lib. 2. cap. 3. dub. 112. & dub. 113.* ubi *num. 1.* plurimos allegat; & apud Navarrum *in Manuali cap. 23. num. 111. Vers. ad 13.* nec non *lib. 5. Consilior. tit. de Simonia cons. 68.* quibus adhærent Layman *de Simon. lib. 4. tract. 1. cap. ult. §. 9. num. 79.* Lessius *de Justit. & Jure lib. 2. cap. 35. dub. 30. num. 169* Bonacina *tom. 1. De Simon. disp. 1. quæst. 7. punct. 3. num. 7.* Novissimè Mastrius *in Theolog. Mor. disp. 14. num. 103.* Giballinus *de Simonia Universa quæst. 22.* & Collegium Salmanticense *in Cursu Theolog. Moral. tom. 4. tract. 19. de Simonia cap. 4. punct. 3. num. 29.* ubi ita scribit: *Quod autem in illis tribus casibus Simoniæ (sc. Religionis, Ordinis, & Beneficiorum) debeat restitui pretium receptum, omnibus est inconcussum: & quidem in Simonia commissa in beneficiis debere ante omnem sententiam pretium restitui constat expres-
17 sè ex cap. De hoc. De Simonia.* Et quamvis postea disputent DD. cui sit facienda restitutio rei per Simoniam acceptæ? an pauperibus? an Ecclesiæ? an ipsi,

Digitized by Google

ipsi, qui eam dedit? Concludunt, probabiliorem esse sententiam, ipsi danti, ei scilicèt, qui eam dedit, esse restituendam ante Judicis sententiam; ut tenet Sanchez *d. lib.* 1. *Consil. Moral. cap.* 3. *dub.* 114. *num.* 11. sic dicens: *Secunda tamen sententia docet, restituendum esse pretium danti ante Judicis sententiam. Ratio, quia dans non aliter abdicat à se dominium, nisi ut in recipientem transferat. Ergo si recipiens est incapax, dans manet dominus. Ergo non est spoliandus, nisi lege aliqua fiat incapax recipiendi, quæ tamen non extat; nam textus citati applicantes Ecclesiæ injuriam passæ pretium, sunt in pœnam talis injuriæ: at pœna non obligat ante Judicis sententiam.* Et adducit alios tresdecim DD. sic tenentes, ac concludentes hanc esse opinionem probabiliorem; quibus alios moderniores addo, nempè Dianam Coordin. *tom.* 5. *tract.* 7. *resol.* 9. §. 4. & Antonellum *de Jurib. Cleric. lib.* 1. *part.* 3. *cap.* 36. *num.* 28. ubi alii plurimi.

His itaque sic prænotatis deveniendo ad resolutionem Secundi Dubii, Utrùm donatio ipsius domus pro habenda possessione beneficii pinguis fuerit valida? Respondeo negativè, ea ratione, quia donatio ipsa fuit, & est Simoniaca, per sacros Canones re-
18 probata; idcircò ab initio fuit irrita, ut est textus expressus *in cap. fin. de Pactis* ita loquens: *Pactiones factæ à vobis (ut audivimus) pro quibusdam Spiritualibus obtinendis: cum in hujusmodi omnis pactio, omnisque conventio debeat omninò cessare, nullius penitùs sunt momenti.* Igitur donatio domus, de qua agimus, ab initio irrita fuit, tanquam à Jure prohibita, nec potuit donatario acquiri, ipso Jure Canonico vetante; ut benè considerant DD. supracitati; inter quos doctissimus Mastrius *d. disp.* 14. *num.* 103. hanc reddens rationem invaliditatis donationis antedictæ, ita dicens: *Et ratio est quia Jus Canonicum supra allegatum, illum incapacem reddit dominii talis rei Simoniacè acceptæ.* Concordat Bonacina *d. disp.* 1. *q.* 7. *punct.* 3. *num.* 4. subdens: *Accepta per contractum irritum retineri non possunt, cum non adsit titulus, ob quam retineri queant.* Et magis in terminis pro resolutione præsentis dubii loquitur etiam Giballinus *in cit. quæst.* 22. *de Simon. Univ. num.* 9. hæc subdens: *Cum Ecclesia ejusmodi Simoniacam provisionem, & pactionem irritarit, sequitur necessariò, atque ex lege naturali non posse retineri pretium illud; quandoquidem per invalidam donationem, & pactionem, ejus dominium transferri non potuit.* Quapropter, cum sacri Canones irritent prædictam domus donationem tanquam Simoniacam, & factam ob permutationem beneficii tenuis cum beneficio pingui; & faciant donantem inhabilem ad donandum; reddantque donatarium incapacem acquirendi dominii rei Simoniacè donatæ; sequitur donationem domus, de qua agimus, esse & ab initio fuisse invalidam; & semper remansisse apud donantem, & in dominio ipsius donantis; *Qui*, ut ait Collegium Salmanticense *d. tract.* 19. *de Simon. cap.* 4. *sub num.* 30. *dans rem non abdicavit à se dominium, cum non alia ratione intenderit abdicare, nisi quatenùs illud transferret in donatarium; sed non transtulit illud in donatarium, quia ex Jure positivo incapax est talis rei dominium recipiendi. Ergo apud ipsum remansit dominium.*

Nec juvare potest Nepotem donatarii Simoniaci Præscriptio ex cursu triginta annorum à die assertæ donationis usque in præsentem diem; quia cùm Jus resistat eidem donationi; & donatarius fuerit Simoniacus, ac possessor malæ fidei, nullam potest alle-
19 gare præscriptionem. Grammat. *Decis.* 79. *num.* 8. & 9. Cacheran. *Decis.* 160. *à num.* 1. & *seqq.* Alciatus *Regul.* 3. *Præsumpt.* 30. *num.* 1. & Antonellus *de Tempore Legali lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 17. 18. & 19. ubi subdit, quod possessor hujusmodi per quodcunque spatium temporis non facit fructus suos; & tantò minùs in casu isto, in quo heres donantis Anno 1676. judicialiter petiit à donatario tùm restitutionem pecuniæ à donante solutæ pro debitis super beneficio permutato; tùm relaxationem prædictæ domus nulliter donatæ, & solutionem affictuum pro ipsa; & obtinuit sententiam in contumacia ejusdem donatarii, quæ ei notificata, & nunquam revocata transivit in rem judicatam. Antonell. *d. tract. de Temp. Legali lib.* 3 *cap.* 13. ubi DD.

Minùs tueri se potest Nepos Adversarius dicendo, restitutionem, & relaxationem domus dono datæ, sua vita durante, habere obligationem Missarum, quas donans ordinavit in perpetuum pro suffragio animæ suæ. Quia respondetur dupliciter: Primò, quod eatenus imposita fuit illa Missarum obligatio super domo donata, quatenùs putavit, donationem illam valere. Sed cum donatio corruat, tanquam irrita, & invalida de Jure Canonico, ut vidi-
20 mus, corruit etiam ordinatio Missarum, quia principale ubi est invalidum, nec ea, quæ ejus intuitu facta sunt, valent. Menochius *de Arbitrar. Jud. q.* 47. *num.* 4. & ibi DD. & in hoc casu debet habere locum Regula, quæ dicit, Accessorium sequitur naturam sui principalis. *cap. Accessorium. De Reg. Jur. in* 6. & ideò si corruit principale, necesse est ut corruat etiam Accessorium, quamvis esset dignius ipso principali. *l. Etsi non sint.* §. *Perveniamus. ff. De auro, & arg. leg.* Romanus *cons.* 330. & Hyppolit. de Marsiliis *singul.* 17. *num.* 6. ubi DD. Respondetur Secundò, quod attenta pravitate Simoniacâ, qua affecta fuit illa domus; ex ejus affictibus non sunt offerenda sacrificia, quia ut habetur in *cap. Non est putanda.* 1. *q.* 1. *Hostiæ impiorum abominabiles, quæ offeruntur ex scelere. Quidquid enim in Dei Sacrificio ex scelere offertur, Omnipotentis Dei non placat iracundiam, sed irritat.* Idcircò cum donatio non sub-
21 sistat, ac invalida sit omninò, extinctum censetur etiam onus Missarum impositum super illa; siquidem injunctum fuit donatariis, non autem heredibus donantis; ad quos cum Sacri Canones decernant spectare illam domum tanquam non donatam; censentur etiam talem ad eos reverti, qualem ipse donans eam possidebat, idest absque asserto onere Missarum.

Quo ad Tertium, & ultimum dubium: Nùm Uxor ultimi heredis ejusdem donantis possit pro solutione suæ Dotis capere in tenutam eamdem domum, à Nepote donatarii in præsenti possessam? Respondeo Affirmativè: Siquidem cum prædictæ domus donatio fuerit ipso Jure irrita, & invalida, ut demonstratum est; & ejus dominium semper remanserit penès donantem, sequitur, quod ejusdem donantis morte secuta dominium ipsius domus transivit in ejus heredem; heres enim succedit in omne
22 jus defuncti *l. Heres in omne* 37. *ff. de Acquir. heredit.* Ant. Pichardus *Instit. Civil. lib.* 4. *tit.* 15. *in princ. tit. num.* 56. ubi reddit rationem dicens, *quia hereditas nihil aliud est, quam successio in universum jus, quod defunctus habuit tempore mortis*, *l. Nihil aliud.* 24. *De Verb. Signif. l. Hereditas.* 63. *ff. de Reg. Juris.* Hinc ipse Heres statim post mortem donantis, idest *die* 18. *Januarii* 1676. in Curia Episcopali Vicentiæ inter cætera judicialiter petiit ab eodem donatario *l'Affitto della Casa da esso Reverendo habitata, e che tuttavia habita*, qua petitione declaravit se dominum ipsius domus; ad cujus affictus solutionem sibi faciendam obtinuit etiam condemnari eumdem donatarium habitatorem domus. Cumque post aliquod tempus contigisset mors ejusdem Heredis, qui in suo testamento instituerat heredem sibi maritum præfatæ Uxoris; ipse maritus, atque secundus heres *die* 6. *Decembris* 1684. iterùm judicialiter petiit à Reverendo Donatario solutionem omnium partitarum, ad quam condemnatus fuerat ad instantiam Testatoris defuncti. Ex his sequitur ejusdem domus dominium transiisse in hunc secundum heredem, prout transierat

Digitized by Google

rat post mortem donantis in primum heredem; cer-
23 ta enim regula Juris est, quod heres heredis est he-
res primi testatoris, ac primi defuncti. *l. fin. C. De
Hered. Instit.* Menochius *cons.* 124. *num.* 21. Rota
part. 5. *recent. decis.* 363. *num.* 9. *tom.* 1. & sicut pri-
mus Testator, idest ipse donans non amisit domi-
nium domus simoniacæ donatæ, sed illud remansit
apud ipsum; ita ejusdem domus dominium perve-
nit tàm in primum, quàm in secundum ejus heredem;
24 & sic absque ulla hæsitatione constat, ipsam domum
connumerari inter bona hujus secundi heredis, mari-
ti mulieris, quæ nunc agit ad suæ Dotis solutionem.
Igitur ipsa mulier, & Uxor jure optimo cæpit inte-
nutam prædictam domum invalidè donatam, tan-
quam de bonis spectantibus ad maritum suum; quan-
doquidem eo defuncto Uxor favore Dotis habet de
Jure sibi tacitè hypothecata omnia bona, quæ post
25 contractum matrimonium quomodolibet spectant ad
Maritum. *l. Si qui mihi.* 28. *ff. De Jure Fisci l. Uni-
ca.* §. 1. *& ibi DD. C. de Rei Uxor. act.* Merlinus de
Pignorib. & Hypothec. lib. 3. *tit.* 2. *q.* 43. *num.* 1. *&* 2.
ubi DD. cumulat; *& num.* 6. ostendit, Privilegium
dotale tantæ esse virtutis, ut faciat habere præla-
tionem ipsi mulieri dotem suam repetenti contra
26 quoscunque alios creditores, quamvis in ea re hypo-
thecam specialem habentes; ut admittit etiam Ro-
ta *part.* 6. *recent. decis.* 152. *num.* 3. & ab eadem fuit
antea decisum *part.* 5. *rec. decis.* 328. ubi *num.* 20. sic
loquitur. *Hypotheca Legalis pro dote in omnibus bonis
marito post contractum Matrimonium quæsitis præfer-
tur omnibus aliis hypothecis tacitis, & expressis, ex
hominum dispositione provenientibus, quia dispositio Le-
galis citiùs, quàm hominis operatur.* Salicet. *in l.
Assidui num.* 4. *C. Qui pot. in pignor. hab.* Faber *in* §.
Fuerat num. 7. *Instit. de Action.* Negusantius *de Pi-
gnorib. membr.* 4. 2. *part. num.* 100. Guttierez *lib.* 3.
practic. Quæst. num. 18. Barbosa *in l.* 1. 2. *part. num.*
17. *soluto Matrim.* Soles *de Censib. lib.* 3. *cap.* 5. *ex
num.* 11. Roderic. *De Annuis redditib. lib.* 2. *q.* 19.
num. 7.

Et hac hypothecâ Dotali privilegiatâ attentâ,
nihil relevat, si Nepos Adversarius dicat, se de *An-
no* 1697 23. *Decembris* alienasse prædictam domum
cuidam Nobili Viro, & Comiti Vicentino, cui eam
ad livellum dedit ante mortem Mariti ejusdem mu-
lieris, ad solutionem Dotis agentis. Quia responde-
tur, quod dicta domus per titulum infectum Si-
moniæ, occupata fuit tùm ab Avo ipsius Nepo-
tis, tùm, eo mortuo, ab ipso Nepote, qui non
27 fuerunt domini legitimi ejusdem domus, nec potue-
runt de ea disponere ex notatis supra *Vers. Alte-
rum*, quia semper fuerunt in mala fide, potissimùm
attentis Judicialibus petitionibus Heredum donantis
in Curia Episcopali Vicentina, de quibus supra.
Sed dato, & non concesso, quod Nepos asserti do-
natarii alienasset eandem domum bona fide; adhuc
respondetur, posse capi in tenutam à muliere pro
restitutione suæ Dotis, quia Hypotheca Dotalis
capit bona, quæ spectabant ad maritum, quamvis
28 illa reperiantur apud tertios possessores, ut scribit
Antonius Pichardus *Instit. lib.* 4. *tit.* 6. *post* §. *Quæ-
dam actiones* 20 *Art.* 5. *num.* 65. his verbis: *Habet
item locum prædicta Regula* (Hypothecæ Dotalis)
*contra tertios possessores, quocunque titulo res hypo-
thecæ supposita ad eos pervenerit; quia per distractio-
nem factam jus hypothecæ, quod creditores habent,
non minuitur. l. Si convenerit.* 18. §. *Si fundus. ff.
De Pignor. Act. l. Si fundus.* 16. §. *In vendicatione. ff.
De Pignorib. l. Si debitor.* 12. *l. Rei creditor.* 17. *C. De
distract. pignor.* Et explicat Negusantius *De Pignorib.*
29 *membr.* 3. *in* 5. *part. num.* 2. Et inde tertius possessor
cogitur antiquiori creditori illius debitoris, à quo rem
habuit, vel solvere, vel rem hypothecæ obnoxiam
dimittere. Quod etiam docet Covaruvias *lib.* 1. *Var.
cap.* 8. *& lib.* 3. *cap.* 18. *num.* 4. *& lib. Unic. pract.
quæst. cap.* 29. *num.* 4. nec non Card. Mantica *de
Tacitis, & ambig. convent. lib.* 11. *tit.* 26. *num.* 22.
& pluries decisum fuit à Rota Romana, ut habe-
tur apud Burattum *decis.* 844. *num.* 3. *& part.* 6. *rec.
decis.* 312. *à num.* 2. *& seqq. & part.* 7. *recent. decis.*
30. *num.* 12. Novissimè *part.* 19. *recent. decis.* 162.
num. 7. ubi aliæ plurimæ Decisiones allegantur.
Quare &c.

DISCORDIA LII.

ARGUMENTUM.

Collegialitatis quasi possessio Ecclesiæ Scledi, Vicentinæ Diæcesis, canonizata fuit in Nunciatura Apostolica Venetiarum Anno 1665. ut ex sequenti Voto celeberrimi Viri *Joannis Baptistæ Turricellii J.U.D. Nobilis Patavini*, tunc ibi Pro Auditoris, & Judicis Delegati; à quo prodiere etiam doctissimi Tractatus *De Rebus Ecclesiæ non alienandis*; nec non *De Unione*. In hoc Voto refert conjecturas, & argumenta probantia dictam Collegialitatem; & resolvit objecta, quæ Fiscus Curiæ Episcopalis Vicentinæ faciebat contra ipsam.

SUMMARIUM.

1 *Interpretatio capienda pro Cultus Divini augmento.*
2 *Sententiæ in judicatum transactæ habentur pro Veritate.*
3 *Sententia non appellata censetur tacitè approbata.*
4 *Sententia quamvis nulla si à parte approbetur, ampliùs nequit impugnari.*
5 *Sententia post annos 40. etiam non visis actis præsumitur justa.*
6 *Citationis defectus in sententia semper observata allegari non potest.*
7 *Festinationis præsumptio circa sententiam cessat, quando tempus sufficiebat pro Judice instruendo.*
8 *Collegialitas Ecclesiæ probatur ex actis antiquis factis nomine Archipresbyteri, & Canonicorum.*
9 *Enunciativæ antiquæ de Collegialitate eam probant.*
10 *Episcopi, & eorum Vicarii præsumuntur scire statum suarum Ecclesiarum.*
11 *Actus, qui fiunt collegialiter, probant Ecclesiæ Collegialitatem.*
12 *Emphyteoticæ concessiones dicuntur alienationes.*
13 *Capituli bona sine ejus consensu non alienantur.*
14 *Capituli consensus requiritur in alienatione bonorum Mensæ Episcopalis.*
15 *Testes examinati etiam in foro Laico probant Collegialitatem.*
16 *Collegialitas probatur ex publica voce, & fama.*
17 *Almutiæ usus est signum Collegialitatis.*
18 *Collegialitas Ecclesiæ probatur conjecturis.*
19 *Sigillum commune, Massa, & statuta sunt signa Collegialitatis.*
20 *Fama quando non probet Collegialitatem?*
21 *Collegialitas alia in actu, & alia in habitu.*
22 *Enunciativæ recentes Collegialitatem non probant.*
23 *Fraternitatis nomen indicat Collegialitatem.*
24 *Tractatus communis est signum Collegialitatis.*
25 *Fama in antiquis plenè probat.*
26 *Sigillum commune, aut alia si deficiant, aliis signis Collegialitas probari potest.*
27 *Parochialis nomen, & Concursus in provisione Ecclesiæ non destruunt ejus Collegialitatem.*
28 *Status antiquus Ecclesiæ mutari non potest ab Episcopo.*
29 *Beneficiorum dispositio in Collegiatis spectare potest ad Episcopum vel ex consuetudine, vel ex Privilegio.*

30 Inju-

Digitized by Google

30 *Injustitia notoria requiritur ad elidendam rem judicatam. Et quæ dicatur notoria?*
31 *Injustitia in sententia An sit? est priùs discutiendum. Deindè an sit notoria?*
32 *Injustitiæ notorietatem tollit quælibet offuscatio.*
33 *Restitutio non datur adversùs sententiam, de cujus injustitia non constat.*
34 *Præscriptio 40. Annorum firmat Collegialitatem Ecclesiæ.*
35 *Probatis extremis media præsumuntur.*
36 *Enunciativæ erroneæ non præjudicant Veritati.*
37 *Notarii assertioni non creditur in his, quæ sunt Juris.*
38 *Protestatio præservat à præjudicio in sedendo.*
39 *Decretum Synodale, ne in sedendo alicui præjudicetur, præservat à præjudicio.*
40 *Consensus, qui ex facto colligitur, non se extendit ultra factum.*
41 *Præscriptio non inducitur sine possessione.*
42 *Collegialitatis denominatio, & ejus communis reputatio dat possessionem, vel quasi in ea.*
43 *Almutiæ usus probat Collegialitatis possessionem.*
44 *Sententia super proprietate Collegialitatis includit etiam ejus possessionem.*

VOTUM

REVERENDISSIMI D.

JO: BAPTISTÆ TURICELLII

Pro Aud. Generalis Nuntiaturæ Venet. & Jud. Deleg.

AB ILLUSTRISS. D.D.

NUNTIO APOSTOLICO

IN CAUSA

De SCLEDO Vicentina Collegialitatis.

IN Causa vertente inter Communitatem Scledi, & Fiscum Episcopalem Vincentiæ super Collegialitate Ecclesiæ Sancti Petri ejusdem Terræ Scledi, etsi plura adducerentur pro Fisco, nihilominùs visis sententiis Illustrissimorum Episcopi Delphini, & Archiepiscopi Stellæ canonizantibus statum Collegialem prædictæ Ecclesiæ, visisque actibus per successores Episcopos Eminentissimum Bragadenum, & Illustrissimum Brixiam factis in approbationem, & execu-
1 tionem dictarum sententiarum, tot Ordinariorum Judicia, quibus in hac materia plurimùm defertur, improbare subsistens, maximè ad diminutionem Cultus Divini, pro cujus augumento semper capienda est interpretatio. *Gregor. XV. decis.* 483. *num.* 6. ad favorem præfatæ Ecclesiæ tandem inclinavi, confirmando decretum per Dominum Auditorem Brunettum Antecessorem meum in eadem causa factum pro Collegialitate.

Motus, quia Sententiæ Delphina, & Stella 1613., & 1634. ob non interpositam appellationem in judicatum transactæ pro veritate haberi debent, adeòut statum
2 Collegialem firment *l. res judicata ff. de re judicata* cum concordantibus. Mascard. *de Probat. concl.* 1296. *num.* 14. *& seqq.* Fagnan. *in Puncto, in cap. Postulasti num.* 17. *de Jure patr.* Et lapso quadriennio tollant etiam remedium restitutionis. *cap.* 1. *de Restit. in integ. in* 6. *l. fin. C. de temp. in integ. restit.*

Nec obstare duxi prætensam nullitatem, & injustitiam, ex quibus sententiæ nunquam in judicatum transeunt, & in integrum restitutio etiam post quadriennium conceditur.

Primò quia approbata per Fiscum sententia Delphina non solùm tacitè mediante aquiescentia, & non
3 interposita appellatione *ad decis.* 59. *num.* 11. *post Postb. de manutenen. & decis.* 264. *num.* 6. *part.* 7. *recenc.* sed etiam expressè per actum Procuratoris Fiscalis 7. Januarii 1634. assentientis executioni ejusdem sententiæ, prout fuit exequuta, & successivè observata ad Burat. *decis.* 376. *num.* 2. talis sententia etiam nulla
4 tenet in vim pacti, & conventionis. *l.* 2. *C. communia utriusque Judit.* & habet vim tituli, contractus, & instrumenti. Peregr. *cons.* 33. *num.* 18. *vol.* 1. adeòut ampliùs à Fisco impugnari nequeat. Felin. *in cap. Cum ex officii num.* 34. *de Præscript.* Bald. *in l. Eum qui. q.* 3. *ff. de Jurisd. omnium Jud.*

Secundò, Quia cum sententia Delphina, in cujus executionem deindè emanavit sententia Stella lata fuerit 40. abhinc annis, & ultrà, ratione antiquita-
5 tis ritè, & rectè lata præsumitur etiam sine actis. Rot. apud Mantic. *decis.* 296. *num.* 6. *&* 7. Cavaler. *decis.* 22. *num.* 5. *& recenc. part.* 2. *decis.* 673. *num.* 1. Ideò dicenti eam non esse ex actis justificatam incumbit onus probandi istam negativam, docendo de integra productione processus, maximè cum plura Jura in dicta sententia enuncientur, quæ non leguntur in processu exhibito, & doceatur de effectuatione, & continuata observantia ejusdem sententiæ, ex qua omnia præsumuntur justificata. Rota *divers. part.* 1. *decis.* 636. *num.* 1. 2. 3. Burat. *decis.* 376. *num.* 3. 6. 7. *& ibi Add. litt.* A. Merlin. *decis.* 340. *n.* 3. 4. 5.

Tertiò, quia objectæ nullitates, & injustitia singillatim perpensæ visæ sunt irrelevantes, & non attendendæ.

Siquidem nullitas ex defectu citationis Promotoris Fiscalis adducta adversùs primam sententiam non potest allegari, postquam dicta sententia parte non
6 opponente fuit confirmata per aliam sententiam, quæ pariter transitum fecit in judicatum. Cæsar de Graff. *de Caus. poss. & propr. decis.* 9. *num.* 11. Burat. *decis.* 130. *num.* 13. Andr. *decis.* 19. *num.* 1. *&* 2. ubi quod ità fuit pluries decisum.

Nullitas ex defectu cognitionis causæ objecta adversus secundam sententiam, uti præcipitanter latam sequenti die post præsentatum processum Promotori Fiscali, tollitur ex inspectione ipsius processus, qui
7 admodum parvus potuit brevi tempore perlegi, & considerari, nam festinationis præsumptio cessat ubi illo brevi tempore potuit Judex de causa commodè instrui. Dec. *cons.* 296. *num.* 6. Menoch. *de Arbitr. q.* 42. *num.* 9.

Prætensa autem Injustitia utriusque sententiæ ex earum non justificatione tollitur ex lectura actorum, & jurium, quibus eæ fundantur; nam fuerunt producta plura antiqua Instrumenta, præcipuè de annis 1347. 1415. & 1448. continentia diversos actus cele-
8 bratos ab Archipresbytero nomine Canonicorum, & Capituli ejusdem Ecclesiæ sub nuncupatione Collegiatæ, ex quibus elicitur, Primò dictam Ecclesiam ab antiquissimo tempore dignitatem tamquam caput, & Canonicos uti membra habuisse, quod est signum potissimum Collegialitatis *ex trad. per Innoc. in cap. Postulasti in princ. de Jure patr.* Mant. *decis.* 215. *num.* 1. Pen. *decis.* 960. *num.* 2. *&* 1163. *num.* 6. Merlin. *decis.* 87. *num.* 8. *& recen. part.* 4. *tom.* 2. *decis.* 292. *num.* 3
9 Item eliciuntur plures enunciativæ Collegialitatis quæ in materia adeò antiqua plenè probant. Alex. *cons.* 74. *num.* 4. *& cons.* 75. *num.* 3. *lib.* 4. Decian. *cons.* 6. *num.* 6. *&* 7. *lib.* 2. Fagnan. *in d. cap. Postulasti num.* 14. Rot. apud Pen. *decis.* 960. *num.* 7. 9. *& decis.* 1163. *n.* 9.

Maximè adminiculatæ aliis similibus enunciativis in posterioribus Instrumentis 1525. & 1588. licèt non adeò antiquis. Rot. apud Put. *decis.* 204. *num.* 1. *lib.* 2. *in correct.*

Et emanatæ in actibus celebratis coram Episcopis, aut eorum Vicariis, qui de statu suarum Ecclesiarum informati præsumuntur, nec permisissent di-
10 ctam Ecclesiam Collegiatam nuncupari in eorum præjudicium. Fagnan. *in d. cap. Postulasti n.* 14. *ad fin.* Pen. *d. decis.* 960. *num.* 7. *& decis.* 1163. *num. eodem, & recen. part.* 4. *decis.* 395. *num.* 3.

Digitized by Google

Fortiùs attenta qualitate dictorum actuum Collegio propriè convenientium, cujusmodi sunt locationes, & concessiones in Emphyteusim, de quibus in dictis Instrumentis, factæ ab Archipresbytero nomine Canonicorum, & Capituli, & de eorum consensu; nam
11 ubicumque aliquis Præsidens in Ecclesia facit actum cum sociis, qui non solet fieri nisi Collegialiter, ille actus probat Ecclesiam esse Collegiatam. Feder. *de Sen. conf.* 41. *seù* 61. & in puncto locationum Alex. *d. conf.* 74. *num.* 4. *lib.* 4. Pen. *d. decis.* 960. *num.* 5. *& decis.* 1163. *num.* 10. ex authoritate ejusdem Alex.

Cujus dictum confirmari posse videtur, ex eo quod locationes ad longum tempus, & concessiones Em-
12 phyteuticæ alienationis nomine comprehenduntur. Rot. *decis.* 146. *num.* 3. *& decis.* 700. *num.* 1. *part.* 1. *& decis.* 26. *num.* 3. *part.* 2. *Diversf. & decis.* 280. *num.* 7. *recen. part.* 1. Alienationes autem bonorum Ecclesiæ Capitulum habentis non fiunt sine tractatu, & consensu Capituli, *ad text. in cap. fine exceptione* 12. *q.* 2. *& not.* per Rot. apud Seraph. *decis.* 1080. *num.* 6. Veral.
13 *decis.* 106. *num.* 1. *par.* 1. Cavaler. *decis.* 439. *num* 3. *& recen. part.* 5. *decis.* 350. *num.* 24. Quamobrem dictum Feder. *de Sen.* ad solum actum constitutionis Syndici non videtur restringendum, ut fuit motivatum pro Fisco, cum ratio dicti sit magis attendenda, quæ extenditur ad omnes actus capitulariter geri solitos, cujusmodi sunt locationes prædictæ, in quibus, etsi recognitio livellaria Archipresbytero tantùm promissa fuerit, non ideò excluditur commune interesse Capituli, ut pro Fisco ponderabatur, sed imò fortiùs argumentum Collegialitatis ex hoc deducitur, nam secluso interesse Canonicorum, non erat opus eorum consensu, si simplices Clerici fuissent: at quia erant verè Canonici, requirebatur illorum consensus, etiam si non haberent particulare interesse, sed tantùm
14 commune interesse suæ Ecclesiæ. Seraph. *decis.* 338. *num.* 2. *& decis.* 443. *num.* 4. *&* 5. ubi quod consensus Capituli requiritur non uti personæ interesse habentis, sed tanquam solemnitas, & debet intervenire etiam in alienatione bonorum mensæ Episcopalis separatæ à mensa Capituli, cujus interest ne possessiones, & bona Ecclesiæ alienentur.

Instrumentis ut supra productis accedunt relationes, seu informationes ab Illustrissimis Rectoribus Vincentiæ usque de Anno 1613 Excellentissimo Senatui missæ cum depositionibus testium de fama, & communi reputatione Collegialitatis dictæ Ecclesiæ, quæ quidem informationes, & testificata, licèt recepta
15 à Judice Laico, magnum præstant argumentum ad probationem facti antiqui coadjuvandam. Seraph. *decis.* 1047. *num.* 3. Rot. *decis.* 353. *num.* 71. *part.* 5. *& decis.* 177. *antè num.* 5. *part.* 6. *recen.* Immò producta coram Judice Ecclesiastico plenè probant per ea, quæ tradit Rot. de Sententia lata à Judice laico in materia, in qua non habet jurisdictionem. *decis.* 673. *num.* 2. *part.* 2. *recen.*

Fama autem, & communis reputatio probat Ec-
16 clesiam esse Collegiatam. Alex. *dict. conf.* 74. *num.* 34. *seù conf.* 75. *num.* 4. *lib.* 4. Fagnan. *d. cap. Postulasti num.* 17. *Rot. recen. part.* 2. *decis.* 315. *inter impress.* Gregor. *decis.* 482. *num.* 5. *& part.* 6. *recen. decis.* 221. *num.* 13. maximè referentibus testibus signa specialia Collegialitatis, & præcipuè usum Almutiæ, quæ est prærogal-
17 tiva Ecclesiarum Collegialium, seu Canonicalium ex notatis per Barbos. *de Canon. & dignit. cap.* 2. *num.* 26. 27. & Rot. apud Pen. *d. decis.* 1163. *num.* 6.

Quarè ex his omnibus sufficienter justificatæ apparent Sententiæ d. Ecclesiæ Collegialitatem canonizantes; cum nemo dubitet, hujusmodi qualitatem signis, & conjecturis probari, etiam si non omnes conjecturæ, & signa ad hunc effectum à DD. considerata concurrant; sed aliqua tantum, ex quibus ar-
18 gui possit, & verissimile reddatur Ecclesiam esse Collegiatam. Fagnan. *in d. cap. Postulasti num.* 5. *in fin.* Mascard. *de Probat. concl.* 385. *num.* 10. Lotter. *de Re benef. lib.* 1. *quæst.* 14. *num.* 79. Mantic. *decis.* 215. *num.* 1. Pen. *d. decis.* 960. *num.* 2. Rot. *decis.* 584. *num.* 2. *part.* 4. *Diversf. & d. decis.* 292. *num.* 12. *part.* 4. *tom.* 2. *recen.* Adden ad Greg. *d. decis.* 482. *num.* 9. & ad Burat. *decis.* 455. *num.* 5.

Nec obest, conjecturis quidem argui Collegialitatem, sed concludentibus, & eam per necesse inferentibus, quales reputantur sigillum commune, arca,
19 & massa communis, seu statuta propria, de quibus Mantic. *decis.* 175. *num.* 1. *& decis.* 215. *n. eod.* Rot. rec. *part.* 5. *decis.* 56. *num.* 6. 7. *& par.* 7. *decis.* 143. *num.* 8. *& decis.* 216. *num.* 4. non autem simplex denominatio Canonicorum, & Capituli, seu tractatus, & fama: cum denominatio non arguat Collegialitatem, nisi probetur, quod tales Canonici habeant requisita Collegium, & Capitulum constituentia. Achill. *decis.* 10. *num.* 1. *&* 2. *de Præben.* Rot. Diversf. *part.* 4. *decis.* 422. *num.* 2. *& part.* 1. *recen. decis.* 201. *num.* 5. *& part.* 4. *tom.* 3. *decis.* 633. *num.* 15. *&* 16. *& part.* 5. *d. decis.* 56. *num.* 8. Nec tractatus habiti super rebus Com-
20 munibus, cum haberi potuerint super rebus ad omnes spectantibus uti singulos, non ad omnes uti universos. Achill. *d. decis.* 10. *num.* 2. Rot. recen. *part.* 5. *d. decis.* 56. *num.* 9. Adden. ad Gregor. *d. decis.* 482. *litt.* C. *ad med.* Nec denique fama, cum illius probatio nihil faciat ad hanc materiam certas habentem probationes ex Achill. *decis. ead. num.* 3. *quem referunt* Adden. ad Gregor. & Buratt. *loc. cit.*

Etenim (præter quam quod signa illa sigilli communis, arcæ communis, & statutorum videntur requiri magis ad probandam Collegialitatem actu, quàm habitu, ut colligitur ex allegata *decis.* 56. *n.* 4. *&* 6. *part.* 5. *recen. & signanter num.* 11. ubi Collegialitatem habitu ex simplici enunciativa probari admittitur. Item ex *decis.* 422. *in fin. part.* 4. *Diversf.* ubi cum Rota rejecerit plures conjecturas adductas pro
21 actuali Collegialitate, reservat particulariter videre an saltem habitu Ecclesia esset Collegiata, quod præbet argumentum, easdem conjecturas Collegialitatem habitu probare posse); Conjecturæ in præsenti causa adductæ nullo modo æquivocæ, & inconcludentes videntur, prout singula objecta particulariter expendendo fit manifestum.

Nam quo ad primum, Instrumenta producta non solas enunciativas Canonicorum, & Capituli præseferunt, sed Collegii, & Ecclesiæ Collegiatæ, super quibus non potest contingere æquivocum, aut incertitudo; unde cum in antiquis versemur, non est dubium quin tales enunciativæ plenè probent Collegialitatem ex supra allegatis, quidquid sit in enunciativis
22 recentibus, in quibus terminis loquuntur *dec.* ex adverso adductæ, *& decis.* 673. *n.* 1. *part.* 5. *& decis.* 143. *num.* 14. *part.* 7. *recen.* cum aliis, quæ adduci possent. Eo magis concurrentibus aliis enunciativis in antiquioribus Instrumentis continentibus diversos actus gestos ab Archipresbytero nomine suo, & confratrum, quæ enunciativæ maximè arguunt Collegialitatem, &
23 non è contra, ut fuit dubitatum, cum fraternitatis nomen plurimi faciant DD. in hac materia *ad not.* per Rot. *decis.* 221. *num.* 5. *part.* 6. *recen.*

Circà secundum cum Ecclesiam Collegiatam constituat aut erectio, aut institutio, aut exercitium actuum arguentium Collegiatam, juxta *dec.* 422. *n.* 1. *& dec.* 658. *n.* 5. *part.* 4. *diversf.* & inter actus, quorum exercitium arguit Collegialitatem, semper præcipuus habitus fuerit
24 tractatus communis, ut per tex. *in cap. Cum Ecclesia Sutrina de Cauf. possess. & propr. & cap. Tertio loco de Probat.* tradunt Felin. *in cap. Accedentes num.* 2. *vers. de istis signis, de præscript.* Ancharan. *de Jure patr. cap. nobis. num.* 18. Rota *d. decis.* 422. *in princ. part.* 4. *diversf.* Mant. *decis.* 107. *num.* 9. Merlin. *d. decis.* 87. *num.* 10. Pen. *d. decis.* 1163. *num.* 10. Adden. ad Boratt. *d. decis.* 455. *num.* 5. Dicendum est decisiones ex adverso allegatas procedere, vel quando non versamur in antiquis, vel quando non concurrunt alia signa Collegiali-

Digitized by Google

gialitatem arguentia, vel precisè in casu quo loquuntur: Videl. quando non constat, quod tractatus habiti fuerint super rebus ad omnes uti universos spectantibus, prout constat in casu nostro ex vocatione, & requisitione consensus Canonicorum, licèt ex actu celebrato nullum particulare commodum consequerentur, ut superiùs fuit ponderatum; & in his terminis non contrariantur, sed favent intentioni.

Circa tertium de Fama, *decis. Achill.* videtur omninò intelligenda in materia recenti, in qua fama regulariter non probat, cum in materia antiqua commu-
25 nis opinio sit, solam famam sufficientem probationem facere, ut ex authoritate Innoc. Bart. Bald. & Angel. firmat Alex. *d. consil.75. num.4. lib. 4.* Decian. *d. cons.6. num.7.* Mascard. *de Probat. conclus.753. num. 7. 8.* Fagnan. *d. cap. Postulasti num. 17.* & constanter tenuit Rot. *ut in decis. supra relat.* in terminis nostris, & in terminis probandæ exemptionis apud Seraph. *decis.1025. num.14.* & in terminis unionis apud Veral. *decis.344. num.3. & decis. 347. num.4. p. 3. & p.1. recen. decis.626. num.4.* & in terminis Juris patronatus apud ipsum Achill. *de Jur. Patr. decis. 4. num. 10. & decis.7. num.4. & recen. part.2. decis.224. num.4.* & alibi passim.

Concurrentibus autem pluribus signis pro Collegialitate à DD. approbatis non remanet deficiens probatio ex defectu sigilli, aut arcæ communis, quia non
26 est necesse, quod concurrant omnia signa, ut superiùs est dictum, & in specie respondit Rot. *d. decis. 292. num.12. part. 4. tom. 2. recen.* maximè attenta conjectura ex usu Almutiæ deducta, quem negari nequit esse proprium Ecclesiæ Collegialis.

Nec Collegialitatis supra relata argumenta ex eo eliduntur, quod talis Ecclesia aliquando Parochialis simpliciter nuncupata, vel uti simplex Parochialis per concursum ab Ordinariis collata fuerit. Ex quo Collegialis qualitas excludi, & simul Sententiæ Del-
27 phinæ ineffectuatio deduci prætenditur. Quia cum status Parochialis possit consistere cum Collegiali, assertio Parochialis non excludit qualitatem Collegiatæ *ad decis.585. num.2. part.4. divers.* Pen. *decis.1163. num.13.* & Merlin. *d. decis.87. num.16.*

Provisiones autem Ordinariorum etiam cum tali narrativa non potuerunt mutare statum Collegialitatis antiquitùs Ecclesiæ impressum, ex defectu tùm voluntatis, tùm potestatis, ad notar. per DD. *in cap. Cum de benefitio de præben. in 6.* & Felin. *in cap. In nostra num.41. vers. secundò nota. de rescript.* Rot. *decis. 163. num.4. part.1 recen.* Pen. *d. decis.960. num. 10. &*
28 *decis.1163. in fin.* Merlin. *d. decis.87. num.17.* ubi quod Rot. non habuit in consideratione similes provisiones, & confert *decis. 221. num. 29. 30. part. 9. recen.* ubi quod si Episcopus non potest mutare statum Ecclesiæ faciendo Collegiatam de non Collegiata, multominùs de Collegiata facere non Collegiatam.

Prout ex eisdem provisionibus inferri nequit ad ineffectuationem Sententiæ Delphinæ, & intentionem in collatoribus eam evertendi, cum dignitatum, & præbendarum in Collegiatis electio, seu collatio ad Episcopum de consuetudine spectare possit. Ancharan.
29 *in cap. 1. num. 1.* & Boich. *num. 4. de Elect.* Decian. *d. cons.6. num.12.* Item ex privilegio, vel quia sic ab initio fuit constitutum. Fagnan. *in d. cap. Postulasti num.9. de Jur. patr.* Unde ex actu, qui antecessorum exemplo, vel privilegio, aut alio titulo sine præjuditio Collegialitatis fieri potuit, perperam infertur, quod collatores sententiæ ab altero ex eis latæ, ab altero expressè approbatæ præjudicare intellexerint.

Quapropter firmis manentibus fundamentis pro Collegialitate suprà allegatis, corruit injustitiæ exceptio adversus rem judicatam adducta; nam ad eli-
30 dendam rem judicatam, prout ad restitutionem obtinendam, notoria injustitia requiritur. Scacc. *de Appellat. quæst.17. limit. 1. num.62.* Grat. *Discept.907. num. 15.16.* Et notoria Injustitia ad hunc effectum ea tantùm censetur, quæ constat, vel ex confessione partis, vel alias ex actis, ita & taliter, ut nullam habeat disputationem, aut offuscationem; & sit adeò patens, & manifesta, ut non possit aliquo modo esse dubia, aut alteri velata: *tex. est in cap. primo de restitut. in integ. lib.6.* & tradit Felin. *in cap. inter cæteras num.7. de re jud. & in cap. super litteris num.32. de rescript.* Grat. *discept. 403. num.7. & d. discept.907. num. 15.16.* Scacc. *de Appellat. quæst. 19. remed. 1. conclus.4. num.72.* Ciriac. *Contr.187. num. 23.* Burat. *decis.251. num.7. & decis.323. num.5.*

Quæ notorietas in præsenti casu allegari nequit, tùm quia de injustitia non constat ex supra adductis,
31 & tamen priùs discutiendum est, an sententia sit injusta; deindè an iniquitas sit notoria, & patens. Contard. *in l. unic. limit. 9. num. 95. C. si de momen. possess.* Burat. *decis.158. num.7. & d. decis. 251. num. 5.* Tùm quia, quatenùs circa justitiam dubitari posset, non per hoc allegari potest notoria injustitia, ad quam excludendam sufficit qualis offuscatio, prout ad tol-
32 lendam restitutionem quemlibet dubietas. Dec. *cons. 564. num.18.19.* Cravett. *cons.142. num.8.* Seraph. *decis.616. num. 9.* Buratt. *d. decis. 158. num. 7.* And. *decis.85. num.4.* Immò cum circa signa Collegialitatem arguentia variasse etiam DD. videantur, adeòut dubius articulus dici possit, non solum injustitia notoria dici nequit, And. *decis.23. num.7.* sed res judicata superat ambiguitatem, ità ut justa censeri debeat. Scacc. *de Sent. & re jud. Gloss.14. q.11. num.60.*

Firmata autem re judicata, firmata simul remanet Justitia decreti Domini Auditoris Brunetti, qui judicati auctoritate, & vigore attento declaravit præfactæ Ecclesiæ statum, & possessionem esse veræ Collegialitatis, unde consequitur dictum decretum fuisse
33 confirmandum, pro ut illud confirmavi, denegata restitutione per Fiscum petita, quæ non nisi læsis ex injustitia conceditur. Burat. *decis.323. num. 1. & seqq.* Duran. *decis. 310. num. 1.* Cavaler. *decis. 194. num 3.*

Nec minùs validè pro confirmatione urgebat aliud fundamentum, in quo Judex æquè, ac in re judicata pedem figere potuit, videl. Præscriptio, ex qua statum beneficii dicitur verè, & non præsumptivè probari. Lotter. *de Re benef. lib.1. q.34. num 18. 19.*

Etenim cum dicta Ecclesia ab anno saltem 1613. negari nequeat quin pro Collegiata, habita, & nominata ab omnibus fuerit, ut plenè demonstrant relationes de Anno 1613. per Illustrissimos Rectores Vincentiæ Venetias transmissæ; testificata eodem tem-
34 pore recepta cum subsequuta sententia: alia sententia 1634. visitationes, relationes, atque actus plures per successores Episcopos facti, de quibus in actis; hujusmodi nominatio, & communis reputatio apta fuit dictam Ecclesiam in quasi possessione Collegialitatis constituere *arg. text. in cap. per tuas de probat.* Decian. *d.cons.6. num.9.* quem sequitur. Rot. coram Greg *d. decis.482. num.5. & 6.*

Quæ quasi possessio per 40. annos, & ultrà continuata Collegialis status præscriptionem inducere potuit per *text. in cap. Cum de beneficio, & ibi not. per DD. de Præbend. in 6.*

Nec obstare videntur, aut defectus actuum Collegialitatem indicantium ab Anno 1613. ad Annum 1634. aut enunciativæ Collegiatæ Ecclesiæ non simpliciter probatæ, sed sub qualitate nuncupatæ, de quibus in Synodis 1647. & 1652. aut demum assignatio loci Collegiatæ improprii in eisdem Synodis, ex quibus prædicta Collegialitatis quasi possessio interrupta prætenditur.

Nàm probata præsenti quasi possessione, ac antecedenti de Anno 1613. ejusdem continuatio præsumitur
35 ex regula, quod probatis extremis media præsumuntur, quando in medio non adest obex, vel interruptio, quæ continuationem impediat. Cæsar. *de Graff. de caus. possess. & propr. decis. 7. num.6.* Rot. *decis.221. num. 10. part. 7. recen.*

Digitized by Google

Enunciativæ autem uti erroneæ non præjudicant
veritati; cum ab eodem Eminentiss. Bragadeno, à
36 quò emanatæ dicuntur, dicta Ecclesia fuit omninò
habita, tractata, & recognita pro vera Collegiata,
ut ex decretis factis in Visitatione Scledi Anno 1640.
& in Relatione ad Limina Anno 1642. undè vel dictæ
enunciativæ debent considerari tamquam Notarii,
37 cujus assertioni in his, qua sunt Juris, non creditur
ex Innoc. *in cap. Cum causam de test.* Aut quatenus
sunt enunciativæ ipsius Episcopi, non veniunt atten-
dendæ in concursu aliarum in Visitatione, & Relatio-
ne prædictis, quæ sunt in illius præjuditium *ad decis.*
585.num.3.part 4. diversf.

Præjudicium denique loci in Synodis tollitur tùm
ex protestationibus statim in prima Synodo factis per
38 Archipresbyterum, & Canonicos de nullitate talis
actus uti damnosi, & præjudicialis statui, & posses-
sioni eorum Collegiatæ. *l.* 4. §. 1. ubi Bart. *ff. Quibus*
mod. pign. vel hipoth. solvat. Tùm ex decreto de præ-
juditio non inferendo in Synodis præmitti solito, de
39 quo Massob. *in Formul. Synod. Diœces. sess.* 1. *decr.* 3.
Gavant. *in Prax. Diœces. Synod.* §. 2. Tùm quià Ca-
pitulum Scledi præsumendum est loco sibi assignato
acquievisse, potiùs ut mandato Superioris obtempe-
raret, quàm quod Juri sibi quæsito renunciare vellet.
Put. *decis.* 184. *num.* 3. *lib.* 2. *in correct.* Tùm quia in
40 omnem casum interrupta fuisset quasi possessio Colle-
gialitatis, atque præscriptio in illis actibus tantùm,
& non in aliis, cum consensus, qui ex facto colligitur,
ultrà factum non se extendat, ut præcisè respondit
Rot. apud Put. *d. decis.* 184. *num.* 1. *&* 2.

Nec dicatur quasi possessionem Collegialitatis ab
Anno 1613. deduci non posse, cum actus possessorii
non dantur nisi post Annum 1634. & Sententia Del-
41 phina uti merus actus juris possessionem tribuere non
potuerit, sine qua præscriptio nequit induci *cap. sine*
possessione de regul. jur.

Siquidem Ecclesia fundat suam quasi possessionem
non tàm in actibus ab ipsa gestis, quàm in sui denomi-
natione, & communi reputatione, apta præbere Col-
legialitatis quasi possessionem ex supradictis. Quod
42 autem communiter haberetur, & nominaretur Colle-
giata etiam de Anno 1613. probatur non ex Sententia
Delphina simpliciter, quæ tamen declarat qualis ab
Episcopo tunc temporis habita fuerit, sed ex relatione
super illius statu Illustrissimorum Rectorum Vincen-
tiæ, & depositionibus testium receptis eodem Anno
1613. Et nihilominùs quasi possessio d. Collegiali-
tatis etiam per actum extrinsecum probari potest,
43 nempè per usum Almutiæ, etiam tunc ab Archipres-
bytero gestari solitæ, ut deponunt testes prædicti, cu-
jus usus, tamquam Ecclesiæ Collegiatæ specialiter
conveniens, dignitatis Collegialis quasi possessionem
benè concludit. Mascard. *de Probat. concl.* 1220.*n.*2.
*Rot. diversf. part.*4. *decis.*658. *num* 5.

Addatur, nec circumscripta quasi possessione videri
præscriptionem exclusam; quia cum post Sententiam
Delphinam in judicatum transactam liceret Ecclesiæ
Scledi omnes actus ad possessionem Juris Collegialita-
tis, saltem habitualis spectantes exercere, quippè pro-
44 prietas per dictam Sententiam declarata etiam posses-
sionem includebat. *cap. Cum dilectus ubi Glos. verb.*
prævalere de caus. possess. & propr. Veral. *decis.* 337.
*num.*23 4.*part.*2. & per non exercitium actuum sibi
competentium eidem Ecclesiæ minimè præjudicatum
videtur ad effectum præscribendi, cum præscriptio lon-
gissimi temporis quadraginta annorum ex sola negli-
gentia Fisci absque ullo facto, & ministerio Ecclesiæ
præscribentis induci posset. Cravet. *cons.*111. *num.*20.
Surd. *cons.*73. *num.*49. Rot. *post Posth. de manuten. de-*
*cis.*45. *num.*10. *impress. in recen. decis.*547. *part* 4. *tom.*3.

Sed omisso articulo præscriptionis, cum ex sola re ju-
dicata Decretum Domini Brunetti satis superq; sustine-
retur, propterea illud confirmandũ esse pronuntiavi, &c.

Ego Jo: Baptistæ Turricellius Judex Delegatus,

DISCORDIA LIII.

ARGUMENTUM.

Officium Sanctorum Angelorum Custodum, translatum ad diem 3. Octobris, debet habere integras secundas Vesperas cum commemoratione Officii sequentis Sancti Francisci; juxtà Calendarium Monasticum Cassinense Venetiarum Anni 1706. explosâ alterius Calendarii insinuatione. Rationes, ac Auctoritates pro eodem Calendario Monastico. Festum Sanctæ Justinæ Virginis, & Martyris Paduæ Patronæ, die 7. Octobris, verè non debet esse primæ Classis cum Octava. Si incidat in prima Dominica Octobris, est transferendum; & in ea est faciendum Officium solemnitatis Rosarii Beatæ Mariæ Virginis, ubi habentur Capellæ, seu Altaria Confraternitatum ejusdem Rosarii. De eodem Rosario notanda quatuor scitû dignissima.

SUMMARIUM.

1 *Rubricæ Breviarii, & Missalis obligant sub mortali nisi parvitas materiæ excuset.*
2 *Gregorius XIII. Anno 1573. concessit Officium, & Missam solemnitatis Rosarii pro prima Dominica Octobris.*
3 *Calendariorum duorum Discordia circa 2. Vesperas Sanctorum Angelorum Custodum.*
4 *Tabellæ Breviarii ordinatio de concurrentia officii.*
5 *Tabellæ ejusdem limitatio, ac declaratio.* Et num.7.
6 *Sancti Angeli Custodes sunt majoris dignitatis, quàm Sancti Confessores.*
7 *Vesperæ primæ, & secundæ quando sint integræ, etsi sequatur officium ejusdem Ritus?*
8 *Festa habentia semper integras secundas Vesperas, quæ sint?*
9 *Bart. Gavanti doctrina de ijsdem Vesperis.*
10 *Bernardi Bissi menita c rca easdem secundas Vesperas.*
11 *Sancti omnes censentur ejusdem dignitatis, exceptis Christo Domino, Deipara, Sanctis Angelis, & Apostolis.*
12 *Rosarii solemnitas semper celebranda est primâ Dominicâ Octobris.*
13 *Sanctæ Justinæ Virginis, & Mart. Paduæ Patronæ officium verè non est primæ Classis, neque Festum de Præcepto.*
14 *Urbani VIII. Bulla, quod unius tantùm Patroni fiat Festum de Præcepto.*
15 *Sanctus Prosdocimus est principalis Patronus Civitatis Paduæ.*
16 *Sanctæ Justinæ Festum, si veniat primâ Dominicâ Octobris, est transferendum, ut in ea fiat officium solemnitatis Rosarii.* & num.21.
17 *Rosarii Officium, & Missa undè sumatur?*
18 *Sixtus V. communicavit omnia Privilegia, & Indulgentias Ordinis Prædicatorum, quibuscunque Capellis, & Altaribus Confraternitatum Rosarii.*
19 *Rosarii Capellas qui visitant, vel in eis celebrant, gaudent omnibus Indulgentiis concessis Ecclesiis, & Ordini Patrum Prædicatorum.*
20 *Rosarii Officium, primâ Dominicâ Octobris, recitari potest duplex primæ Classis cum Octava.*
22 *Rosarii Confraternitates erigi possunt non solùm à Generali Dominicanorum, sed etiam ab Ordinariis locorum.*

LEvem quandam Discordiam (si leve dici potest quod
discordat ab observantia Rubricarum tùm Breviarii,
1 tùm Missalis Romani, quas habere vim Legis, & obligare
sob

sub mortali, nisi excuset parvitas materiæ, aliàs plenè probavi in meis Decisionibus de Sacrificio Missæ *Decis.50. à num.3. & seqq.* nec non in meis Decisionibus Miscellaneis *Decis.115.* ubi *text.* & DD. *per totam.*) Levem, inquam, quandam Discordiam, meo judicio extinguendam, proposuit mihi paucis ab hinc diebus quidam Archipresbyter valdè pius, & doctus; & est hujusmodi. Cum ipse habeat in sua Ecclesia Capellam, & Altare Confraternitatis Sanctissimi Rosarii Augustissimæ Virginis MARIÆ Matris Dei; & sit solitus prima Dominica Octobris recitare Officium, ac Missam ejusdem Festivitatis Rosarii, (juxta concessionem Gregorii Papæ XIII. de qua in
2 sua Constitutione Incipien. *Monet Apostolus*. Data sub *die prima Aprilis Anno* 1573. quæ inter ejus impressas in Bullario Romano est *Const. XI.*) & hoc Anno 1707. prædicta Dominica prima Octobris veniat die secunda ejusdem Mensis, in qua ponitur Officium Sanctorum Angelorum Custodum, transferendum in tertiam sequentem diem, observavit prædictus Archipresbyter discordare Calendarium Episcopale hujus anni à Calendario Monachorum Casinensium Sancti Georgii Majoris Venetiarum; siquidem in hoc Calendario Monastico, dicta die tertia
3 Octobris, quoad secundas Vesperas, dicitur, eas esse integras recitandas de SS. Angelis Custodibus cum commemoratione sequentis officii S. Francisci Confessoris, quod colitur die quarta Octobris: at in Calendario Episcopali è contra jubetur, ut dicta die tertia Octobris in secundis Vesperis SS. Angelorum Custodum, fiat à Capitulo de S. Francisco cum commemoratione eorundem SS. Angelorum. En igitur discordia inter hæc Calendaria. Si in secundis Vesperis Officii SS. Angelorum Custodum faciendum est à Capitulo de sequenti, idest de S. Francisco; quomodo in iisdem secundis Vesperis dicitur, eas integras esse debere de SS. Angelis Custodibus cum commemoratione sequentis officii de S. Francisco? Quodnam horum Calendariorum continet errorem? Episcopale? vel Monasticum? Apud quod ipsorum est veritas? Cui est credendum? cui standum? cui adhærendum?

Respondi, credendum, standum, ac adhærendum esse Calendario Monastico tanquam veritatem continenti; non autem Episcopali, ut potè manifestum errorem in hoc puncto amplexanti: Siquidem, etsi
4 in Tabella posita in principio Breviarii *Quando concurrit duplex per Annum minus cum alio duplici minori*, dicatur *num. 5.* recitandum *Capitulum de sequenti; & commemoratio de præcedenti;* juxta quam Tabellam, cum utrumque officium, Sanctorum scilicèt Angelorum; atque S. Francisci Confessoris sit duplex per annum; videatur, in secundis Vesperis SS. Angelorum capitulum esse recitandum de S. Francisco cum commemoratione ipsorum SS. Angelorum, limitatur hæc regula, & hujus Tabellæ dispositio non attenditur, quando utrumque officium, etsi sit ejus-
5 dem Ritus, tamen non est ejusdem dignitatis; tunc enim officium Sanctorum, quorum major est dignitas, habet integras secundas Vesperas; & aliorum Sanctorum, qui in minori dignitate censentur, fit tantùm commemoratio. Porrò Sancti Angeli Custodes positi
6 sunt ab Ecclesia in dignitate majori, Sancti verò Confessores in minori; & hac de causa, quamvis tàm SS. Angeli Custodes, quàm S. Franciscus Confessor habeant officium Ritus duplicis per Annum, illi habere debent integras secundas Vesperas cum commemoratione sequentis Officii S. Francisci, ut benè ponit Calendarium Monachorum Casinensium S. Georgii Venetiarum; & nequaquam in iisdem secundis Vesperis faciendum est à Capitulo de S. Francisco; ut perperam, & per errorem scripsit Auctor Calendarii Episcopalis hoc anno. Hæc resolutio probatur sequentibus auctoritatibus, & fundamentis.

Primò; ex Rubrica Breviarii *cap. 11. De Concurrentia officii, num. 2.* ubi ita præcipitur: *Duplici ergo in secundis Vesperis concurrente cum alio sequenti duplici in primis, si utraque sint ejusdem solemnitatis, regulariter à capitulo fit de sequenti, cum commemoratione præcedentis, nisi aliter in propriis locis annota-*
7 *tetur.* Deinde limitando subdit: *Si verò non sunt ejusdem solemnitatis, servetur differentia in Rubrica De Commem. & Translat. Festor. assignata; ut scilicèt festa majora habeant primas, & secundas Vesperas integras cum commemoratione minorum, quando de eis fieri debet.* Posteà ostendens, quæ sint festa, quæ tanquàm majora debent habere integras primas, & secundas Vesperas, subdit: *Inter festa æqualis so-*
8 *lemnitatis* (idest Ritus) *servetur hic ordo, ut Festa Domini præferantur omnibus aliis, & habeant utrasque Vesperas integras; sicuti Festa B. Mariæ festis Sanctorum. Item Festa Angelorum, & Apostolorum cæteris aliis.* Igitur sicut in secundis Vesperis Festivitatum vel Domini Nostri JESU Christi, vel Beatissimæ Virginis MARIÆ ejus Matris, vel SS. Apostolorum, etsi sequatur aliud Festum duplex, & ejusdem Ritus alicujus Sancti, de eo non fit à Capitulo; sed tantùm commemoratio; ita in Festo SS. Angelorum Custodum, translato ad diem tertiam Octobris, in secundis Vesperis non est faciendum à Capitulo de S. Francisco; sed ipsæ secundæ Vesperæ dicendæ sunt integræ de SS. Angelis, quia censentur majoris solemnitatis, ac dignitatis; & sola commemoratio in eis est facienda de S. Francisco.

Secundò confirmatur ex auctoritate Bart. Gavanti, qui in *Comment. ad Rubric. Breviar. sect. 3. cap. 9.* sic loquitur: *Si Festa sunt æqualia, regulariter, à Capitulo fit de sequenti cum commemoratione præcedentis.*
9 Et infra: *Si sunt inæqualia, illud Festum, quod majus est, habet integras Vesperas cum commemoratione minoris:* Postea *num. 3.* subjungit: *Inæqualitas attenditur ex hoc ordine: Festa Domini præferuntur omnibus aliis, & habent utrasque Vesperas integras. Festa B. Mariæ Festis aliorum Sanctorum. Festa Angelorum, & Apostolorum cæteris aliis: Si aliis, ergo etiam Evangelistis, quod benè nota.* Igitur ex hac Gavanti doctrina sequitur, quod secundæ Vesperæ SS. Angelorum Custodum integræ sunt dicendæ, non solùm in concurrentiam subsequentis Festi duplicis S. Francisci Confessoris; sed etiam si concurreret, & sequeretur Festum S. Marci, seu S. Lucæ Evangelistarum; ideòque benè dixit Calendarium Monasticum; malè autem Calendarium Episcopale loquens circa secundas Vesperas eorundem SS. Angelorum Custodum.

Tertiò hoc idem fulcitur doctrina Bernardi Bissi *in Hierurgia tom. 1. Litt. C. Verb. Concurrentia num. 412. §.4* ubi, cum dixisset, concurrentibus duobus Festis duplicibus, æqualibus tàm in Ritu, quàm in dignitate, in secundis Vesperis esse faciendum à Capitulo de sequenti cum commemoratione præcedentis, subdit
10 *§. 5. Sed dices, quomodo cognosci possit, quod de duobus duplicibus æqualis classis, unum sit dignius altero?* Cui quæsito respondet inferiùs sub *Verb. Dignitas. num. 161. §. 1.* ita dicens: *Dico cum Guyet de propr. Fest. lib. 4. cap. 13. q. 4. & q. 5. propè fin. hanc majorem dignitatem solùm esse attendendam penès festa Domini, Beatæ MARIÆ Virginis, Angelorum, & Apostolorum; itaut de aliis Festis nulla habenda sit ratio dignitatis quoad concurrentiam, puta Martyris, Confessoris, Virginis &c. hæc enim censentur æqualia in dignitate, & ita à Capitulo de sequenti faciendum erit cum commemoratione præcedentis, dummodò cæterùm sint æqualis Classis.* Itaque si concurrant festa ejusdem Ritus, & Dignitatis, à Capitulo faciendum est de sequenti cum commemoratione præcedentis, si-
11 vè Sancti concurrentes sint Martyres, aut Pontifices, aut Confessores, aut Virgines, aut Viduæ; exceptis quatuor illis generibus Festorum, scilicet Domini, Deiparæ, Angelorum, ac Apostolorum; quæ cum habeant majorem dignitatem, integras quoque primas, & secundas

Digitized by Google

das Vesperas habere debent; & subsequens Festum duplex cujuscunque alterius Sancti tanquam minoris in dignitate, etsi æqualis Ritus, habebit tantùm sui ipsius commemorationem in iisdem secundis Vesperis aut Domini, aut Deiparæ, aut Angelorum, aut Apostolorum; & ex his sublata remanet Discordia ex prædictis Calendariis *die 3. Octobris 1707.* resultans, cum Victoria Monastici, & condemnatione Episcopalis, ob manifestam inadvertentiam Compositoris illius, tùm ad Rubricam Breviarii, tùm ad documenta supracitatorum insignium Auctorum.

Occasione autem hujus Rosarii solemnitatis, quatuor scitu digna veniunt annotanda.

Unum est, quod hæc solemnitas semper est celebranda, primâ Dominicâ Octobris, etsi eâ die veniat Festum S. Justinæ Virginis, & Martyris Paduæ Patronæ; tùm quia ea Dominica specialiter deputata, ac determinata est à Gregorio Papa XIII. in *d. sua Constit. XI.* & ideò non est trasferenda: tùm etiam quia Festum S. Justinæ in puncto veritatis non est duplex
13 primæ classis, etsi tale describatur in Calendario Episcopali Patavino *die 7. Octobris*; ibique vocetur Festum de præcepto cum octava; discordat enim talis assertio à Rubricis Breviarii, & à communi doctrina scribentium circa illas; non solùm quia in quacunque Diæcesi, ac Civitate unius tantùm Patroni Festum est celebrandum de præcepto juxta Bullam
14 Urbani Papæ VIII. Incipien. *Universa per Orbem.* datam Romæ *Idibus Septembris Anno* 1642. quam per extensum ponit Pax Jordanus *De Re benefic. tom. 2. lib. 11. tit. 1. num.* 198. & quæ habetur in Bullario Romano *tom. 5. Const.* 291. Patavii autem pri-
15 mus, & principalis Patronus est S. Prosdocimus, cujus festiva dies de præcepto colitur *die 7. Novembris*; sed etiam quia juxtà ejusdem Breviarii Rubricas, ubi plures ejusdem Civitatis coluntur Sancti Patroni; ille tantùm, qui principalis est inter ipsos, debet habere officium duplex primæ Classis cum octava; cæteri verò obtinere debent officium majus solummodò sine octava; ut docent Gavantus *ad Rubric. Breviar. sect. 3. cap. 12. num. 7.* Quartus *ad Rubric. Missal. part. 1. tit. 1. dub. 2.* & Bissus *in Hierurg. tom. 2. litt. P. verb. Patronus loci num.* 85. §. 4. Idcircò verè, & propriè officium S. Justinæ est, & esse debet sub ritu majori tantùm per annum sine octava, tanquàm Patronæ Civitatis minùs principalis; &
16 per consequens si occurrat in prima Dominica Octobris, oportet, ut cedat locum officio Solemnitatis Rosarii B. M. V. quod est ejusdem ritus, & majoris dignitatis, ut suprà dictum est de SS. Angelis Custodibus; adeòut officium S. Justinæ sit transferendum ad primam sequentem diem non impeditam, nempè ad diem decimam Octobris; officium verò Solemnitatis Rosarii omninò sit recitandum ipsâ primâ Dominicâ Octobris.

Secundum notandum est, quod prædictum Officium Solemnitatis Rosarii sumitur ex festo B. M. V. ad Nives *die 5. Augusti*, exceptis Lectionibus secun-
17 di Nocturni, quæ leguntur prout in festo Nativitatis ejusdem B.M. V. *die 8. Septembris*, mutato nomine *ortus* in *festivitatem*, ut advertunt idem Gavantus *in Rubr. Breviar. Sect. 7. cap. 12. num. 1.* Coccoperius *de Canonic. lib. 2. num. 11. & lib. 3. num.* 63. Missa verò est, ut in eodem festo B. M. V. ad Nives dicta *die 5. Augusti*, sed Oratio est propria; quæ Patavii habetur in fine Calendarii Episcopalis. Bissus in *Hierurg. d. tom. 2. Litt.* M. *Verb. Missa num.* 216. §. 4.

Tertium notandum est, quod Sixtus Papa V. per suam Constitutionem, quæ incipit; *Dum ineffabilia*, &c. datam Romæ *die 30. Januarii* 1586. quæ
18 in Bullario Ordinis Prædicatorum habetur *pag.* 116. *& seq.* communicat omnibus Capellis, Altaribus, & Confraternitatibus Rosarii, ubique constitutis, quæcunque Privilegia, Indulta, facultates, exemptiones, immunitates, concessiones, & Indulgentias toti Ordini Prædicatorum quomodolibet concessas; itaut illis uti possint pariformiter, & æquè principaliter in omnibus, & per omnia, & perindè ac si ipsis Altaribus, Capellis, &c. specialiter, & expressè, ac nominatim concessa fuissent, ad quæ, & quas, &c. ea omnia perpetuò extendit, & ampliat, ut latiùs in eadem Constitutione. Ex qua duo præcipuè colliguntur. Unum, quod tàm cele-
19 brantes in iisdem Altaribus, & Capellis Rosarii ubique erectis; quàm illa, seu illas visitantes consequuntur omnes Indulgentias pro vivis, ac defunctis, quæ obtinentur, & adipisci possunt celebrantes, vel visitantes Ecclesias Ordinis Prædicatorum. Alterum quod Officium Solemnitatis Rosarii, primâ Dominicâ Octobris, potest in quocunque loco,
20 in quo est Capella, seu Altare ipsius Rosarii, recitari sub ritu duplici primæ Classis cum Octava, quia ita illud celebrant Patres Ordinis Prædicatorum, quorum Privilegia, indulta, & facultates omnes per dictam Bullam Sixtinam communicatæ sunt omnibus Altaribus, & Capellis Confraternitatum Rosarii ubilibet existentibus; ideòque tantò magis constat, si festum S. Justinæ Paduæ Patronæ veniat eâdem primâ Dominicâ Octobris, esse transfe-
21 rendum, estò quod verè esset faciendum sub ritu duplici primæ Classis cum Octava; quia cum Officium Rosarii ubique potiatur eâdem prærogativâ, & ritu, vigore prædictæ Bullæ Sixti V. debet prævalere, & anteponi Officio S. Justinæ, attentâ majori dignitate, quâ præfulget omnis Solemnitas Beatissimæ Virginis MARIÆ, cujus intuitu quodcunque ejus festum; ac officium præfertur festis, & officiis aliorum Sanctorum ex rubricis Breviarii, & auctoritate Doctorum, quos allegavimus supra *num.* 11.

Quartum tandem notandum est; quod erectio Confraternitatum Rosarii non solùm fieri potest per Generalem Ordinis S. Dominici, vel per alium ab eo deputatum vigore *Constitut.* 87. B. Pii V. Incipien.
22 *Inter desiderabilia*; de qua Emin. Card. de Lauræa *in suo Epitome Canon. Verb. Confraternitas Rosarii*: Sed etiam per Ordinarium loci, ideſt Episcopum in tota sua Diæcesi, ut benè probat Emin. Card. de Luca in *tract. de Jurisdict. & Præeminentiis disc.* 10. *per totum* vigore Bullæ, seu Constitutionis 115. Clementis VIII. de qua Barbosa *de Jure Eccles. Univ. lib. 2. cap. 11. num.* 77. & idem Barbosa in *Summa Decis. Apostol. Verb. Confraternitas. Collect.* 207. *num.* 15.

DISCORDIA LIV.

ARGUMENTUM.

Explicantur novem requisita necessaria, ut clericus possit admitti ad beneficium *cap. Odoardus. De Solutionibus*. Præmittitur crudelis dispositio *l.* 12. *Tabularum* adversus debitores, quâ sublatâ à Constantino Imperatore, successit eorum carceratio ex officio Judicis; à qua postea liberantur per cessionem bonorum. Hæc olim turpi modò fiebat; nunc sex genera personarum non conveniuntur ultrà vires; inter quas clerici prædicta novem requisita habentes. Ostenditur in qua summa sit taxanda congrua pro Parocho ære alieno gravato, petente Privilegium *d. cap. Odoardus*. Tandem notatur, ad illud non admitti beneficiatum recusantem solvere Pensionem, nec adstrictum Obligatione Camerali, neque per tres Sententias conformes condemnatum, neque per duas tantum.

SUM-

Digitized by Google

SUMMARIUM.

1 *R. Antonius ab Horologio Parochus S. Clementis Paduæ laudatus*. Et num. 32.
2 *Marcus Marchianus Abbas Anno* 1657. *Vicarius Generalis Episcopatus Paduæ*.
3 *Legis XII. Tabularum crudelis dispositio in favorem creditorum contra eorum debitores*.
4 *Constantini Imperatoris pietas erga debitores inopes*.
5 *Debitores non solventes carcerantur à Judice, nisi cedant bonis suis*.
6 *S. Antonii de Padua charitas in impetrando Statuto pro debitoribus carceratis*.
7 *Cessio bonorum olim vituperosè à debitoribus fiebat. Et cur?*
8 *Statutum Patavinum de modo cedendi bona per debitores, ne carcerentur*.
9 Sarabula *Vox quid significet?*
10 *Cessio bonorum hodie fit à debitoribus in actis publici Notarii*.
11 *Debitorum sex genera, qui non coguntur ultra id, quod facere possunt*.
12 *Milites tùm armatæ, tùm togatæ militiæ non tenentur ultra vires*.
13 *Clerici sunt milites cœlestis militiæ*.
14 *Lelius Mancinus Politianus Legum Paduæ publicus Professor laudatus*.
15 *Clerici an possint renunciare privilegio* cap. Odoardus. De Solut.
16 *Clerici ut dicto privilegio gaudeant, novem requiruntur. Et quæ?*
17 *Clerici, primâ tantùm Tonsurâ initiati, an gaudeant beneficio* d. cap. Odoard.
18 *Clerici conjugati eodem beneficio non gaudent*.
19 *Actio est inanis, quam inopia debitoris excludit*.
20 *Clerici vitiosi utrùm gaudeant privilegio* cap. Odoardus?
21 *Clerici criminali in judicio d. privilegio non fruuntur*.
22 *Clerici conventi actione reali ad d. privilegium non admittuntur*.
23 *Cautio saltem juratoria de solvendo, si ad pinguiorem fortunam devenerit, dari debet à petente Privilegium* cap. Odoardus.
24 *Parochus S. Clementis Paduæ, Anno* 1657. *admissus ad beneficium* cap. Odoardus. De Solut.
25 *Parochialis S. Clementis de Padua redditus annui quot sint?*
26 *Æstimo publico beneficii, ejus valor probatur*.
27 *Onera beneficii sunt detrahenda in calculandis ejus redditibus*.
28 *Onera, quæ Anno* 1657. *incumbebant Parochiali S. Clementis Paduæ*.
29 *Congrua pro Parocho in quâ summâ sit à Judice taxanda?*
30 *Congrua taxata à B. Pio V. in Const.* 47. *procedit circa Vicarios Parochialium unitarum, non circa Parochos titulares*.
31 *Ducati unius aurei de Camera quantus sit valor?*
32 *Congrua pro Parocho S. Clementis Paduæ Anno* 1657. *taxata in Scutis argenteis centum annuis*.
33 *Pensionem si solvere debeat clericus beneficiatus, & petat privilegium* cap. Odoardus. De Solut. *ad illud non admittitur*.
34 *Camerali obligatione adstrictus Clericus an juvetur* cap. Odoardus?
35 *Clerico condemnato super debito, per tres vel duas sententias conformes, denegatur beneficium* cap. Odoardus.

Reverendus Antonius ab Horologio Rector Parochialis Ecclesiæ S. Clementis de Padua, vir valdè pius, ac doctus, & Sacræ Theologiæ Doctor,
1 anno 1657. adeò gravatus erat ære alieno ob fidejussiones factas Nepotibus suis, mercaturam calceorum exercentibus, & decoctoribus effectis, ut in Curia Episcopali à pluribus creditoribus conventus, cum non haberet, undè eis satisfaceret; ipsi eum suspensione à divinis plecti acriter instabant, donec eorum singulis solveret integrum debitum. Ad meum patrocinium confugit prædictus Parochus, (cum Advocati munus tunc exercerem), & pro ejus defensione petii, illum admitti ad beneficium *cap. Odoardus. De Solutionib.* attentâ ejus manifestâ inopiâ; cautione juratoriâ exhibitâ de solvendo omnia debita, si, & quando devenerit ad pinguiorem fortunam; & ita obtinui à Vicario Generali hujus Episcopatus, qui tunc erat Illustrissimus, ac Reverendissimus Marcus
2 Marchianus Abbas, in hoc celeberrimo Gymnasio publico Patavino Sacrorum Canonum in prima Sede Professor; qui deindè factus fuit Episcopus Feltrensis, ut de eo, in obsequium probitatis, & virtutum ipsius, differui supra *Discord. XI.*

Pro intelligentia majori *d. cap. Odoardus. De Solutionibus*; & ad ostendendum, ejus beneficio gaudere debere antedictum Parochum S. Clementis, tria notatu digna censui præmittenda.

Unum, fuit quod antiquitùs adeò rigorosè procedebatur contra debitorem per creditores, ut his liceret *ex Lege* 12. *Tabular.* (quam refert Cujacius *lib.* 30. *Observ. cap.* 39. & Emin. Card. Baronius *in Annalib.*
3 *Ann.* 33. *num.* 34.) non solventem debitum intra legitimum judicati tempus, propria auctoritate capere, in vincula conijcere, quotidiè flagellis subijcere, ut ad solvenda debita urgentiùs excitaretur; quod innuitur etiam in Evangelio *Matth. cap.* 18. *Vers.* 34. ubi de servo illo ingrato debitore erga conservum debitorem suum dicitur, quod *Dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum*; ubi Cornelius à Lapide prædicta verba declarans, subdit: *Constat ex Historiis, & Jure Civili apud Romanos Gentiles, quibus Judæi tempore Christi erant subjecti, solere debitores à creditoribus tradi tortoribus in carcerem trudendos, & verberibus flagellandos. Primus autem Constantinus Imperator ex Christiana benignitate à plumbatarum flagellis debitores absolvit.* Porrò crudeliori etiam methodo agebant creditores in debitorem, ut non solùm eum venderent, sed etiam occiderent; sique plures creditores essent, corpus debitoris in partes secarent, & inter se dividerent, ut latiùs demonstrant Aulus Gellius *lib.* 20. *Noct. Atticar. cap.* 1. Tertullianus *in Apologet. cap.* 4. Quintilianus *lib.* 3. *cap.* 6. & ex Jureperitis Petrus Gregor. Tholosanus *lib.* 22. *Syntagm. cap.* 6. *num.* 5. Ant. Pichardus *in Instit. lib.* 4. *tit.* 6. *de Actionib.* §. 40. *num.* 7. & Covaruvias *lib.* 2. *Variar. cap.* 1. quibus addendus est Emin. Card. Baronius *In Annalib. Eccl. ad d. Annum Christi* 33. *num.* 34. ubi relata ejusdem Legis 12. Tabular. crudeli permissione, ejus
4 abrogationem notat factam ab antedicto Constantino Imperatore, quæ legitur *in l.* 3. *&* 7. *Cod. Theodos. De Exactor.* ac proindè subsequentibus temporibus solùm Jus creditoribus remanserit, petendi, & obtinendi à Judice, ut debitores suos contumaces, ac sol-
5 vere debita renuentes, carceri manciparent. *l.* 1. §. *penult. Vers. ultimò. C. Qui bonis cedere. l. Si pro aliquo.* 21. §. 1. *ff. Ad Vellejan. l. ult.* §. *ultimò. ff. Quæ in fraud. credit. l.* 3. §. *Qui pecuniam. ff. de Suspect. Tutor.* Sed etiam ab hac carceris pœnalitate liberati fuerunt debitores prævia bonorum cessione, tùm ex legibus Romanorum Principum; ut in *l.* 1. *& l.* 4. *C. Qui bonis cedere.* tùm ex statutis ferè omnium Civitatum, inter quæ Statutum Patavinum infra referendum; quod ad Instantiam Divi Antonii
6 Confessoris, dum viveret, ob ejus erga carceratos debitores charitatem, emanavit; quamvis ad coercendam facilitatem cedentium bonis, & ad reprimendas fraudes, quas debitores adhibebant in cessione bonorum, ferè ubilibet ordinatum fuerit, ut cessio ipsa fieret vituperosè, & modo inducente infamiam, ut
7 scribunt DD. quos refert Fagnanus *in d. cap. Odoardus num.* 59.

Digitized by Google

num. 59. & 60. *de Solutionib.* Et equidem Statutum
Patavinum sub Rubrica *De Cessione bonorum*, *pag.
mihi* 153. *tergô* ita disponit: *Ad postulationem Vene-
rabilis Fratris B. Antonii Confessoris Ordinis Fratrum
Minorum, Statutum, & ordinatum fuit, quod nullus
de cætero tàm debitor, quàm fidejussor pro aliquo debi-
to, sivè debitis pecuniariis, tàm præteritis, quàm
8 futuris, teneatur in carceribus, si voluerit renunciare
bonis suis. Et si renunciare, sivè cedere voluerit bonis
suis, faciat hoc modo, scilicèt, quod depositis omnibus
vestimentis, & calceamentis, infula, & capello, ex-
ceptis camisia, & Sarabula, in publica concione, vel
in majori Palatio, vel Consilio, centum hominibus præ-
sentibus ad minùs, per tres vices super quadrum, quod
altum tribus pedibus ponatur, & sit in majori Sala
Palatii, & cum natibus super eo percutiat dicendo
ter, alta voce, Cedo bonis.* Vox illa *Sarabula* signi-
9 ficat fœmoralia, vulgò *le bragbesse*, ut observat
Magrius *in Hieroiexico Verb. Sarabara*; quibus exue-
batur debitor in cessione bonorum facienda, modo
satis vituperoso, & infami. Cæterùm, etsi Lapis
prædictus existat in Sala Palatii Juris Communis
hîc Patavii, cum hac inscriptione: *Lapis vituperii,
& cessionis bonorum:* talis forma cedendi bonis reces-
sit ab aula, ut affirmat etiam Fagnanus *in d. cap.
Odoardus num.* 63. *de Solut.* & sufficit, quod debitor
10 in actis publici Notarii insinuet inopiam suam, &
in scriptis cedat omnibus bonis; instans, se non co-
gi præter id quod facere potest, præcipuè si sit ex ali-
quo genere illorum, quibus Jus commune concedit,
ne cogantur solvere præter id, quod facere possunt.
l. Inter. 19. *ff. de Re judic. l. In condemnatione* 173. *ff.
de Reg. Jur. l. Nepos.* 125. *ff. de Verb. Signif.* Bar-
bosa *in l. Maritis.* 3. *num.* 2. *ff. Soluto Matrim.* &
Guttierez. *de Juram. part.* 1. *cap.* 2. *num.* 48.

Secundum præmissum fuit, quod sex sunt genera
personarum, quæ licèt ære alieno gravatæ, à credi-
toribus adstringi non possunt præter id, quod facere
11 possunt. Primum genus comprehendit omnes sangui-
ne conjunctos, quales sunt parentes, liberi, fratres,
& respectivè omnes ascendentes, & descendentes.
l. Sunt qui. 17. *l. Cum ex causa.* 30. *ff. De Re judic.
l. Quia* 16. *l. Etiam.* 18. *ff. Solut. Matrim. l. Licet.*
7. *§. Sed si quis, ff. De obsequiis.* de quibus plenè
agunt Cujacius *lib.* 32. Donellus *lib.* 27. *Comment.
cap.* 9. & Heringius *de Fidejussor. q.* 27. *part.* 4. *n* 90.
Secundum genus continet Socios in eodem negotio,
eo quia reputantur consortes, & fratres. *l. Cum duo-
bus* 52. *§. Papinianus, & l. Verum.* 63. *ff. Pro Socio.
l. Ex part.* 39. *§. Filiis. ff. Familiæ ercifcun.* Sed
oportet, ut prædicti abstineant à fraudibus, ac men-
daciis inter se ipsos, ut advertunt Heringius *de Fi-
dejussor. part.* 1. *cap.* 27. *num.* 220. Guttierez *de Ju-
ram. part.* 1. *cap.* 16. *num.* 72. & Cevallos *com. contra
commun. q.* 12. Tertium genus concernit Maritos, qui
in restitutione dotis condemnantur tantùm in id, quod
facere possunt. *l. Patronus.* 17. *l. Non tantùm.* 20.
cum seq. ff. de Re judic. l. Maritum. 12. *cum seq. ff.
Soluto Matrim. §. Item si de dote.* 37. ubi Ant. Pichar-
dus. *Instit. de Actionib.* Quartum genus denotat Pa-
tronum, Patronam, & eorum liberos, parentesque
conventos à libertis, qui ab eis inæstimabile libertatis
beneficium acceperunt. *l. Patronus* 17. *l. Inter.* 19.
l. Exheredatum. 49. *ff. de Re judic. l. Licet* 7. *l. Liberto.* 9.
ff. de obsequ. parent. de quibus differit Pichardus *Instit.
tom.* 2. *in Manuduct. part.* 2. *præcept.* 9. *num.* 30. &
cum antedictis venit etiam donator, quem donata-
rius, si est ejus creditor, adstringere non potest præ-
ter id, quod ejus vires suppetunt. Giurba *decis.* 5.
Salgadus *in Laberynth. creditor. part.* 1. *cap.* 24.
num. 108. Quintum genus complectitur personas,
quæ ob inopiam absque sua culpa incursam dignæ
sunt miseratione, inter quas numeratur filius eman-
cipatus, sivè exheredatus, vel in re modica heres in-
stitutus. *l.* 2. *ff. Quod cum eo. l.* 2. & *l. Si alia.* 9.
Cod. eod. tit. l. 3. *§. Sed aurum. ff. de Minor.* circa
quod genus legendi sunt Cujacius *ad tit. De Revo-
cand. his, quæ in fraudem, & lib.* 12. *observ. cap.* 5.
Donellus *lib.* 16. *Comment. cap.* 20. & Osualdus *lib.*
27. *Comment. cap.* 9. *Litt.* P. Sextum verò genus
12 habet benemeritos de Republica nempè Milites
tùm armatæ, tùm togatæ militiæ. *l. Miles.* 6. *l. Si
miles.* 18. *ff. de Re Judic.. l. Si castrensi.* 7. *ff. De ca-
strensi pecul. l. Advocati.* 14. *C. De Advoc. diverf. ju-
dic. l. Medico.* 6. *cum l. seq. C. de Professor. lib.* 10. Ideò-
que Milites, Advocati, Medici, ac alii Doctores non
conveniuntur, nisi in quantum facere possunt, ut tra-
dunt Osualdus *lib.* 27. *Comment. cap* 9. *Litt.* L. Baeza *de
Inope debitore cap.* 16. *n.* 127. Guttierez *de Juram. part.* 1.
cap. 16. & Covaruvias *lib.* 2. *Variar. resol. cap.* 1. *n.* 4.
Ad imitationem autem prædictorum Militum ve-
13 niunt etiam Clerici, qui sunt milites militiæ cœlestis.
cap. Dilecto. cap. Cum secundum. De Præbend. cap.
1. *De Clerico ægrotan. cap. Salvator.* (circa medium)
1. *q.* 3. *cap. Militare.* 23. *q.* 1. *cap. Reprehensibile.* 23.
q. 8. & *cap. Degradatio. §. Actualis. de Pœnis in* 6.
& ideò fruuntur eodem Privilegio, ut non adstrin-
gantur solvere sua debita ultrà vires, ut post Eve-
rardum, & alios docuit Lælius Mancinus (qui us-
que ad Annum 1652. fuit Professor Juris Canonici
14 in prima Cathedra matutina in hoc Publico Gymna-
sio Patavino, & Præceptor meus) in suis *Sacri Ju-
ris Controverf. Dissert.* 22. & tradunt omnes Cano-
nistæ, inter quos novissimè Gonzalez *in Comment.
ad d. cap. Odoardus num.* 14. *de Solutionib.* ubi *num.*
17. & 18. advertit, hoc adeò esse verum, ut ipsi
Clerici non valeant renunciare huic privilegio, tan-
15 quàm eis concesso in reverentiam Ordinis Clerica-
lis, quod latissimè probant Balboa *in cap.* 1. *de Fo-
ro competen. q.* 11. *num.* 106. Fermosinus *in cap. Si
diligenti. q.* 3. *eod. tit.* Pichardus *in Manuduct.* 2. *part.
præcept.* 9. *num.* 36. Acacius. *De Privil. parent. cap.*
11. Covaruvias *in cap. Quamvis.* 2. *part. in princ.
num.* 8. *de Pactis in* 6. & inter modernos Fagnanus
in eod. cap. Odoardus num. 70. & *seqq.* ubi addit,
hujus privilegii renunciationem à Clerico factam non
valere, quamvis eam ille fecisset cum Juramento.

Tertium tandem præmissum ostendebat requisita
necessaria in Clerico debitore, ne ultrà quàm facere
possit, sit conveniendus; & ut admitti valeat ad
16 beneficium prædicti *cap. Odoardus.* Ipsa autem re-
quisita sunt novem. *Primò*, ut sint Clerici sivè con-
stituti in sacris, sivè in minoribus ordinibus, imò si
sint sola prima Tonsura initiati, nam & hi dicun-
tur milites cœlestis militiæ. *cap. Christianis.* 11. *q.* 1.
cap. Nullus Episcoporum. dist. 3. Glossa *in Clem.* 2.
17 *in Verb. Clericus. De Vita, & honest. Cleric.* Fagna-
nus *in d. cap. Odoardus. num.* 20. ubi tamen *num.* 24.
notat, procedere, si talis Clericus deferat habitum
Clericalem, & tonsuram; secùs si eam abjecerit, &
deseruerit. *Secundò* ne duxerint Uxorem, quia Cle-
rici conjugati non fruuntur hoc privilegio. Ancha-
18 ran. *in cap. Unico num.* 4. *De Clericis conjug. in* 6.
Natta *cons.* 319. *Incip. Regulariter. num.* 5. & 6. &
in cons. 356. *Non est opus. num.* 1. *Tertiò*, ut iste
Clericus debitor verè sit inops, & non sit solvendo,
ut in *d. cap. Odoardus.* ibi: *propter rerum inopiam
solvere non valentem:* siquidem inanis est actio, quam
19 inopia debitoris excludit. *l. Nam is. ff. de Dolo.
cap. olim il* 2. *de restit. spoliat. Quartò*, ut constet
de Clerici paupertate, & inopia, vel per publicam
famam, vel ex ejus nuditate, & mendicitate. DD.
quos citat, & sequitur Fagnanus *in eod. cap. Odoar-
dus num.* 31. & *seq.* ubi benè subjungit, quod si cre-
ditor velit probare contrarium, est audiendus, &
ejus probationes sunt recipiendæ; quæ si fuerint con-
cludentes, Clericus condemnari debet ad solvendum
id, quod detractis ejus alimentis superest, ut fecit
Rota *decis.* 998. *part.* 3. *diverf.* & apud Card. Sera-
phinum. *Decis.* 173. *Quintò* requiritur, ne ipse Cle-
ricus

Digitized by Google

ticus debitor inciderit in inopiam propriâ culpâ, vi-
20 delicet ludis vacando, vel luxuriosè vivendo, ut respondit Ferrettus *consf.* 144. *num.* 3. Genuensis *in Praxi Curiæ Archiep. Neapol. cap.* 3. *num.* 8. & Carolus de Grassis *de Effect. Cleric. Effect.* 7. *num.* 5. quamvis non desint DD. eum excusantes, & volentes adhuc ipsum hoc privilegio frui, tanquam Ordini Clericali concessum, quos allegat Fagnanus *in d. cap. Odoardus à num.* 41. *& seqq. Sextò*, ut Clericus debitor conveniatur civiliter, secùs si cri-
21 minaliter, & ex maleficio; tunc enim Judex potest eum condemnare ad carcerem, donec debitum solvat. DD. quos cumulat Fagnanus ubi *supr. à num.* 47. *& seqq. Septimò* pariter requiritur, ut conventio sit personalis, non autem realis, puta ob depositum
22 factum in manu ipsius Clerici, vel ob bona, in quibus creditor hypothecam habet, ab ipso Clerico detenta. Aretin. *in §. Si de dote. col.* 1. *Instit. de Actionib.* Brunus *in tract. de Cession. bonor. q.* 3. *num.* 14. & Matthesilaus *Sing.* 60. *num.* 1. *Octavò*, ut Clericus debitor confiteatur debitum, quia si illud inficiatus fuerit, & deindè à creditore fuerit convictus, non admittitur ampliùs ad hoc privilegium. Baldus *in l.* 1. *in fin. num.* 14. *C. Qui bonis ced. poss.* Ferrettus *d. consf.* 144. *num.* 2. Mohedan. *decis.* 1. *De Solution.* & Rota *decis.* 841. *part.* 3. *divers. Nonò*, & ultimò requiritur, ut ipse Clericus debitor ad consequendum hoc privilegium, & beneficium, ne ultra vires con-
23 veniatur, det creditoribus cautionem, quod si venerit ad pinguiorem fortunam, omne debitum solvet ipsis. DD. scribentes *sup. d. cap. Odoardus*, & Fagnanus *ibid. à num.* 68. *& seqq.* explicans, prædictam cautionem esse debere vel pignoratitiam, vel fidejussoriam, vel in defectu earum, saltem juratoriam; itaut idem Clericus debitor juret, se soluturum, si pervenerit ad pinguiorem fortunam, bona ex aliquo justo eventu acquirendo.

His ita constitutis, & demonstratis Reverendissimo Judici, dixi prædictum Parochum S. Clementis admittendum esse ad beneficium *d. Cap. Odoardus De Solutionibus*; quia concurrebant in illo omnia requisita supra recensita. Siquidem de primo, & secundo dubitari non poterat, cum esset Clericus, Sacerdos, & Parochus non conjugatus; prout neque de
24 quinto, sexto, septimo, octavo, & nono; nam de probitate vitæ, & bonis moribus ejusdem Parochi constabat per viam notorii; conventus erat à creditoribus civiliter, & actione personali, tanquam fidejussor suorum Nepotum; obligationem suam non negaverat, sed ingenuè confessus fuerat, paratusque erat, cautionem juratoriam creditoribus præstare de solvendo, quandocunque devenerit ad pinguiorem fortunam.

Tota difficultas restringebatur ad tertium, & quartum requisitum, quod ipse Parochus verè esset inops & de ejus inopia, & paupertate constaret; obiiciebant enim creditores, eum possidere pingue beneficium, cujus æstimum ascendit ad libras quatuor; cumque una libra æstimi denotet Ducatos octoginta annuorum redituum, desumebant iidem creditores,
25 ipsum Parochum S. Clementis exigere annuatim à suo beneficio, & colligere Ducatos Venetos tercentum, ac viginti, *L.* 6: 4. pro Ducato; & allegabant Loterium docentem *de Re benefic. lib.* 1. *q.* 43. *num.* 30. valorem beneficii ex publico æstimo probari. Ego au-
26 tem excipiendo dicebam, ex doctrina ejusdem Loterii *d. lib.* 1. *q.* 43. *num.* 17. ex redditibus beneficii, in eorum computatione, & calculo, esse deducenda onera iisdem incumbentia; quia fructus dicuntur soli-
27 tis oneribus deductis. *l. Non amplius. ff. de legat.* 1. Nicolius *in Lucubrat. Canon. lib.* 1. *tit.* 29. *num.* 9. *§.* 11. ubi adducit Decretum S. Congregationis Concilii *diei* 7. *Aprilis* 1629. declarantis, deducendas esse Pensiones legitime reservatas, subsidia, quartas, & alias impositiones; idemque pluries terminavit Rota Romana, cujus Decisiones citat Barbosa *de Parocho cap.* 29. *num.* 18. *&* 19. Quapropter, estò quod beneficium S. Clementis de Padua haberet in redditibus annuis Ducatos Venetos tercentum, & viginti; ego considerabam esse detrahendos ex eis, Ducatos sexaginta Pensionis annuæ, quam exigebat Rev. Julius
28 Antonellus Mansionarius Cathedralis Patavinæ; alios Ducatos sexaginta ob subsidium à Papa concessum Serenissimæ Reipublicæ Venetæ, militanti contra Turcas in regno Cretæ; nec non Ducatos vigintiquinque pro Decimis annuis Apostolicis eidem Serenissimæ Reipublicæ impertitis; item Ducatos viginti pro Daciis, idest oneribus Clero Patavino incumbentibus pro communibus contributionibus cum Magnifica Civitate Paduæ, & Spectabili Territorio. Item alios Ducatos viginti pro extraordinariis impositionibus de mandato Serenissimi Dominii. Item alios Ducatos viginti annuos pro Cereis, olivarum palmis, oleo Lampadis, ac sarta, tecta tenenda domo Parochiali; quæ omnia onera, impositiones, & contributiones simul sumptæ excedebant summam Ducatorum ducentorum; itaut ipsi Parocho pro sua Congrua portione vix remanebant Ducati Veneti centum, & viginti.

Porrò circa ipsam congruam addebam, eam ab ipso Reverendissimo Vicario Generali, & Judice taxari non posse in minori quantitate, quàm centum Scu-
29 torum argenteorum, conficientium summam Ducatorum Venetorum centum, & quinquaginta, L. 6: 4. pro Ducato, juxta doctrinam Barbosæ *de Offic. Parochi cap.* 29. *num.* 17. Sperelli *decis.* 68. *num.* 18. Joannis Caroli Antonelli *De Jurib. Clericor. lib.* 2. *part.* 6. *cap.* 16. *num.* 18. & Rotæ coram Emin. Card. Cerro *decis.* 18. *num.* 6. Licèt enim B. Pius V. in *sua Constitut.* 47. Incipien. *Ad exequendum. diei primæ Novembris* 1567. ordinaverit, ut congrua Parochis non major centum, nec minor quinquaginta scutorum annuorum summa assignetur; nihilominùs dicta Piana Constitutio, ut consideravit Rota *part.* 19. *recent. decis.* 1. *num.* 15. *tom.* 1. loquitur de Parochis electis ad Vicarias, & beneficia unita Monasteriis, & ea non
30 servatur in beneficiis Parochialibus collativis, & quæ dantur in titulum; in quibus, ubi opus sit taxare ex eorum fructibus congruam portionem, pro sustentatione Parochi titularis, Judicis arbitrium extenditur ultra ipsam summam scutorum argenteorum centum, pensatâ qualitate loci, quantitate fructuum, consuetudine regionis, & conditione personæ, ut notat Tondut *QQ. Beneficial. part.* 1. *cap.* 58. *num.* 13. & ideò majorem summam, quam scutorum centum, approbavit Rota *part.* 3. *recent. decis.* 437. *num.* 5. *& part.* 6. *recent. decis.* 220. *num.* 11. novissimè eadem Rota *part.* 19. *recent. decis.* 1. *num.* 8. *tom.* 1. ubi ejusdem Congruæ taxatio facta fuit in centum scutis au-
31 reis, quorum uniuscujusque valor est Juliorum sexdecim, bajochorum trium, ex doctrina Pyrrhi Corradi *De Benefic. lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 10. *pag.* 200. sicque unum scutum aureum facit de moneta Veneta libras quatuordecim cum dimidia; & scuta centum auri excedunt summam Ducatorum Venetorum bis centum, & triginta; & tamen in tanta quantitate non semel congruam pro Parocho approbavit Rota tùm coram Ubaldo *decis.* 87. tùm, *part.* 1. *recent. decis.* 420. tùm etiam in eadem *part.* 19. *rec. tom.* 1. *decis.* 112. *num.* 6. Ex quibus omnibus deducebam in casu illo Parochi S. Clementis, in quo agebatur de persona civili, Sa-
32 cræ Theologiæ Laurea decorata, curam animarum in hac nobilissima Paduæ Civitate gerente, & ad senilem ætatem properante, non esse pro sui sustentatione assignandam minorem summam scutorum centum argenteorum, ut honestè vivere valeat, ut benè disserit idem Jo. Carol. Antonellus *de Jurib. Cleric. lib.* 1. *part.* 1. *cap.* 10. *num.* 5. ubi DD. Theologos, & Canonistas ita sentientes allegat. Quare in scutis argenteis centum congruam ipsam taxari obtinui, &

Digitized by Google

ita fuit à Judice sententiatum, præstito per Parochum debitorem juramento, si pervenerit ad pinguiorem fortunam de satisfaciendis creditoribus, iisdem pro nunc imposito perpetuo silentio adversùs ipsum Parochum debitorem; illique concesso privilegio, ac beneficio prænominati *cap. Odoardus. De solutionib.*

Ultimò pro plena intelligentia hujus Privilegii *cap. Odoardus. De solutionibus* non est omittendum, quòd ipsum non conceditur Clericis beneficiatis, qui tenentur solvere Pensionem impositam à Papa super
33 fructibus beneficii, quod possident, prævio eorum consensu; nam si deficiant in solutione, & à Pensionariis conveniantur, petere non possunt Privilegium ejusdem *cap. Odoardus*, ut scribit prænominatus Jo. Carolus Antonellus *de Jurib. Cleric. d. lib* 1. *part.* 2. *cap.* 15. *num.* 12. sequentibus verbis, & DD. auctoritatibus: *Observa tamen quod Clericus in multis casibus non gaudet dicto Privilegio: & primò si consensit impositioni Pensionis super beneficio, & deindè ageret ad eam rescindendam, extinguendam, vel moderandam: tunc enim durante lite tenetur pensionem solvere, & potest etiam carcerari, quia æquum non videtur, ut dum beneficium possidet, exceptione d. cap. Odoardus. juvetur*. Covaruvias *lib.* 1. *Variar. cap.* 1. Gigas *de Pensionib. cap.* 2. Menochius *de Arbitrar. casu* 183. Genuensis *in Praxi cap.* 3. *num.* 10. Riccius *decis.* 173. *part.* 4. Carol. de Grassis *de Effectib. Cleric. Effect.* 7. *num.* 50. Squillant. *de Privil. Cleric. cap.* 10. *num.* 22. *Unde in commissionibus, quæ in Curia Romana impetrantur super nullitate, vel reductione Pensionis, semper apponitur clausula*, Absque retardatione solutionis Pensionis: *hujus rei ratio est, quia præsumitur, quod fructus beneficii sint sufficientes pro solvenda Pensione, donec contrarium probetur; & ideò Rectori beneficii, qui fructus percepit, imputandum est, si fructus consumpserit, & Pensionem non solverit*. Covaruvias *d. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 9. *Vers. Quoties verò*. Gigas *de Pensionib. q.* 9. *num.* 9. *& seq. ubi dicit, quod reditus beneficii præsumuntur sufficientes pro vita duorum. Latè* Carolus de Grassis *d. Effect.* 7. *num.* 48. *& seq. subdens, quod debitor Pensionis non solùm non potest uti dicto beneficio cap. Odoardus. Sed nec etiam cedere bonis ex traditis per* Nevizan. *cons.* 59. Ferrettum *cons.* 44. *lib.* 1. *&* Menochium *de Arbitrar. casu* 183. *in fine*. Hucusque Antonellus. Idem tradunt Gratianus *Discept. Forens. cap.* 222. *num* 30. 39. *&* 40. *& cap.* 799. *num.* 8. *&* 9. Marchesanus *de Commissionib. part.* 3. *cap* 1. *fol.* 310. & alii, quos citat, & sequitur Theodosius Rubeus *in suis singularib. Rotæ tom.* 2. *part.* 5. *circa d. cap. Odoardus. pag.* 508. Novissimè Tondut in suo erudito Tractatu *de Pensionibus cap.* 21. *à num.* 1 *usque ad num.* 9. ubi alios DD. recentiores idem docentes cumulat.

Alterum casum ponunt DD. in quo Clericus debitor non admittitur ad beneficium *d. cap. Odoardus*, nempè quando est adstrictus obligatione Camerali;
34 sed circa istum casum non sunt concordes, quia alii negant, alii affirmant, ut notat Ferentillus *in addit. ad Burattum Decis.* 97. *num.* 8. ita dicens: *Vigore obligationis Cameralis renunciatur beneficio cap. Odoardus; & sic obligatus in Romana Curia non potest illo se juvare*. Farinac. *de Carcerib. q.* 27. *num.* 70. Belletius *Disquisit. Clerical. part.* 1. *tit. De Clerico debitore* §. 2. *num.* 8. Aloysius Riccius *in Praxi fori Eccles. resol.* 252. *per totam*. Zacchias ad Gallesium *de Oblig. Camerali quæst.* 16. *num.* 9. *& quæst.* 19. *num.* 4. Franc. Leo *in Thesaur. fori Ecclesiast. part.* 1. *tit. De Privileg. Clerici cap.* 11. *num.* 16. Contra Ferretius *cons.* 254. *num* 14. *lib.* 2. Covaruvias *Var. Resolut lib.* 2. *cap* 1. *num.* 9. *Vers Ex his*. Marc. Anton. Genuensis *in Praxi Archiepisc. Neapolit. cap.* 3. *num.* 13. Sed hic casus non est practicabilis in hoc Serenissimo Dominio Veneto, in quo dicta obligatio Cameralis non est in usu.

Tertius potiùs casus est observabilis etiam in his regionibus, in quo Clericus non potitur prædicto be-
35 neficio *cap. Odoardus*, quem addit ipse Ferentillus *ubi supra num.* 10. his verbis: *Hîc addo, quod Clerico litiganti, qui per tres sententias conformes in expensis condemnatus fuit, quoad ipsas non admittitur ad cap. Odoardus*, ex Puteo *decis.* 54. *num.* 3. *lib.* 1. *secundum ultimam impressionem, quem secuta est* Rota *in Hipporegien. Expensarum* 12. *Decembris* 1622. *coram bon. mem. Remboldo*. Imò quod ipse Clericus debitor, qui voluit litigare super veritate sui debiti; & illud non est confessus, nisi post secundam sententiam contra se latam, & in gradu appellationis, non sit admittendus ad beneficium ejusdem *cap. Odoardus*, habetur in Annotat. ad Afflict. *Decis.* 379 quam allegat, commendat, & in judicando sequutu. fuit novissimè Anton. de Possentibus Fabrianensis is suis Singularibus Civilibus, Canonicis, & Criminalibus *Singular.* 168. *num.* 5.

DISCORDIA LV.

ARGUMEMTUM.

Disputatur de Jure Matricitatis, ac Superioritatis inter duos Plebanos Oppidi Castrifranci; ubi nati sunt duo celeberrimi Legum Civilium Professores, Paulus Castrensis antiquus, & Paulus Doctus modernus. Præmissa narratione unionis vetustæ Ecclesiarum S. Liberalis, ac S. Mariæ ejusdem Castri, earum divisionis de Anno 1584. concorditer inter Plebanos ipsarum diù servatæ, sed ab illo S. Mariæ postea eversæ, ob prætensum Jus Matricitatis; traduntur hujus Juris signa septem, militantia ad favorem Plebani S. Liberalis, cui præcedentiam deberi probatur adversus illum S. Mariæ in Processionibus, in Funeralibus, in Benedictione Fontis baptismalis, & in pulsatione campanarum in die Sabbati Sancti; ac in recipiendis Oleis Sacris ab Ecclesia Cathedrali Tarvisina. Tandem examinantur octo motiva prætensi Juris Matricitatis adducta per D. Plebanum S. Mariæ; eaque illegitima, & nullius valoris esse demonstratur ex Sacrorum Canonum tenore, Rotæ Romanæ, ac celebriorum DD. auctoritate.

SUMMARIUM.

1 *Castrifranci Oppidum in Territorio Tarvisino laudatum.*
2 *Pauli Castrensis famosi Jurisconsulti Patria, & Encomia.*
3 *Pauli Docti de Castrofranco Publici Juris Civilis Paduæ Professoris laus.*
4 *Castrifranci Plebanorum contentio de Præcedentia inter ipsos.*
5 *Præcedentiæ Parochorum materia res gravissima. Et cur?*
6 *Castrifranci olim una erat Parochia, etsi duæ essent Ecclesiæ Parochiales.*
7 *Castrifranci Ecclesiarum Parochialium divisio de Anno* 1584
8 *Castrifranci Plebanorum pax, & concordia usque ad* Annum 1628.
9 *Ambitio detestata.*
10 *F Bernardini de Novaria Capuccini concordatio Plebanorum Castrifranci* Anno 1630.
11 *Discordia renovata à Plebano S. Mariæ* Anno 1647.
12 *Gaspar Longo, & Franciscus Lazaronus Vicarii Veneti, & Judices* Anno 1650. *laudati.*

13 Nun-

Digitized by Google

13 *Nunciaturæ Apostolicæ Venetiarum sententiæ ad favorem Plebani S. Liberalis.*
14 *Plebani S. Mariæ resistentia circa easdem sententias.*
15 *Castrifranci inter Plebanos discordiarum capita quinque.*
16 *Matricitatis nomine quid significetur?*
17 *Matricitatis jus non competit Ecclesiæ S. Mariæ Castrifranci.*
18 *Matricitas de Jure soli Cathedrali Ecclesiæ competit.*
19 *Ecclesia quælibet de Jure præsumitur libera, nec alteri subjecta.*
20 *Actore non probante reus est absolvendus.*
21 *Matricitatis alicujus Ecclesiæ signa septem. Et quæ?*
22 *Antiquitas Ecclesiæ est signum Matricitatis ejus.*
23 *Castrifranci Oppidum ædificatum* Anno 1199.
24 *Fide Christiana quando, & à quo imbuti Paduani, ac Tarvisini?*
25 *Historiarum à tenore valet argumentum.*
26 *Statuti Tarvisini tenor de fabricandis domibus extra Oppidum Castrifranci.*
27 *S. Liberalis Patronus principalis Oppidi Castrifranci.*
28 *Argumentum valet ab Etymologia vocabuli.*
29 *B. M. Virginis Nativitatis Octava quando, & à quo instituta?*
30 *Ecclesia junior cedit præcedentiam antiquiori.*
31 *Ecclesiam esse filialem, ac alteri subjectam undè cognoscatur?*
32 *Villa contigua alicui Oppido censetur ei subdita.*
33 *Matrix dicitur Ecclesia, cujus Parochus exercet auctoritativè functiones in altera.*
34 *S. Liberalis Castrifranci Plebanus plura faciebat in Ecclesia S. Mariæ auctoritativè.*
35 *Stola est signum Jurisdictionis in Parocho.*
36 *Obligatio Parochorum accedendi ad Processiones, quæ fiunt in alia Ecclesia, denotat eam esse ipsorum Matricem.*
37 *Reverentiam qui præstat alicui, & ei locum cedit, dicitur eo inferior.*
38 *Major ille est, cujus nomen in scripturis priùs est positum.*
39 *Digniora debent præcedere: & à dignioribus est inchoandum.*
40 *Edictorum Episcopalium affixio fit ad Valvas Ecclesiarum principalium.*
41 *Publicæ lætitiæ signa fiunt in Ecclesiis majoribus.*
42 *Plebani Oppidi Castrifranci in quibus functionibus simul conveniant?*
43 *Plebani S. Mariæ Novæ prætensio in Processionibus cum SS. Eucharistia.*
44 *Processio cum SS. Eucharistia extra Ecclesiam prohibita in die Veneris Sancti.*
45 *Consuetudo servanda in materia Præcedentiæ*, & num. 58. ac 66.
46 *Petitioni per aliquem factæ, ab eodem contradici non potest.*
47 *Rituale Romanum habet vim legis.*
48 *Observantia communis est omnium probationum Regina.*
49 *Scandala sunt semper evitanda.* Et num. 60.
50 *Præcedentiæ jus metitur à consuetudine.*
51 *Sententia facit jus inter partes.*
52 *Sententiæ unam partem qui adimplet, totam tenetur adimplere.*
53 *Litigium totum extinguit Sententia.*
54 *Parochus in propria Ecclesia cuicumque præcedit.*
55 *Officium super cadavere fit à Parocho Ecclesiæ, in qua sepelitur.*
56 *Quod tibi non vis fieri, alteri ne facias.*
57 *Par in parem non habet imperium.*
59 *Fons baptismalis à propria Parocho benedicendus die Sabbati Sancti.* Et num. 61.
62 *Synodales Constitutiones sunt leges obligantes.*
63 *Rubricas Missalis qui transgreditur, peccat mortaliter.*
64 *Sententia de Jure præsumitur justa.*
65 *Actus facultativi denotant superioritatem in faciente.*
68 *Urbani III. Bulla circa Matrices Ecclesias Diœcesis Tarvisinæ.*
69 *Filialis est Ecclesia dotata de bonis Ecclesiæ Matricis.*
70 *Enunciativæ antiquæ faciunt probationem.*
71 *Copia Bullæ Papalis, sumpta ex alia copia, nihil probat.*
72 *Identitas rei ex solo nomine non probatur.*
73 *Plebis solum nomen non facit Ecclesiam matricem.*
74 *Apostilla posita ad Bullam Papalem aufert ei fidem.*
75 *Matrix, Plebana, & Baptismalis Ecclesia sunt vocabula synonyma.*
76 *Enunciativæ, extantibus contrariis probationibus, nihil valent.*
77 *Libri Visitationum Episcopalium probant tantummodò gesta in Visitatione.*
78 *Actus facultativi non inducunt subjectionem.*
79 *Reservatio jurium conservat ea, quæ quis habet; sed non dat ea, quæ quis non habet.*
80 *Decretum latum non auditis partibus, neque eis citatis, est nullum.*
81 *Plebani S. Liberalis Castrifranci victoria contra illum S. Mariæ.*

IN amœna planitie Tarvisini Territorii, sub Serenissimo Dominio Veneto existentis, plura reperiuntur oppida, Urbium figuram, ob fortissimos muros, & munitas Turres, habentia inter; quæ Castrumfrancum famigeratum non tàm magnificis Venetorum
1 Nobilium ædificiis, quàm ortu antiqui Jurisconsulti Pauli de Castro, de quo Joannes Trithemius in *Libro de Scriptorib. Ecclesiast.* hæc habet: *Paulus de Castro Jureconsultus omnium sui temporis celeberrimus, Vir magnæ doctrinæ, & eloquentiæ, qui Jus*
2 *Civile annis multis Senis, Florentiæ, Patavii, & Avenione conductus publico Salario gloriosè docuit.* Marcus verò Mantua Patricius Patavinus, & Doctor egregius *in Epitome Virorum Illustrium num.* 195. de eodem ita scribit: *Paulus Castrensis consummatissimus Legum vertex fuit, & Juris asylum, ut de Papiniano Lampridius inquit; innotescitque omnibus, ex ejus præclarissimis Commentariis, & Consiliis, qualis, quantusque fuerit omni tempore. Floruit, quidquid dicatur, Anno potissimùm* 1457. *In cæteris, quo in loco docuerit, & reliqua tibi Joan. Fichar. in ejus vita declarabit, & testabitur. Id unum nos haud prætermittentes, tàm tritum in ore omnium proverbium extare; adeò textus benè enucleasse, Glossas, & cætera, ut dicatur, si non esset Bartolus, esset Paulus.* Huic Castrensi antiquo modernus Paulus Doctus, pariter
3 de Castrofranco oriundus, Præceptor meus humanissimus, & in hoc Publico Gymnasio Patavino, in explicandis primùm Imperialibus Institutionibus, deindè in Jure Civili explanando primarius, ac Sapientissimus Professor, ab anno 1646. usque ad annum 1687. æquivalens fuit; & dolendum est, ejus scripta apud heredes in chartophylacio latere, quæ si ad lucem prodirent, eruditione, ac profundâ Legum interpretatione, absque veritatis offensâ, ejusdem Castrensis antiqui commentaria superarent.

In hoc insigni Oppido Castrifranci duæ extant Parochiales Ecclesiæ, Una sub titulo S. Liberalis intra mænia; alia extra sub invocatione Sanctæ Mariæ Novæ; quorum Parochi multis ab hinc annis conten-
4 dentes adinvicem super earum Matricitate, Præcedentia, ac Superioritate, post plures sententias diversorum Judicum, nunc delegare fecerunt hanc eorum discordiam Eminentissimo, ac Reverendissimo Domino meo Cardinali Barbadico Episcopo Patavino; qui processus, ac scripturas utriusque partis mihi consignare fecit, ut eas legerem, & observarem, ac opinionem meam circa prætensam Matricitatem, Præcedentiam, & Superioritatem, in scriptis exararem. Pa-

Digitized by Google

rendo utique mandatis Eminentiæ Suæ attentissimè scripturas ipsas, jura utriusque partis, ac fundamenta tùm in jure, tùm in facto consistentia consideravi, siquidem materia hæc est gravissima, ut advertit Loterius *de Re benefic. lib. 1. quæst. 16. num. 29.* & Rota
5 apud Card. Seraphin. *decis. 22. num. 1.* tùm quia ex subjectione unius Ecclesiæ, resultat in ea diminutio divini cultus, cujus augmento non solùm Parochiani, sed ipsi Rectores Ecclesiarum debent studere, juxta notata per Glossam *in cap. 1. §. Sanè. in Verb. Augmentum. De Concess. Præben. inter Extravag. Joan. 22.* tùm etiam quia agitur de honore, ac libertate earundem Ecclesiarum, pro cujus defensione postponi debent omnia commoda, lucra, & divitiæ, ut eleganter dicit Glossa *in Extravag. Ad Conditorem. §. rursus. in Verb. Honori. De Verb. Signific.* inter prædictas *Joan. 22.* & scribunt Ancharan. *cons. 197. num. 4.* Decius *cons. 687. num. 10.* & Card. Parisius *cons. 58. num. 32. vol. 4.* maximè quia infertur perpetuum præjudicium Ecclesiæ, quæ remanet alteri subjecta. Rota coram Card. Seraphin. *d. decis. 22. num. 2.* Quapropter, cum tota Discordia inter Rectores prædictarum duarum Parochialium restringatur ad Matricitatem, quam spectare ad Ecclesiam S. Mariæ Novæ prætendit ejus Plebanus, respectu Ecclesiæ S. Liberalis; itaut hæc sit filialis, subdita, & inferior ipsius Parochialis S. Mariæ Novæ; pro faciliori intelligentia dicendorum in Jure, quatuor veniunt præmittenda, & narranda in facto.

Primum est, quod prædictæ duæ Ecclesiæ, quamvis hodie sint inter se distinctæ, & quælibet ipsarum certos habeat fines, itaut duas Parochias separatas constituant; olim tamen simul unitæ erant, & unam tantùm faciebant Parochiam, unicamque curam ani-
6 marum; nam uterque Plebanus promiscuè in utraque administrabat Sacramenta habitantibus tàm intra, quàm extra mænia ipsius Oppidi Castrifranci; & licebat iisdem habitantibus asciscere ex duobus illis animarum Pastoribus, quem volebant, ut legitur in Visitationibus antiquis per Ordinarium Tarvisinum in ipsis duabus Ecclesiis factis, videlicèt *de Anno* 1436 1467. & 1493 fructusque, & redditus earundem Ecclesiarum pro indiviso possidebantur ab iisdem duobus Plebanis, & nomine utriusque locabantur, & colligebantur; & illos postea collectos æqualiter inter se ipsos dividebant, prout testantur instrumenta *de Anno* 1498 & Acta publica plurium Visitationum Episcopalium, & potissimùm *de Anno* 1508. In hac unione perstiterunt prædictæ duæ Ecclesiæ, & Plebani ipsarum usque *ad Annum* 1584. quo tempore Reverendissimus Episcopus Parentinus Visitator Apostolicus,
7 justis de causis animum suum moventibus, decrevit, populum universum illius Oppidi in duas Parochias distinguere; prout actualiter illas distinxit, utrique assignando proprios, & certos confines, itaut Rectores, & Plebani prædicti suos quoque Parochianos haberent, ipsorumque curam agerent; & iidem Parochiani suum proprium Parochum, & Pastorem similiter agnoscerent, à quo solo Sacramenta reciperent, prout latiùs legitur in ipso Decreto divisionis *diei 6. Augusti* 1584. pro cujus etiam plena executione fuerunt divisa etiam omnia bona, fructus, & redditus, æquis portionibus, inter eosdem Plebanos, prout ex authenticis Instrumentis constat de *Annis* 1594. & 1595.

Secundum Præmissum in facto est, quod factâ prædictâ divisione Parochiarum; pax, & concordia Plebanorum viguit, & duravit usque ad Annum 1628.
8 nam uterque vacabat in sua Parochia regimini animarum, & cultui divino in propria Ecclesia, potissimùm in illa S. Liberalis intra mænia, in qua creverat numerus clericorum inservientium Rectori; & nullum erat dissidium, etsi Plebanus S. Mariæ Novæ accederet ad Processiones publicas, quæ fiebant in Ecclesia S. Liberalis, in quibus præminentiam super omnes alios clericos retinebat; & ulteriùs idem Plebanus S. Liberalis mitteret Capellanum suum cum stola in die Sabbati Sancti ad Ecclesiam S. Mariæ Novæ, ut assisteret benedictioni Fontis baptismalis, & aliis functionibus sacris illius diei. Sed eodem Anno 1628. ciente detestanda ambitione, quæ est singu-
9 laris ille ferus, à quo multoties Ecclesiastica vinea devastata est; & qui quotidiè sepes ejus conatur irrumpere; Presbyter Laurentius Teutonicus Plebanus ejusdem S. Mariæ Novæ, motus inordinato quodam appetitu supergrediendi Plebanum S. Liberalis, extorsit monitorium à Vicario Episcopali Tarvisino, quo instabat præcipi R. D. Marco Antonio Barbarellæ Plebano S. Liberalis, ut in posterum deponeret nomen Plebani, agnosceret Ecclesiam S. Mariæ in Matricem, eique obsequia de Jure ab Ecclesiis filiabus, ac subjectis debita Matricibus præstaret; cujus Præcepti occasione Lis magna exorta fuit inter ipsos Plebanos, quæ indecisa pependit usque ad Annum 1630. In illo tempore ad preces Fratris Bernardini de Novaria Capuccini, Concionatoris munus exercentis in Oppido Castrifranci, ad tollenda scandala, præfati Plebani remiserunt ad ejus arbitrium decisionem Discordiæ; ipseque, Partibus auditis, tanquam ami-
10 cabilis Compositor pronunciavit, ambas Ecclesias esse pares in dignitate; quo verò ad præcedentiam Plebanorum in Processionibus, quamvis Plebanus S. Liberalis esset in possessione præcedendi Plebano Sanctæ Mariæ; tamen ob Dei amorem, & in obsequium ipsius Patris Concionatoris contentus fuit, ut iidem Plebani alternis vicibus inter se præcederent; & ita jurejurando promiserunt servare *die 7. Martii* 1630. ut latiùs legitur in concordio ipsius Fr. Bernardini, qui tali modo Discordiam extinxit.

Tertium Præmissum: Diù tamen fœdus istud permanere non potuit; nam circumeunte illo, qui semper vigilat, quærens quem devoret, non omisit superseminare zizania; quandoquidem resignatâ Ecclesiâ S. Mariæ per Rev. Laurentium Teutonicum Anno 1645. Rev. Cæsari de Sanctis, hic extinctam Di-
11 scordiam renovare meditatus, expedire fecit Bullas Apostolicas resignationis prædictæ Ecclesiæ cum titulo Archipresbyteratus, ut faciliùs sibi subjicere posset Plebanum S. Liberalis; qui tamen de hac novitate edoctus, opportunas fecit contradictiones, & coegit illum renunciare dicto titulo ex immoderato præminentiæ affectu sibi attributo; interimque, cum vacasset Ecclesia S. Liberalis per obitum Rev. Marci Antonii Barbarellæ; & eam in concursu ab Ordinario Tarvisino obtinuisset Rev. Hieronymus Placentinus, Anno 1647. audivit, se in judicium trahi ab eodem de Sanctis Plebano S. Mariæ, petente ab ipso, ut deponeret nomen Plebani, ut Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Matricem agnosceret, ut Sabbato Sancto fontem baptismalem non benediceret, sed personaliter ad Ecclesiam S. Mariæ accederet, ut Campanas eo manè non pulsaret, & ut ei præcedentiam in Processionibus cederet; super quibus Discordiarum capitibus litigatum fuit in foro Episcopali Tarvisino, donec de consensu Episcopi Anno 1649. ipsi
12 Plebani elegerunt in Arbitros RR. Gasparem Longum, & Franciscum Lazaronum, Viros summæ existimationis, ob Vicariatus munus in Serenissima Venetiarum Civitate diù per eos exercitum; qui *die 23. Martii* 1650. confirmarunt Sententiam Fr. Bernardini Capuccini, declarantes, licitum esse Plebano S. Liberalis fontem baptismalem in die Sabbati Sancti juxta solitum in Ecclesia sua benedicere; ac eadem die mittere aliquem Sacerdotem cum stola ad Ecclesiam S. Mariæ Novæ. At quo ad Processiones publicas cum illius Plebanus detrectaret accedere, emanavit contra illum alia Sententia Vicarii Metropolitani in possessorio ad favorem Plebani S. Liberalis *die 11. Junii* 1650. à qua cum appellasset ad Nunciaturam Apostolicam Venetiarum, duo alia Decreta ibi

Digitized by Google

13 ibi emanarunt ad favorem possessionis ejusdem Plebani S. Liberalis, Unum *die* 15. *Martii* 1652. pro libertate benedicendi fontem baptismalem: Alterum *die* 20. *ejusdem Mensis* pro libertate recipiendi Olea Sancta ab Ordinario Tarvisino: & adhuc Plebanus Sanctæ Mariæ prosequutus fuit litem in meritis coram Rev. Antonio Bussa Auditore Generali in dicta Nunciatura, qui tandem *die* 10. *Novembris*, prævia confirmatione mandatorum de manutenendo per suam diffinitivam Sententiam liberavit Plebanum S. Liberalis à petitis per d. R. Cæsarem de Sanctis Plebanum S. Mariæ, eidem perpetuum silentium imponendo cum condemnatione expensarum.

Quartum Præmissum. Tot, ac tantis judiciis non acquievit Plebanus S. Mariæ; sed accedens ad Processiones iis vicibus, in quibus sibi præcedere conce-
14 debatur, in aliis, in quibus subesse debebat, supplebat per Capellanum, ac paulò post per seipsum Processiones facere cæpit, res judicatas evertendo; idcircò contra hæc attentata Plebanus S. Liberalis Anno 1662. à Curia Episcopali Tarvisina obtinuit monitorium obedientiale, à quo adversarius appellavit ad Nunciaturam Apostolicam Venetiarum; at in ea pronunciatum fuit *die* 31. *Maii* 1663. ut obediret; quod facere recusans obtinuit *die* 2. *Maii* 1664. delegari Patavium omnem, & quamcunque discordiam cum Plebano S. Liberalis, judicandam per Eminentissimum, ac Reverendissimum Gregorium Cardinalem Barbadicum Episcopum Patavinum, cum clausula in delegatione inserta, *Ut procedatur servatis servandis, & non retardata executione rerum Judicatarum, præsertim in possessorio*. Igitur rebus sic stantibus in facto, & pendente causa in petitorio coram eodem Eminen-
15 tissimo Episcopo, Discordia hæc dividitur in quinque capita, in quibus videndum est de Jure, quis ex prædictis Plebanis sit exaudiendus in illis? & sunt:

Primò; Quænam sit judicanda Ecclesia Matrix? An scilicet illa S. Liberalis intra? Vel illa S. Mariæ novæ extra mænia Oppidi Castrifranci?

Secundò; Cui Plebano debeatur præcedentia in functionibus Ecclesiasticis, in quibus utriusque Ecclesiæ Plebani conveniunt simul?

Tertiò; An prohibendum sit Plebano S. Liberalis, ne benedicat Fontem baptismalem, Sabbato Sancto, in sua Ecclesia? nec campanas pulset ante sonitum illarum Ecclesiæ S. Mariæ?

Quartò; An idem Plebanus S. Liberalis sit adstringendus recipere Olea Sancta à Plebano S. Mariæ?

Quintò; Quænam sint motiva ipsius Plebani S. Mariæ prætendendi Matricitatem, & Præcedentiam? Et an ea sint legitima?

CAPUT PRIMUM.

Quænam sit judicanda Ecclesia Matrix? An scilicèt illa S. Liberalis? vel illa S. Mariæ novæ?

Matricitatis nomine intelligitur Jus majoritatis, superioritatis, & præminentiæ, ut notat Aloysius Riccius in *Praxi part.* 1. *resol.* 631. *num.* 1. idcircò
16 quærendo, quænam Ecclesia sit judicanda Matrix? idem est, ac quærere; quænam ex duabus sit major, superior, ac jus præcedendi habeat super alia? Cumque hæc sit Quæstio circa prædictas Ecclesias S. Liberalis, & S. Mariæ novæ, pro ejus resolutione duæ sunt firmandæ propositiones, Negativa una; altera Affirmativa.

Negativa propositio est, quod Ecclesia S. Mariæ novæ, constructa extra muros Oppidi Castrifranci, nullo modo dici potest Ecclesia Matrix, aut major,
17 vel Superior illâ S. Liberalis. Veritas hujus propositionis consistit in eo, quod Plebanus S. Mariæ novæ nullam legitimam probationem facit, ex qua desumi possit, Ecclesiam suam potiri Jure matricitatis; & propterea cum nulla Ecclesia, præter Cathedralem, fundet intentionem de Jure super superioritate, &
18 respectivè super subjectione sibi alterius Ecclesiæ, ut docet Abbas *in cap. Dilectus num.* 11. *De Capell. Monachor.* Mascardus *de Probat. conclus.* 585. *per totam*. Rota *part.* 5. *recent. decis.* 552. *num.* 11. & novissimè Fagnanus *in cap. Ad audientiam. il primo. num.* 10. *De Eccles. ædifican. tom.* 5. *pag.* 356. Satis est, ad excludendam prætensionem ejusdem Plebani Sanctæ Mariæ, allegare defectum proba-
19 tionum ejusdem; cum de Jure præsumatur libertas cujusque Ecclesiæ. Verali. *decis* 130. *num.* 2. *part.* 2. Cardin. Tuscus *Litt.* E. *conclus* 26. *tom.* 3. & quandocunque Actor aliquid probare debet, & non probat, statim reus est absolvendus à petitis per ad-
20 versarium. Vestrius *in Praxi lib.* 5. *cap. ult. num.* 6. & ibidem *in Addition. num.* 22. Trivisan. *decis.* 4. *num.* 29. *lib.* 1. Tantò magis, quia Ecclesia S. Liberalis non est posita intra fines Parochiæ S. Mariæ; & pro Ecclesia S. Mariæ non militat aliquod Matricitatis signum ex his, de quibus Rota coram Card. Seraphino *decis.* 105. & Riccius *d. resol.* 631. *num.* 2. quæ benè conveniunt Ecclesiæ S. Liberalis, ut mox dicetur; & in hac nullum datur indicium subjectionis, de quibus scribit Menochius *de Præsumpt. lib.* 6. *Præsumpt.* 72.

Altera Propositio Affirmativa est; quod Jus Matricitatis spectat ad Ecclesiam S. Liberalis; quæ propterea major est, ac Superior Ecclesiæ S. Mariæ. Ratio est, quia in ipsa Ecclesia S. Liberalis concurrunt septem principalia signa Matricitatis, considerata per
21 Rotam apud d. Card. Seraphinum *ead. decis.* 105. & per Riccium in *cit. resol.* 631. *num.* 2. quæ sunt Antiquitas originis; Jus faciendi in Ecclesia subjecta functiones spirituales; Jus convocandi ad Processiones; Exhibitus sibi honor, & reverentia à Rectore Ecclesiæ subjectæ; Prima Visitatio Episcopi; Affixio Edictorum Episcopalium ad valvas Ecclesiæ; & in ea signa facere universalis lætitiæ.

Antiquitas originis est præcipuum Matricitatis Signum; nam Ecclesiæ juniores, ædificatæ intra confines Ecclesiæ antiquæ, eidem debent reverentiam
22 exhibere, & subjectionem præstare. *d. cap. Ad audientiam*. ubi Glossa *in Verb. Honor. De Eccles. ædifican.* Loterius *lib.* 1. *q.* 28. *num.* 51. Quod autem Ecclesia S. Liberalis sit antiquior origine, quàm Ecclesia S. Mariæ novæ, colligitur ex quatuor. *Primò* ex Historiis Tarvisinis conscriptis per Jo. Bonifacium, qui *lib.* 4 *pag.* 195. testatur Oppidum Castrifranci ædificatum fuisse Anno 1199. his verbis: *Nello stesso*
23 *anno* 1199. *essendo di nuovo Guglielmo Pusterla Podestà di Trevigi, passarono i Trevigiani armati nel Friuli, ove fatti molti danni si vendicarono delle ricevute ingiurie contro il Patriarca; & insospettiti dei Padovani, & dei Lombardi, per assicurarsi da quella parte sopra le campagne verso Bassano, fabricarono un forte, & honorato Castello, posto poco di sotto, ove il Marcenigo incomincia, uscendo fuori del Musone, havendo da Tramontana Asolo otto miglia lontano; da Ponente Cittadella quattro; da mezo giorno Camposampiero sei; e da Levante Trevigi dodeci; e col denaro della Communità comprati molti terreni; & datigli à coloro, che vollero andare ad habitarlo, con obligo di tener solamente Cavalli, & armi per diffesa del Castello da questa Franchigia fortì il nome di Castelfranco*. Cum itaque Castrumfrancum ædificatum fuerit in loco, ubi nullæ erant habitationes, vel domus, per consequens nulla ibi erat Ecclesia; & quia Tarvisini populi, prout etiam Paduani, imbuti fuerant Fide Christiana primo sæculo à Nativitate Chri-
24 sti per S. Prosdocimum discipulum Divi Petri, ut ex lectionibus ejus officii, quæ in die festò ipsius 7. *Novembris* leguntur per totam Diæcesim Patavinam, sequitur, ædificatores prædicti Castri tanquam Christianos construxisse statim in eo etiam Ecclesiam Parochialem pro Missâ audiendâ, & Sacramentis recipiendis,

Digitized by Google

piendis, & quidem intra mœnia, ne incursionibus hostium pateret; cumque nulla alia Ecclesia intra prædicta mœnia unquam fuerit præter illam S. Liberalis, necessariò dicendum venit, eam esse antiquiorem, & vetustiorem cæteris respectu originis, incipientis *d. Anno* 1199. juxta citatam Historiam, & alias Chronicas loquentes de erectione prædicti Ca-
25 stri; à quibus de Jure desumitur validum argumentum juxta Glossam *in cap. Placuit. dist.* 16. Mascard. *de Probat. conclus.* 105. *num.* 9. & Genuam, qui alios DD. cumulat, *de Scriptura priv. lib.* 5. *tit. De Libris Annalib. pag.* 285. Secundò probatur, antiquiorem origine esse Ecclesiam S. Liberalis illâ S. Mariæ novæ ex Statuto Tarvisino *lib.* 1. *tract.* 20. *rubric.* 8. ubi narratur, quod tunc temporis intra mœnia Castrifranci non erat ampliùs locus pro ædificatione domorum; & subindè decernitur, eas de cæte-
26 ro esse ædificandas extra eadem mœnia, ut factum fuit; ex quo præsumendum venit, fuisse postea ædificatam Ecclesiam S. Mariæ, quæ existit extra prædicta mœnia, pro majori commoditate, in recipiendis Sacramentis, ibi habitantium; præcipuè in casu repentinæ infirmitatis tempore noctis, quo claudebantur portæ Castri, nec accessus patebat ad Parochum S. Liberalis in eo commorantem. Tertiò colligitur, antiquiorem cæteris esse Ecclesiam S Liberalis, quia
27 Sanctus iste semper veneratus fuit à populis ejusdem Castri tanquam Patronus; & per consequens à tempore suæ fundationis, nam usus semper fuit apud fideles, Sanctum illum titulo Patroni honorari, à quo à prima origine loci protegi, ac juvari exorarunt, ut tradit Gavantus *ad Rubric. Breviar. sect.* 3 *cap.* 12. *n.* 1. Quartò antiquitatem Ecclesiæ S. Liberalis demonstrat ipsum nomen Ecclesiæ S. Mariæ, quæ *de Anno* 1250. vocatur *Nova*, ut legitur *in Proc. A. fol.* 2.3.4. & 13. atque *Proc. F. fol.* 45. & 48. Si tunc *Nova*, tunc noviter ædificata; valet enim argumentum à significatione nominis, & ab etymologia vocabuli. *cap.*
28 *Cum secundum*: ibi: *ut ipsa nominis ratio. De Præbend. l.* 2. §. *Appellata. ff. Si cert. petat. l.* 1. ubi DD. *ff. de Adquiren. poss. cap. Privilegia. dist.* 3. *cap. Cleros.* ubi Geminian. & Præpos. *dist* 21. & est manifestum, quod Ecclesia S. Mariæ vocata sit nomine Plebis Novæ, quia ante ejus ædificationem extabat alia Plebs, & Ecclesia antiqua; nempè illa S. Liberalis; nomen enim appellativum adjectum substantivo stat demonstrativè, ut ait Menochius *cons.* 221. *num.* 32. Quintò urgens conjectura desumitur, quod ipsa Ecclesia S. Mariæ junior sit, & origine posterior, quàm Ecclesia S. Liberalis, ex ejus titulo, & dedicatione facta Festivitati Nativitatis Beatæ MARIÆ Virginis *diei* 8. *Septembris*; cujus octava instituta, & or-
29 dinata fuit ab Innocentio Papa IV. in Concilio Lugdunensi *Anno* 1245. ut ex probatis auctoribus demonstrat Raynaldus *in Annal. Eccles. eod. Anno num.* 53. & 54. ideòque cum paulò post Civitas Tarvisina, liberata à tyrannide Federici Imperatoris, decreverit, esse construendam novam Ecclesiam extra mœnia Castrifranci, ut dictum est supra, se conformans obsequio Concilii Lugdunensis, ob Octavam diei Nativitatis Deiparæ celebrandam, eandem Ecclesiam dedicavit eidem Festo, ac Titulo Nativitatis B. M. Virginis. Igitur origo hujus Ecclesiæ S. Mariæ Novæ processit saltem annis quinquaginta post ædificatam Ecclesiam S. Liberalis; quæ (ut supra *num.* 24. ostendimus) erecta fuit ab initio constructionis Oppidi Castrifranci *Anno* 1199. & per consequens eadem Ecclesia S. Liberalis est antiquior; illa verò S Mariæ est junior; & ex hac antiquitate resultat Jus Matricitatis in Ecclesia S. Liberalis, cui Ecclesia Sanctæ Mariæ Novæ tanquam filialis, & posterior ori-
30 gine, debet subesse, ac cedere præcedentiam. *cap. Ad audientiam* 3. *de Eccles. ædifican.* & Glossa *in cap. Transmissa. in Verb. Decimas. De Præscript.* Sextò etiam facit pro antiquitate, ac Matricitate Ecclesiæ S. Liberalis, quod ante separationem ejus, & Ecclesiæ S. Mariæ factam *Anno* 1584. per Visitatorem Apostolicum, ipse Plebanus S. Liberalis administrabat Sacramenta etiam in eadem Ecclesia S. Mariæ Novæ; quod denotat, eam fuisse Ecclesiam filialem illius S. Liberalis; & Plebanum S. Mariæ Novæ in-
31 stitutum esse ab initio tanquam Vicarium, & Coadiutorem Plebani S. Liberalis; qui jure proprio, & tanquam Rector Ecclesiæ Matricis, etiam illius Ecclesiæ filialis erat Plebanus, & Rector principalis, ipse verò Plebanus S. Mariæ Novæ ministrabat Sacramenta in Ecclesia S. Liberalis tanquam ejus capellanus, & coadjutor, ut considerat Rota *part.* 13. *recent. decis.* 397. *num.* 8. & *seqq.* ubi ait: *Hujusmodi præterea species probationum robur assumit ex promiscua Sacramentorum administratione ab utroque Parocho exercita; cujus virtute altera Ecclesia Matrix, altera verò filialis debet reputari, nec aliter præsumi potest; nam sicut duobus viris non valet mulier eodem tempore desponsari; ita repugnat binos Parochos uni Ecclesiæ, seu populo æquè principaliter præesse, ut probat text. in cap. In apibus.* 7. *quæst.* 1. & *in cap. Sicut in uno* 21. *quæst.* 2. Oldrad. *cons.* 67. *num.* 1. & 2. Rebuff. *De non promotis intra ann. num.* 63. & 64. Gratian. *Discept. forens. cap.* 865. *num.* 24. & 25. Rota *decis.* 52. *num.* 18. & 19. *part.* 2. *divers.* & *decis.* 489 *num.* 2. *part.* 3. *recent.* Septimò tandem facit, quia de Jure Pagus,
32 seu Villa existens extra aliquod oppidum, quæ non habet muros, neque fossas, censetur subdita ipsi Oppido, juxta *Extravag. Qui sint rebelles.* §. *Quoniam.* & ibi Glossa *Verb. Lombardiæ. Vers. Villa:* & Rotam *part.* 19. *recent. decis.* 469. *num* 4. *tom.* 2. undè maximum absurdum est asserere, quod ipsa Ecclesia S. Mariæ, extra Oppidum Castrifranci posita, dominaretur, ac præesset Ecclesiæ S. Liberalis constructæ in ipso oppido, antequàm illa ædificaretur.

Secundum signum Matricitatis, & Superioritatis unius Ecclesiæ in aliam desumitur à functionibus Ecclesiasticis, quas Plebanus Ecclesiæ Matricis exercere solet in Ecclesia filiali, & subjecta; ut docent Barba-
33 tia *in Clem. Ne Romani. In Verb. Tu tene istam partem. De Elect.* & Monaldus Jureconsultus Venetus in causa Matricitatis, ac Superioritatis Ecclesiæ S. Laurentii Venetiarum super Ecclesia S. Severi *cons.* 12. *num.* 6. *tom.* 2. Porrò Plebanus S. Liberalis, præter Sacramentorum administrationem, quam antiquitùs faciebat, alias etiam functiones auctoritativè practicabat, siquidem ipse in dicta Ecclesia S. Mariæ creabat Massarios, ut ex sententia compromissaria *diei* 22.
34 *Februar.* 1491. *Proc. A pag.* 15. & 16. Olim, & nunc deferebat, & defert SS. Eucharistiam in die Veneris Sancti ad eandem Ecclesiam S. Mariæ Novæ, ubi populum benedicebat, & orationem cantabat. *Proc. C. fol.* 8. & die Sabbati Sancti vel ipse ibat, vel mittebat Capellanum suum cum stola, ut assisteret officio illius diei. *Proc. C. pag.* 9. Stola autem est signum Ju-
35 risdictionis, & Superioritatis. Samuell. *de Sepultur. tract.* 1. *disp.* 3. *Controv.* 5. *concl.* 14. nec non *disput.* 4. *Controv.* 12. *concl.* 6. Glossa *in l. Unica. Verb. Fibulis C. Nulli licere in frænis lib.* 11. Gratian. *discept. Forens. cap.* 298. *num.* 64. novissimè Pignatellus *tom.* 3. *consult.* 48. *num.* 2. & ego dixi *De Venerab. Euch. Sacram. Decis.* 30. *num.* 23. Idcircò benè ex his quoque deducitur Ecclesiam S. Mariæ ab origine fuisse subjectam Ecclesiæ S. Liberalis; hanc autem semper extitisse ejus Matricem, & in eam exercuisse superioritatem.

Tertium Matricitatis alicujus Ecclesiæ signum est obligatio Rectorum Ecclesiarum aliarum accedendi ad illam pro publicis Processionibus agendis. *cap. Quoniam. dist.* 38. Riccius *in Praxi d. part.* 1. *resol.*
36 631. *num.* 2. Pignatellus *tom.* 9. *consult.* 109. *num.* 3. Rota coram Card. Seraphino *decis.* 15. *num.* 3. & *decis.* 105. *per totam.* Eadem Rota *part.* 19. *recent. decis.* 196. *num.* 23. *tom.* 1. Verùm, quod in Oppido Castrifran-

Digitized by Google

striſranci omnes Proceſſiones ſolemnes ab immemorabili tempore fiant ab Eccleſia S. Liberalis; & ad eam pro ijs aſſociandis accedant omnes Eccleſiaſtici tàm Sæculares, quàm Regulares, & præcipuè Plebanus S. Mariæ Novæ; pleniſſimè probatum legitur in hac causa *Proc. C. fol.* 8. & *Proc. F. à fol.* 30. & *seqq.* itaut ex hoc solo ſigno concludenter ſequatur, eandem S. Liberalis Eccleſiam eſſe, ac ſemper fuiſſe Matricem.

Quartum ſignum eſt, reverentia præſtita, delatus honor, ac præcedentia, antiquis temporibus, per Plebanum S. Mariæ Novæ ipſi Plebano S. Liberalis; ille enim, qui alium reveretur, honorat, & ei locum
37 cedit, dicitur inferior, minor, ac ſubditus; & è contra ille, cui reverentia, honor, ac præcedentia datur, cenſetur major, ac Superior. *cap. Ex ore. De his, quæ fiunt à majori part. Capit.* Menochius *de Præſumpt. lib.* 6. *Præſump.* 72. *num.* 9. Quod autem hanc reverentiam, honorem, & præcedentiam ſemper detulerit Plebanus S. Mariæ eidem Plebano S Liberalis, plures per eum dantur probationes: videlicèt, quia in conficiendis locationibus antiquis bonorum ambarum Eccleſiarum, tunc unitarum, primo loco nominatur Plebanus S. Liberalis, ut legitur in *Proc. A. fol.* 7. *de Anno* 1482. & *fol.* 13 *de Anno* 1498. & *fol.* 18. & 19. *de Anno* 1504. Prout etiam in quadam Sententia *de Anno* 1484. *Proc. A. fol.* 8. abſolutoria dictorum duorum Plebanorum à Datio pro imbotatura Vini, in qua pariter nomen Plebani S. Liberalis præcedit nomen illius S. Mariæ, quod eſt ſi-
38 gnum honoris, & reverentiæ, ex Menochio *d. Præſumpt.* 72. *num.* 2. & ex Maſcard. *concl.* 586. & docet Gloſſa *in cap. Quorumdam. in Verb. Prædicatores.* & ibi Dominic. & Franc. *De Elect. in* 6. Abbas *in cap. Sedes. De Reſcript.* & *in cap. Avaritiæ. De Præbend.* Et in terminis præcedentiæ, & ſuperioritatis, hanc deſumi ex ſcripturis, in quibus nomen alicujus anteponitur nomini alterius, benè probat Rota *deciſ.* 322 *num* 5. ubi plurimos DD. cumulat *part.* 6. *rec.* Eadem Rota coram Merlino *deciſ.* 70. *num.* 5. & *part.* 16 *recent deciſ.* 242. *num.* 14 Item Plebanus S. Liberalis habuit ſemper præcedentiam reſpectu illius Sanctæ Mariæ in omnibus functionibus Eccleſiaſticis uſque ad tempus concordati P. F. Bernardini Capuccini, ut in eo ipſe teſtatus eſt, ita dicens (ut legitur *Proc A. fol.* 79. *tergo*) *Et che Monſignore Pievano Barbarella, che fino adeſſo è ſtato in poſſeſſo della Precedenza, ſi contenti per amore di Dio &c.* Itaque ſi Plebanus S. Liberalis erat in poſſeſſione Præcedentiæ, ex ea ſequitur, quod ejus Eccleſia ab immemorabili tempore potiebatur Jure Matricitatis, ut habetur *in cap. Cum certum.* ubi omnes DD. id notant, *De Majorit.* & *obedient.* His accedit, quod ipſe Plebanus S. Liberalis in publicis Proceſſionibus cum Venerabili Sacramento ſolitus ſemper fuit recitare Orationem in fine, & benedicere populo; quam functionem major de Clero facere debet ex Synodalibus Conſtitutionibus Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi Franciſci Juſtiniani olim Epiſcopi Tarviſini; ut legitur in eis *cap.* 7. *num.* 11. *fol.* 21.

Quintum ſignum Matricitatis Eccleſiæ deſumitur per DD. à Viſitatione, quam de ea faciunt Epiſcopi primo loco, & ante cæteras. Riccius *d. reſol.* 631. *num* 2. eſt enim Juris regula, quod à dignioribus eſt
39 inchoandum, & quòd digniora debent præcedere. *l.* 2. *ff. de Stat. hom.* Gloſſa *in §. fin. Inſtit. De Jure nat. gent.* & *Civil.* & ibi Jo. Faber, & Matth. Weſembecius; cum quibus concordat Everard. *loco* 2. *Ab ordine Rubric. num.* 2. *pag.* 125. Cæterùm Eccleſiam S. Liberalis fuiſſe ſemper viſitatam ab Epiſcopis primariò, & ante illam S. Mariæ Novæ, teſtantur acta Curiæ Epiſcopalis Tarviſinæ; quorum copiæ habentur *Proc. A. pag.* 5. *de Anno* 1493. *Eod. Proc. A. pag.* 10. *de Anno* 1521. *Proc. F. fol.* 12. *de Anno* 1593 *in eod. fol.* 16. *de Anno* 1596. & *fol.* 18. & 22. *de Anno* 1598.

Sextum ejuſdem Matricitatis ſignum (ſecundum eundem Riccium *d. reſol.* 631. *num.* 2.) eſt publicatio, & affixio Edictorum Epiſcopalium; quia univerſalis conſuetudo eſt, ut pro eorum obſervantia publicentur, & publicata affigantur in januis Eccleſiarum prin-
40 cipalium. Hoc autem ſignum pariter concurrit ad favorem Eccleſiæ S. Liberalis, ut legitur *in Proc. F. fol.* 28. imò *fol.* 54. habetur de affixione ad valvas hujus Eccleſiæ expreſſum præceptum Epiſcopi Tarviſini, qui in calce unius Edicti ita mandat: *Volumus autem, ut hoc noſtrum Edictum affixum ad Valvas Cathedralis Eccleſiæ Tarviſii, Sanctæ Mariæ de Aſylo, S. Liberalis Caſtriſranci &c. ita arctet, & afficiat omnes, ac ſi &c.*

Septimum denique ſignum, quod Eccleſia ſit Matrix, deſumitur ab actibus univerſalis lætitiæ, quæ in ea fiunt ob felices ſucceſſus Reipublicæ, nempè Victorias contra hoſtes; aut alias felicitates Sereniſſimum
41 Dominium concernentes, ut tradit idem Riccius *in cit. reſol.* 631. *num.* 2. Porrò *in eod. Proc. F. à fol.* 51. & *ſeqq.* plures teſtes affirmant, prædicta ſigna Lætitiæ fieri in eadem Eccleſia S. Liberalis, in qua ſolemnes Deogratiæ redduntur ab ejus Plebano, præſente Illuſtriſſimo, ac Excellentiſſimo Oppidi Poteſtate, ac Rectore; cantaturque in ipſa Hymnus *Te Deum* &c. & in mutatione Regiminis eorundem Excellentiſſimorum Poteſtatum, ac Rectorum, cæremoniæ fiunt in eadem S. Liberalis Eccleſia. Quare ex his ſeptem ſignis concludenter remanet comprobata concluſio Affirmativa poſita in initio hujus primi capitis præſentis Diſcordiæ, videlicèt, Jus Matricitatis, & Superioritatis ſpectare ad Eccleſiam S. Liberalis; eique ſemper fuiſſe, eſſe, & eſſe debere ſubjectam Eccleſiam S. Mariæ Novæ.

CAPUT SECUNDUM.

Cui Plebano debeatur Præcedentia in functionibus Eccleſiaſticis, in quibus utriuſque Eccleſiæ Plebani conveniunt ſimul?

DUo ſunt genera Eccleſiaſticarum functionum, in quibus prædicti duo Plebani S. Liberalis, ac S Ma-
42 riæ Novæ ſimul conveniunt, nempè *Proceſſiones*, & *Funeralia*. Quoad Proceſſiones, harum duæ ſunt ſpecies; *Una*, quando Proceſſio fit, deferendo in ipſa Sanctiſſimam Euchariſtiam, quod contingit bis in Anno; in die ſcilicèt Solemnitatis Corporis Chriſti, & in die Veneris Sancti de ſero; in quibus diebus ex antiquiſſima conſuetudine omnes populi, & omnes de Clero conveniunt ad Eccleſiam S. Liberalis, ubi incipit Proceſſio cum Sacratiſſima Synaxi, indè Plebanus ejuſdem Eccleſiæ S. Liberalis, indutus paramentis Sacris, ac pluviali, eam defert proceſſionaliter ſub baldachino ad Eccleſiam S. Mariæ Novæ, præcedentibus omnibus de Clero; & poſt eos omnes incedente Plebano S. Mariæ Novæ ante Baldachinum cum Cotta, & Stola; cumque Proceſſionaliter omnes ingreſſi ſunt eandem Eccleſiam S. Mariæ Novæ, ibi Plebanus S. Liberalis, reponit Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſuper Altare, illud incenſat, recitat ſub cantu Orationem, *Deus qui nobis &c.* populum cum eodem Sacramento benedicit, ac illud reponit. *Altera* ſpecies Proceſſionum comprehendit illas, in quibus non defertur Sacra Euchariſtia; ſed Litaniæ cantantur, ut in die S. Marci, in diebus Rogationum, in feſto Sanctiſſimæ Trinitatis ob votum Populi; & ad petendam pluviam, vel ſerenitatem; aut propter aliquam cauſam publicam. In utraque ſpecie harum Proceſſionum Plebanus S. Mariæ ab Anno 1664. citra prætendit præcedere Plebano S. Liberalis, illumque ſibi eſſe ſubjectum.

In Proceſſione cum Sacratiſſimo Corpore Chriſti in die Veneris Sancti prætendit Plebanus S. Mariæ,
43 quod Plebanus S. Liberalis non ingrediatur Eccle-

ſiam

Digitized by Google

siam S. Mariæ Novæ; sed propè illam teneatur ei tradere, & consignare Sacram Eucharistiam, ad effectum ut ipse, prosequendo Processionem, illam, indutus pluviali, ac sub Baldachino, in Ecclesiam portet, incenset, antedictam Orationem recitet; populo det benedictionem, & Sacramentum in capsam, quæ Sepulchrum dicitur, reponat: adeòut hoc Processionis complementum, & has ultimas functiones Plebanus S. Liberalis nequaquam facere possit; sed simul cum aliis de clero præsens sit, & sine Pluviali assistat.

Facile foret extinguere hanc Discordiam in die Veneris Sancti, si uterque Plebanus vellet exequi decretum Sacræ Rituum Congregationis *de Anno* 1591.
44 prohibentis, eàdem die Veneris Sancti deferri processionaliter extra Ecclesiam Sacratissimam Eucharistiam; cujus decreti mentionem faciunt Gavantus *in Manuali Verb. Eucharistia num.* 19. nec non in *Commentar. ad Rubric. Missal. part.* 4. *tit.* 12. *num.* 4. Barbosa *de Parocho cap.* 20. *num.* 30. Et ego quoque in meis Decisionibus De Venerabili Eucharistiæ Sacramento *Decis.* 60. *num.* 26. At subsistente usu, ex tolerantia Superiorum, ejusdem Processionis in die Veneris Sancti, dicendum est in puncto Juris, & in sensu veritatis, prætensionem Parochi S. Mariæ Novæ esse injustam; contra eum esse ab Eminentissimo Judice sententiandum; & ei super illa esse perpetuum silentium imponendum, ad effectum ut Plebanus S. Liberalis possit complere, & terminare eandem Processionem in d. Ecclesia S. Mariæ Novæ ex rationibus sequentibus. *Primò* quia ex antiquissima consuetudine Plebanus S. Liberalis complet, & terminat utramque processionem, scilicèt in die Veneris Sancti, & in festo solemnitatis Corporis Christi, in prædicta Ecclesia S. Mariæ novæ, ut legitur in *Proc. C. pag.* 8. *cap* 9. *in Proc. F.* & in alio particulari Processu *de Processione in die Veneris Sancti*, ubi testes plurimi id concorditer affirmant. Neminem autem latet, quod in materia præcedentiæ, ac præminentiæ in functionibus Ecclesiasticis ser-
45 vanda est consuetudo. Glossa in *cap.* 2. *in Verb. auscultetur. in fin. De Offic. Archid.* Baldus *in l. Observare.* §. *Antequam. num.* 1. *De Consuetud.* Menochius *cons.* 51. *à num.* 49. *& seqq.* Salgadus *de Regia Protect. cap.* 9. *num.* 18. Gratian. *Discept. Forens. cap.* 845. *num.* 4. Sperellus *Decis.* 76. *num.* 3. Rota coram Card. Seraphino *Decis.* 402. *& Decis.* 964. coram Ludovisio *Decis.* 124. ubi Adden. *num.* 3. ac coram Dunozett. Jun. *Decis.* 556. *num.* 4. *&* *Decis.* 573. *num.* 3. eadem Rota *part.* 16. *recent. Decis.* 303. *num.* 25. *part.* 18. *recent. Decis.* 305. *num.* 26. atque *part.* 19. *recent. tom.* 2. *Decis.* 469. *num.* 3. *& num.* 62. novissimè Emin. Card. de Luca *de Præminentiis disc.* 30. *num.* 4. *Secundò*, quia Plebanus S. Mariæ Novæ aliàs de Anno 1647. judicialiter institit coram Ordinario suo Tarvisino, Plebanum S. Liberalis condemnari, & obligari ad deferendam SS. Eucharistiam processionaliter in die Veneris Sancti ad suam Ecclesiam S. Mariæ juxta solitum, ut *in Proc. A. pag.* 94. 95. *&* 96. quæ quidem instantia continet consensum, & habet vim judicialis confessionis cir-
46 ca præminentiam, & Jus Plebani S. Liberalis complendi ipsam Processionem in Ecclesia S. Mariæ, orationem recitando, populum cum Ven. Sacramento benedicendo, illud incensando, & in capsam, seu Sepulchrum jam paratum super Altari reponendo. Gabriel *com. concl. in tit. De Confess. concl.* 4. Farinacius *de Inquisit. q.* 5. *num.* 25. & ideò à dicto consensu per eum tunc præstito, nunc non potest resilire. *cap. Quod semel.* & ibi DD. *De Regul. Jur. in* 6. *l. Quod tamen. ff. de Arbitr. Tertiò* quia Rituale Romanum, sub Rubrica *de Process. in Festo SS. Corp. Christi*, expressè præcipit, ut Sacerdos, qui in Processione defert SS. Eucharistiam, debeat quoque completâ Processione eam incensare, orationem canere, & populo cum illa benedictionem impertiri; subdens in fine, idem esse servandum in aliis Pro-
47 cessionibus faciendis cum SS. Sacramento. Verùm ea, quæ ordinata sunt in Rituali Romano habent vim legis. Franc. *decis.* 253. *num.* 7. Pichard. inter consilia Menochii *cons.* 52. *num.* 145. Loterius *lib.* 1. *q.* 16. *num.* 123. Gratian. *Discept. for. cap.* 112. *num* 7. Sperellus *decis.* 179. *num.* 23. Rota *part.* 4. *recent. decis.* 647. *tom.* 3. atque *part.* 17. *decis.* 87. *num.* 23. & fuit per me notatum *De Sacrific. Missæ Decis.* 9. *num.* 43. Idcircò Plebanus S. Mariæ non potest prætendere id, quod est contra legem à Rituali Romano statutam. *Quartò*, quia hoc idem servatur ab aliis in eodem loco Castrifranci, imò ab ipso Plebano S. Mariæ, qui, Dominica Quinquagesimæ in Processione, quam faciunt Confratres Oratorii ad Ecclesiam Monialium ejusdem Oppidi, defert SS. Eucharistiam, & in eadem Ecclesia Monialium eam incensat, & cum ipsa populo benedicit; ut deponunt te-
48 stes *in Proc. De Process. in die Veneris Sancti*. Ergo ab hac communi observantia ipse non potest recedere, quia est omnium probationum regina. Decian. *cons.* 124. *num.* 12. & Fagnan. *in cap. Tuæ*, *num.* 14. *De Cleric. non resident. Quintò* ex hoc etiam non est exaudiendus Plebanus S. Mariæ super ablatione SS. Eucharistiæ de manu Plebani S. Liberalis, antequam ipse ingrediatur processionaliter cum ea in Ecclesiam ejusdem S. Mariæ, quia magna orirentur scandala; cives enim Castrifranci indignati extinguerent intorticia, & abirent. Est igitur facienda sen-
49 tentia, quæ evitet scandala, etsi oporteret discedere à dispositione Juris positivi. *cap.* 2. *de Tempor. Ordinat. cap. Cum ex injuncto. De Novi Operis Nunc.* Lancellot. *de Attentat. part.* 2. *cap.* 4. *limit.* 13. *à num.* 1. *& seq.* Rota coram Ludovis. *decis.* 276. *num.* 9. Hæc de prima specie Processionum, in quibus defertur SS. Eucharistia.

Altera species est, in quibus ea non defertur; sed cantantur tantùm Litaniæ ab utroque Clero sæculari, & Regulari, & ab utroque Plebano simul, ut dictum est *supra num.* 42. *in fin.* In his pariter Plebanus S. Mariæ petit præferri Plebano S. Liberalis, ac primum, & superiorem locum sibi decerni. Injustissima autem est hæc instantia. *Primò*, quia ab antiquis temporibus usque ad concordium R. F. Capuccini *de Anno* 1630. primus, ac superior locus erat proprius Plebani S. Liberalis, qui præcedebat eidem Plebano S. Mariæ in iisdem omnibus Processionibus, ut dictum est supra in secundo præmisso
50 *num.* 8. Ergo Plebanus S. Liberalis habet fundatam intentionem præcedendi; quia præcedentia metitur à consuetudine antiquorum temporum. Rota *d. part.* 19. *recent. tom.* 2. *decis.* 560. *num.* 5. *Secundò*, quia d. F. Capuccinus in suo concordio rogavit Plebanum S. Liberalis, ut ob amorem Dei cederet Præcedentiam in his Processionibus Plebano S. Mariæ alternis vicibus tantùm; prout fecit, & Plebanus S. Mariæ ratum habuit, & executus est ab Anno 1630. citra. Igitur nefas est ei, nunc à dicto concordio, & sen-
51 tentia arbitraria recedere; Sententia enim facit jus inter partes. *cap. Cum inter. De Sent. & re judic. l. Inter. ff. eod.* & qui resistit sententiæ, dicitur resistere Legi; nam sententia Judicis habet vim legis. *l. Cum quasi.* §. *Hi autem.* & ibi Glossa. *ff. De Fideicommiss. libert.* Felinus *in cap. Rodulphus. num.* 37. *de Rescript. Tertiò*, quia sicut idem Plebanus S. Mariæ ratam habuit sententiam arbitrariam P. Capuccini in parte concedente sibi præcedentiam in his Processionibus; ita debet eam ratam habere, ac servare in parte, quæ vult, ut Plebanus S. Liberalis præcedat;
52 qui enim adimplet unam partem sententiæ, censetur totam sententiam approbare. *l. Quædam. ff. Famil. ercifcund. Quartò*; quia Concordium P. Capuccini confirmatum fuit, tùm ab aliis Judicibus Arbitris Lonigo, & Lazarono, tùm à Vicario Metropolitano,

Digitized by Google

no, & ab Auditore Nunciaturæ Apostolicæ Venetiarum per plures sententias, partibus auditis, & servatis servandis contra eundem Plebanum S. Mariæ, tàm in possessorio, quàm in petitorio emanatas, ut dictum est supra in tertio præmisso *num.* 12. *&* 13. At res judicata non semel, sed bis, ter, & ultrà im-
53 ponit finem cuicunque litigio, nec ampliùs præstat succumbenti audientiam. *l. Cum quæritur*. cum duab. seqq. *De Re judic.* Verall. *decis.* 51. *part.* 3. Rota coram Card. Seraphin. *decis.* 1308. *num.* 1. nec non *part.* 2. *recent. decis.* 406. *num.* 2. Ergo licentiandus est Plebanus S. Mariæ etiam ab hac petitione; nec super ea est exaudiendus.

Circa verò funeralia, in quibus frequenter prædicti Plebani conveniunt simul; videlicet quando vel cadaver Parochiani S. Liberalis defertur sepeliendum ad Ecclesiam S. Mariæ; vel è contra, quando Parochianus defunctus de Parochia S. Mariæ portatur ad sepulturam in Ecclesia S. Liberalis; in hoc ultimo casu ipse Plebanus S. Mariæ prætendit præcedentiam, præeminentiam, & superioritatem in eadem Ecclesia S. Liberalis; itaut ad seipsum spectet facere officium super cadaver, præsente Parocho, seu Plebano S. Liberalis. Hæc prætensio caret prorsùs omni ratione; & infinitis propemodùm Decretis Sacræ Congregationis, Rotæ Romanæ Decisionibus, & Canonistarum concordibus responsis proscribitur. Si quidem inconcussa est regula apud Scribentes omnes,
54 quod Parochus in propria Ecclesia præcedit cuicunque alii in functionibus Ecclesiasticis; & præcipuè in faciendo officio super cadaveribus ad eam pro sepultura delatis, quamvis cadavera fuissent associata à Plebanis majoribus ipsius Parochi, & essent ibi
55 præsentes; ut testantur Barbosa *de Parocho cap.* 17. *num.* 2. *&* 3. nec non *de Jure Eccl. Univ. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 66. prout etiam *De Canonic. & dignit. cap.* 18. *num.* 61. *&* 62. Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 8. *num.* 105. Theodosius Rubeus in *suis Singular. tom.* 2. *part.* 4. *num.* 84. *pag.* 477. Gratian. *Discept. for. cap.* 278. *num.* 84. Bordonus *in tract. de Præcedentia, & Majorit. num.* 210. Pignatellus (qui Decreta S. Congregationis per extensum ponit) *tom.* 7. *Consult.* 46. *num.* 6. Emin. Card. de Luca *de Præminentiis disc.* 21. *num.* 5. Rota coram Penia *decis.* 204. secundum Venetam impressionem; at secundum Lugdunen. *decis.* 261. Eadem Rota *in Zamoren. Jurium Parochialium* 23. *Maii* 1644. coram Peutingero; prout novissimè *in Casalen. Quarta funeralium* 16. *Januarii* 1697. coram Caprara, impressa post Antonellum *de Jurib. Clericor. Decis.* 15. *num.* 9. ubi firmat, quod Parochus in propria Parochia omnes præcedere debet. Est igitur damnanda prædicta prætensio Plebani S. Mariæ per Eminentissimum Judicem; tantò magis, quia concordium F. Capuccini, de quo supra *num.* 10. à tot Judicibus laudatum, declarat, ambas Ecclesias, S. Liberalis scilicet, & S. Mariæ Novæ esse pares; quapropter pari jure in funeribus ipsi Plebani uti debent; & sicut ille S. Liberalis non prætendit præcedentiam in funeribus suorum Parochianorum, qui sepeliuntur in Ecclesia S. Mariæ; ita Plebanus S. Mariæ abstinere debet ab hac ambitiosa prætensione præcedendi in funeribus illorum de sua Parochia, quæ fiunt in Ecclesia S. Liberalis; juxta re-
56 gulam, quod non vis tibi fieri, alteri ne facias. *l. Justitia. ff. de Just. & Jur. §. Juris præcepta. Vers. Alterum non lædere Instit. eod. tit.* ubi DD. & juxta illud Juris axioma; Jus, quod quisque ab alio exigit, eidem præstare debet. *l.* 1. *ff. Quod quisque Jur.* Abb. *cons.* 101. *in fine lib.* 1. Emin. Card. Tuscus *tom.* 6. *litt.* Q. *conclus.* 49. & Roman. *cons.* 55. *in princ.* ac etiam
57 juxta illud, Par in parem non habet imperium. *l. Nam & Magistratus. ff. de Recept. Arbitr. cap. Inferior. & cap. Denique.* 21. *dist.* Barbosa *Axiom.* 174. *num.* 1. *& num.* 4. ubi subdit, quod parium eadem debet esse Juris dispositio. *cap. Inter corporalia. cap. Sicut ergo. De Translat. Episcopor.* Idcircò cum prædictæ duæ Ecclesiæ sint pares, & Plebanus S. Mariæ non cedat præcedentiam alicui in funeribus, quæ fiunt in sua Ecclesia; Plebanus quoque S. Liberalis ita facere debet in funeribus, quæ in propria ejus Ecclesia celebrantur.

CAPUT TERTIUM.

An prohibendum sit Plebano S. Liberalis, ne benedicat Fontem baptismalem Sabbato Sancto in sua Ecclesia? Nec campanas pulset ante sonitum illarum Ecclesiæ S. Mariæ?

Ulteriùs Plebanus S. Mariæ intendit impedire Plebanum S. Liberalis, ne in illa Ecclesia benedicat Fontem baptismalem die Sabbati Sancti, nec pulset campanas ante sonitum illarum S. Mariæ. Destituta est omni Jure, ac ratione hæc intentio; ideò ab Eminentissimo Judice est compescenda ex sequentibus fundamentis, validè sustinentibus Plebani S. Liberalis libertatem faciendi prædicta.

Primò ex immemorabili, & inveterata consuetudine; semper enim, & omni tempore, & Fontem benedixit, & campanas pulsavit independenter ab
58 Ecclesia S. Mariæ Novæ, ut probatum legitur in *Proc. E. per totum*; in hac autem materia consuetudo, & observantia prorsùs attenditur. Cyriacus *Controv.* 101. *num* 169. *& seqq.* Card. Zabarella *cons.* 62. *num.* 1. Rota coram Bichio *decis.* 566. *num.* 29. eadem Rota *part.* 4. *recent. Decis.* 614. *num.* 4. *tom.* 2. nec non *part.* 11. *recent. decis.* 320. *num.* 24. ac etiam *part.* 16. *decis.* 303. *num.* 29.

Secundò ex Jure Canonico, & Ecclesiastico, à quo singulis Parochis conceditur dicta facultas benedicendi Fontem in die Sabbati Sancti, & pulsandi
59 campanas. Riccius *part.* 4. *resol.* 309. *&* 310. Carratus *de Jurib. Parochialib. cap.* 6. Quaranta *in Summa Bullar. Verb. Missa. propè fin.* Barbosa *de Parocho cap.* 12. *num.* 2. & Loterius *lib.* 1. *q.* 28. *num.* 54.

Tertiò ex Jure Civili; quia cum Illustrissimus Prætor, ac Cives omnes Oppidi Castrifranci soliti sint accedere ad Ecclesiam S. Liberalis dicta die Sabbati Sancti ad veneranda Sacra mysteria, & interessendum divinis officiis illius diei, quatenùs ea prohiberentur, ut instat Plebanus S. Mariæ, cogerentur
60 Prætor, ac Cives vel more rusticorum properare ad Ecclesiam ruralem Plebis S. Mariæ extra mœnia; vel abstinere eo die ab ingressu Ecclesiæ, non sine scandalo universorum; quod quidem permitti non debet. *l. Nam absurdum. ff. De bonis libert. cap. Quemadmodum. in Verb. alioquin. De Jurejurand. cap. Pervenit.* 11. *q.* 1. & notat Loterius *lib.* 2. *q.* 22. *num.* 1. & ante eum Jas. *in l. Existimo. num.* 2. *de Verb. oblig. & in l. Divortio. num.* 12. *ff. Solut. Matrim.*

Quartò ex Jure Diæcesano Tarvisini Episcopatus; cujus Synodales Constitutiones præcipiunt omnibus, & singulis Parochis benedictionem Fontis baptismalis in die Sabbati Sancti celebrare, ut legitur in illis Epis-
61 copi Justiniani *fol.* 29. *num* 18. & in illis Episcopi Lupi *cap.* 11. *de Baptism.* Ipsæ autem Constitutiones sunt leges obligantes quemlibet de Diæcesi. *cap. A*
62 *nobis. il prim. De Sent. excommun. cap.* 2. *§. Statuto. De Constit. in* 6. Host. & Abbas *in cap. fin. Qui Matrim. accus. poss.* Massobrius *de Synodo cap.* 4. *dub.* 76. & Piasecius *in Praxi Episc. part.* 2. *cap.* 2. *num.* 7.

Quintò ex Jure Rubricarum Missalis, quæ eandem Fontis benedictionem fieri mandant in Ecclesiis Parochialibus Sabbato Sancto, ac Sabbato Pentecostes; Fontem verò benedicere dictis diebus spectat ad proprium Parochum. Gavant. *Commentar. in Rubr.*
63 *Missal. part.* 4. *tit.* 10. *num.* 7. & easdem Rubricas non exequi, est grave peccatum. Idem Gavant. *part.* 3. *tit.* 11. *num.* 14. Barbosa *Decis. Apostolicar. Verb.*

Aa *Missale*

Digitized by Google

Missale Romanum, ubi Decreta S. Congregationis ita declarantis refert; & concordat Fagnanus *in cap. Cum creatura num.* 29. *De Celebrat. Missar.*

Sextò tandem ex Jure fori; ideft ex reiteratis Sententiis tùm Arbitrorum Judicum, tùm Vicarii Metropolitani, tùm etiam Auditoris Nunciaturæ Apostolicæ Venetiarum, à quibus omnibus damnata fuit
64 hæc prætensio Plebani S. Mariæ; & pronunciatum pro libertate benedicendi Fontem, & pulsandi campanas in die Sabbati Sancti, competente de Jure, ac ex immemorabili consuetudine ipsi Plebano S. Liberalis; ut legitur *Proc. C. fol.* 14 *fol.* 35. 37. & 40. & equidem prædictæ sententiæ habent pro se præsumptionem justitiæ. Cassador. *decis.* 3. *de Procur.* Card. Mantica *decis.* 196. *num.* 6. & Duran. *decis.* 125. *num.* 3. & cum jam transierint in judicatum, probant bonum Jus ipsius Plebani S. Liberalis. Rota *part.* 16. *recent. decis.* 288 *num.* 7.

Nec obsistit objectio, quam facit Plebanus S. Mariæ ex eo, quod aliquando Plebanus S. Liberalis in die Sabbati Sancti accesserit ad benedictionem Fontis in Ecclesia S. Mariæ, ut legitur in *Proc. B. fol.* 7. & *seqq.* Quia respondetur, accessum prædictum non
65 fuisse coactivum, vel in causam subjectionis; sed voluntarium, & in signum Jurisdictionis, ac Superioritatis, quando Ecclesiæ S. Liberalis, ac S. Mariæ erant simul unitæ; poterat enim in utraque tanquam Superior qualcunque functiones exercere; præcedentia enim, & Superioritas est actus voluntariæ jurisdictionis exercibilis ad beneplacitum, & propria auctoritate. Rota *d. part.* 16. *recent. Decis.* 242. *num.* 8. Hinc post separatas dictas Ecclesias, Plebanus S. Liberalis servavit sibi jus mittendi ad illam S. Mariæ in die Sabbati Sancti Capellanum suum, stolam ad collum deferentem in signum antiquæ suæ Jurisdictionis in eadem Ecclesia; stola enim est Jurisdictionis signum, ut probatum est supra *num.* 35.

CAPUT QUARTUM.

An idem Plebanus S. Liberalis sit adstringendus recipere Olea Sancta à Plebano S. Mariæ?

HÆc est alia prætensio, ac instantia Plebani S. Mariæ, qui ad arrogandum sibi, ac suæ Ecclesiæ jus Matricitatis, quod non habet; petit, obligari Plebanum S. Liberalis ad recipienda Olea Sancta ab ipso in die Sabbati Sancti. Sed injustissima omninò est hæc petitio; quia Jus matricitatis proprium est Ecclesiæ S. Liberalis tùm ratione antiquitatis, tùm ratione consuetudinis, ut fusè probatum est supra *cap.* 1. *à num.* 22. & *seqq.* & ob duplicem rationem etiam super hac instantia est imponendum ab Eminentissimo Judice perpetuum silentium ipsi Plebano S. Mariæ, *Unam*, quia Plebanus S. Liberalis semper consuevit recipere Olea Sancta ab Ecclesia Cathedrali Tarvisi-
66 na; & in his discordiis, ac prætensionibus observanda est consuetudo. Rota coram Ludovisio *decis.* 124. *num.* 2. & ibi Adden. *num.* 4. ubi plurimos DD. cumulat. *Alterum* ob tres sententias conformes contra eundem Plebanum S. Mariæ super hac petitione obtentas à Plebano S. Liberalis, de quibus in *Proc. C. fol.* 14. 35. 37. 40. quæ quidem transierunt in rem judicatam; certum est autem in Jure, ut dictum est supra *num.* 53. quod res judicata imponit finem liti-
67 bus. *l. Cum quæritur. cum duab. seqq. De re Judic.* nec probationes ulteriùs recipiuntur. Caputaquen. *decis.* 51. *part.* 3 Card. Seraphin. *decis.* 1308. *num.* 1. Ludovis. *decis* 184. *num.* 2. & ibi Beltramin. *in addit. num.* 7. Quare etiam in hac ultima petitione ipse Plebanus S. Mariæ est licentiandus cum impositione perpetui silentii juxta prædictarum sententiarum tenorem, attenta maximè manifesta ratione, quod cum usque ad annum 1584. dd. Ecclesiæ essent unitæ, & earum proventus æqualiter dividerentur inter eosdem Plebanos, dicendum venit, unitas pariter æqualiter fuisse, & non subjectivè unam ad aliam. Card. Cavaler. *decis.* 330. *num.* 2. siquidem si Ecclesia S. Liberalis fuisset unita subjectivè Ecclesiæ S. Mariæ, hujus Plebanus habuisset jus eligendi Parochum S. Liberalis juxta *cap. Ad audientiam. De Eccl. Ædific.* & alios actus superioritatis in eum exercuisset. Quibus omnibus deficientibus, sequitur, Ecclesiam S. Liberalis nunquam fuisse filialem Ecclesiæ S. Mariæ, nec ei subjectam.

CAPUT QUINTUM.

Quæ sint motiva, quibus Plebanus S. Mariæ petit Præeminentiam in supradictis Ecclesiasticis functionibus adversus Plebanum S. Liberalis? Et an ea sint legitima?

MOtiva Plebani S. Mariæ consequendi superioritatem, & præcedentiam adversus Plebanum S. Liberalis sunt octo sequentia; sed omnia illegitima, & nullius valoris.

Primum est transumptum unius assertæ Bullæ Urbani Papæ Tertii; cuius inscriptio est: *Privilegium Apostolicum concessum Domino Episcopo Tarvisino per*
68 *Sanctissimum Papam in assignatione Diæcesis*, *cum denominatione Ecclesiarum Plebanarum Matricium*. Inter ipsas autem Ecclesias Plebanas, ac Matrices ibi denominatur *Ecclesia S. Mariæ de Plebe Nova*. Ergo, (ait Plebanus S. Mariæ novæ) hæc Ecclesia est antiquior Ecclesia S. Liberalis; nam Oppidum Castrifranci cum eadem Ecclesia fabricatum est *Anno* 1199. ut demonstratum est supra *num.* 23. Urbanus verò Tertius creatus est Papa *Anno* 1185. & obijt *Anno* 1187. ut ex Card. Baronio *in Annalib. ad dd. Annos*. Sicque per plures Annos ante ædificationem Ecclesiæ S. Liberalis extabat hæc S. Mariæ Novæ; quæ eo antiquissimo tempore erat Ecclesia Plebana, & Matrix; & ideò Ecclesia S. Liberalis, posterior origine, est ei Capella subdita, ac filialis.

Secundum motivum innititur cuidam appolixiæ æstimi bonorum earundem Ecclesiarum S. Mariæ, ac S. Liberalis *de Anno* 1561. ex qua videtur desumi,
69 quod ipsa Ecclesia S. Liberalis dotata fuerit de bonis propriis Ecclesiæ S. Mariæ; & ex tali dotatione arguit, hanc esse Matricem, & Superiorem; illam verò esse filialem, ac subjectam.

Tertium motivum depromitur ex variis enunciativis diversarum personarum, quæ olim dixerunt, Ecclesiam S. Liberalis esse Capellam Ecclesiæ S. Mariæ, & subindè eidem subjectam; quæ enunciativæ tanquam à pluribus provenientes faciunt probatio-
70 nem. Rota coram Puteo *decis.* 149. *lib.* 3. & coram Merlino *decis.* 128. *num.* 5. præcipuè cum sint antiquæ. Ludovis. *decis.* 51. & ibi Adden. *num.* 10. Rota *part.* 9. *recent. decis.* 245. *num.* 52. & coram Emin. Otthobono *decis.* 125. *num* 2 & 3.

Quartum motivum extrahitur ex quadam Visitatione Episcopali de Anno 1473. in qua Plebanus S. Liberalis nominatur Plebanus Secundus, & ejus Ecclesia subjecta Ecclesiæ S. Mariæ.

Quintum ex quadam Tabella antiqua existente in Sacristia ejusdem Ecclesiæ S. Liberalis, in qua scriptum est, quod ejus Confratres Scholæ B. M. Virginis debeant accedere processionaliter in die Paschæ ad se communicandum ad Ecclesiam S. Mariæ Novæ.

Sextum ex Bulla impetrationis harum duarum Ecclesiarum facta per Presbyterum Bonifacium Guidocium *Anno* 1590. in qua continetur, quod Ecclesia S. Liberalis est Capella Ecclesiæ S. Mariæ.

Septimum ex divisione earundem Ecclesiarum facta Anno 1584. per Episcopum Parentinum Visitatorem Apostolicum, in qua ipse dixit: *Ita tamen, ut supradicta Ecclesia S. Mariæ, quam etiam antiquitùs Plebem esse constat, illis prærogativis, & obsequiis non defraudetur, quæ Reverendissimus Ordinarius eidem deberi censuerit.* Sed prærogativæ, & obsequia debi-

Digitized by Google

debita Ecclesiæ, quæ antiquitùs Plebs est, consistunt in Jure Matricitatis, ac Superioritatis erga Ecclesias filiales, inter quas reputanda est Ecclesia S. Liberalis.

Octavum tandem, quia Vicarius Episcopalis Tarvisinus *Anno* 1632. in Visitatione ejusdem Ecclesiæ S. Liberalis pronunciavit, eam esse Capellam Ecclesiæ S. Mariæ.

Porrò hæc omnia motiva in tot Judiciis, ac sententiis, ab Anno 1650. citrà super hac discordia emanatis, semper reputata sunt frivola, & nullius roboris: talia enim sunt, nihilque valent pro astruenda intentione Plebani S. Mariæ; nam quo ad Bullam Urbani III. respondetur *Primò*, eam non esse originalem, neque transumptum ab originali cum debitis solemnitatibus extractum, sed copiam ab alia co-
71 pia sumptam, ideò nihil valere, & nullam fidem ei esse adhibendam docent Decius *in Auth. si quis in aliquo num.* 30. *C. de Eden.* Caputaquen. *decis.* 234. *part.* 3. Rota coram Ludovisio *decis.* 550. *num.* 1. eadem Rota *part.* 6. *recent. decis.* 224. *num.* 16. Respondetur *Secundò*, quod estò prædicta Bulla esset vera, cujusque copia foret authentica, ex ea non probatur identitas Ecclesiæ S. Mariæ Novæ posita extra mœnia, & in vico Oppidi Castrifranci: licèt enim in dicta copia nominetur Ecclesia *S. Mariæ de Plebe Nova*, hæc verba non concludunt identitatem, quæ ex solo
72 nomine non remanet certificata. Bart. *in l. Demonstratio falsa. num.* 14. *ff. de Conditionib. & demonstr.* Decius *cons.* 15. *num.* 9. Rota *part.* 16. *recent. decis.* 98. *num.* 4. Respondetur *Tertiò*, quod quando etiam de identitate constaret, ex illa denominatione *S. Mariæ Plebis Novæ* non potest concludi, eam fuisse Matricem; quia aliæ quoque Ecclesiæ ibi nominan-
73 tur Plebes, quæ non gaudent prærogativa Matricitatis, sed sunt aliis subjectæ, quales sunt Ecclesiæ *de Albaredo*, *de Sylvamunda*, *& de Resana*, ut ex fide Rectoris Villæ Campilii in judicio producta. Respondetur *Quartò*, quod illa verba *Privilegium Apostolicum*, *&c. cum denominatione Ecclesiarum Plebanarum Matricium*, quibus intitulata est prædicta asserta Bulla Urbani III. non sunt pars ipsius Bullæ, neque verba prolata per Papam; sed sunt Apostillà
74 ibi adjecta, & nescitur à quo scriptore; idcircò nullam merentur fidem. *cap. Inter dilectos. De fide Instrum. cap. Cum Venerabilis. Vers. Sed pars vestra De Relig. domib.* Genua *de Script. priv. lib.* 1. *part.* 6. *dub.* 4. Rota *d. part.* 16. *recent. decis.* 219. *num.* 7. Respondetur *Quintò*, quod quando etiam constaret de veritate assertæ Bullæ, de identitate Ecclesiæ, & legitimitate eorum verborum (quæ omnia negantur) adhuc in eis nullum fundamentum facere posset Plebanus S. Mariæ pro prætendenda Matricitate, & Superioritate adversus Ecclesiam S. Liberalis, quia Ec-
75 clesia *Matrix Plebana*, *& Baptismalis* sunt voces synonimæ, ut notat Abb. *in cap. Ex transmissa. num.* 2. *&* 3. *de Prescript.* & ait Rota *part.* 1. *recent. decis.* 272. *num.* 1. quare dato etiàm, quod dicta Ecclesia S. Mariæ in aliquo loco nominetur *Matrix*, non tamen indè necessariò sequitur, quod Ecclesia S. Liberalis sit filialis, & ei subdita; cum & ipsa etiam ante divisionem haberet Fontem baptismalem, cujus ratione potest dici *Matrix*, prout ex hoc respectu poterat dici Matrix ipsa Ecclesia S. Mariæ, cum regeneret filios per Baptismum, ut per Glossam *in Clem.* 1. *in Verb. Matricem. De Sent. Excommun.* & per Rotam *d. decis.* 272. *num.* 2. *part.* 1. *recent.* Quapropter ob has multiplices exceptiones, ac responsiones juridicas ad assertam Bullam Urbani III. ea nihil valet, & de ea Judices non curarunt; & sic cadit omninò primum Adversarii motivum.

Secundum motivum pariter est illegitimum, & inane; quia ex appolixia æstimi bonorum prædictarum Ecclesiarum non benè infertur, Ecclesiam S. Liberalis fuisse dotatam de bonis Ecclesiæ S. Mariæ, tùm quia unitæ erant æquè principaliter simul, & bona pro indiviso ante separationem æqualiter possidebantur; tùm etiam quia ex partitis Decimarum *de Anno* 1344. *& de Anno* 1467. apparet Ecclesiam S. Liberalis habuisse sua propria bona; & appellatam esse Ecclesiam Archipresbyteralem; cumque in eam nullùm unquam Jus superioritatis Plebanus S. Mariæ habuerit antiquis temporibus; dicendum est, neque in præsenti posse se jactare superiorem, cum in hac materia attendatur id, quod servabatur ab antiquo. Rota *part.* 6. *recent. decis.* 85. *num.* 2. *& decis.* 224. *à num.* 1 *& seqq.*

Ad Tertium motivum respondetur, assertas enunciativas nullam vim habere, cum processerint à privatis personis non reddentibus rationem sui dicti, sed ex propria opinione loquentibus; ideò nihil probant in hac materia præminentiæ, in qua probationes concludentes requiruntur. Genua *De Enunciat. Verb. lib.* 1. *q.* 4. *à num.* 10. *& seqq.* Mascard. *de Probat. conclus.* 622. & Garzias *de Benefic. part.* 12. *cap.* 2. *num.* 269. *&* 270. maximè attentis contrariis proba-
76 tionibus ad favorem Ecclesiæ S. Liberalis supra *in prim. cap. à num.* 22. *& seqq.* adductis; & præcipuè quod de Anno 1344. ipsa vocabatur Archipresbyteratus, ut *in Proc. G. pag.* 1. Habebat alias Ecclesias sibi subjectas. *Proc. A. pag.* 5. *&* 10. Massarii in Ecclesia S. Mariæ fieri non poterant absque consensu Plebani S. Liberalis. *d. Proc. A. pag.* 16. In functionibus, & scripturis eidem dabatur primus locus; undè ex his omnibus tanquam efficacioribus præsumptionibus libertatis, imò superioritatis Ecclesiæ S. Liberalis, eliduntur assertæ enunciativæ, & debiles præsumptiones, quas allegat pro se Plebanus S. Mariæ ad tradita per Menochium *de Præsumpt. lib.* 6. *præsumpt.* 64. *num.* 46.

Ad Quartum motivum pariter dicitur, enunciativam illius Visitationis *de Anno* 1473. ex supradictis contrariis probationibus de falsitate, ac erroneitate convinci; tantò magis quia libri Visitationum pro-
77 bant tantùm circa ea, quæ gesta sunt in ipsa, secùs in his, quæ scripta sunt à ministris Episcopalibus ex eorum arbitrio. Barbosa *de Offic. & Pot. Episc. alleg.* 72. *num.* 48.

Ad quintum facilis est responsio; videlicèt quod Confratres illius Scholæ ex eorum devotione voluerint accedere ad Ecclesiam S. Mariæ in die Paschæ ad communionem recipiendam, & sic non ex necessi-
78 tate, vel subjectione; sed ex propria facultate, & intuitu devotionis; quo casu nulla obligatio, vel necessitas inducitur, vel jus contra aliquem acquiritur. Rota coram Card. Celso *decis.* 393. *num.* 10. eadem Rota *decis.* 469. *num.* 2. *part.* 19. *recent. tom.* 2. licebat enim prædictis confratribus ante divisionem prædictarum Ecclesiarum Parochialium, vel in una, vel in alia ad libitum communicare.

Ad Sextum respondetur, ex malitia illius Presbyteri Guidotii Ecclesiam S. Liberalis fuisse nuncupatam Capellam S. Mariæ, siquidem utramque Parochialem hac artificiosa, & falsa denominatione usurpare volebat; sed se opposuit Episcopus Tarvisinus, in cujus manibus statim dimisit Ecclesiam S. Liberalis, ut *in Proc. B. pag.* 25. *&* 26. quæ ab eodem Episcopo collata fuit alteri prævio concursu. *Proc. A. pag.* 36. 37. 38. sicque destructo malitioso illo conatu evanuit injuriosa, ac non vera illius vocis *Capellæ* enunciativa. Rota coram Priolo *decis.* 246. *num.* 14.

Ad Septimum motivum respondetur, verba illa Visitatoris Apostolici nullam superioritatem dedisse Ecclesiæ S. Mariæ adversus Ecclesiam S. Liberalis; sed per ea eundem Visitatorem voluisse ei reservare prærogativas, si
79 quas habebat; reservationis autem natura est conservare jura, quæ quis habet, non verò tribuere ei jura, quæ non habet, ut benè demonstrat Rota coram Ludovisio *decis.* 347. *num.* 16. & notum est Axioma, quod reservatio, non reperiens aliquid reservabile, nihil operatur.

Digitized by Google

tur . Surdus *decis.* 205. *num.* 13. ubi alii DD. Quod autem dicta reservatio nihil reservabile repererit, evidentèr constat, quia Ordinarius ab eo tempore citra nihil Ecclesiæ S. Mariæ adjudicavit; imò pretensam superioritatem, & præeminentiam per ejus Plebanos, ab omnibus Judicibus legimus denegatam.

Ad Octavum, & ultimum motivum respondetur, assertum decretum, ac declarationem Vicarii Episcopalis fuisse nullum, & injustum, tùm quia pro-
80 latum absque debitis informationibus. Maceraten. *Var. resol. lib.* 1. *resol.* 110. *num.* 11. & 13. tùm quia non præcessit Plebani S. Liberalis citatio, quæ in omni actu præjudiciali semper requiritur. *Clem. Sæpè. De Verb. Signif.* Caputaquen. *decis.* 372. *num.* 2. *part.* 2. præterquàmquod postea, reclamante ipso Plebano S. Liberalis, fuit revocatum, ut in *Proc. A. pag.* 86. & *in Proc. C. pag.* 14. & 40. Quare, evidenti illegitimitate prædictorum motivorum stante, & eà benè cognità à Judicibus, coram quibus Discordia hæc disputata fuit, Plebanus S. Mariæ nihil potuit obtinere super prætensa Præcedentia, Præminentia, & Superioritate adversus Plebanum S. Liberalis ex asserto imaginario titulo Matricitatis Ecclesiæ S. Mariæ; quem non extare, nec habere, semper fuit judicatum; proùt in præsenti ab Eminentissimo, ac Reverendissimo Cardinali Barbadico, Judice Apostolico delegato, Plebanus S. Liberalis judicandum con-
81 fidit, cum impositione perpetui silentii eidem Plebano S. Mariæ; & condemnatione expensarum. Et ita servatis servandis, ac auditis audiendis fuit per Eminentiam suam pronunciatum.

DISCORDIA LVI.

ARGUMENTUM.

Beneficia Cubiculariorum Honoris Papæ sunt reservata; sed ea Cardinales Episcopi vigore Indulti conferre possunt. In eorum Indultis excipiuntur beneficia Familiarium Papæ, qui tamen veri, & actuales ejus commensales sint; non autem ex solo Privilegio, quales sunt Cubicularii Honoris. Mortuo Papa extinguitur ejus familiaritas, ac reservatio beneficiorum ex ea resultans. Beneficio reservato dimisso per optionem, reservatio non transit in secundum beneficium optatum. Beneficia acquisita post extinctam familiaritatem non sunt reservata.

SUMMARIUM.

1 *Barisoniæ Nobilis Familiæ Paduanæ laudes.*
2 *Albertini Barisonii dignitates, & Virtutes.*
3 *Jacobi Salomonis Ord. Præd Liber de Inscriptionibus Urbis Patavinæ.*
4 *Nanticherius Barisonius Canonicus Patavinus laudatus.*
5 *Marcelli Marchionis Barisonii Pietas, ac Liberalitas.*
6 *Gregorii Cardinalis Barbadici Episcopi Patavini obitus Anno* 1697.
7 *Nanticherii Barisonii Canonici obitus Anno* 1700.
8 *Mors, quod cuique sit inevitabilis, Distichum.*
9 *Jo. Jac. de Nigris factus Canonicus Patavinus Anno* 1700.
10 *Cubiculariorum Papæ beneficia sunt reservata ex Reg.* 3. *&* 7. *Cancell.*
11 *Olim non credebantur reservata.*
12 *Reg.* 7 *Canc. verba.*
13 *Regulæ Canc. Apost. impressæ apud Corradum* in Praxi dispens. Apost. & *Apud Nicolium* Lucubr. Canonic.
14 *Reservatio ob Cubiculariatum Honoris non afficit Cardinales Indultarios.*
15 *Familiarium Papæ beneficia exceptuata sunt in Indultis Cardinalium, & ea conferre non possunt.*
16 *Familiaritas exceptuata debet esse actualis, non ex Privilegio.*
17 *Rotæ Decisiones, quod Cardinalis Episcopus potest conferre beneficia Cubicalarii Honoris.*
18 *Nanticherius Barisonius Canonicus Patavinus Cubicularius Honoris, non actualis Cammensalis Clementis Papæ IX.*
19 *Antonius Grimanus Orator Venetus Romæ Anno* 1670. *deindè Procurator S. Marci laudatus.*
20 *Familiaritate cum Papa, per ejus mortem extinctâ, cessat reservatio beneficiorum ex ea resultans.*
21 *Optiones Canonicorum Paduæ mutant Præbendam, & Titulum.*
22 *Pensio super Præbendâ, ob optionem dimissâ, à quo sit solvenda?*
23 *Reservatio beneficii dimissi causâ optionis, remanet in illo.*
24 *Familiaritate finitâ, si quis beneficium consequatur, illud non est reservatum.*
25 *Bullas Apostolicas tenentur expedire provisi à Cardinali Episcopo vigore Indulti de beneficiis aliâs reservatis, vel affectis.*

INter nobiles Familias hujus Magnificæ Civitatis Paduæ præfulget illa DD. de Barisoniis, ex qua, transactis temporibus, ut testantur Historiæ, jugiter prodiere Viri vel Litteris, vel Armis celeberrimi, &
1 insignes; Summis Pontificibus, Imperatoribus, ac aliis Principibus charissimi. Hoc sæculo decimo sexto inter cæteros ex eadem duo fuere, pietate, doctrinâ, ac prudentiâ, eximii Canonici Patavini: Albertinus scilicèt, atque Nanticherius; quorum primus ex Canonicatu ad Archipresbyteratum, qui est prima Di-
2 gnitas in Ecclesia Cathedrali Patavina, ascendit; & in ea existens *Anno* 1639. (cum vacasset Sedes Episcopalis) Vicarius Capitularis creatus fuit; deindè ipsius virtutum radiantibus meritis ab Innocentio Papa Decimo ad Episcopatum Cenetensem translatus, Ecclesiam illam diu mirificè gubernavit, & optimi Pastoris munia quæque adimplevit, ut testatur Elogium, relatum à Patre Jacobo Salomonio Ordinis Prædicatorum in suis elaboratissimis *Urbis Patavinæ*
3 *Inscriptionibus pag.* 290. *num.* 5. his verbis: *Hic Episcopus, & Comes Cenetensis, in Aulis Innocentii X. Pontificis Maximi, & Ferdinandi II. Cæsaris Augusti, pari pietate, ac prudentiâ refulgens, auctoritate, celebritate apud exteros, profusâ in egenos munificentiâ, cum paucis comparandus, ingentibus de re Ecclesiasticâ, & Litterariâ meritis, publicis lacrymis elatus est Anno MDCLXVII.*

Alter, nempè Nanticherius, Clericali militiæ adscriptus, & sæcularis Abbatiæ titulo ornatus, Romam petiit, ibique Clementis Noni, ac Decimi Summorum Pontificum Cubicularius Honoris declaratus, tantis prælucebat religionis, ac doctrinæ
4 splendoribus, ut ei Canonicatum ex ditioribus Cathedralis Patavinæ (ad quam regendam paulò ante Eminentissimus, ac Reverendissimus Gregorius Cardinalis Barbadicus ab Alexandro Papa VII. positus fuerat) vigore sui Indulti *Anno* 1668. tanquàm primò vacantem contulerit, digniorem, imò dignissimum cæteris competitoribus, pinguem illam Canonicalem Præbendam flagitantibus, purgatissimo suo judicio, eundem Nobilem Nanticherium Barisonium declarans. Nec sui Antistitis opinionem ipse fefellit, nam Patavium Româ reversus, in residendo, Choro, & Ecclesiæ serviendo, studio sacrarum Litterarum, ac pietatis operibus vacando, se cunctis omnium virtutum exhibuit exemplar; præcipuè, ut notat idem P. Jacobus Salomonium ubi *supra*
5 *pag.* 290. *num.* 6. unà cum Marcello Marchione Barisonio

Digitized by Google

risonio Fratre suo, juxta Patrui Antonii jussa, qui
Sacellum ære suo dicavit S. Ignatio Loyolæ, sacras
vestes, argenteam Suppellectilem, & Bibliothecam
Patribus Societatis JESU Paduæ donando. Ipsius
Abbatis, ac Canonici Barisonii sapientia, & prudentia
comprobata fuit ab Illustrissimo, ac Reverendissimo
ejusdem Cathedralis Ecclesiæ Patavinæ Capitulo,
quod, (vacante denuò Episcopali Sede, per obitum Emi-
6 nentissimi, ac Reverendissimi Cardinalis Barbadici
Episcopi *Anno 1697. Mense Junio*,) ipsum Vicarum
Capitularem concorditer elegit, & ei amplissimam
hanc Diæcesim, in cujus regimine prædictus Eminentissimus
Antistes cum tot Ministris adeò insudarat,
gubernandam, sartam, tectamque tenendam
commisit. At completo laudabiliter Vicariatu, per
adventum ad hanc Cathedram Eminentissimi, ac
Reverendissimi Georgii Cardinalis Cornelii Præsulis;
7 paulò post ingressum sæculi decimi septimi idem Do-
minus Nanticherius ab Aula hujus mundi recessit;
cum nullam admittant exceptionem carmina illa relata
per Paulum Rubeum in Discursu *ad part. 4. re-*
8 *cent. decis. Rotæ Rom. tom. 3. num.* 226. videlicèt:

Omnia transibunt. Nos ibimus, ibitis, ibunt;
Clari, & non clari, conditione pari.

Igitur ejus morte sequuta hoc Anno 1700, Mense
Februario, Eminentissimus Episcopus tanquam S.R.E.
Cardinalis habens ab Apostolica Sede Indultum conferendi
omnia beneficia, vacantia in Mensibus eidem
Sedi Apostolicæ reservatis, Canonicatum vacantem,
quem prædictus Dominus Nanticherius Barisonus possidebat
in hac Cathedrali Ecclesia Patavina, con-
9 tulit Illustrissimo Domino J. Jac. de Nigris Cameræ
suæ Magistro, omnium virtutum, & longi servitii
laudem, ac meritum habenti; sed statim contra hanc
provisionem, vigore Indulti factam, reclamarunt Ministri
Dataræ Romanæ autumantes, eam spectare ad
Apostolicam Sedem; cui Canonicatus prædictus erat
reservatus ob familiaritatem per eundem Abbatem
Nanticherium Barisonium initam cum Summis Pontificibus
Clemente Nono, & Clemente X. à quibus
inter suos Cubicularios cooptatus fuerat; quæ reserva-
10 tio habetur *in Regula 3. & Regul 7.* Cancellariæ Apostolicæ;
& censetur excepta in Indultis Cardinalitiis;
prout de tali reservatione testatur Loterius *de Re benefic
lib. 2. quæst. 32. num.* 162. & decisum est à Rota
in Placentina, seu Corduben. Beneficiorum die Veneris
10. *Novembris* 1617. coram Coccino; quæ habetur
impressa inter recentiores *part 4. decis. 573. tom. 1.*

Nihilominùs his non obstantibus affirmavi, collationem
supradictam ab Eminentissimo Cardinali Præsule
Patavino factam esse validè factam, tanquàm ei
competentem vigore sui Indulti ex triplici fundamento.
Primò, quia ante Pontificatum Gregorii XV. etsi
11 beneficia Cubiculariorum Honoris Papæ non crede-
rentur reservata, ut scribit Joannes Chokier *Commentar.
in Reg 6. Cancell.* & resolvit Rota apud Mohedan.
decis. 90. aliàs 2. num. 10 *de Probat.* & Puteum
decis. 13. de Præbend. tenuitque Garzias *de Beneficiis
part. 5. cap. 1. §. 5. num.* 332. ubi aliam Decisionem ponit
ejusdem Rotæ *in una Seguntina Archidiaconatus,
& Canonicatus* 19. *Martii* 1601. firmantem, beneficia
Cubiculariorum Honoris non esse reservata; quæ decisio
habetur etiam *part. 1. recent. decis.* 43. cui adhæsit
Theodosius Rubeus in suis Singularib. *tom. 1. part.
1. circa decis.* 1251. *Seraphini pag.* 114 *col.* 2. Sed assumpto
eodem Gregorio XV. ad apicem Pontificatus
cessaverit illa opinio, & ceciderint præfatæ doctrinæ,
ac Decisiones Rotales, ob expressam declarationem
factam ab eodem Pontifice *in Regula 7. Cancell* quod
etiam Cubiculariorum Honoris beneficia sint, & esse
debeant Papæ reservata, ut legitur in Regulis ejusdem
Pontificis, & in illis Urbani VIII. ejus successoris,
per extensum positis, & impressis post Praxim Dispensationum
Apostolicarum Pyrrhi Corradi *à pag.
667. & seqq.* ubi *pag.* 669. ita legitur. *VII. Item reser-*
12 *vavit generaliter idem D. N. Papa dispositioni suæ
omnia beneficia Cubiculariorum, etiam, Honoris nuncupatorum,
ac Cursorum suorum. Declarans in Prædecessorum
suorum Romanorum Pontificum Constitutionibus,
& Regulis reservatoriis beneficiorum Cubiculariorum,
etiam Cubicularios Honoris nuncupatos, etiam à
die earum editionis, & publicationis intelligi, & comprehendi,
ac comprehensos fuisse, & esse. Irritumque
&c. attentari decernens.* Quam Regulam postea ijs-
13 dem Verbis renovarunt semper Summi Pontifices
successores, ut videre est in regulis Alexandri Papæ
VII. impressis apud Nicolium *Lucubrat. Canonic.
lib. 5. tit. 41. pag.* 343. & in illis Clementis IX. & X.
Innocentii XI. Alexandri VIII. ac novissimè S. D N.
Clementis XI. regnantis. Igitur etsi nunc dici non
possit, quod beneficia Cubiculariorum Honoris non
sint Papæ reservata; quia verè ei reservata sunt; talis
tamen reservatio afficit tantummodò collatores ordinarios
inferiores, quales sunt simplices Episcopi,
Capitula, & Abbates; non etiam Cardinales Episco-
14 pos habentes Indultum à Summo Pontifice conferendi
beneficia quæcunque; hi enim vigore ejusdem
Indulti conferunt reservata, etiam duplici reservatione,
quæ non sit coæqualis, sed dispar. Amyden. *de
Stylo Datariæ cap. 29. num. 74. Vers. Magis placet.* Tondut
Resol. benefic. part. 3. cap. 152. à num. 7. & seqq. Rota
coram Ludovisio *decis. 291. num.* 2. & ibi Beltramin.
in addit. n. 5 & n. 11. Rota *part. 4. rec. tom. 2. decis.* 416.
num. 13. part. 12. decis. 174 num 3. part. 13. decis. 266.
num. 3. novissimè eadem Rota *part. 19. recent. decis.*
523 *per totam. tom. 2.* & *in Mediolanen. Beneficiorum*
13. *Martii* 1673. *coram R. D. Albergato*; nec non *in
Neapolitana Beneficii* 18. *Martii* 1675. *coram R. D.
Rondinino*, quæ habentur impressæ post Novarium *in
Summa Bullarii decis. 30. & decis.* 32. in quibus omnibus
ad favorem Indulti Cardinalitii fuit judicatum.

Nec valet objectio, quod etsi Cardinales Episcopi
possint vigore Indulti conferre beneficia Papæ reservata;
inter hæc nonnulla beneficia excipiuntur, quæ
ab ipsis Cardinalibus Indultariis conferri non possunt;
inter quæ exceptuata leguntur beneficia familiarium
15 ipsius Papæ, quales sunt Cubicularii, ut notat Tondut
Resol. benefic. part 2. cap. 3 §. 5. num. 15. Emin.
Card. de Luca *de Benefic. disc. 5. num. 17. & 18.* Rota
in cit. decis. 32. post Novarium *in Summa Bullar. num.*
12. ubi allegatur Constitutio LIX. Urbani VIII. existen.
in tom. 4. Bullarii Romani pag. 74. in qua excipiuntur,
& exceptuata declarantur ab Indultis Cardinalium
beneficia *in Libris Cameræ Apostolicæ descripta, nec
ex personis Familiarium suæ Sanctitatis, vel Conclavistarum,
aut ratione vacationis apud Sedem prædicta
reservata*: inter Familiares autem Summi Pontificis
computantur ejus Cubicularii, etiam Honoris, ut in
terminis resolvit Rota *part. 5. recent. decis. 196. tom. 1.*
In qua conclusum fuit, beneficium vacans per obitum
Cubicularii Honoris Pauli V. non potuisse conferri à
Cardinali Episcopo Giennen. vigore sui Indulti. Siquidem
respondetur, quod quidquid decisum fuerit
contra dictum Cardinalem Episcopum Giennen. *de
Anno* 1628. cujus Indulti tenor videri non potest; in
Indulto Eminentissimi Cardinalis Cornelii Episcopi
Patavini *de Anno* 1697. sunt exceptuata beneficia vacantia
per obitum Familiarium Summi Pontificis per
16 hæc præcisa verba: *Præterquàm veræ, & actualis
familiaritatis, & continuæ commensalitatis familiarium
continuorum nostrorum commensalium; qui nunc
sunt, seu aliàs dum Cardinalatûs honore fungebamur,
fuerunt, aut quamdiù militantis Ecclesiæ regimini præfuerimus,
erunt, ratione, &c.* quæ formalia verba,
utpotè in Indultis Cardinalium Episcoporum horum
temporum inseri solita, leguntur etiam in Indulto quondam
Eminentissimi Cardinalis Barbadici Episcopi
Patavini Prædecessoris, cujus copia habetur supra post
Discord. I. pag. 7. Igitur per prædicta verba intelligit
Summus Pontifex excipere beneficia Familiarum non
ex pri-

Digitized by Google

ex Privilegio (quales sunt Cubicularii Honoris) sed eorum, qui verè, & actualiter stant in Palatio Papæ, & sunt ejus commensales, ibi corporaliter degentes, & actualiter servientes; ac partem panis, & vini quotidiè reportantes; ut in simili casu de Familiari Papæ ex Privilegio, & non continuo commensali resolutum fuit à Rota *part.12.recent. decis.14.* in qua judicatum
17 est ad favorem provisi vigore Indulti; quia, ut ipsa Rota considerat *ibid. num.10. & 11.* Papa in prædicta exceptione *intelligit de familiaribus, & continuis commensalibus, veris, & actualibus eâ familiaritate, quæ mente, & dente contrahitur; juxta doctrinam* Sarnen. *in Reg. de Impetran. benefic. per obit. famil. Card. q. 13. in princ.* Garziæ *de Benef. part.5. cap. 1. num.317.* Parisii *de Resignat. lib. 10. q. 3. num.22.* Loterii *de Re benefic. lib. 2. q. 32. num. 15.* Rotæ coram b. m. Gregor. XV. *decis.166. num.10. Vers. Probatur autem*, & apud Burattum *decis.117. num.10. & decis.228.num.1. & decis.584. num.3. part.1. recent.* Quam resolutionem Rotæ confirmarunt DD. Auditores in eadem causa repropósita in Rota *die 15. Maii 1656.* judicando, potuisse Indultarium conferre beneficium, quod vacaverat per obitum familiaris Papæ, non actualis commensalis, sed ex Privilegio, ut habetur *d. part.12. recent. decis.174.* ubi *num. 35.* subdit: *Secunda verò Indulti exceptio ratione familiaritatis loquitur dumtaxat de familiaribus veris, & actualibus Papæ ex mente, & dente; non autem de familiaribus ex Privilegio, qualis erat Valentinus, ut probatur in alia Decisione. §. Nec obstat.*

Igitur etiam in casu isto, cum Dominus Nanticherius Barisonius fuerit Cubicularius Honoris Clementis Noni, & sic familiaris Sanctitatis suæ ex Privilegio, non autem actualis commensalitatis, &
18 ut dicunt DD. *non ex mente, & dente;* quia non habitabat in Palatio Apostolico, nec indè sumebat panem, & vinum; sed suis pecuniis se alimentabat, degens ex gratia Illustriss. ac Excellentiss. Antonii Gri-
19 mani Oratoris Veneti, (Viri ob prudentiam, pietatem, ac omnium virtutum merita immortali memoria digni; qui deindè reversus in Patriam Procurator S. Marci à Serenissimo majori Consilio fuit electus) degens, inquam, ex gratia ejusdem Oratoris Veneti in ejus Palatio apud S. Marcum, in cubiculis, viridarium respicientibus; sequitur dicendum, ejus Canonicatum tempore, quo per ejus obitum vacavit, non fuisse comprehensum in exceptione ob familiaritatem Papæ, positam in Indulto Eminentissimi Cardinalis Cornelii Episcopi Patavini; qui ritè, & rectè potuit vigore ejusdem sui Indulti de ipso disponere, & illum antedicto Abbati de Nigris, suæ Cameræ Magistro, conferre.

Secundò; sed supposito (etsi non concesso, imò ex hucusque deductis constanter negato) quod familiaritas Canonici Barisonii, proveniens ex Cubiculariatu Honoris, quem habuit à Clemente Nono, & forsan etiam à Clemente Decimo, esset comprehensa in exceptione posita in Indulto; itaut reservatio ex prædicta familiaritate, etsi non actuali, & ex mente, ac dente, sed ex Privilegio tantùm, faceret beneficium ejus omninò reservatum, & exceptum. Respondi, talem exceptionem reservationis cessasse post mortem eorundem Summorum Pontificum Clementis IX. ac X. adeò ut, ijs defunctis, absque scrupulo Cardinalis Indultarius possit beneficium vigore Indulti conferre; quia ex communi Doctorum placito, & pluribus Rotæ decisionibus, familiaritas prædicta cum
20 extinguatur in morte Pontificis, extinguitur etiam reservatio, quæ ex eadem familiaritate resultabat; ut scribunt Sarnen. *super Reg. Cancell. 31. quæst. 18. ad finem.* Garzias *d. part. 5. cap.1. sub num. 276.* Azorius *Instit. Moral. part. 2. lib. 6. cap.34. quæst.10.* Spada *consil.31. num.16. & cons.36. per tot. vol.3.* & dixit Rota *in Hispalen. Præstimonii 11. Martii. & prima Junii 1661. coram Verospio; & 19. Junii 1662. coram Emerix;* quas decisiones sequuta est eadem Rota *part.18. recent. decis.476. num.17. & 18.* alias concordantes allegans. Quæ doctrinæ, ac Decisiones in præsenti casu videntur superfluæ, quia in Indultis Eminentissimorum Cardinalium Episcoporum expressè iisdem conceditur, ut possint conferre beneficia reservata ob familiaritatem cum Papa, quando ipse jam defunctus est, ut legitur in illis verbis: *Et ex eo quod illa obtinentes aliquorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum familiares, continui commensales &c. aut Cubicularii &c. generaliter reservata, seu ex generali reservatione Apostolica affecta existent, vel fuerint.*

Tertiò; his fundamentis inconcussis stantibus, considerabam ulteriùs posse & aliud adjungi, videlicèt quod Canonicus Barisonius Anno 1689. dimisit per optionem Canonicatum, quem obtinuerat, dum esset prædictorum Pontificum Cubicularius Honoris, & obtinuit hunc, qui per ejus obitum vacavit; cumque
21 optiones, quæ ab immemorabili tempore practicantur à Capitulo DD. Canonicorum hujus Cathedralis Ecclesiæ Patavinæ, mutent non solùm Præbendam, sed etiam Titulum, & totum Canonicatum; itaut optans Præbendam Sacerdotalem, si erat Canonicus Subdiaconus, vel Diaconus teneatur fieri Sacerdos; & si Præbenda per eandem optionem dimissa erat
22 Pensione gravata, ipse liberetur à solutione Pensionis; & hæc sit solvenda ab obtinente ipsam Præbendam dimissam, juxta decisionem Rotæ coram Card. Mantica *decis. 273.* & doctrinam Tonduti *de Pensionib. cap.22. num.9.* nec non Nicolai Noalis *cons. 1. num.4.* Hinc videtur dicendum, hunc Canonicatum secundum, quem Dominus Barisonius adeptus est Anno *1689.* non posse dici reservatum; sed reservationem remansisse (si quæ remanserit post mortem antedictorum Pontificum) in primo Canonicatu, ab
23 eodem Barisonio dimisso per ea, quæ scribunt DD. quos cumulat Moneta *de Optionib. cap.3.q.3.conclus.2.* & sic de Jure potuisse Eminentissimum Cardinalem Cornelium vigore sui Indulti hunc secundum Canonicatum conferre: nam beneficia, à familiari Papæ,
24 vel Cardinalis post finitam familiaritatem obtenta, non dicuntur reservata. Ventriglia *tom. 2. Annot. 2. §. 2. num. 41.* Loterius *d. lib. 2. quæst. 32. num. 152.* Rota *part.1. recent. decis.584. num 2.*

Acquieverunt Officiales Datariæ his rationibus, & eò faciliùs, quò intellexerunt, pinguem esse hanc Præbendam Canonicalem, cujus fructus annui summam 24. Ducatorum Auri de Camera excedunt; ideòque provisum de illa esse expediturum etiam Bullas
25 Apostolicas in eadem Dataria, juxta clausulam per Papam in fine Indulti Cardinalitii insertam his verbis: *Volumus autem, quod ii, quibus beneficia generaliter reservata, vel affecta hujusmodi, quorum fructus, redditus, & proventus XXIV Duc. Auri de Camera secundum communem existimationem valorem annuum excedunt, vigore præsentium per Te, vel alium contuleris &c. intra quatuor Menses &c. novas provisiones super beneficiis hujusmodi à Sede prædicta impetrare, & Litteras Apostolicas desuper in totum expedire, ac jura eidem Cameræ, & aliis propterea debita persolvere teneantur. Alioquin elapsis iisdem Mensibus beneficia prædicta vacare censeantur eo ipso &c.* Per quam quidem novam expeditionem illæsum servabatur eorundem Officialium interesse, quod solet contentionibus forensibus ansam dare.

DISCORDIA LVII.

ARGUMENTUM.

Parochialis Ecclesia S. Felicitatis Veronæ, tanquàm unita, & de Mensa Monasterii S. Nazarii Congregationis Casinensis, non est providen-

videnda per concursum; sed Parochus ad eam est nominandus, ac præsentandus ab Abbate, & Monasterio prædicto. Pro comprobatione antiquæ Unionis, & Mensalitatis ejusdem Ecclesiæ referuntur decem signa, à Canonistis, & à Rota Romana in pluribus Decisionibus legitima, & concludentia declarata. Resolvuntur objecta per Curiam Episcopalem facta pro Concursu; & ostenditur, ea nullius esse valoris, utpotè contraria Constitutionibus B. Pii V. ac Sixti V. præcipientibus, nominationem Parochi fieri ab Abbate sine concursu; & declarantibus irritum quidquid ab Episcopis, quocunque tempore, fuerit in contrarium attentatum.

SUMMARIUM.

1 *S. Felicitatis Veronæ beneficium curatum non est providendum per concursum.*
2 *Sixti V. Constitutio declaratoria Conc. Trid.* sess. 24. de ref. cap. 18
3 *B. Pii V. similis Constitutio circa prohibitionem concursus in Ecclesiis de Mensa.*
4 *Unio, & Mensalitas beneficii probari potest per conjecturas, & præsumptiones.*
5 *Adrianus Papa IV. Anno 1158. suscipit sub sua Protectione Monasterium S. Nazarii Urbis Veronæ.*
6 *Clausula* Cum pertinentiis suis *quid importet?*
7 *Unio, & Mensalitas beneficii ex antiqua Confirmatione Apostolicâ probatur.*
8 *Præscriptio Unionis beneficii recipit Titulum à Bulla Papæ, illud confirmantis.*
9 *S. Nazarii Veronen. Ecclesia consecrata Anno 1202. ad instantiam Abbatis.*
10 *Capella si antiquitùs fuit nominata aliqua Ecclesia, ea præsumitur Parochialis, & de Mensa alterius.*
11 *Consecratio Ecclesiarum Casinensium non fit ab Episcopis, nisi ad petitionem Abbatum.*
12 *Abbates Casinenses habent Jus instituendi, & destituendi in Ecclesiis sibi subjectis.*
13 *Instituendi, ac destituendi jus in aliqua Ecclesia denotat eam subjectam.*
14 *Abbates possunt suos subditos excommunicare.*
15 *Collationes antiquæ factæ per Abbatem, & Monasterium de aliqua Ecclesia, probant eam esse unitam, & de Mensa Monasterii.*
16 *Collationes antiquæ beneficii, etsi non continuatis temporibus, probant ejus Unionem.*
17 *Monachis si collata est Ecclesia per Abbatem, signum est Mensalitatis ejus.*
18 *Privilegia Casinensium deputandi Monachos ad Curam Animarum in Ecclesiis sibi pleno Jure subjectis.*
19 *Beneficia unita, ac de Mensa Monasterii non subjacent Regulæ Canc. Apostolicæ reservatoriæ Mensium.*
20 *Unio Ecclesiæ probatur ex ejus collatione facta in Mensibus reservatis.*
21 *Expectativæ non capiebat Beneficia de Mensa Monasteriorum.*
22 *Visitationes Ecclesiæ factæ per Abbatem probant, eam esse de Mensa sui Monasterii.*
23 *Parochialis de Corliano Veronæ est de Mensa Monasterii S. Nazarii.*
24 *Determinatio respiciens plura determinabilia, ea pariformiter determinare debet.*
25 *Plures res sub eadem dispositione contentæ non debent diverso jure reputari.*
26 *Quindenniorum solutio probat Unionem Ecclesiarum, pro quibus solvuntur.*
27 *Redditus olim assignati Ecclesiæ à Monasterio, non tollunt ejus Mensalitatem.*
28 *Collationis nomen significat etiam Electionem, Nominationem, & Præsentationem ad beneficium.*
29 *Concursus jam facti de Parochiali unita an faciant Jus pro Episcopo?*
30 *Concursus prædicti sunt nullius valoris ob decreta irritantia Constitutionum B. Pii V. & Sixti V.*
31 *Papa conferendo beneficia unita Monasterio non intendit præjudicare eorum Unioni, ac Mensalitati.*
32 *Sententia lata contra tenorem legis Pontificiæ est ipso Jure nulla.*
33 *Præscriptio non datur contra reclamantes, & se opponentes.*
34 *Præscriptio contra Monasteria Congregationis Casinensis non datur, nisi centenaria.*
35 *Episcopi non debent esse faciles in movendis litigiis.*

Veronen. Provisio Parochialis S. Felicitatis facienda ad nominationem Abbatis S. Nazarii absque concursu.

Beneficium curatum S. Felicitatis Veronæ, quod est membrum, ac de Mensa Monasterii S. Nazarii ejusdem Civitatis, Congregationis Casinensis, ac
1 eidem Monasterio pleno jure subjectum, ac unitum, non est providendum ab Episcopo per concursum ordinatum à Concilio Tridentino *sess.* 24. *de ref. cap.* 18. sed ad liberam nominationem, & præsentationem Parochi, faciendam per Abbatem, & Monachos prædicti Monasterii; siquidem Tridentinum Concilium loquitur de beneficiis sæcularibus tantùm, ut in puncto declaravit Sixtus V. *Anno* 1588. *in sua Constitu-*
2 *tione* 229. Incipien. *Ex injuncto, &c.* & existen. in Bullario Casinensi *tom.* 1. *pag.* 249. non autem de Parochialibus, quæ sunt membra, subjecta, unita, ac de Mensa Monasteriorum ejusdem Casinensis Congregationis; in his enim Episcopi habent solum Jus examinandi, & approbandi Parochum præsentatum ab Abbate absque concursu, tùm ex dicta Constitutione
3 Sixti V. tùm ex antecedenti *Bulla* 47. B. Pii V. *de anno* 1567. Incipien. *Ad Exequendum*, quæ est in Bullario Romano *tom.* 2 *pag.* 183. ut notant omnes Beneficialistæ, inter quos Garzias *part.* 9. *cap.* 2. *num.* 289. Gonzalez *ad Reg.* 9. *Cancellariæ gloss.* 5. §. 3. *num.* 53. Loterius *lib.* 2. *q* 31. *num.* 25. Tondut *tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 3. §. 9. *num.* 17. & 18. Novissimè Emin. Card. de Luca *in Annot. ad Concil. Trid. disc.* 32. *num.* 33. & in tractatu *de Parochis disc.* 11. *per totum*; ubi sub *num.* 4. allegat Rotam Romanam, quæ centies, & ultrà ita judicavit.

Et quoniam, quando versamur in antiquis, & deficiunt Instrumenta Unionis, subjectionis, ac men-
4 salitatis beneficii; eadem Unio, subjectio, & Mensalitas probari potest per conjecturas, & præsumptiones, ut docet Turricelles *de Unione cap.* 11. *num.* 38. & ibi Cavalerius *decis.* 599. *num.* 5. Merlinus *decis.* 625. *num.* 2 Dunozettus *decis.* 911. *num.* 3. & Rota *decis.* 102. *part.* 1. *decis.* 153. *part.* 2. & *decis.* 48. *num.* 5. *part.* 10. *recent.* Idcircò in præsenti casu Monasterium S. Nazarii, (cujus ferè omnes scripturæ periere ab anno millesimo citrà, ingruentibus bellis, quæ Urbem Veronensem tunc afflixerunt,) prædictam Unionem, subjectionem, ac Mensalitatem Ecclesiæ S. Felicitatis concludenter justificat, & comprobat sequentibus signis, conjecturis, ac argumentis.

Primò ex Privilegio Adriani Papæ Quarti, qui *de Anno* 1158. suscepit sub protectione Sedis Apostolicæ ipsum Monasterium S. Nazarii, ac ejus bona,
5 & Ecclesias, quæ tunc possidebat; illa, & illas propriis exprimendo vocabulis, & quo ad beneficia, quæ erant unita, ac de Mensa ejusdem Monasterii, inter cætera ibi expressa, nominat Summus Pontifex *Ecclesiam S. Felicitatis cum pertinentiis suis*. Ex his verbis quatuor favorabilia resultant pro Abbate, ac Monasterio S. Nazarii; *Primum* est, quod tunc temporis Ecclesia S. Felicitatis erat in dominio, ac pos-

sessione

fessione ejusdem Monasterii. Rota apud Tamburin.
6 *de Jur. Abb. tom. 3. decis. 70. num. 22. & 23. Secundum* est, quod per illa verba *cum pertinentiis suis*, denotatur, eandem Ecclesiam S. Felicitatis tunc fuisse Parochialem, & curatam, ut docet Innocentius *in cap. Cum ad se. num. 2. Vers. Et dic, quod pertinentiarum nomen. De Restit. Spoliat.* quem allegat, & approbat Rota Romana *decis. 49. num. 4. part. 15. recent. Tertium* est, quod per prædicta verba Adriani IV. censetur probata sufficienter Unio, & incorporatio, prædictæ Ecclesiæ S. Felicitatis Mensæ ipsius Monasterii S. Nazarii, ut scribit Rota coram Sera-
7 phino *decis. 1304. in fine*, & coram Buratto *decis. 93. num. 1.* ubi sic: *Confirmationes Summorum Pontificum videntur sufficere ad hoc, ut Ecclesia dicatur spectare pleno Jure ad Monasterium juxta Glossam in Clem. 1. §. Quidam etiam. in Verbo Ad Mensam Vers. Istud autem. De Excessib. Prælat. quam sequuntur ibi Cardinalis in §. Præsentatos. q. 5. num. 4. Abbas in cap. De Monachis sub num. 9. de Præbend. & Jo. de Anania in cap. Ut super. num. 3. ubi Imola sub num. 8. De Rebus Ecclesiæ non alienan.* Concordat Rota *part. 4. recent. Decis. 37. num. 6.* ita dicens: *Concurrit cum omnibus supradictis receptio facta ab Honorio III. sub sua, & Sedis Apostolicæ protectione de Præpositura Liletti cum omnibus bonis suis, quæ tunc possidebat: & in specie cum Ecclesia de Osseia; & hæc enunciativa multùm facit in probanda Unione;* & citat alias Decisiones Rotales idem dicentes. *Quartum* favorabile est, quod expressio ejusdem Ecclesiæ S. Felicitatis facta à Papa Adriano IV. inter alia bona Monasterii S. Nazarii producit justum titulum,
8 quo Monasterium ipsum potuit præscribere, & juridicè præscripsit dominium, subjectionem, & incorporationem prædictæ Parochialis S. Felicitatis, ut benè demonstrat Fagnanus *in cap. Si quis. num. 23. de Confirm. utili, vel inutili. tom. 3.* Igitur ex enunciativa Adriani IV. quod Ecclesia S. Felicitatis *Anno* 1158. existeret inter bona Monasterii S. Nazarii cum pertinentiis suis, deducitur; eam usque tunc fuisse Parochialem, unitam, incorporatam, ac de Mensa ejusdem Monasterii; cui resultat justus titulus præscriptionis, possessionis, ac dominii ejusdem Ecclesiæ, quam propterea Episcopus Veronen. non potest mittere ad concursum; cum sit Ecclesia Regularis, unita, & incorporata per tot sæcula præfato Monasterio; cujus Abbati competit nominatio, ac præsentatio Curati ad illam juxta Constitutiones supra relatas B. Pii V. ac Sixti V.

Secundò probatur Unio, incorporatio, ac Mensalitas ejusdem Parochialis S. Felicitatis ex ejus consecratione facta *de Anno* 1202. per Episcopum Vero-
9 nensem ad petitionem, & instantiam Abbatis Monasterii S. Nazarii; qui, ut legitur in Instrumento dictæ consecrationis, Episcopum *rogavit, ut velit consecrare Ecclesiam S. Felicitatis de Civitate Veronæ, Capellam supradicti Monasterii, &c.* Qui Dominus Episcopus, *præsente supradicto Domino Abbate, & administrante, consecravit supradictam Ecclesiam S. Felicitatis.* Ex quibus verbis enunciativis duæ resultant præsumptiones concludentes, ipsam Ecclesiam S. Felicitatis tunc fuisse Parochialem, & de Mensa ejusdem Monasterii. *Una* est, quia dicta Ecclesia nomi-
10 natur Capella supradicti Monasterii S. Nazarii; & de Jure per talem nominationem denotatur, quod ipsa Capella sit Ecclesia Parochialis, & quod sit unita, subjecta, & de mensa Monasterii, ut advertit Abbas *in cap. Exposuisti num. 6. de Præbend.* quem allegat, & sequitur Fagnanus *in eod. cap. Exposuisti num. 3. Altera* est, quia Episcopus Veronen. consecravit eamdem Ecclesiam S. Felicitatis non ad libitum suum, aut ex propria auctoritate; sed ad instantiam, & petitionem Abbatis S. Nazarii, ea ratione quia Episcopi non possunt consecrare Ecclesias, quæ sunt de Jure
11 Congregationis Casinensis, nisi volentibus, petentibus, & instantibus Abbatibus ejusdem Congregationis, juxta Privilegia sibi per Summos Pontifices concessa, & in puncto per Eugenium Papam III. *Anno* 1145. ut legitur in ejus Constitutione 169. quæ est impressa in *Bullar. Casinen. tom. 2. pag. 165.* ubi *num. 8.* ita præcipit: *Item nullus Episcopus audeat consecrare aliquam Ecclesiam, quæ Juris vestri Monasterii esse decernitur sine licentia, & invitatione Abbatum Monasterii, &c.* Igitur apparet ex eadem consecratione facta ad petitionem, & requisitionem Abbatis, & quod Ecclesia S. Felicitatis erat Parochialis, & quod erat de Jure, & de Mensa Monasterii S. Nazarii usque de dicto *Anno* 1202.

Tertiò justificata remanet eadem Mensalitas Ecclesiæ S. Felicitatis, & quod sit pleno Jure subjecta, ac unita Monasterio S. Nazarii, ex institutione in eadem Ecclesia, quam fecit Abbas ipsius Monasterii *Anno* 1285. de persona Reverendi Presbyteri Brunifortis; nec non de destitutione ejusdem Brunifortis ab ipsomet Abbate facta *Anno* 1290. quandoquidem certa, ac indubitata est doctrina omnium Canonistarum, quod
12 Abbates, ac Prælati inferiores habent institutionem, & destitutionem in illis Ecclesiis, quæ sunt unitæ, ac pleno Jure suis Monasteriis subjectæ; itaut ubi reperitur existere hoc Jus instituendi, & destituendi; ibi dicatur esse Ecclesiæ Unio, ac pleno Jure, idest in spiritualibus, ac temporalibus, Monasterio subjectio. Abbas *in cap. Quoniam num. 3. de Privileg.* Glossa *in cap. Abbates. Verb. Pleno Jure. eod. tit. in 6.* Barbosa *de Off. & pot. Episc. alleg. 72. num. 188.* Tamburinus *de Jure Abb. tom. 3. disp. 9. quæst. 22. num. 2.* ubi ita firmat: *Ecclesiæ, ac Capellæ dicuntur Abbatibus pleno Jure subjectæ, quando Episcopi in eis nullum Jus Episcopale exercent; sed tota Jurisdictio ad eos Abbates pertinet; & possunt in eis beneficiarios instituere, ac destituere:* quod docet etiam Murga *de Parocho part. 4. Quæst. 1. sect. 4. num. 16. & 18.* & repetit novissimè Fagnanus *in cap. Quanto. num. 45. De Translat. Episc. tom. 2.* Cum igitur Abbas
13 S. Nazarii usque *de Anno* 1285. *&* 1290. haberet Jus instituendi, ac destituendi Presbyteros in ipsa Ecclesia S. Felicitatis; nemo amator veritatis, ac justitiæ negare potest, eam tunc fuisse, & nunc pariter esse unitam, ac pleno Jure subjectam prædicto Monasterio; quod etiam confessus fuit idem Presbyter Brunusfortis *Anno* 1292. qui cum repugnasset prædictæ sui ipsius destitutioni, & ob contumaciam, & resistentiam fuisset ab Abbate excommunicatus; & in gradu appellationis condemnatus, & obligatus fuerit, obedire ipsi Abbati; se removit à lite, & absolutionem ab Excommunicatione petiit, *dicens, & protestans, dictam Ecclesiam S. Felicitatis nulli alii pertinere, seu suppositam esse, nisi prænominato Domino Abbati, & Monasterio ejusdem*, ut legitur in prædicta remotione. Imò ex eadem excommunicatione, ac absolutione Abbatiali tantò magis stabilitur subjectio ejusdem Ec-
14 clesiæ; cujus respectu Presbyter Brunusfortis factus erat subditus ipsius Abbatis, qui tanquam sibi subditum ratione ejusdem Ecclesiæ potuit illum excommunicare. Suarez *de Censuris disp. 2. sect. 2. num. 8.* Giballinus *eodem tract. disquisit. 3. q. 3.* & Emanuel Gonzalez *in Comment. ad Cap. Cum in Ecclesiis. num. 5. de Majorit. & obed. tom. 1.*

Quartò convalidant eamdem subjectionem, Mensalitatem, ac Unionem Ecclesiæ S. Felicitatis ipsius collationes antiquitùs factæ ab Abbatibus, & Monachis prædicti Monasterii S. Nazarii, videlicèt *de Anno* 1448. R. P. Pelagio Monacho; *de Anno* 1558. R. P. Bernardo de Parentibus; item *dicto Anno* 1458. R. D. Nicolao de Luca; *de Anno* 1510. R. D. Angelo de Mapheis; *de Anno* 1544. R. P. D. Paulo de Parma Monacho; *& Anno* 1634. R. D. Antonio de Balcianellis; est enim constans Canonistarum doctrina, ca-
15 nonizata per innumeras Decisiones Rotæ Romanæ, quod collationes antiquæ factæ per Abbates, ac Monachos

Digitized by Google

nachos de aliquo beneficio, probant illud esse subjectum pleno Jure, unitum, ac de Mensa Monasterii, potissimùm si Episcopus Diæcesanus nunquam se immiscuit in conferendo, & nullam ostendit collationem à se antiquitùs factam; prout in præsenti casu S. Felicitatis; circa quam Episcopi Veronenses per omnia sæcula ante Tridentinum Concilium transacta penitùs se abstinuerunt à quocunque actu collationis: hac utique de causa, quia sciebant, eam esse Ecclesiam Regularem, unitam, ac de Mensa Monasterii S. Nazarii; ut vigore prædictarum Collationum Abbatialium pluries decidit Rota; præcipuè *part.* 1. *recent. decis.* 626. *num.* 5. *part.* 10. *decis.* 152. *num.* 5. *&* 6. & *part.* 11. *decis.* 305. *num.* 15. eadem Rota coram Bichio *Decis.* 336. *num.* 4. & coram Othobono *Decis.* 125. *num.* 4. *&* 5. ubi plurimæ aliæ concordantes allegantur; quæ ulteriùs advertunt, nihil obesse Monasterio,
16 quod non ostendat suas collationes continuatas perpetuis temporibus, quia sufficiunt aliquæ, si sunt antiquæ; nam aliæ præsumuntur deperditæ ob bellicos tumultus, & decursiones militum, quæ fuerunt post decimum sæculum in tota Italia; ut notat eadem Rota *part.* 1. *divers. decis.* 282. *num.* 1. *&* 2. *part.* 7. *recent. decis.* 254. *num.* 6. *part.* 9. *decis.* 330. *num.* 12. *tom.* 2. & coram Card. Seraphino *decis.* 1334. *num.* 3. coram Buratto *decis.* 172. *num.* 10. & coram Bichio *d. decis.* 336. *num.* 5.

Quintò augetur probatio prædictæ Unionis, & Mensalitatis Ecclesiæ S. Felicitatis ex eo, quia nonnullæ collationes ejusdem Ecclesiæ supra relatæ factæ fuerunt in personas Monachorum, prout legitur in illa *de Anno* 1448. & in illa *de Anno* 1544. ex quibus quidem collationibus resultat, eamdem Ec-
17 clesiam S. Felicitatis spectare pleno Jure ad Monasterium S. Nazarii; nam Congregationi Casinensi per specialia Privilegia indultum, & concessum est à diversis Summis Pontificibus, ut in Ecclesiis Parochialibus, quæ sunt pleno Jure subjectæ suis Monasteriis possint in eis Monachi deputari ad Curam animarum exercendam ad nutum Abbatum eorumdem Monaste-
18 riorum; prout legitur in Privilegio Urbani II. *de Anno* 1092. Innocentii III. *de Anno* 1203. Honorii III. *de Anno* 1218. Gregorii Noni *de Anno* 1236. & Innocentii VIII. *de Anno* 1486. quæ Privilegia habentur *in tom.* 1. *Bullarii Casinensis Constit.* 8. 22. 25. *&* 30. *num.* 12. nec non *Constit.* 100. quorum Privilegiorum concessionem laudavit S. Congregatio *de Anno* 1593. ut in eodem Bullario *tom.* 1. *Const.* 243. ac ibidem ipsam confirmavit Urbanus VIII. *Anno* 1638. *Constit.* 318. Idcircò cum sit licitum Abbatibus Casinensibus deputare ad Curam animarum exercendam etiam Monachos in Ecclesiis sibi unitis, ac pleno Jure subjectis; & appareat, Abbatem S. Nazarii de Verona non semel deputasse Monachos ad regimen Parochialis Ecclesiæ S. Felicitatis; ex hac deputatione resultat concludens probatio, quod ipsa Ecclesia S. Felicitatis olim fuerit, & nunc pariter sit unita, ac subjecta pleno Jure eidem Abbati, ac suo Monasterio S. Nazarii; & per consequens, Parochum non esse eligendum ab Episcopo per concursum, sed nominandum fore, ac præsentandum ab Abbate.

Sextò; confirmatur etiam prædicta Unio, subjectio, & Mensalitas Ecclesiæ S. Felicitatis ob easdem collationes Abbatiales, tanquam factas, ut plurimùm, in Mensibus Sedi Apostolicæ reservatis. Ratio est, quia beneficia Unita mensæ Monasteriorum, ac
19 eis pleno Jure subjecta, non cadunt sub reservatione Mensium Sedi Apostolicæ reservatorum, ut docent Layman *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 9. *num.* 5. Murga *de Parocho part.* 4. *q.* 8. *sect.* 1. *num.* 4. Gonzalez *ad Reg.* 9. *Cancellariæ glos.* 5. *§.* 7. *num.* 33. *&* 37. & Rota coram Buratto *decis.* 926. *num.* 1. Quapropter quando reperiuntur collationes Ecclesiarum factæ ab Ab-
20 batibus in Mensibus reservatis, infertur ex ijsdem collationibus Ecclesias illas esse de Mensa suorum Monasteriorum, ipsisque unitas, ac pleno Jure subjectas, ut pluries respondit Rota Romana; & signanter *part.* 1. *recent. decis.* 626. *num.* 6. atque *part.* 11. *decis.* 305. *num.* 16.

Septimò: Sed inter omnes probationes manifestissima, pro prædicta Unione, ac Mensalitate Ecclesiæ S. Felicitatis, est illa, quæ resultat ex litigio habito per Abbatem S. Nazarii *Anno* 1545. contra Presbyterum Antonium de Londra; qui vigore Expectativæ eidem concessæ pro primo beneficio vacaturo per Paulum Papam Tertium, acceptaverat Ecclesiam S. Felicitatis vacantem per mortem R. Philiberti ultimi Rectoris, *&* *die* 10. *Julii* 1545. obtinuerat etiam ejus Possessum Temporalem per litteras Ducales Excellentissimi Senatus Veneti, præsentatas Potestati Veronæ. Impugnavit Abbas Monasterii S. Nazarii tùm prædictam Expectativam Apostolicam, tùm Ducales Litteras Possessus Temporalis eâ fortissimâ ra-
21 tione, quod Gratiæ Expectativæ non comprehendebant beneficia Unita Monasteriis, ijsdemque pleno Jure subjecta, qualis erat Ecclesia S. Felicitatis juxta doctrinam Gasparis de Perusio, Æneæ de Falconibus, ac Petri Rebuffi, qui tunc erant insignes beneficialistæ, & quos citat, & sequitur Gonzalez *ad d. Reg.* 9. *Cancellariæ Gloss.* 5. *§.* 7. *num.* 38. ita docentes. Hac veritate devictus ipse Presbyter Antonius de Londra spontè cessit, ac se removit à Lite in Actis publici Notarii *die* 7. *Decembris* 1545. fatendo, ipsam Ecclesiam S. Felicitatis spectare ad liberam dispositionem ipsius D. Abbatis, ac Monachorum Monasterii S. Nazarii; quæ quidem cessio, & remotio mirabiliter operatur in præsenti pro veritate antedictæ Unionis, & Mensalitatis.

Octavò: Concurrunt ad eamdem Unionem, & Mensalitatem Ecclesiæ S. Felicitatis concludentissimè demonstrandam Visitationes plurimæ factæ per Abbates Monasterii S. Nazarii de eadem Ecclesia *ab anno* 1536. citrà; excluso penitùs Episcopo Veronensi; & cum expressione in omnibus prædictis Visitationibus, quod eadem Ecclesia pleno Jure spectat, & pertinet ad ipsum Abbatem, & Monasterium S. Na-
22 zarii; & has Visitationes esse probationes validissimas ejusdem Unionis, Subjectionis, & Mensalitatis advertit Turricelles *de Unione cap.* 11. *num.* 96. *&* 97. & frequenter pronunciavit Rota Romana, & præcipuè *in part.* 10. *recent. decis.* 152. *num.* 9. ubi ita loquitur: *Tertiò faciunt Visitationes factæ ab Abbatibus Monasterii de anno* 1560. *&* 1562. *cum assertione, quod hujusmodi Ecclesiæ collatio, provisio, & Visitatio ad Abbatem, & Monasterium spectat; quæ Unionem, & subjectionem denotant. cap. Conquerente. ibique Glossa, & DD. de Offic. Ordinarii. Gregorius XV. in decis.* 4. *num.* 4. *&* 18. Burattus *decis.* 504. *num.* 1. Rota *inter recent. decis.* 724. *sub num.* 3. *Vers. Visitatio part.* 2. *Præsertim, quia pro parte Ordinarii per Lapsum* 30. *& ampliùs annorum nulla datur Visitatio facta de hoc beneficio tanquam separato, & independenti à Monasterio.* Hucusque Rota, quæ si tantam Vim habere voluit Visitationes Abbatiales, eo quia Episcopus per lapsum 30. annorum, & ampliùs Ecclesiam controversam non visitaverat; quanto majorem efficaciam, & energiam habere debent Visitationes Abbatis S. Nazarii ad probandam subjectionem, & omnimodam dependentiam à suo Monasterio Ecclesiæ S. Felicitatis; cum illam per omnia transacta Sæcula ante Tridentinum Concilium Episcopi Veronenses nunquam visitaverint?

Nonò: Apparet etiam evidenter, quod prædicta Ecclesia Sanctæ Felicitatis sit unita, ac incorporata eidem Monasterio Sancti Nazarii ex subjectione, unione, & incorporatione aliarum Ecclesiarum nominatarum unà cum ipsa in antedicto Privilegio
23 Adriani Papæ IV. & præcipuè Parochialis Ecclesiæ de Corliano, cujus Parochus semper fuit electus ab Abbate, & in præsenti absque ulla contradictione

Digitized by Google

eligitur ab eodem Abbate, atque præsentatur Episcopo Veronensi, à quo statim ad illam curam exercendam approbatur. Idcircò cum ex tenore Privilegii Adriani IV. appareat, omnes Ecclesias ibi nominatas esse ejusdem naturæ, ac qualitatis; & non possit Curia Episcopalis Veronensis negare, quod Parochialis de Corliano sit subjecta, unita, ac de mensa Monasterii S. Nazarii, tenetur etiam fateri, Ecclesiam S. Felicitatis esse similiter subjectam, unitam, & de Mensa ejusdem Monasterii vigore ejusdem Privilegii
24 Adriani IV. attenta Regula, quod una determinatio respiciens plura determinabilia debet ea pariformiter determinare. *l. Nam hoc jure. & l. Lucius ff. de Vulgar & & pupill. Subsitit.* Menochius *conf.* 88. *num* 19. Gratian. *Discept. For. cap.* 70. *num.* 39. & Barbosa alios DD. cumulans in *Axiom.* 69. *num.* 6. Esset enim magnum absurdum asserere, quod prædictæ Ecclesiæ ab Adriano IV. unica periodo nominatæ differrent inter se, & essent diversi Juris, aliæ scilicèt Re-
25 gulares, & aliæ Sæculares; aliæ de Mensa Monasterii, & aliæ non: siquidem plures res sub eadem dispositione contentæ non debent diverso Jure censeri. *l. Eum qui ædes. ff. de Usucap.* Mantua *conf.* 192. *num.* 11. Card. Tuscus *Litt.* D. *conclus.* 518. *num.* 1. & Barbosa *Axiom.* 74. *num.* 4.

Decimò, & Ultimò: Fulcitur hæc Veritas solutione Quindenniorum, quam facit Monasterium S. Nazarii Cameræ Apostolicæ pro beneficiis sibi unitis, ac pleno Jure subjectis; inter quæ (ut loquitur Bulla Adriani IV.) extat Ecclesia S. Felicitatis. Quinden-
26 niorum solutio facit concludentem, & irrefragabilem probationem, quod beneficia, pro quibus fit ipsa solutio, sint de Mensa Monasterii solventis; ac eidem sint pleno Jure incorporata, annexa, & unita. Ita docent Amygdenus *de Stylo Datariæ lib.* 1. *cap.* 18. §. 4. per totum. Massobrius *in Praxi habendi concurs. Prælud.* 12. *num.* 3. Rota *part.* 4. *recent. Decis.* 340. *num.* 5. & post Tondut. *in tract. de Pensionib. decis.* 40. *num.* 9. Quare absque offensione Justitiæ, ac detrimento conscientiæ impugnari non potest hæc patentissima Veritas, tot probationibus demonstrata, quod Ecclesia Sanctæ Felicitatis est pleno Jure subjecta, ac Unita Monasterio S. Nazarii; & per consequens, quod non est providenda per concursum ab Episcopo Veronensi, sed ad liberam nominationem Abbatis, ejusque Monasterii, juxta tenorem Bullarum B. Pii Quinti, ac Sixti Papæ Quinti, de quibus mentio facta est in principio; atque Constitutionis Urbani Octavi *de Anno* 1638. quæ est *in Bullar. Casinen. tom.* 1. *pag.* 326.

Neque antedictam Mensalitatem, ac Unionem Ecclesiæ S. Felicitatis subvertere possunt objecta solita decantari per ministros Curiarum Episcopalium, ut suadeant Episcopis faciendum esse concursum; & sibi tribuendam fore Parochi electionem.

Non primum, quod si Ecclesia prædicta esset de Mensa Monasterii S. Nazarii, ab eo solveretur congrua portio: cum è contra Parochus ejusdem Ecclesiæ habeat redditus annuos, quos independenter à Monasterio colligit ex bonis stabilibus propriis ejusdem Ecclesiæ S. Felicitatis. Nam hoc objectum pluries examinatum fuit, ac rejectum à Rota Romana,
27 quia salva remanente unione, atque subjectione Ecclesiæ, antiquitùs fuerunt assignata bona stabilia ipsi Ecclesiæ S. Felicitatis, ut ex eorum fructibus Parochus viveret; prout factum videmus per totam Italiam; & exempla innumera habentur præcipuè Patavii, ubi Ecclesiæ S. Laurentii, S. Danielis, S. Bartholomæi, S. Nicolai; nec non Villarum Maseratæ, Voltæ de Brusegana, & aliæ multæ, quamvis de Mensa, ac unitæ variis Monasteriis habentibus liberam nominationem Parochorum sine concursu, assignarunt ab antiquo bona stabilia iisdem Parochis, qui independenter à Monasteriis colligunt suos annuos redditus. Idcircò hæc independentia in colligendis fructibus Ecclesiarum non nocet earum Unioni, ac Subjectioni, cujus causa non fit concursus, ut pluries respondit Rota coram Crescentio *Decis.* 2. *de Decimis;* coram Mohedano *Decis.* 5. *eod. tit.* coram Cavalerio *Decis.* 595. *num.* 2. coram Merlino *Decis.* 115. *num.* 11. & aliis omissis, *part.* 4. *recent. Decis.* 37. *num.* 10. ita dicens: *Non obstat, &c. potuit enim Abbas, qui tenebatur dare Vicario congruam portionem de redditibus Parochialis juxta cap. De Monachis. De Præbend. ei assignare certam portionem, & reliquos fructus sibi reservare: vel omnes fructus Rectori dimittere, & sibi certum quid retinere.*

Secundum Objectum non obstat, quod status Ecclesiæ S. Felicitatis videatur collativus, tùm quia Abbates semper dixerunt, ejus collationem ad se spectare; tùm etiam quia eam actualiter contulerunt pro tempore: status autem collativus repugnat Unioni, ac Mensalitati. Siquidem respondetur ex doctrina
28 Canonistarum, ac ipsius Rotæ, nomen Collationis esse genericum, & comprehendere sub se electionem, nominationem, præsentationem, ac quamcunque Ecclesiæ provisionem, ut advertit Barbosa *De Appellativis Verbis in Verb. Collatio. Appellat.* 54. & ideò hujusmodi Verbum *Collationis*, nihil offendit veram mensalitatem, ac subjectionem Ecclesiæ, ejusque dependentiam à Monasterio; ut sæpè ait Rota *in recentiorib. part.* 2. *Decis.* 25. *num.* 5. *part.* 10. *Decis.* 852. *num.* 14. *part* 11. *Decis.* 305. *num.* 33. coram Bichio *Decis.* 336. *num* 16. & advertunt Gonzalez *Gloss.* 15. §. 2. *num.* 24. & Turricelles *de Unione cap.* 4. *num.* 56. & 57.

Tertium pariter objectum, quod à Ministris Curiæ Episcopalis censetur præcipuum, nihil valet; videlicèt, quod Episcopi Veronenses fecerint concursum in provisione dictæ Ecclesiæ S. Felicitatis, &
29 elegerint Parochum, cui collata fuit ipsa Ecclesia *Anno* 1608 per Papam Paulum V. *Anno* 1657. per Abbatem S. Nazarii; & *Anno* 1672. in quo Nunciatura Apostolica Venetiarum judicavit, ac sententiavit, faciendum esse Concursum; ideò saltem in judicio possessorio videtur manutenendus Episcopus Veronensis in possessione, vel quasi faciendi concursum; imò censetur præscripsisse hoc Jus, & habere completam præscriptionem pro eodem concursu faciendo.

Respondetur enim; eosdem Concursus factos per Curiam Episcopalem Veronensem nullius esse roboris, vel momenti, cum facti sint contra tenorem Constitutionum tùm B. Pii V. tùm Papæ Sixti V. habentium Decreta irritantia, quæ reddunt nullos,
30 invalidos, ac infectos ipso jure eosdem concursus, itaut neque in petitorio, neque in possessorio nullius sint momenti, ut protestantur omnes Canonistæ, & respondit centies Rota Romana; & in puncto Loterius *de Re Benefic. lib.* 2. *q.* 31. *num.* 25. Turricelles *in d. tract. de Unione cap.* 4 *num.* 56. ac Emin. Card. de Luca *in tract. de Parochis disc.* 11. *num* 4. & 5. Decisiones autem Rotales sunt plurimæ, sed quæ magistraliter elidunt concursus ab Episcopis factos, eosque nullum Jus tribuere neque in meritis causæ, neque in possessorio demonstrant, habentur *in part.* 4. *recent. Decis.* 580. *num.* 24. *tom.* 3. *in part.* 5. *Decis.* 443. *num.* 3. *tom.* 2. *in part.* 6. *Decis.* 16 *num.* 16. *In part.* 9. *Decis.* 330 *num.* 27. *tom.* 2. ac *in part.* 11. *Decis.* 305. *à num.* 30. & *seqq.* in quibus omnibus tùm DD. tùm aliæ Decisiones concordantes cumulantur.

Quo verò ad collationes Apostolicas, si quæ factæ fuerint de prædicta Ecclesia Sanctæ Felicitatis, respondetur, eas nihil obesse mensalitati, & Unio-
31 ni illius, quia Papa numquam intendit præjudicare veritati, & Juribus Monasteriorum, ut in puncto ait Rota apud Garziam *de Benefic. part.* 12. *cap.* 2. *sub num* 242. & coram Card. Seraphino *Decis.* 899. *num.* 3. & *Decis.* 1301. *num.* 2. nec non coram Buratto *Decis.* 926.

Digitized by Google

cis. 926. num. 9. & 10. ac aliis omissis, testatur eadem Rota part. 9. recent. d. Decis. 330. num. 31. quod expressè legitur in collatione ejusdem Ecclesiæ S. Felicitatis facta per Paulum Papam V. Anno 1608. Rev. Presbytero Antonio Maureto prælecto ab Episcopo Veronæ per concursum, in ea enim per Papam fuit inserta hæc clausula: *Sine præjudicio Abbatis S. Nazarii, ad quem asseritur pertinere, &c.* & idcircò cum eadem Ecclesia S. Felicitatis vacasset Anno 1634. per renunciationem ejusdem Antonii Maureti, statim Abbas S. Nazarii, non expectato concursu, eam contulit Reverendo Antonio de Balzianellis, qui eam longo tempore pacificè possedit.

Quo verò ad Sententiam Nunciaturæ Apostolicæ Venetiarum de Anno 1672. decernentem esse faciendum concursum, respondetur eam fuisse, & esse nullam, invalidam, & nullius valoris, tanquam la-
32 tam contra tenorem Bullarum B. Pii, ac Sixti V. ut in terminis scribunt Vantius *de Nullitate in Rubrica de Nullit. ex defectu Process. num.* 118. Scaccia *de Senten. & Re judic. Glossa* 14. *q.* 24. *num.* 11. & ibi Bartol. Felin. Gomez, Rogerius, & alii; & idem Scaccia *d. Glos.* 14. *q.* 30. *num.* 8. dicens, non esse opus appellatione, quia ipso Jure nulla est talis sententia; quod eò magis verificatur in nostro casu, in quo Anno 1671. Judex Metropolitanus Aquilejensis sententiaverat, Ecclesiam S. Felicitatis esse pleno Jure subjectam, ac unitam Monasterio S. Nazarii, & conferendam fore ab Abbate absque concursu.

Quo autem ad assertam Præscriptionem Juris faciendi concursus, quam innuere videtur Curia Episcopalis Veronæ, respondetur, nullam posse allegari Præscriptionem, tùm quia Abbates S. Nazarii reclamarunt contra prædictos concursus facto, & verbis, ut ex collatione Abbatiali *de Anno* 1634. & ex recursibus ad Judices Anno 1657. ex protestatione Abbatis contra concursum Anno 1670. & ex litigiis Annorum 1671. 1672. corruit enim præscriptio, ubi non
33 docetur de patientia ejus, contra quem præscribitur. Rota *part.* 11. *recent. decis.* 304. *num.* 11. & 13. Emin. Card. de Luca *in tract. de Jurisdict. disc.* 34. *num.* 30. tùm etiam quia contra Abbates, & Monasteria Congregationis Casinensis allegari non potest
34 Præscriptio nisi centenaria, juxta Pontificia, ac Imperialia Privilegia ipsius Casinensis Congregationis, de quibus in ejus Bullario potissimùm *tom.* 2. *Constit.* 182. *num.* 6. *Constit.* 231. *num.* 3. & *Constit.* 246. *num.* 7.

Ex his omnibus clarissimè patet, Ecclesiam S. Felicitatis esse pleno Jure subjectam, ac unitam Monasterio S. Nazarii; & per consequens in provisione Parochi ad illam non posse fieri concursum ab Episcopo Veronensi, qui tanquam amator justitiæ, & eximiæ professor pietatis, cavere debet ab his, qui discordias, & scissuras affectantes, contrarium conantur suadere, non absque propriæ animæ, & conscientiæ detrimento, cum doceant usurpare Jus Monasterii, ut ait textus *in cap. Visis.* 16. *q.* 2. ubi monetur Episco-
35 pus, ne sit credulus injustis eorum suasionibus, sed obediat Juri Canonico, à quo concessa est Abbati, ac Monasterio libera nominatio Sacerdotis; in qua multò magis nunc est manutenendus Abbas ob prælaudatas Constitutiones Sixti, ac B. Pii Quinti, ut advertunt etiam Macescott. *lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 44. Tondut. *tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 3. §. 9. *num.* 12. & 18. Rota post Postium *de Manutenen. Decis.* 186. quæ inter illas Merlini est *Decis.* 106. & est Decisio Magistralis confutans hujusmodi Curiarum Episcopalium prætensiones, & decernens, nequaquam fieri posse concursus; sed electionem, nominationem, ac præsentationem Parochi liberè spectare ad Abbatem.

Quare; &c.

DISCORDIA LVIII.

ARGUMENTUM.

Duo domicilia si quis habeat, putà unum urbanum, rurale alterum; & in utroque pro medietate Anni solitus sit habitare; in quocunque illorum ipse moriatur, ejus funeris emolumenta æquis portionibus sunt dividenda inter utrosque Parochos, intra quorum Parœcias sita sunt prædicta duo domicilia.

SUMMARIUM.

1 *Vicentinæ Civitatis, ac ejus Territorii laudes.*
2 *Domicilia duo si quis habeat sub diversis Parochiis, ejus funeris emolumenta quomodo dividantur?*
3 *Emolumenta in funeribus cur dari Parochis permittantur?*
4 *Vicentini Nobiles domicilia sua urbana, & ruralia æquè inhabitant.*
5 *Ratio, & æquitas naturalis facit servare æqualitatem in laboribus, & in emolumentis.*
6 *Funeralia habentis duas Parochias de jure æquè dividuntur inter utrumque Parochum.*
7 *Domicilium defuncti si se extendat in duas Parochias, cui debeantur funeralia?*
8 *Glossæ opinio prævalet opinioni alterum Doctorum.*
9 *Innocentius IV. celebris Canonista electus Papa Anno 1243.*
10 *Abbatis Panormitani doctrina de divisione funeralium.*
11 *Bonacinæ de iisdem opinio, ac aliorum DD.*
12 *Synodi Vicentinæ dispositio circa funeralium divisionem.*
13 *Synodales Constitutiones habent vim legis.*
14 *Constitutiones Episcopales an obligent post mortem Episcopi?*
15 *Synodi Vicentinæ de Anno 1689. circa funeralia declaratio.*
16 *Lex nova nihil dicens de dispositis in lege anteriori, eidem nihil censetur derogare.*
17 *Lex Episcopalis disponens aliquid contra tenorem Sacrorum Canonum est ipso Jure nulla.*
18 *Lex contra rationem naturalem lata est penitùs invalida.*
19 *Bragadeni Cardinalis Episcopi Vicentini Anno 1647. Decretum circa divisionem funeralium.*
20 *Civrani Episcopi Vicentini Anno 1667. constitutio de eorundem funeralium divisione.*
21 *Rubini Cardinalis Episcopi Vicentini de Anno 1689. alia Constitutio de eadem divisione.*

Vicentinæ Civitatis, sub Serenissimo Dominio Veneto existentis, cum pervetustam originem retulisset Franciscus Serra *in suo Synonymor. Apparatu Verb. Vicentia*, eamque esse Urbem populosam dixis-
1 set, rerumque omnium copia abundantem, subdit, Quatuor inibi notatu digna esse: *Palatium Prætoris magnificum: Pontem unius Arcus: Saxum solidum Aræ majoris in Ecclesia Divi Laurentii stupendæ longitudinis: Theatrum denique, vulgò l'Academia.* At Quintum magis admirabile videtur omisisse, Territorium nempè ejusdem Civitatis; ferax simul, & deliciosum, tanquàm à natura ornatum tùm amplâ planitie, tùm apricis collibus, testante Ferrario *in Lexico Geografico d. Verb. Vicentia*, quod *Frugiferos colles, Camposque Vicentia nutrit*; de quibus verificatur carmen illud Ovidii 11. *Metamorph. Floriferi colles, pictaque prata virent.* In utrisque ampiæ domus, crebraque à Nobilibus Vicentinis sunt fabricata Palatia; in quibus inhabitant saltem per dimidium anni, posthabitis urbanis ædibus, etsi constructis à

Digitized by Google

Palladio; tantâ magnificentiâ, ut de unaquaque earum verificari videantur encomia per antedictum Poetam decantata de habitatione Principis Planetarum: *Metam. 2.*

Regia Solis erat sublimibus alta columnis,
Clara micante auro, flammaque imitante pyropo.

Ex hoc duplici domicilio Nobilium Vicentinorum, Urbano, atque Rurali, orta est discordia inter duos Parochos in dividendis funeralibus q: Nob. Dom.
1 N. Comitis de Luschis, qui habens proprium domicilium Vicentiæ, sub Parochia S. Luciæ; ac etiam
2 in Villa Sozzani, Vicentinæ pariter Diœcesis, in ea correptus febre malignâ obiit; & in Parochiali ejusdem Villæ est sepultus; ideò Parochus S. Luciæ prætendens dimidium cereorum, ac aliarum eleemosynarum, occasione sepulturæ prædicti Comitis de Luschis, Parocho Villæ Sozzani largitarum, negavit ille, medietatem refundere; & ad tribunal Vicarii Generalis Vicentini discordiâ delatâ, super eâ ego consultus, respondi, justitiam stare pro Parochô urbano S. Luciæ; inter quem, & illum Ruralem sunt dividenda æquis portionibus lucra prædicti funeris ex quintuplici legali fundamento; videlicèt

1. Ex Naturali ratione, & æquitate.
2. Ex Sacrorum Canonum dispositione.
3. Ex doctrina Glossæ super ijsdem.
4. Ex communi opinione Doctorum.
5. Ex Constitutionibus Synodalibus Vicentinis.

Primò itaque dividenda sunt æqualiter prædicta funeralia inter Parochum Ruralem, & Urbanum, sivè mors prædictorum Nobilium Vicentinorum contingat in domicilio Urbis, vel in domicilio Ruris, ex naturali ratione, & æquitate; siquidem emolumenta
3 funeris, provenientia ex valore cereorum, & aliarum eleemosynarum, permittuntur ab Ecclesia in remunerationem laborum, quos Parochi subeunt in cura gerenda animarum, in administrandis Sacramentis habitantibus sub eorum Parochia, & in aliis officiis faciendis, quæ spectant ad munus Parochiale; ut notat Abbas *in cap. De his, 4. num. 5. de Sepultur.* Emanuel Gonzalez *in cap. Cum super. 8. num. 6. & 7. eod. tit.* Cæsar de Panimollis *decis. 5. Adnot. 4. num. 1.* novissimè Emin. Card. de Luca *in tract. de Paroch. discs 23. num. 7.* Modò Nobiles Vicentini habentes domicilia Urbana, & Ruralia, ac in ijsdem per dimidium an-
4 ni circiter respectivè habitantes, sunt Parochiani, & subjecti utrique Parocho, Urbano scilicèt, & Rurali; ac ab utroque recipiunt Sacramenta, dum reperiuntur vel rure, vel in urbe, ut tradit Menochius *cons. 398. num. 21.* & Sperellus *decis. 87. num. 10.* Igitur ubicunque contingat, eosdem Nobiles Vicentinos mori, ac ad meliorem vitam transire, eorum funeralia sunt æqualiter dividenda inter utrumque Parochum; nam uterque æquali anni tempore gerit curam animarum eorundem Nobilium, ijsdemque ministrat Sacramenta; & æqualis est obligatio utriusque Parochi in habenda cura animarum prædictorum Parochianorum, & in Sacramentis ministrandis; & per consequens æqualis debet esse divisio funeralium ob antedictam naturalem rationem, & æquitatem; quæ vult, ut
5 servetur æqualitas in emolumentis habito respectu ad æqualitatem oneris, & obligationis; est enim ipsa æqualitas objectum formale justitiæ, ut demonstrat Rebellus *in tract. de Oblig. Just. lib. 1. in Prælud. q. 1. num. 24.* & nihil est tàm consonum naturali rationi, quàm æqualitatem inter homines servare. *cap. In judicijs. De Reg. Jur. in 6. l. Cum oportet. Cod. de Bonis, quæ liber.* Peregrin. *cons. 93. num. 21. vol. 1.* Rota Romana *decis. 1. num. 14. part. 2. recent.* & Barbosa *Axiom. 16. num. 1. & 2.* ubi DD. plurimi.

Secundò hæc æqualis divisio emolumentorum inter utrumque Parochum Ruralem, & Urbanum est facienda ex Sacrorum Canonum dispositione; siquidem eam fieri præcepit, ac decrevit Bonifacius Papa Octavus *in cap. 2. de Sepultur. in 6.* his verbis: *Cum ob eo,*
6 *qui duo habet domicilia, se collocans æqualiter in utroque, in loco tertio eligitur sepultura; domiciliorum Ecclesiæ habeant inter se dividere canonicam portionem.* Hæc decretalis, & Pontificia Constitutio tangit in puncto casum Nobilium Vicentinorum habentium duo domicilia, in quibus æqualiter se collocant; horum enim funeralia dividenda sunt inter Ecclesias domiciliorum per medietatem; itaut tantùm habeat Ecclesia Urbana, quantum Ecclesia Ruralis, ex supradicta ratione; quia utraque Ecclesia est Parochialis illius defuncti, qui recipiebat Sacramenta æqualiter ab utraque, habitans æqualiter in utroque domicilio.

Tertiò confirmatur hæc divisio æqualiter facienda inter utrumque Parochum ex opinione Glossæ *in cit. cap. 2. in verb. Domicilia. De Sepultur. in 6.* quæ vult, eandem divisionem funeralium esse faciendam, si unum tantùm sit domicilium, quod se extendat in duas Paro-
7 chias; putà si constructum sit ex duabus ædibus, quarum una sit intra limites unius Parochiæ; alia verò intra limites alterius; tunc enim, quia habitantes in illo domicilio censentur subjecti utrique Parochiæ, eorum funeralia veniunt dividenda inter utramque Ecclesiam Parochialem. Ergo multò magis in casu Nobilium Vicentinorum, qui in duabus Parochiis duo tenent domicilia, facienda est æqualis divisio funeralium juxta dictam opinionem Glossæ, quæ in jure tantæ auctoritatis est, ut prævaleat contrariis opinio-
8 nibus aliorum scribentium; & cæteris Doctoribus sit præferenda, ut notat Fagnanus *in cap. Cum vos. in fin. De Offic. Ordinar.* & ante illum observaverat Calcaneus *cons. 6. num 5. & 6.*

Quartò, hæc æqualis divisio funeralium inter utrumque Parochum fulcitur communi opinione omnium Canonistarum, & Theologorum, de hoc casu scribentium; qui omnes ita faciendum esse affirmant; Innocentius (celebris inter DD. qui ad apicem Apo-
9 stolicæ Sedis elevatus fuit Anno 1243.) *in cap. 1. de Sepultur.* ubi num 3. ita loquitur; *Si Rex, Dux, vel magna persona moritur, vel sepelitur alicubi, Episcopus data pro sepultura sua debet accipere, & suam partem dare Ecclesiæ, ubi sepelitur: & de residuo debet partes facere inter Ecclesias, ubi per circulum anni percipiebat Ecclesiastica Sacramenta: isti enim Magnates non morantur in uno loco; sed circumeunt terram suam; & hoc optimè probatur infr. de Decimis, cap. Quoniam. & 12 quæst. 2. cap. Vobis. cap. Vulteranæ. & cap. sequent.* Ulteriùs idem Innocentius *in cap. De his. 4. eod. tit. de Sepult. num. 2.* subjungit: *Et si in una Ecclesia recipit Sacramenta; in alia divina Officia, etiamsi in diversis Ecclesiis pro diversis partibus anni officia audiverit, inter se divident quartam, vel tertiam Canonicam, ut supra eod. cap. 1. & 2.*

Doctrinam Innocentii confirmat, & sequitur Abbas Panormitanus Canonistarum Coriphæus *in eod. cap. 4. De Sepultur. num. 5.* his verbis: *Quærit hic In-*
10 *nocentius, quod si quis in Capella audiret divina, & in Plebe reccepit Ecclesiastica Sacramenta, cui debeatur canonica Portio? concludit, quod fiet divisio inter Capellam, & Plebem, quod satis placet per cap. 2. eod. tit. lib. 6. ubi in perceptione hujus portionis ponderantur duo, scilicèt, quod in illa Ecclesia audiverit divina, & perceperit in ista Ecclesiastica Sacramenta. Item facit textus in cap. 1. supra eod. ubi ponderatur labor, seu passio in administratione Divinorum. Cum ergo ambæ Ecclesiæ habuerint in vita ipsius passionem, & laborem; pariter debent sentire beneficium, ut sic sint sociæ consolationum, ut in d. cap. 1.* Hucusque Abbas Panormitanus expressè innuens rationem, pro servanda æqualitate inter easdem Parochiales in funeralium divisione, quando defunctus sub utraque habebat proprium domicilium.

Hanc doctrinam Abbatis amplexi sunt alii Canonistæ, quos allegat, & sequitur Philippus Francus *in d. cap. Cum quis. 2. De Sepultur. in 6.* sub *num. 1.* & inter Theologos idem docet Bonacina *tom. 2. de Contra-*

ctib.

ctib. disp. 3. quæst. 22. punct. 2. num. 1. Vers. Ego tamen:
ubi differens de hac discordia, quæ facilis, ac fami-
11 liaris est in quacunque Diæcesi, de ea sic fatur: *Ego
tamen probabilius censeo, dimidiam quartam deberi Ec-
clesiæ illius Parochiæ, in qua mortuus est, dum tumu-
landus transfertur ad aliam Parochiam, in qua æqua-
lem habebat habitationem; ut si in una habitabat hye-
me, in altera æstate &c.* concludens post plura, quod
quotiescunque quis habet duo domicilia sub duabus di-
versis Parochiis, funeralia sunt semper dividenda
æqualiter inter illas. Bonacinæ pariter opinionem
laudat Nicolius *in Institut. Civilib. lib. 4. tit. 15. sub
num. 26.* Et eandem pluribus rationibus confirmat Ja-
cobus Mancinus *in tract. de Quarta funerali dub. 17.*
ubi inter cæteros casus requirentes divisionem funera-
lium inter plures Parochos, considerat istum duorum
domiciliorum, quæ defunctus tenebat in duabus Pa-
rochiis; & in ijsdem pro medietate Anni solitus erat
respectivè habitare: nam ubicunq; moriatur, sivè in uno,
sivè in altero domicilio, emolumenta funeris inter utrum-
que Parochum sunt æqualiter dividenda. Tandem præ-
dictis omnibus adhæret etiam Antonellus *de Regim.
Milit. Eccl. lib. 1. cap. 12. num. 39.* his verbis: *Si quis au-
tem haberet duo domicilia, se collocans æqualiter in utro-
que; & in loco tertio eligeret sepulturam, Ecclesiæ, in
quibus habebat domicilia, inter se dividere debent ca-
nonicam portionem. cap. Cum quis. De Sepultur. in 6.*

Quinto pariter id probatur Constitutionibus Syno-
dalibus Vicentinis, quæ ita servari præcipiunt, tùm
sub Eminentissimo Cardinali Bragadeno Episcopo Vi-
centiæ *Anno 1647. tit. de Exequiis, & Funeralibus
cap. 8.* tùm etiam sub Illustrissimo, ac Reverendis-
simo Episcopo Civrano *Anno 1667. sub eod. tit. &
12 cap. 8.* ubi inter cætera ita statuit: *Habens autem do-
micilium Rurale, & Urbanum, ubicunque* (Parochia-
nus) *mortuus fuerit, Parochus uterque Ruralis, & Ur-
banus dividant inter se æquis portionibus funeralia.*
Ecce lex manifesta, & clara, quæ obligat omnes Pa-
rochos Vicentinos urbanos, & rurales ad hanc divisio-
nem funeralium inter se faciendam; certum est enim,
13 quod Episcopus habet auctoritatem condendi leges
obligantes in tota sua Diæcesi; & quod ad earum ob-
servantiam omnes de Diæcesi tenentur, ut scribunt
Canonistæ *in Rubrica de Constitut. & in cap. Cum om-
nes. & in cap. Cum accessissent. eod. tit.* & docent
etiam Theologi, inter quos Suarez *de Legib. lib. 4.
cap. 4. num. 2.* Bonacina *eod. tract. disp. 1. quæst. 1. punct.
3. num. 21.* & latè demonstrat Baldellus *in Theolog.
Mor. lib. 5. disp. 5. num. 13. & 14.* quibus novissimè con-
sonat Pax Jordanus Episcopus Traguriensis (sed ori-
gine Vicentinus) in suis Elucubrationibus *tom. 2. lib.
8. tit. 1. à num. 2. & seqq.*

Neque valeret objectio, si quis diceret, prædictos
Antistites Vicentinos Bragadenum, & Civranum es-
se mortuos, & post eorum obitum, prædictas Consti-
14 tutiones, ac leges per eos latas non videri ampliùs ha-
bere vim obligandi. Nam respondet idem Pax Jor-
danus *in cit. lib. 8. tit. 1. num. 43.* quod Constitutiones
Synodales Episcoporum non expirant eorum morte,
vel amotione, quando fuerunt publicatæ in Synodo;
quia transierunt in vim Canonis, & assumpserunt na-
turam, & vim legis perpetuæ, juxta Glossam *in cap.
fin. de Offic. Legati;* idemque notant Barbosa *de Offic.
& Pot. Episc. allegat. 93. num. 24.* Zerola *in Praxi part.
2. verb. Edicta.* & Ugolin. *de Pot. Episc. cap. 47. §. fin.
in princ.*

Minùs officere potest, si objiciatur posterior, &
ultima Constitutio Synodalis Vicentina sub Eminen-
tissimo Cardinali Rubino Episcopo, sub *Tit. de Se-
pultur. & Exequiis num. 10* quæ videtur concedere
canonicam portionem, idest medietatem funeralium
Parocho Civitatis, si ejus Parochianus moriatur ru-
15 re; non etiam Parocho Rurali, nisi quando defunctus
habens domicilium rure, non habet domicilium in
Civitate; ex qua sequitur, quod si illud habeat etiam
in Civitate, & in ea moriatur, nihil debeatur Paro-
cho rurali ex ejus funere. Quia responderetur, hanc
Constitutionem Rubinam decernere quidem, quod
Parocho Civitatis detur canonica portio, si defun-
ctus habens domicilium in Civitate, ac etiam Rure,
objerit in domicilio Rurali; sed per hoc eandem Con-
stitutionem non prohibere, quod si habens domicilium
Rure moriatur in domicilio Civitatis, detur canonica
portio etiam Parocho Rurali, sub cujus Parochia per
medietatem anni habitabat; quia cum in tali casu ni-
hil disponat, remanet in suo vigore Constitutio Sy-
nodalis Civrana expresse præcipiens, quod *habens do-
micilium Rurale, & Urbanum, ubicunque mortuus
fuerit, Parochus uterque Ruralis, & Urbanus divi-
dant inter se æquis portionibus funeralia.* Siquidem
certissimum est in jure, quod Lex nova superveniens
16 in materia disposita per Leges antiquas, quamvis
generaliter loquatur, tamen intelligenda est juxta di-
spositionem, ac distinctionem legum antiquarum, ut
latè probat Fagnanus, qui alios DD. cumulat in
*cap. Tuæ Litteræ. num 25. de Clericis per saltum
promot.* nec non *in cap. Cæterùm. num. 80. de Re-
script.* atque *in cap. Aqua. num. 16. De Consecrat.
Eccl. vel Altar.* Idcircò Constitutio Rubina intelli-
genda, & interpretanda est juxta id, quod fuerat con-
stitutum in anterioribus Constitutionibus Bragadenis,
& Civranis.

Præterquàm quod si demonstrari posset, Constitu-
tionem Rubinam denegare portionem canonicam Pa-
rocho Rurali, & eam totam concedere Parocho Urba-
no (quod negatur) adhuc responderi posset, Con-
stitutionem ipsam fore, & à principio fuisse in hac
17 parte nullam, & invalidam, quia disponeret contra
id, quod statutum est, & ordinatum à Jure Canonico
in cit. cap. 2. de Sepultur. in 6. est enim irrefragabilis
Juris conclusio, quod Episcopi non possunt statuere
contra jus commune; quia cum sint inferiores, non
habent potestatem in Superiorem; nec possunt tollere
jus, quod à Papa, vel à Concilio generali emanavit.
*cap. Omnia. 25. q. 1. cap. Quod super his. De Majo-
rit. & obed.* Suarez *de Legib. lib. 4. cap. 5. num. 2.*
Barbosa *de Episc. alleg. 93. num. 28.* & pluribus DD.
allegatis differit Pax Jordanus *d. lib. 8. tit. 1. num. 49.*
Maximè quia spoliaret Parochum Ruralem suâ portio-
ne canonicâ sibi debita ex justitiâ, ac ratione naturali,
18 ut probatum est supra *num. 5.* Constitutio autem con-
tra justitiam, & naturalem rationem, est ipso jure
nulla, & irrita, nulliusque valoris. Barbosa *Axiom.
136. num. 9.* & Baldellus *d. lib. 5. disp. 20. num. 2.*

Ex quibus omnibus concluditur, emolumenta funera-
lia q. Comitis de Luschis esse æqualiter dividenda in-
ter Parochum Urbanum S. Luciæ de Vicentia, & Pa-
rochum Ruralem Villæ Sozzani attento duplici domi-
cilio, quod in utraque Parochia habet, & tenet No-
bilissima Familia Lusca.

Sequuntur Constitutiones Synodales Vicentinæ
circa divisionem funeralium inter Parochos illius
Diæcesis, de quibus actum est supra.

*Constitutiones, & Decreta quondam Eminentissimi, ac
Reverendissimi Marci Antonii Cardinalis Braga-
deni Episcopi Vicentini de Anno 1647.*

De Exequiis, & Funeralibus Cap. VIII.

SI quis moriatur in una Parochia, & sepellatur in
altera, ambo Parochi stolam gerere valeant, & in
simul officium peragere. Si verò quis decesserit extra
19 suam Parochiam, tunc etiam tertius Parochus cum
stola erit admittendus; nempè is, in cujus ditione
corpus levatur: & hoc casu medietas funeralium ad
Præfectum Ecclesiæ, ubi corpus sepelitur, spectet;
aliam verò medietatem inter proprium Parochum,
& Parochum loci, ubi mortuus decessit, dividendam
esse declaramus; non obstante quacunque contraria
consue-

Digitized by Google

consuetudine, quam ad tollenda multa inconvenientia, & tanquàm irrationabiliter introductam, abolemus. Idemque servandum esse censemus, si quis ruri moriatur, & in civitate sepeliatur, vel è contra; cum æquum sit, ut Parochi Rurales eodem jure, quo Urbani utantur.

Ex Constitutionibus Cevranis de Anno 1667.

De Exequiis, & Funeralibus Cap. 8.

FUneralia dividantur ex æquo inter Parochum defuncti, & Rectorem Ecclesiæ, ubi defunctus traditur sepulturæ. Si verò contingat aliquem extra Pa-
26 rochiam domicilii, & loci, ubi mortuus est, sepeliri; tunc funeralia quoad medietatem unam spectent ad Rectorem Ecclesiæ, ubi sepelitur: & quoad aliam medietatem, dividenda sunt inter Parochum domicilii, & Parochum loci, ubi corpus effertur, prout in Prædecessoris nostri Constitutionibus servari mandatum fuit. Habens autem domicilium Rurale, & Urbanum; ubicunque mortuus fuerit, Parochus uterque Ruralis, & Urbanus dividant inter se æquis portionibus funeralia.

Ex Constitutionibus Rubinis de Anno 1699.

De Sepulturis, Exequiis, & Suffragiis num. 10.

UNusquisque sepeliatur in propria Parochia, quam dicimus, in qua quis habet domicilium, & pro majori parte anni suscipit Sacramenta. Si ruri de-
27 gens domum etiam habeat in Civitate, & quandoque inhabitet, vel conductitiam, sivè ibi moriatur, vel ruri, ibique sepeliatur, volumus Parocho civitatis deberi canonicam portionem. Si verò domum in civitate non habeat, ubicunque moriatur, eandem Parocho Rurali deberi declaramus.

DISCORDIA LIX.

ARGUMENTUM.

Obligatio celebrare faciendi unam Missam quotidianam à Testatore imposita heredi suo, prævia assignatione bonorum pro stipendio Sacerdotis, cessat, & extinguitur, si bona assignata, ac alia quæcunque ipsius Testatoris evincantur ab ejus creditoribus: itaut neque ipse Heres, neque ejusdem Heredis heredes teneantur ex propriis bonis dictam Missam celebrare facere; quamvis etiam primus Heres ignarus evictionis prædictæ præcepisset in suo Testamento ejusdem Missæ celebrationem.

SUMMARIUM.

1 *Beneficii nomine venit quæcunque actio benevola.*
2 *Testatoris affectus, ac dilectio attendenda erga vocatos in testamento.*
3 *Capellania Missæ quotidianæ ordinata à Jacobo Docto Anno 1648.*
4 *Alexander Doctus Nob. Patavinus defunctus Anno 1669.*
5 *Paula Docta Comitissa de Vicoaggere heres fratris sui in bonis liberis.*
6 *Bona relicta per Jacobum Doctum pro Missæ celebratione, ab ejus creditoribus evicta.*
7 *Onera sunt adimplenda ab illis, qui possident bona, super quibus ea sunt imposita.*
8 *Heres impugnare potest factum illud, quod impugnaret Testator, si vivus esset.*
9 *Legatum extinguitur, si pereat res, super qua erat impositum.*
10 *Capellania Missarum cessat, si evicta sint bona relicta pro stipendio Capellani.*
11 *Supposita per Testatorem si vera non sint, ejus heres non tenetur exequi illius voluntatem.*
12 *Testator præsumitur velle gravare heredem minùs quàm sit possibile.*
13 *Testatoris voluntas non est servanda, si causa emergat, quam si Testator scivisset, noluisset eam servari.*
14 *Testatoris voluntas interpretatur secundum communem hominum usum.*
15 *Testatoris voluntas est ita interpretanda, ut in ejus executione evitentur absurda.*
16 *Obligatio extinguitur, si pereant bona, super quibus erat imposita.*

CUm appellatione beneficii non solùm comprehendatur Jus percipiendi reditus, & emolumenta Ecclesiastica, prævià Canonicà institutione, sed etiam actus quicunque benevolentiæ, quo vel amici,
1 vel Sanguine conjuncti beneficantur concessione bonorum; undè ait Seneca *de Benefic. lib. 1. cap. 6. Quid est ergo beneficium? Benevola actio tribuens gaudium capientibus*: Et hæc benevolentia potissimùm exerceatur in heredum institutione; in qua, ubi difficultas emergat circa prærogativam vocatorum, recurritur ad affectionem Testatoris, pro ea decidenda, ut
2 scribit Peregrinus *de Fideicom. art. 20. num. 11.* non incongruum mihi videtur inter has Discordias de Beneficiis Ecclesiasticis inserere præsentem, quæ ex testamentis nuper emersit inter duas præcipuas Familias Nobiles Patavinas, attentà maximè obligatione Missarum, quarum causà introductum est litigium inter eas; & super quibus ego fui consultus, prout ex sequenti facti specie.

Jacobus de Doctis Nobilis Patavinus in ultimo suo Testamento *diei 22. Januarii 1648.* inter cætera ordinavit unam Capellaniam Missæ quotidianæ his ver-
3 bis: *Item comanda, che subito, subito sia perfezionato l'Altare della Chiesetta del Dolo, essistente nella sua Casa, e di tutte le cose necessarie per celebrarsi la Messa, dovendo far celebrare in detta Chiesa, & al detto Altare una Messa perpetua ogni giorno; & per tale Officiatura le assegna d'entrata tutto quello, che si caverà di Case numero sei, fatte fabricare da detto Signor Testatore, tre in Solaro, e tre à pie piano: & appresso le assegna l'affitto di altre tre Case acquistate per esso Signor Testatore dal Signor Francesco de i Zuanni poste in detta Villa del Dolo: & caso esso de i Zuanni ricuperasse le dette tre Case, il denaro di essa ricupera comanda, che sia investito, & il Prò, che si caverà, sia assegnato per elemosina di detta Messa: e se quello, che si caverà di tutte le sodette Case non bastasse per la celebratione della Messa quotidiana, sia da tutta la sua facoltà cavato tanto ogn'anno, che basti per l'effetto sodetto; essendo sua ferma intentione, che detta Messa sia quotidianamente celebrata da morto, i giorni che si potrà, per la salute dell'anima della Signora Antonia Dotta sua Madre, e di esso Signor Testatore.* Instituit deindè heredem Usufructuariam Uxorem suam; quæ considerans ferè omnia bona hereditatis Mariti esse subjecta fideicommisso; & pauca bona libera reperiri, repudiavit hereditatem, contenta repetitione suæ dotis, prout eam repetiit: quare eidem Nob. Dom. Jacobo Docto Testatori successit ab intestato Nobilis Dominus Alexander Doctus ejus Nepos ex fratre, tanquàm magis proximus, qui adeptus est tùm bona illius hereditatis ex fideicommisso Avorum ad se spectantia; tùm prædictas sex domos sitas in Villa Dauli, destinatas à Testatore, ut supra, pro dote antedictæ Capellaniæ, ac celebrationis Missæ quotidianæ.

Diem suum clausit extremum idem Nobilis Dominus

rus

nus Alexander Doctus *Anno* 1669. condito priùs solemni testamento in scriptis, in quo heredem proprietariam instituit Sororem suam Dominam Comi-
4 tissam Paulam Doctam, Uxorem Nobilis Domini Comitis Francisci Vicoaggeris; & inter alia legata ab eodem Domino Alexandro Docto Testatore relicta, ipse ordinavit celebrationem duarum Missarum quotidiè in perpetuum, pro quarum eleemosyna voluit, ut ex ejus propriis bonis dentur Ducati octoginta annui duobus Sacerdotibus, & unicuique eorum, qui eas Missas celebrabunt: deindè in aliâ periodo Testamenti præcepit celebrationem Missæ, ut antea, ordinatum à Jacobo Docto Patruo suo in Ecclesia Dauli, his præcisis verbis: *Item ordina, e comanda, che nella sua Chiesola al Dolo le si fatto celebrare la solita Messa obligata alli suoi Antenati*.

Mortuo eodem Domino Alexandro, major pars hereditatis ejus evicta, & occupata fuit ab aliis Nobilibus Doctis de Padua consanguineis ejusdem Alexandri, vigore Fideicommissorum ab ipsorum Majoribus ordinatorum; per quos Masculi de familia Docta, exclusis fœminis, vocantur; adeòut Domina
5 Comitissa Paula soror, & heres proprietaria Domini Alexandri fratris sui, illam solam portionem bonorum habuerit, de quibus ob nonnulla alia fideicommissa caducata per lineam masculinam extinctam in dicto fratre suo Alexandro, potuit ipse disponere; & de illis sororem suam heredem instituere.

Ulteriùs post mortem ejusdem Domini Alexandri Docti, alii de eadem Familia vigore prædictorum fideicommissorum à Proavis suis ordinatorum expoliaverunt antedictam Uxorem q. Jacobi Docti Testatoris pluribus bonis, quæ ipsa pro suæ restitu-
6 tione dotis in tenutam acceperat, tanquam bona fideicommissis subjecta, quapropter ipsa Uxor, & eâ defunctâ, ejus heredes pro reintegratione dictæ suæ Dotis, coacti fuerint suas actiones dirigere contra illas sex domos existentes in Villa Dauli, tanquàm bona libera, & quæ erant propria q. dicti Jacobi Docti Mariti; ac ab eo erant destinatæ pro stipendio primo dictæ Mansionariæ unius Missæ quotidianæ in Ecclesiola domus Doctæ celebrandæ.

His ita stantibus in facto; dubitare contingit in Jure; Utrùm Domina Comitissa Paula Docta de Vicoagere, soror, & heres prædicti q. Dom. Alexandri Docti, sit obligata in foro conscientiæ celebrare facere dictam Missam quotidianam, Anno 1648. ordinatam à Domino Jacobo Docto? Ego respondi, Negativè ex sequentibus rationibus, & motivis.

Primò, quia ille debet onus adimplere, qui possidet bona, super quibus impositum est onus: & è contra non tenetur ad onus, qui non habet bona,
7 super quibus onus est impositum. Innocent. *in cap. In præsentia. num. 5. Vers. Item Monasterium, de Probat.* Abbas *cons.* 102. *num.* 4. & 5. *lib.* 2. Roman. *cons.* 292. *num.* 2. Barbosa *Axiom.* 44 *num.* 1. & Rota Romana *part.* 2. *recent. Decis.* 333. *num.* 1. Sed Domina Comitissa Paula non habet neque sex illas domos, in Villa Dauli pro stipendio dictæ Missæ quotidianæ à Jacobo Docto Testatore relictas, neque ullum aliud bonum de ratione ejusdem Jacobi. Ergo non tenetur celebrare facere antedictam Missam.

Secundò, quia heres potest impugnare factum illud, quod Testator ipse impugnaret, si vivus esset. Bart. *in l. Post mortem. ff. de Adoption.* Afflictus
8 *decis.* 335. *num.* 11. & Menochius *cons.* 89. *num.* 8. Sed si Dominus Alexander frater ipsius Dominæ Comitissæ Paulæ viveret, & spoliatus fuisset omnibus bonis liberis prædicti Patrui sui Jacobi, & specialiter ipsis sex domibus deputatis pro stipendio Sacerdotis celebrantis illam Missam quotidianam, posset impugnare dictam ordinationem, & cessare à dicta celebratione Missæ. Ergo etiam cessare potest ipsa Domina Comitissa ejus soror, & heres.

Tertiò: quod autem ipse Dominus Alexander, si viveret, & esset spoliatus omnibus bonis liberis antedicti Patrui sui Jacobi, & in specie dictis sex domibus in Villa Dauli, non foret obligatus in conscientia ad celebrare faciendam dictam Missam, probatur, quia pereunte illa re, quæ specialiter, & numericè
9 fuit destinata pro legato, cadit, & extinguitur legatum. *l. Quidam.* 99. *§. Si tibi de Leg.* 1. Rota *part.* 5. *recent. decis.* 365. *à num.* 35. *&* *seqq. tom.* 1. Bordonus *de Legatis cap.* 13. *num.* 16. Sed in præsenti casu perierunt sex domus destinatæ pro hac celebratione Missæ quotidianæ, quia sunt evictæ à creditoribus ipsius Domini Jacobi. Ergo neque Dominus Alexander, neque Domina Comitissa Paula tenentur ampliùs solvere legatum illud Missæ quotidianæ.

Quartò, id confirmatur ex communi doctrina Theologorum, & Canonistarum docentium, quod evictis bonis designatis pro celebratione Missarum, cessat
10 ipsa obligatio, ita in terminis Bordonus *d. tract. de Legatis cap* 17. *num.* 10. Pasqualigus *decis* 1074. Tamburinus *de Sacrific. Missæ lib.* 3. *cap.* 1. *§.* 3. *num.* 89. Fraxinellus *de Oblig. Sacerd. sect.* 4. *num.* 27. Quartus *in Rubric. Missalis in Append. de Sacrificio quæst.* 4. *punct.* 2. *Diffic.* 5. *Vers. Secundò præmittendum est*. Perez de Lara *de Anniversf. & Capellan. lib.* 1. *cap.* 25. *num.* 8. & 9. atque Lezana *in Summa tom.* 4. *Verb. Missa. sub num.* 37.

Neque obstat, quod Dominus Alexander ordinaverit & ipse in suo Testamento hanc tertiam Missam quotidianam; & videatur voluisse obligare heredem suam ad illam celebrare faciendum, etiam evictis bonis omnibus Patrui sui Jacobi; itaut si Domina Comitissa Paula non teneatur ratione bonorum antedicti Jacobi evictorum, teneatur respectu bonorum ipsius Alexandri fratris sui, in quorum possessione reperitur.

Nam respondetur, ordinationem hujus Missæ factam ab ipso Domino Alexandro fuisse ex falso supposito, quod bona libera Domini Jacobi, per ipsum possessa, transirent ad Dominam Comitissam Paulam Sororem suam, & apud eam remanerent; nondum enim fuerant evicta à creditoribus ejusdem Jacobi: & ideò cum ejus suppositum fuerit falsum, & ejus intentio fuerit erronea, non habet vim obligandi he-
11 redem suam; quia verè in tali casu præsumitur non habuisse voluntatem illam obligandi. Menochius *d. cons.* 89. *num.* 19. ubi alios DD. cumulat. Certum est enim, quod ipse Dominus Alexander noluit instituere tertiam Capellaniam super bonis suis; cum jam in prima parte sui testamenti duas tantùm Capellanias ordinasset; sed in ultima parte Testamenti voluit tantùm meminisse institutionis Missæ factæ à Jacobo Patruo suo, & ejus adimplementum commendare, dicens: *La solita Messa obligata alli suoi Antenati*; reflectendo ad sex domus pro stipendio talis Missæ destinatas, quas tunc ipse Alexander possidebat, & credebat transituras in dominium suæ Sororis, & heredis. Quapropter cum totum contrarium evenerit, & prædictæ sex domus, & quæcunque alia bona libera ipsius Domini Jacobi fuerint evicta à creditoribus ejus, nihilque pervenerit de bonis illius ad Dominam Comitissam Paulam, nullo modo est obliganda ad celebrare faciendam dictam Missam. Menochius *d. cons.* 89. *num.* 98. Bordon. *Variar. Resol. part.* 1. *resol.* 25. *num.* 31.

Quintò; ultrà prædictas rationes considerabam regulam illam, quam amplectuntur omnes Doctores, videlicet, quod Testator præsumitur minùs, quàm
12 potuit, voluisse gravare suum heredem. Rota *part* 9. *recent. Decis.* 41. *num.* 19. & ibi DD. Igitur non est dicendum, quod Dominus Alexander voluerit obligare Dominam Comitissam Paulam Sororem, & Heredem suam ad celebrationem hujus Missæ quotidianæ, in eventu quo fuerint evicta omnia bona illius, qui dictam celebrationem Missæ ordinavit.

Sextò

Digitized by Google

Sextò etiam facit, quia voluntas Testatoris non est servanda tunc, & quando emergit de novo aliqua causa, quam si ipse Testator scivisset, vel cogitasset, verisimile est, nec ipsum voluisse, ut ejus dispositio ser-
13 varetur. Card. Mantica *de Conjectur. ultim. Volunt. lib.3. tit.3. num.19.* Portò non solùm verisimile, sed indubitatum est, quod Dominus Alexander noluisset, ut ejus Soror, & heres onerata esset obligatione celebrare faciendi prædictam Missam, ordinatam à Patruo suo Jacobo, si ipsa spoliaretur omnibus bonis ejusdem Jacobi. Ergo Domina Comitissa ad dictam Missam non est obligata, stante spolio, quod passa est omnium bonorum prædicti Testatoris Jacobi post mortem Domini Alexandri fratris sui, cujus voluntas circa dictam Missam, attento spolio prædicto, intelligitur penitùs mutata. Idem Card. Mantica *eod. tract. lib.8. tit.12. num.24.*

Septimò tandem urget, quod voluntas Testatoris interpretanda est secundum communem hominum
14 usum. Rota coram Bichio *Decis.* 233. *num.* 10. Sed omnes homines, quibus relicta sunt bona ex testamento cum oneribus annuis persolvendis, cessant à solutione onerum, si ab eis bona onerata evincantur. Gratian. *Discept. For. cap.*611. *num.*3. ea ratione quia onera sequuntur bona, super quibus sunt imposita, ut probat Gratian. *ibidem*. Merlin. *de Pignorib.lib.*4.*tit.*1. *num.*29. & Rota *part.* 19. *recent. decis.*15. *num.* 6. & esset magnum absurdum, quod unus haberet omnia bona Testatoris; & alter, qui nihil habet, teneretur solvere legata à Testatore relicta. Idcircò cum voluntas Testatoris semper ita sit interpretanda, ut
15 absurda evitentur. Rota coram eodem Bichio *Decis.* 337. *num.* 15. concludendum venit, noluisse Dominum Alexandrum obligare suam Heredem circa celebrationem illius Missæ casu quo, evicta fuissent bona Patrui sui, qui eandem obligationem Missæ sibi imposuerat intuitu bonorum, quæ illi reliquerat; præsertim sex domorum in loco Dauli, ex quorum
16 affictibus solvendum erat stipendium Sacerdoti eandem Missam celebranti; undè, deficientibus iisdem domibus, ac bonis aliis quibuscunque, deficit omninò prædicta obligatio.

DISCORDIA LX.

ARGUMENTUM.

Patruus Senior præfertur Nepoti juniori in præsentando Parocho ad Ecclesiam ob Juspatronatum suæ familiæ, ei concessum per Apostolicam Sedem ex Privilegio; in quo Papa voluit, & ordinavit, quod illud transiret ad Primogenitos ex descendentibus primi acquirentis: At ejus lineâ extinctâ, (prout nunc extincta est) mandavit, & disposuit, ut succederet in ipsum Jus proximior Transversalis prædicti primi acquirentis; & subindè antiquior ex descendentibus ejusdem Transversalis, quales sunt supradicti Patruus, & Nepos.

SUMMARIUM.

1 *Nepos in successione ad Primogenituram excludit Patruum.*
2 *Juspatronatus ex Privilegio conceditur à Papa.*
3 *Bulla Pontificia concedens Juspatronatum est omninò servanda.*
4 *Qualitas requisita in Patrono si deficiat, non potest ipse Parochum præsentare.*
5 *Honorifico in Jure non attenditur Linea, sed ætas major.*
6 *Patroni electuri Parochos debent esse prudentes, pii, ac zelantes.*
7 *Senis umbra plus valet, quàm Juvenis gladius.*
8 *Qualitas posita in primo casu dispositionis, & non repetita in secundo, censetur neglecta; & de cætero non volita.*
9 *Synonima nomina sunt Antiquior, Senior, ac Major ætate.*
10 *Antiquior ex descendentibus primi instituti si sit vocatus ad fideicommissum, Patruus major natu excludit Nepotem ætate minorem.*
11 *Descendentes omnes si collectivè sint vocati ad Majoratum, vel Primogenituram, non attenditur linea ultimi possessoris; sed major natu ex alia ejusdem descendentiæ linea succedit.*
12 *Saltuarius Majoratus qualis sit? & qui sint ejus effectus?*
13 *Jus præsentandi ad beneficium transit de linea ad lineam ejusdem familiæ, quando ex descendentibus ejus vocatus est major natu.*
14 *Proximitas major primo acquirenti Juspatronatum, requisita in primo vocato ad ejus successionem, censetur repetita in omnibus descendentibus ab ipso primo vocato.*
15 *Patruus senior est proximior primo acquirenti Juspatronatus, quàm Nepos junior ex ejus familia.*
16 *Primogeniti si sint vocati ad successionem, filius fratris majoris excludit Patruum, etsi seniorem.*
17 *Jus præsentandi ad beneficium radicatur in descendentibus à Patrono vel actu, vel habitu.*
18 *Habitu, non actu omnes de familia Patroni habent in se radicatum Jus præsentandi.*
19 *Possessio præsentandi ad beneficium non dicitur haberi à Patrono, qui nunquam præsentavit.*
20 *Major ætas ubi requiritur in vocato ad successionem, hæc non transmittitur in minorem natu.*
21 *Sententia Judicis manifestè injusta est ipso Jure nulla.*
22 *Sententia Judicis circa Jus præsentandi ad beneficium, non nocet Patronis, qui non fuerunt in causa; nec reperiuntur citati ad eam audiendam.*
23 *Arbor hujus familiæ, & gradus tùm Patrui, tùm Nepotis positus est ante initium Discordiæ LXI.*

Vacante Parochiali Ecclesia Sancti Asorosii de Jurepatronatu Laicali Dominorum Comitum de Gerardis, Comen. Diæcesis, nata est Discordia inter Patruum, & Nepotem filium fratris prædefuncti, circa novi Parochi præsentationem; cum enim ultima præsentatio facta fuerit ab Avo, qui habuit duos fi-
1 lios; quorum major ætate genuit hunc Nepotem; prætendit ipse Nepos ad se spectare Juspræsentandi ad hoc beneficium, cum ejus Pater fuerit major natu, quàm Patruus; & sic ex Avo, adinstar Primogeniture, in eum transiverit ab initio hoc Jus, quod postea transmisit post suam mortem in ipsum Nepotem excluso Patruo, tanquam secundogenito Avi, ex doctrina omnium scribentium de Primogenituris, inter quos Torre *De Successⁿ. in Majorat. part.* 1. *cap.* 40. §. 1. *num.* 6. Quare cum ab utraque parte fuerit mea opinio requisita, visis eorum fundamentis, Respondi, in sensu veritatis, ac justitiæ, Jus præsentandi Parochum spectare ad Patruum, non autem ad Nepotem in hac vacatione Ecclesiæ supradictæ.

Pro intelligentia mei Responsi oportet scire, hoc Juspatronatum non esse ex fundatione, vel dotatione, sed ex Privilegio Apostolicæ Sedis, à qua impetratum fuit ob benemerita ab Avunculo magno hujus
2 familiæ: in concessione autem Summus Pontifex duo ordinavit; unum, quod Jus præsentandi, post obitum ipsius primi acquirentis, durante lineâ descendentium ab eo, Primogenitus masculus haberet; alterum, quod deficiente linea descendentium masculorum ab ipso primo acquirente; hos Juspatronatus transiret ad Transversalem masculum proximiorem eidem primo acquirenti; & subindè ex descendentibus hujus Transversalis proximioris in perpetuum, ille nominaret, ac præsentaret Parochum, qui esset

major

Digitized by Google

major ætate, senior, & antiquior. Verba Privilegii Apostolici sunt ista: *Tibi, ac tuo, & successorum tuorum Primogenito Masculo; & successivè aliis Primogenitis similiter masculis à Te descendentibus; ac illis deficientibus Proximiori ex transversalibus, & successivè alteri antiquiori ex dictis transversalibus pro tempore existentibus perpetuò, dictum Juspatronatus reservamus, concedimus, & assignamus*. Non multò post mortem primi acquirentis extincta est linea descendentium ejus; & subindè hoc Jus transivit ad proximiorem Agnatum ex transversalibus, à quo descendunt supradicti Patruus, & Nepos filius fratris, nunc inter se discordes in Jure præsentandi Parochum; intendens uterque ad se illud spectare privativè quo ad alterum.

His prænotatis dico, hoc jus spectare ad Patruum, non autem ad Nepotem. Primò, quia concessio hujus Juris facta est per Sedem Apostolicam antiquiori ex dictis Transversalibus; qualis est Patruus senior, ac ætate major, quàm Nepos. Igitur ipse patruus est præ-
3 ferendus juxta tenorem Bullæ Pontificiæ, quæ tanquàm dispositiva hujus Jurispatronatus est omninò attendenda. Vivian. *de Jurepatron. lib. 4. cap. 2. num.* 3. Rota *part. 1. recent. decis.* 155. *num.* 1. *& decis.* 496. *num.* 1. & 2. Torre *in d. tract. de Success. in Majorat. part. 1. cap.* 11. *num.* 24. *& cap.* 41. §. 7. *num.* 58. & per consequens Sacerdos præsentatus à Nepote est rejiciendus; cum ipse nepos non sit senior, seu
4 antiquior Patruo; & hæc qualitas sit necessaria in præsentante, ac eâ deficiente non possit in eum transire Jus præsentandi, ad tradita per Rotam *part.* 14. *recent. decis.* 469. *num.* 8. & per antedictum Torre *d. part.* 1. *cap.* 41. §. 7. *num.* 61.

Secundò, confirmatur ex communi doctrina scribentium, quod quando agitur de solo Jure honorifico, quale est Jus præsentandi Parochum, in ejus successio-
5 ne non attenditur prærogativa lineæ, sed ætatis; & sic admittuntur seniores, & majores ætate, ordine saltuario, idest transitum faciendo de fratre ad fratrem, omissis filiis ultimi præsentantis, ut in terminis Jurispatronatus docent Tiraquellus *de Jure Primogenit. quæst.* 88. Gratianus *Discept. forens. cap.* 645. *num.* 7. Ciarlinus *lib.* 3. *controvers.* 222. Carolus Antonius de Luca *De Linea Legali art.* 8. *num.* 26. ubi plures DD. cumulat. Emin. Card. de Luca in tractatu *de Fideicomm. disc.* 1. *num.* 19. *disc.* 3. *num.* 3. *& disc.* 6. *num.* 9. Rota *part.* 14. *recent. decis.* 66. *& decis.* 344. quæ idem olim tenuerat *part.* 2. *divers. decis.* 15. *& decis.* 100. & novissimè Torre *eadem part.* 1. *cap.* 41. §. 8. *num.* 19. *&* 20. ubi è contra notat, secùs esse dicendum, quando agitur de Majoratu utili, seu de Primogenitura, ac Successione bonorum relictorum pro conservatione familiæ, & agnationis alicujus personæ prædilectæ, & individualiter nominatæ. Ratio autem diversitatis est, quia in solo Jurepatronatu
6 honorifico, opus est magnâ prudentiâ, zelo, ac pietate in eligendo Rectore animarum; & hæ virtutes præsumuntur esse in senibus, ac majorem ætatem habentibus, non autem in junioribus, ut benè considerat Emin. Card. de Luca *de Fideicomm. d. disc.* 1. *num.* 7. & 8. plus enim valet umbra senis, quàm gla-
7 dius juvenis, ut ait Torre *d. part.* 3. *decis.* 5. *num.* 35. & ubicunque requiritur Sapientia, & industria in actu faciendo, censetur vocatus senior. Tiraquell. *de Primogenit. num.* 156. *Vers.* 28. Igitur cum in præsenti Discordia non tractetur de Successione bonorum, neque de Primogenitura, aut Majoratu utili; sed tantùm de Jure honorifico, quale est eligere, & præsentare Parochum; illud pertinet ad Patruum, non autem ad Nepotem.

Tertiò facit, quod quando disponens de aliqua Successione inter descendentes, consideravit duos casus, in primo quorum requisivit unam qualitatem; in secundo autem de eadem qualitate ampliùs non
8 curavit, nec verba fecit, præsumitur noluisse, ut illa qualitas primi casus servaretur in secundo; quandoquidem si voluisset illam servari, de ea iterum mentionem fecisset. Fusarius *de Substitut. quæst.* 383. *num.* 85. Surdus *cons.* 127. *num.* 61. Torre *part.* 2. *quæst.* 1. *num.* 21. ubi alii DD. Modò Summus Pontifex concedendo hoc Juspatronatum duos casus distinxit circa Successionem ad illud, & duas præscripsit formas servandas à descendentibus pro ejusdem Juris exercitio. Primus casus fuit in descendentibus à primo acquirente; & in hoc ordinavit, ut idem Jus semper transiret ad primogenitos masculos. Secundus fuit, deficiente lineâ prædictorum descendentium, ut succederet primùm Transversalis proximior ejusdem primi acquirentis, deindè senior ætate, ac antiquior pro tempore existens ex descendentibus masculis ab ipso Transversali. Ex hac secunda dispositione sequitur, quod, extinctâ jam lineâ descendentium à primo acquirente, hoc Juspatronatum non est ampliùs sub regulis Primogenituræ, ut in primo casu, in quo vocabantur primogeniti; & qui præferebat Nepotem Patruo; & excludebat fratrem Patris, ut admitteret ejusdem filium, Patruo postposito: sed stat sub regula Juris honorifici, & sub qualitate requisita in secundo casu, in quo cum ab ejus Auctore vocentur antiquiores ex descendentibus, si moriatur frater relictis filiis, & alius frater defuncti existat, iste admittitur, tanquam senior, ac major ætate, filiis exclusis; prout accidit in præsenti discordia; in qua, cum Patruus sit antiquior Nepote, quia est major ætate, ac senior (sunt enim nomina Synonima
9 antiquior, senior, & major ætate. Torre *part.* 1. *cap.* 39. §. 1. *num.* 39.) & Papa in concessione hujus Jurispatronatus voluerit, ut illud semper transiret ad antiquiorem ex descendentibus à proximiori Transversali primi acquirentis, necessariò censetur voca-
10 tus ipse Patruus, & exclusus Nepos, ut in terminis advertunt Rota *part.* 10. *recent. decis.* 1. *num.* 23. Peregrinus *de Fideicommiss. art.* 13. *num.* 85. *Vers. Quod si major.* nec non *lib.* 3. *cons.* 34. *num.* 17. Gratianus *Discept. for. cap.* 456. *num.* 83. & Torre *in part.* 3. *decis.* 17. *à num.* 122. *& seqq.* ubi ita scribit: *Vocato seniore de familia in perpetuum, mortuo primo seniore jam admisso, successio ad alterum seniorem ejusdem familiæ devolvitur, & sic de seniore in seniorem in infinitum; nullo habito respectu ad filium senioris defuncti. Ita Altograd. d. controv.* 75. *num.* 21. *&c.* Igitur, estò quod pater hujus Nepotis, si viveret, tanquam senior excluderet fratrem suum in hoc Jure præsentandi Parochum; eo mortuo, ad ejus filium etsi primogenitum non devolvitur hoc Jus; sed transit in fratrem Patris defuncti uti seniorem; quia Papa in secundo casu non vocavit Primogenitos ex hac descendentia; sed antiquiores, & majores natu, ut ex verbis ipsius Bullæ suprà relatis apparet.

Quartò accedit alia evidentissima ratio ad favorem Patrui, & ad exclusionem Nepotis; & est, quod quando vel in Majoratu, seu Primogenitura, aut alio
11 jure succedendi vocatus est senior, sivè natu major ex descendentibus collectivè sumptis sub uno, & eodem verbo, absque ulla distinctione lineæ, seu columnelli; in hoc casu Majoratus, aut Primogenitura, sivè Jus illud succedendi non dicitur Majoratus Juris, sed facti; circa quod non attenditur linea ultimi successoris, itaut ejus filii omninò admittantur etsi juniores; sed fit transitus ad aliam lineam eorundem descendentium, quando in ea sunt agnati seniores; ideòque talis Majoratus appellatur Saltuarius, quia
12 saltat de una linea in aliam in omni vacatione, ut fusè demonstrant Honded. *cons.* 70. *num.* 15. *lib.* 2. Bellon. jun. *cons.* 11. *per totum*. Menochius *cons.* 442. Thesaurus Junior *lib.* 1. *q.* 35. *num.* 44. & alii quos citat, & sequitur Torre *part.* 3. *decis.* 17. *num.* 119. *&* 133. *atque* 134. ubi loquitur in terminis hujus Discordiæ de Jure præsentandi Sacerdotem ad Ecclesiam vacantem. Et idem docet ipsemet Torre *part.* 2. *q.* 1.

Digitized by Google

num. 13. ita scribens: *Ex quo promanat notissima conclusio, quod vocatione majoris natu ex alicujus descendentia, familia, stipite, vel genere, uti unum corpus, sivè collegium consideratis, non discretivè habitâ consideratione ad lineas quorumcunque vocatorum, indicetur Majoratus facti, Saltuarius de una lineâ ad aliam; ad quem semper admittitur natu major inter descendentes ab universa lineâ; non verò Primogenitus ultimi possessoris; qui sit natu minor*. Hæc doctrina punctualiter adaptatur præsenti Juripatronatui, de quo disputatur; nam Summus Pontifex in ejus concessione vocando ad illud, post extinctam descendentiam primi acquirentis, ejus proximiorem Transversalem, subjunxit, quod post illum succederet antiquior ex descendentibus ab ipso; & sic nulla usus est distinctione circa eosdem descendentes, eorumvè lineas; sed collectivè de illis locutus est, considerans eos tanquam unum corpus; quapropter hoc Jus præ-
13 sentandi verè dicendum est saltuarium, quia transit de linea in lineam descendentium à primo Transversali supradicto; quando qualitas antiquioris, & majoris natu non est in illa ultimi possessoris; sed in alia de eadem descendentia, prout in hoc casu, in quo Nepos tanquam junior excluditur, etsi ejus Pater possederit hoc Jus, quod transit ad Patruum uti antiquiorem, & seniorem; comprehensum in dispositione, & vocatione collectivè de descendentibus antiquioribus facta per Papam; & ita etiam tenent Altograd. *Jun. in Controv* 75. *per tot. lib.* 2. Emin. Card. de Luca *de Fideicom. disc.* 3. 4. *&* 5. & Rota Romana *part.* 14. *recent. decis.* 66. nec non *decis.* 344.

Quintò tandem augetur justitia Patrui; ex proximitate majori, quam habet cum primo acquirente; & quæ fuit requisita à Summo Pontifice in primo Transversali agnato, successuro, post extinctam descendentiam ejusdem primi acquirentis; hæc enim major proxi-
14 mitas censetur semper repetita, & requisita in omnibus descendentibus ab eodem primo Transversali, ut observat Rota *part.* 1. *recent. decis.* 284. *num.* 1. ac etiam *part.* 11. *decis.* 346. *à num.* 8. *& seqq.* & scribit Torre *d. part.* 3. *decis.* 17. *num.* 131. Cæterùm extra omnem controversiam est, quod Patruus est proxi-
15 mior, quàm Nepos eidem primo Transversali, in quem transivit hoc Juspatronatus, quando extincta fuit linea descendentium à primo acquirente; ipse enim Nepos distat uno gradu magis, quàm Patruus à prædicto primo Transversali, qui est amborum communis stipes; & è contra Patruus est uno gradu proximior, quàm Nepos eidem stipiti; & per consequens habet majorem proximitatem cum primo acquirente; quâ attentâ, tanquàm requisitâ per Papam, hoc Jus concedentem, debet præferri Patruus Nepoti in præsenti vacatione Ecclesiæ ad nominandum, & præsentandum Parochum, ut in terminis tenuit Ciarlinus *d. lib.* 3. *cap.* 222. *à num.* 69. usque in finem; & tradunt etiam Anton de Luca *de Linea Legali lib.* 1. *art.* 11. *num.* 22. Fusarius *de Substitut. quæst.* 484. *num.* 10. *&* 15. Torre *d. part.* 3. *decis.* 17. *num.* 131. Emin. Card. de Luca *de Jurepatronatu disc.* 33. *num.* 9. *&* 11. & Rota *part.* 5. *recent. decis.* 519. *à num.* 13. *& seqq.*

Nec subsistit fundamentum, quo innititur Nepos, quod scilicèt hoc Juspatronatus sit adinstar Majoratus, seu Primogenituræ, quæ transit de primogenito in primogenitum; & sic de Patre in filium, excluso fratre Patris; & excluso Patruo ipsius Nepotis ex traditis per DD. quos citat, & sequitur Torre *d. part.* 1 *cap.* 40. §. 1. *num.* 6. Quia respondetur, doctrinam ejusdem Torre, & aliorum scribentium, quos
16 allegat, procedere in Majoratibus Juris, ac Primogenituris institutis pro conservandis bonis in familia, ad quas vocantur semper Primogeniti; qui ob hanc qualitatem à Testatore requisitam excludunt secundò genitos; & semper Pater transmittit in filium hoc Jus succedendi excluso fratre suo, & Patruo sui filii: at hoc Juspatronatus non est concessum à Papa pro Primogenitis, sed pro Proximioribus primo acquirenti, & senioribus à descendentibus primo Transversali, vocato post extinctam Lineam ejusdem primo acquirentis, ut dictum est supra; ideò non metitur secundum regulas Majoratus, aut Primogenituræ, ad quam primogeniti sunt vocati; sed secundum voluntatem Summi Pontificis concedentis illud, & requirentis in successore, quod sit antiquior, & major natu; ideò mortuo Patre, non succedit Filius, quando adest Patruus senior, ut in præsenti casu; sed Jus transit in ipsum Patruum, ut benè advertit ipsemet Torre *d. part.* 1. *cap.* 40. §. 1. *num.* 10. ubi ita scribit: *Dicitur irregularis* (Majoratus in hoc casu) *quia deviat à Regulis Juris in quibus post Patrem succedit Filius, ut vidimus, & extincta descendentia unius ex vocatis, & admissis, volutur successio ad proximiorem in gradu. In hoc verò Majoratu filius excluditur ab hæreditate paterna per alium descendentem de linea vocata natu majorem, nec attenditur proximitas in concursu ætatis; sed devolvitur successio ordine saltuario de seniore in seniorem, ut videre est* apud Alexandr. *vulg cons.* 4. *lib.* 4. Beroum *cons.* 72. *lib.* 1. Gratian. *Discept.* 436. *num.* 83. *& Discept.* 695. *num.* 6. Malvasiam *cons.* 22. *num.* 32. Sabell. *cons.* 40. Igitur hoc Juspatronatus non est regulandum tanquàm Primogenitura relicta pro Primogenitis Masculis, vel tanquàm Majoratus Juris; sed adinstar Majoratus facti, & irregularis, in quo attenditur qualitas majoris ætatis, cujus intuitu, mortuo patre possessore Majoratus, & relicto alio fratre seniore, & filio suo juniore, succedit frater, non autem filius, ut expressè exemplificat idem Torre *d. part.* 1. *cap.* 6. *num* 18. *&* 19. his verbis: *Hinc in arbore nostra, defuncto Antonio possessore Majoratus, relicto Francisco filio minore natu, & Petro fratre majore, frater succedere debet tanquàm natu major*. Quæ doctrina benè adaptatur præsenti discordiæ; in qua (ut dictum est) in hoc Jurepatronatu succedere debet Patruus excluso Nepote, ob majorem ætatem requisitam in successuro per Summum Pontificem concedentem. Prætterquamquod regula, ut succedat filius primogenitus Patri suo, procedit in Primogenituris concernentibus jus utile per conservatione bonorum, ut dictum est supra *n.* 5. secùs in Majoratibus respicientibus solum Jus honorificum, quale est Jus præsentandi Parochum, dum vacat Ecclesia, quia in hoc attenditur qualitas senioritatis, ac ætatis majoris ex Rota *d. part.* 5 *recent. decis.* 362. *num.* 11. *part.* 14. *decis.* 66. *& decis.* 344. ex eodem Torre *part.* 1 *cap.* 41. §. 8. *num.* 5. 18. 19. *&* 20. ex Gratiano *Discept.* 218. *num* 83. ex Lotterio *de Re beneficiar. lib.* 2. *quæst.* 11. *num.* 93. & ex Emin. Card. de Luca *de Fideicom. disc.* 1. *num.* 7. *&* 8.

Minùs prodesse potest in hac discordia eidem Nepoti asserere, hoc Jus præsentandi Parochum per mortem Avi sui fuisse radicatum in Patre suo, & per mortem Patris sui esse transmissum in se tanquàm Successorem in omnibus Juribus paternis. Nam res-
17 pondetur; quod ipse Nepos vel asserit hoc Jus præsentandi fuisse radicatum *actu* in Patre suo, & hoc negatur; quia ejus Pater nunquàm præsentavit Parochum; & ultima præsentatio Parochi modo defuncti, facta fuit ab ejus Avo. Vel intendit hoc Jus esse radicatum *habitu* tantùm in Patre suo post mortem avi; & hoc pariter non est verum, quia quando vocati sunt omnes de eadem descendentia; mortuo possessore jus illud radicatur *habitu* in omnes de-
18 scendentes ab eo; *actu* verò tantùm in habente qualitatem requisitam senioritatis, & majoris ætatis. Lotterius *d. lib.* 2. *q.* 11. *num.* 124. Rota *d. part.* 5. *recent. decis.* 288. *num.* 9. & Emin. Card. de Luca *de Jurepatron. disc.* 34. *in fine*. Sequitur ex hoc quod mortuo Avo Jus præsentandi Parochum ad hanc Ecclesiam fuit radicatum habitu in utroque Filio ejusdem Avi, Patre scilicèt, & Patruo Nepotis Adversarii; in actu

Digitized by Google

in actu autem apud nullum radices posuit, quia cum Ecclesia non vacaret, ad actualem præsentationem Parochi nullus procedere potuit. Mortuo autem Fratre majore natu, qui erat Pater prædicti Adversarii; & nunc vacaverit Ecclesia, Jus præsentandi Parochum *actu* est in Patruo, ob majorem ætatem, quam habet, cum ipse sit Senior eodem Nepote. Idcircò nullum jus prætendere potest Nepos Adversarius ex possessione Patris sui; quia cum Pater ejus nunquam
19 præsentaverit Parochum, nullam acquisivit possessionem. Vivian. *de Jurepatron. lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 11. Pyrrhus Corradus *in Praxi benefic. lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 17. & Rota *part.* 13. *recent. decis.* 152. *num.* 23. & quatenùs ejus Pater eam acquisivisset, si Ecclesia eo vivente vacasset, & ad eam Parochum præsentasset, fuisset ab eo acquisita ob qualitatem majoris ætatis; sed non potuisset transmittere illam in filium; in quo deficit dicta qualitas, nam transiret ad Patruum, ipsam qualitatem majoris ætatis habentem. Nicol. Noalis *de Transmission. casu* 39. *num.* 6. Emin. Card. de Luca *de Jurepatron. disc.* 36. *num.* 11. prout etiam *disc.* 63. *num.* 31. Rota post Vivian. *de Jurepatr. decis.* 110. *num.* 20. Idem Torre *d. part.* 1. *cap.* 39. §. 7. *num.* 14. *& part.* 2. *q.* 41. *num.* 22. ubi reddit hanc magistralem rationem, quod ubi requiritur
20 qualitas majoris ætatis ab Auctore Majoratus, dictum Jus transmitti non potest in eum, qui non habet ipsam qualitatem; hæc autem requiritur in volente præsentare Parochum ad hanc Ecclesiam ob expressa verba Summi Pontificis in hujus Jurispatronatus concessione; & cum hæc senioritas, ac major ætas in hac præsenti vacatione Ecclesiæ non sit in Nepote, sed in Patruo, ad ipsum Patruum spectat nunc præsentare Parochum, ut testantur DD. omnes supra allegati; & hoc idem repetentes Gratian. *Discept.* 645. *num.* 7. & 12. & *Discept.* 834. *num.* 6. Vivian. *d. lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 55. Loterius *d. lib.* 2. *q.* 11. *num.* 93. Emin. Card. de Luca *de Jurepatron. disc.* 20. *num.* 10. *disc.* 21. *num* 8. ac etiam *de Fideicom. d. disc.* 1. *num.* 7. & 8. simulque prædictus Torre *part.* 2. *q.* 41. *n.* 36. & in puncto *part.* 3. *d. decis.* 17. *num.* 130. 133. 134. *&* 135. denique *decis.* 21. *num.* 34.

Tandem nullius valoris est Sententia, quam Nepos asserit olim obtentam in Curia Episcopali à Nepotibus junioribus contra Patruos Seniores de Anno
21 1659. quia quatenùs vera sit in facto, est nulla in Jure ob manifestam injustitiam. Torre *part.* 1. *cap.* 38. *num.* 206. nec potest allegari pro Legali fundamento potissimùm contra successores, qui tunc non fuerunt in eo judicio citati. Idem Torre *part.* 2. *q.* 50.
22 *num.* 109. *&* 110. prout in simili discordia ait Rota *part.* 9. *recent. decis.* 46. *num.* 11. & *decis.* 430. *num.* 22. ubi firmat, quod *vocatis ad Juspatronatus ex propria persona non potest per antecessores præjudicari*, & ita tradunt etiam Garzias *de Benefic. part.* 5. *cap.* 9. *num.* 69. Castropalaus *Oper. Moral. tom.* 2. *tract.* 13. *disp.* 2. *punct.* 4. *Vers. Sed quid si*. Et Card. Mantica *decis.* 86. *sub num.* 11. Quare in sensu veritatis; & in puncto Juris, ac justitiæ est admittendus Parochus præsentatus à Patruo, & rejiciendus ille, quem
23 Nepos præsentavit. Ita judicatum fuit. Arbor hujus Familiæ posita est post Summarium, & ante initium Discordiæ sequentis LXI.

DISCORDIA LXI.


ARGUMENTUM.

Transversali proximiore vocato, & ingresso ad Juspatronatum, succedunt in illo omnes descendentes ex linea illius Transversalis proximioris, exclusis quibuscunque Transversalibus alterius lineæ remotioris, etsi ejusdem Familiæ, quia in tali casu non fit transitus de linea ad lineam, prima proximiore durante. Illegitimi, quamvis de eadem linea, non sunt capaces Jurispatronatus concessi ob nobilitatem Familiæ: neque admittuntur, nisi deficientibus legitimis, licèt omnes descendentes de linea sint vocati.

SUMMARIUM.

1 *Lites sunt bella militiæ togatæ.*
2 *Proavus si habet duos filios uxoratos, & cum prole, ex eis duæ lineæ fiunt.*
3 *Bullæ Pontificiæ concedentis Juspatronatus verba sunt ad unguem servanda.*
4 *Qualitates duæ pro successione si requirantur, una sola non sufficit.*
5 *Patronus habens requisitas qualitates est admittendus ad præsentandum.*
6 *Consensus per Patronum præstitus resignationi beneficii, dat ei possessionem Jurispatronatus.*
7 *Possessio Patronorum præcedentium dat successoribus manutentionem.*
8 *Juspatronatus in dubio spectat ad possessorem bonorum Fundatoris.*
9 *Inscriptioni antiquæ factæ in marmore est credendum.*
10 *Avus distat à suo Nepote duobus gradibus. Proavus ab eodem distat tribus.*
11 *Gradus in materia successionis tot sunt, quot personæ descendentes.*
12 *Transitus de linea ad lineam in successionibus regulariter non datur.*
13 *Lineæ proximitatis prærogativa est ei servanda tàm in ingressu, quàm in progressu.*
14 *Vincentem Te si vinco; multò magis vinco te.*
15 *Ramorum proximitas pendet à proximitate stipitum.*
16 *Illegitimi censentur vocati ad Juspatronatus, quando omnes descendentes vocantur.*
17 *Illegitimi non admittuntur ad Juspatronatum concessum ob nobilitatem Familiæ.*
18 *Illegitimi, ubi sunt admittendi ad Juspatronatum, requiritur, ut deficiant legitimi.*

Digitized by Google



Vix vicerat Patruus, & sententiam favorabilem reportarat adversus Nepotem, de quo in praecedenti Discordia, cum se iterùm audiverit vocari ad arma à quodam alio Competitore de Nobili Familia Gerarda, qui cum esset Senior aetate, & major natu, quàm ipse Patruus, etsi de alia linea, praetendebat praeferri in hoc Jurepatronatu, & se admitti ad praesentandum Parochum in praesenti vacatione Ecclesiae S. Aforosii, ipso Patruo excluso, itaut necesse habuerit denuò pugnare cum hoc Competitore,
1 quando crediderat frui victoriâ habitâ contra Nepotem; & viderit verificari id, quod cecinit Lucanus *ad Pisonem*.

Tamen etsi bella quierunt,
Insurgit bellum; est opus exercere togatae
Militiae arma, opus est & sine Sanguinis haustu
Mitia legitimo sub Judice bella movere.

At etiam in hoc novo conflictu Legali ego consultus, eidem Patruo victoriam spopondi, quia pro eo stabat justitia causae; nec timendum erat, quod à sapientissimo, ac rectissimo Judice talis Competitor admitteretur ad praesentandum Parochum, cum nullum Jus, nullamque facultatem in hac vacatione Ecclesiae in puncto Juris, & in sensu veritatis ipse haberet.

Pro intelligentia dicendorum circa hanc novam Discordiam praemittere oportet, duas esse principales lineas dd. Comitum de Gerardis inter se distinctas; siquidem una incipit ab Avo primi acquirentis hoc
2 Juspatronatum; altera procedit à Proavo ejusdem acquirentis: cum enim ipse Proavus habuerit duos filios, & ambo uxoratos, ex utrisque propagata est Nobilis haec Familia; & ab eis formatae sunt duae lineae descendentium, quarum stipes est Proavus praedictus. Ex uno autem praedictorum duorum filiorum nati sunt alii duo filii, qui pariter duxerunt Uxores, & filios genuerunt, & ex eis formatae sunt duae aliae lineae subalternae, in una quarum natus est ille, qui impetravit, & acquisivit ex Privilegio hoc Juspatronatum à Papa; & hujus primi acquirentis Avus fuit stipes dictarum duarum linearum, quas subalternas Jurisperiti solent vocare. Mortuo deinde ipso primo acquirente, & ejus lineâ (quae erat una ex praedictis duabus subalternis) extinctâ; cum in Bulla Pontificia in tali casu vocatus esset ad hoc Juspatronatum Transversalis proximior eidem primo acquirenti; ita factum est: nam obnepos descendens ab Avo ipsius primi acquirentis, & tanquam ei proximior Transversalis, ingressus est possessionem hujus Juspatronatus, quam descendentes ab illo usque in praesentem diem conservarunt per effectivam Parochorum ad praedictam Ecclesiam, quoties vacavit, praesentationem; & de linea, ac descendentia ejusdem Transversalis proximioris primi acquirentis est Patruus Victor, de quo in antecedenti Discordia; & qui nunc coactus est cum novo Competitore pugnare.

Igitur iste novus Competitor non fovet bonam causam adversus praedictum Patruum; quia Summus Pontifex, post extinctam lineam primi acquirentis hoc Juspatronatum, requirit duas qualitates in illis de Nobili hac Familia, ut sint capaces ejusdem Jurispatronatus. *Unam*, quod ipsi sint descendentes à primo Transversali proximiori praedicto primo acquirenti; *Alteram*, ut inter hos descendentes solus antiquior, & major aetate, Parochum eligat, ac praesentet. Competitor in praesenti Discordia, estò quod habeat qualitatem majoris aetatis; & sit senior, ac antiquior Patruo; non habet aliam qualitatem descendentiae à primo Transversali, qui fuit proximior primo acquirenti: nam non descendit per ejus lineam ab Avo incipientem, sed per aliam lineam à Proavo promanantem; ideò non potest ei competere Jus praesentandi Parochum, quia adimplenda est ordinatio Papae, cujus verba sunt sequentia: *Tibi* (idest Primo acquirenti) *ac Tuo, & Successorum tuorum Primogenito masculo, & successivè aliis Primogenitis similiter masculis à Te descendentibus; ac illis deficientibus, Proximiori ex Transversalibus, & successivè alteri Antiquiori ex dictis Transversalibus pro tempore existentibus, perpetuò* (hoc Juspatronatum) *reservamus, concedimus, & assignamus, &c.* Idcircò cum jam sit extincta linea primi Acquirentis, & hoc Juspatronatus transitum fecerit in ejus proximiorem Trans-

Digitized by Google

Transversalem, & in descendentes ab eo, qui vult se Patronum dicere, & Parochum præsentare ad hanc Ecclesiam Villæ S. Aforolii, debet duas prædictas qualitates habere; descendentiæ scilicet ex linea ipsius proximioris Transversalis, & seniorìtatis, idest majoris ætatis inter eosdem descendentes, juxta supradicta Verba Bullæ Pontificiæ concessivæ hujus Jurispatro-
3 natus, quæ ad unguem sunt servanda. Vivian. *de Jurepatr. lib. 4. cap. 2. num.* 3. Loterius *de Re beneficiar. lib.* 2. *q.* 11. *num.* 12. Ciarlin. *lib.* 3. *cap.* 222. *num.* 12. Emin. Card. de Luca *de Jurepatron. disc.* 61. *num.* 9. 11. & 12. ac etiam Rota *part.* 4. *recent. de-*
4 *cis.* 571. *num.* 2. *tom.* 1. & his duabusqualitatibus attentis rejicienda est præsentatio Parochi facta per Competitorem, ambas has qualitates non habentem; non enim sufficit una tantùm. Loterius *d. lib.* 2. *q.* 11. *num.* 42. Rota *part.* 14. *recent. decis.* 469. *num.* 8. & admittenda est illa, quam fecit Patruus prædictus, qui utraque qualitate est ornatus: siquidem

Primò, ipse Patruus est ex linea, ac ex descendentia antedicti Transversalis proximioris primo Acquirenti; ut ex registris Baptismatum in judicio productis, & ex enunciativa Episcopalis Visitationis hujus Patronatæ Ecclesiæ *de Anno* 1669. ac ulteriùs ipse est senior, ac ætate major aliorum descendentium ex hac
5 linea, ut ex iisdem Baptismis. Ergo ad ipsum spectat in præsenti vacatione Ecclesiæ Parochum præsentare. Lambertin. *de Jurepatron. lib.* 2. *part.* 1. *art.* 2. *q. princ. num.* 2. Rochus *eod. tract. Verb. Ipse. num.* 73. Gabriel *lib.* 2. *conf.* 196. *num.* 4. Peregrinus Eques Patavinus *lib.* 1. *conf.* 33. *n.* 14. & Rota *d. part.* 4. *recent. decis.* 290. *num.* 1. *tom.* 1.

Secundò, hæc linea prædicti proximioris Transversalis, à quo ipse Patruus descendit, est in possessione hujus Jurispatronatus, ac Juris præsentandi Parochum ad hanc Ecclesiam; nam filii ejusdem proximioris Transversalis Anno 1632. præstiterunt suum consensum resignationi tunc factæ in manibus Papæ
6 de eadem Ecclesia; quæ consensus præstatio dat possessionem Patrono illum præstanti. Vivianus *eod. tract. lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 14. & successivis temporibus alii descendentes in hac linea ab eodem proximiori Transversali, quando evenit vacatio hujus Ecclesiæ, elegerunt, ac præsentarunt Parochum, qui ab Ordinario fuit institutus, ut in processu causæ; quæ quidem
7 possessio juvat posteriores descendentes, ut in puncto scribit Tondut *Resol. benefic. lib.* 1. *cap.* 118. *num.* 18. & Cæsar de Panimollis *decis.* 138. *num.* 20. cumque Patruus principalis in præsenti Discordia sit de numero eorundem descendentium, vigore antedictæ possessionis Prædecessorum, est de Jure manutenendus in dicta facultate præsentandi Parochum contra quoscunque alterius lineæ. Postius *de Manutent. Observat.* 55. *num* 34. Loterius *lib.* 2. *quæst.* 11. *num.* 94. & 114. Ciarlin. *d. lib.* 3. *cap.* 222. *num.* 26. & 27. Rota *part.* 2. *recent. Decis.* 337. *num.* 3. nec non *part.* 14. *recent. decis.* 309. *num.* 39. & per consequens Competitor adversarius est repellendus; præcipuè quia descendit ab alia linea, quæ nunquam præsentavit, & nullam possessionem obtinuit hujus Jurispatronatus; idem Ciarlin. *d. cap.* 222. *à num.* 41. & *seqq.* Ferrettus *conf.* 135. *num.* 3. Gabriel *lib.* 2. *conf.* 192. *n.* 2. Rota *part.* 1. *recent. decis.* 402. *num.* 5. Eadem Rota post Vivian. *decis.* 85. *num.* 3.

Tertiò: Juspatronatum Ecclesiasticum regitur, ac metitur secundùm Regulas Fideicommissorum; quarum præcipua est, quod Successio spectet ad illum, ad quem pervenerunt bona Auctoris, seu primi ac-
8 quirentis ipsum Juspatronatum. Loterius *d. lib.* 2. *quæst.* 11. *num.* 87. & Emin. Card. de Luca *de Fideicommiss. disc.* 30. *num.* 18. Porrò notorium est, Patruum hujus causæ principalem possidere bona, quæ fuerunt primi acquirentis, & habitare ejus Palatium situm in eadem Villa S. Aforolii, ut ex inscri-
ptione marmorea existente super januam ejusdem Pa-
9 latii, cui tanquam antiquæ credendum est. *l. Stemmata C. de Fabricis lib.* 11. Ancharan. *conf.* 113. *num.* 4. Igitur etiam ex hac regula, & Legali fundamento Patruus ipse in præsenti Discordia tanquam verus, ac legitimus possessor hujus Jurispatronatus est admittendus ad præsentandum Parochum; rejecto, ac licentiato Adversario Competitore nullam portionem habente bonorum, quæ fuerint Equitis de Gerardis primi acquirentis hujusmet Patronatus Iuris.

Quartò: & quòd Competitor sit reijciendus à præsentatione Parochi, & licentiandus ab ejus instantia patet; quia ipse non est de linea Transversalis proximioris primo acquirenti; sed de alia linea Transversalium remotiorum ab ipso primo acquirente. Hoc facile conspicitur in arbore hujus familiæ, nam Patruus in hac causa principalis descendit ex linea Avi prædicti primi acquirentis: Competitor autem Adversarius in hac causa natus est ex linea Proavi ejusdem primi acquirentis. Porrò descendentes ex linea Avi sunt proximiores ipsi primo acquirenti: descendentes ex linea Proavi sunt ei remotiores; siquidem Avus distat
10 à primo acquirente ejus Nepote gradibus duobus tantùm: Proavus verò ab eodem primo acquirente pronepote suo distat gradibus tribus, ut in computatione graduum docet Imperator Justinianus *in Instit. Civil. lib.* 3. *tit.* 6. §. 2. & 3. Ex his sequitur, Competitorem adversarium non posse admitti ad præsentandum Parochum; quia ipse non est capax hujus Jurispatronatus, cum ortum habeat ex linea remotiori; cujus initium, & stipes est Proavus primi acquirentis. Papa autem, casu quo extingueretur linea, & descendentia ipsius primi acquirentis (prout nunc extincta est) non vocavit omnes Transversales de familia seniores; sed vocavit Transversales eidem primo acquirenti proximiores; ideò descendentes ab Avo, tanquam proximiores, & vocati, sunt admittendi; descendentes à Proavo tanquam remotiores sunt licentiandi, quia non sunt vocati. Honded. *vol.* 1. *conf.* 4. *num.* 100. Card. Parisius *lib.* 2. *conf.* 88. *num.* 36. Menochius *lib.* 12. *conf.* 1171. Peregrin. *lib.* 5. *conf.* 42. & Emin. Card. de Luca *de Fideicom. disc.* 25. *à num.* 17. & *seqq.*

Quintò: ulteriùs Competitor Adversarius est licentiandus, quia quamvis utraque linea Avi, & Proavi vocata esset, cum debeat proximior Transversalis primo acquirenti in hoc Jus succedere; nunc, & in præsenti vacatione Ecclesiæ ipse Competitor est remotior; Patruus verò est proximior eidem primo acquirenti, & sic est præferendus ipsi Competitori. Quod Competitor sit remotior constat ex numeratione graduum in arbore hujus nobilis Familiæ in utraque linea Avi, & Proavi existentium; cum enim in omni
11 materia Civili, & Successoria (Matrimoniali excepta) tot sint gradus, quot sunt personæ, de quarum proximitate quæritur, stipite dempto, ut docent Pichardus *in Instit. Civil. lib.* 3. *tit.* 6. *num.* 10. Nicolius *Lucubrat. Civil. lib.* 1. *tit.* 10. *num.* 16. Gratian. *Discept.* 67. *num.* 1. Marescott. *Var. resol. lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 23. & Emin. Card. de Luca *de Successionib. ab intest. disc.* 27. *num* 12. nec non *de Jurepatron. disc.* 33. *num.* 4. & 11. constat ex numeratione graduum in arbore hujus Familiæ in judicio producta, ipsum Competitorem esse in decimo gradu cum primo Acquirente, ac Auctore hujus Jurispatronatus; Patruum verò esse in gradu nono; & sic ipse Competitor Adversarius est Transversalis remotior à primo Acquirente; ac propter hoc etiam inhabilis ad succedendum; cum vocati sint Transversales proximiores, non autem remotiores.

Sextò: sed quatenùs etiam ipse Competitor esset multò senior, & in gradu proximiori respectu primi Acquirentis, adhuc non esset admittendus ad præsentandum Parochum, quia non est de linea Avi; jam à septuaginta annis, & ultra admissa ob proximita-
tem

Digitized by Google

tem ad hoc Juspatronatum; & ad hoc munus præsentandi; sed ipse oritur ex linea Proavi, quæ tanquam remotior ad hoc Jus nunquam fuit admissa; quandoquidem omnes Jurisperiti advertunt, quod quando Jus succedendi in Primogenitura, vel Fideicommisso,
12 vel Jurepatronatus semel ingressum est in unam lineam, donec illa durat, non fit transitus ad alteram. Ita Fusarius *de Substitut. quæst.* 484. *num.* 33. Peregrinus *de Fideicomm. art.* 27. *num.* 14. & *lib.* 3 *consil.* 42. *num.* 6. Rota *part.* 2. *divers. decis.* 209 & *part.* 15. *recent. decis.* 103. *num.* 23. ubi DD. plurimi. Et jure quidem, nam prærogativa proximitatis lineæ est ei servanda non solùm in ingressu, sed etiam in progres-
13 su. Rota *part.* 18. *recent. decis.* 414. *num.* 10. *tom.* 2. & esset magnum absurdum, quod succumbente Proavo in hac prærogativa proximitatis; & prævalente Avo; descendentes postea ab ipso Proavo prævalerent descendentibus ab eodem Avo, contra regulam Juris, si vinco vincentem Te, multò magis vinco Te.
14 Thomasettus *in Florib. Leg. Regula* 282. Everard. *in Topic. Legal. loco* 67. & Barbosa DD. cumulans *in Axiom.* 226. subdens, quod proximitas ramorum dependet à proximitate stipitum; & secundum eosdem
15 stipites regulanda est, ac metienda proximitas in descendentibus ab eis. Altograd. *cons.* 25. *num.* 1. & Card. de Luca *de Jurepatron. disc.* 33. *num.* 4. nam tale debet esse causatum, quale est ejus causa. *l. Manumissione. ff. de Justit. & Jure.* Idem Barbosa *Axiom.* 40. *num.* 24. Igitur cum linea Proavi, ex qua nascitur Adversarius Competitor, semel tanquam remotior fuerit exclusa ab hoc Jurepatronatu; & è contra linea Avi, ex qua descendit Patruus, jam fuerit admissa tanquam proximior in hoc Jus: & nefas sit secundum Leges, & Legisperitos, quod idem Jus relinquat lineam, in quam semel est ingressum; concludendum venit in puncto Juris, & in terminis Justitiæ, ac in sensu veritatis, esse penitùs repellendum Competitorem prædictum à sua petitione, & instantia; & è contra esse admittendam præsentationem Parochi, nunc factam à Patruo, cui hæc nova victoria debetur, ut sicut vicit Nepotem, ita vincat Competitorem.

Corollarii loco petiit à me ipse Patruus, an ei sit timendum de novo conflictu in hac præsenti Ecclesiæ vacatione, ob jactationem cujusdam Naturalis de hac eadem familia, & linea; qui cum sit senior ipso Patruo, minatur ei litem facere, ac Jus præsentandi prætendere, dicens Bullam Pontificiam concessivam hujus Jurispatronatus non requirere legitimitatem in
16 descendentibus; & per consequens non excludere naturales ex eadem descendentia, & linea, quando sint antiquiores, idest seniores, ac majores ætate; ut docent Baldus *in l. Eam, quam in fin. C. De Fideicom.* Rochus *de Jure Patron. Verbi Competens. num.* 9. Gigas *de Pensionib. q.* 16. *num.* 2. & Rota *part.* 1. *recent. decis.* 126. *num.* 1. & 2.

Nihilominùs respondi, ei non esse timendum de novo litigio, quia prædictus Naturalis, etsi senior, atque de hac linea, non potest intrare in hoc Juspatronatum, neque habere Jus præsentandi Parochum ob duas præcipuas rationes. *Una* est; quia Papa in
17 concessione hujus Jurispatronatus ex Privilegio habuit respectum ad nobilitatem tùm Comitis primi Acquirentis, tùm totius hujus Familiæ, ut constat ex verbis Privilegii Pontificii, ibi: *Dilecto Filio Nobili Viro Equiti &c.* & inferiùs ibi: *Quare pro parte Tui &c. asserentis Te de Nobili genere procreatum &c.* idcircò cum Naturales non sint nobiles, sed ignobiles, ob hunc respectum nobilitatis, ob quem Papa motus est ad concedendum ex mera sua gratia, ac Privilegio hoc Juspatronatum; ad ipsum non habent accessum Naturales, ut tradunt Peregrin. *de Fideicom. art.* 22. *num.* 81. & 82. Loterius *lib.* 2. *quæst.* 11. *num.* 150. Menochius *cons.* 321. *num.* 20. & seipsam explicando advertit Rota *d. part.* 1. *recent. decis.* 126. *num.* 7. *Alia* ratio est, quia assertio Doctorum, quod Naturales expressè non exclusi admittantur ad Juspatronatum, intelligenda est, tunc, & quando non extant
18 legitimi: secùs autem ubi hi habentur; nam cum ipsis naturales non concurrunt, sed solummodò in defectum legitimorum, ut per Imolam *in l. Ex facto. §. Si quis rogatus. num.* 6. & ibi Alex. *num.* 16. *ff. Ad Trebellian.* Peregrin. *de Fideicom. art.* 28. *num.* 50. Menochius *cons.* 285 *à num.* 14. & *seqq.* eadem Rota *part.* 1. *recent. d. decis.* 126. *num.* 5. Paulus de Rubeis *in Addition. ad Rotam part.* 8. *recent. decis.* 262. *in fine* & Emin. Card. de Luca *de Jurepatron. disc.* 37. *num.* 7. Quare &c.

DISCORDIA LXII.

ARGUMENTUM.

Quomodo, & quando Parochus unius Diœcesis possit in alia Diœcesi sibi confine Confessiones Sacramentales audire? copiosè declarat præsens Discordia, non ficta, sed orta inter duos Parochos duarum Diœcesum sibi adinvicem adjacentes.

SUMMARIUM.

1 *Parochus unius Diœcesis an in Parochia sibi vicina alterius Diœcesis possit confessiones audire?* & num. 22.
2 *Confessiones audiunt tùm Parochi, tùm alii Sacerdotes ab Episcopo approbati.*
3 *Parochi vicini diversarum Diœcesum ex consuetudine audiunt confessiones in utrisque.*
4 *Patavinæ Diœcesis consuetudo circa prædictos Parochos adinvicem adjacentes.*
5 *Jubilæi tempore an Parochus alienæ Diœcesis possit audire Confessiones in alia Diœcesi, si eligatur in Confessarium?* & num. 23.
6 *Quilibet potest confiteri coram quo Confessario voluerit absque sui Parochi licentia?* & num. 8.
7 *Parochi quæ Sacramenta privativè quo ad alios ministrent?*
9 *Confessionibus pro audiendis duo principia Legalia.*
10 *Approbatio Confessariorum à quo Episcopo facienda? olim opiniones quatuor. Et quæ?*
11 *Confessarius ab Episcopo loci, in quo auditurus est Confessiones, debet approbari.*
12 *Barbosæ opinio circa dictam approbationem.*
13 *Jus dicenti extra territorium non paretur.*
14 *Card. Lugonis opinio, à quo Episcopo sit confessarius approbandus?*
15 *Cardinalis de Lauræa opinio de eadem approbatione.*
16 *Rotarii opinio de approbatione prædicta.*
17 *S. Congregationis Concilii Declarationes, quod approbatus ad Confessiones in una Diœcesi, non potest in alia eas audire sine nova approbatione.*
18 *Urbanus VIII. Anno 1628. revocavit concessiones audiendi Confessiones habitas sine approbatione Episcoporum Diœcesanorum.*
19 *Diœcesanus Episcopus quis sit?*
20 *Clementis X. Constitutio, ne approbatus ad Confessiones in una Diœcesi, illas audiat in alia absque nova approbatione.*
21 *Parochus an per totam suam Diœcesim possit Confessiones audire?*
22 *Parochus unius Diœcesis in alia Confessiones non audit absque Diœcesani licentia.*
23 *Jubilæi ob Bullam Parochus unius Diœcesis non est approbatus in alia.*
24 *Parochi alienæ Diœcesis qua conditione admittantur in alia Diœcesi vicina ad Confessiones audiendas?*
25 *Consensus proprii Parochi est necessarius adhoc, ut alius Parochus vicinæ Diœcesis audiat Confessiones in sua*

Digitized by Google

in sua Parochia, & num. 27.
26 *Conditione deficiente actus conditionis remanet nullus.*
27 *Doctorum auctoritates de consensu proprii Parochi, ut alius in sua Parochia, etsi vicinæ Diæcesis, Confessiones audiat.*
28 *Gobati doctrina circa necessitatem prædicti consensus.*
29 *Suarezii opinio erronea, quod Parochus alienæ Diæcesis ex Bulla Jubilæi possit eligi ad audiendas Confessiones.*
30 *Confessarius non approbatus in illa Diæcesi, in qua Confessiones audit, quâ pœnæ sit plectendus?*

ARchipresbyter Pluvenarum Patavinæ Diæcesis lamentabatur mecum de Archipresbytero Sancti Ursi Diæcesis Vicentinæ, cujus Parochia est conti-
1 gua, confinesque habet cum illa de Pluvenis, eo quod ipse Archipresbyter S. Ursi vocatus à DD. Comitibus Thienæis, Nobilibus Vicentinis, habentibus domicilium, in quo æstivo tempore habitant, sub Parochia prædicta Pluvenarum; accesserit ad dictum domicilium, & ibi unius infirmi Confessionem Sacramentalem audiverit; eique Sacramentum Pœnitentiæ ministraverit, irrequisito eodem Pluvenarum Archipresbytero, & nulla licentiâ ab eo obtentâ. Subindè à me requisivit, an licitè, & validè id egerit? In hac Discordiâ videbatur primâ facie respondendum Affirmativè.

Primò, quia duo genera Sacerdotum licitè, & validè possunt audire Sacramentales Confessiones, & Pœnitentiæ Sacramentum ministrare; scilicèt hi, qui habent Parochiale beneficium; & hi, qui ab Epis-
2 copo sunt approbati. Ita Concilium Tridentinum *sess. 23 de reform. cap.* 15. cujus hæc sunt verba: *Decernit Sancta Synodus, nullum etiam Regularem, posse Confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari; nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis, per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliâs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat.* Sed Archipresbyter S. Ursi habet beneficium Parochiale. Ergo licitè, & validè potuit audire Sacramentalem Confessionem in domo DD. Comitum de Thienæis.

Secundò: Tantò magis quia prædicta domus est contigua suæ Parochiæ; quia ut suprà dictum est, conterminant simul Pluvenarum Parochia, & Parochia S. Ursi. Est autem generalis consuetudo Italiæ, quod Parochi audiant Confessiones etiam in Parochia
3 sibi contigua in levamen sui Parochi vicini, ut testatur Suarez *in 3. part. D. Thomæ tom. 4. de Sacram. Pœnit. disp. 28. sect. 4. num. 19.* ita scribens: *Inter nos verò hanc scimus esse consuetudinem, ut Parochi sese mutuò juvent ex solo suo consensu, non tantùm intra eandem Diœcesim, quod est certum, & frequentiùs; sed etiam in confinio distinctarum Diœcesum.* Quam consuetudinem extare etiam apud Hispanos, & Lusitanos, nec non in Gallia, & Lotharingia notat Barbosa *ad d. Concil. Trid. sess. 23. cap. 15. num. 19.* ex DD. ibi per eum citatis; & eam vigere in hac
4 Diæcesi Patavina ego conspexi in Visitationibus Eminentissimi, ac Reverendissimi Sanctæ memoriæ Cardinalis Gregorii Barbadici Episcopi, Heri mei, cum quo, tanquàm ejus Auditor, Diæcesim hanc pluries, per annos triginta, & ultrà perlustrávi; semperque vidi, & intellexi; Parochos Diæcesum Vicentinæ, Tarvisinæ, ac Feltrensis cum hac Diæcesi Patavina confinantes, audire Confessiones in Parochiis hujusmet Diæcesis, ipsis contiguis absque alia approbatione Ordinarii Patavini; & è contra Parochos Patavinos habentes Parochias in confinio earundem trium Diæcesum, intrà illas Pœnitentiæ Sacramentum administrare in Parochiis circumvicinis absque illorum Episcoporum approbatione; prout etiam adverti in meis Decisionibus *De Sacram. Pœnitentiæ Decis. 37. num.* 12.

Tertiò non parùm videtur juvare factum Archipresbyteri S. Ursi, & probare, quod ipse potuerit audire Confessiones in domo dictorum DD. Comitum Thiæneorum, quamvis sub Parochia Pluvenarum, & in Diæcesi Patavina, communis opinio Doctorum, asserentium, quod virtute Jubilæi, vel Bul-
5 læ Cruciatæ potest eligi, & vocari ad audiendam Confessionem Sacramentalem etiam Parochus alienæ Diæcesis; ut docet Vivald. *in Candelabr. Aureo tit. de Confess. num. 28. conclus.* 1. Henriquez *de Sacram. Pœnit. lib. 6. cap. 6. §. 7.* Joann. Valerus *de differ. utriusque fori Verb. Absolutio. diff. 1. num.* 16. Suarez *d. tom. 4. disp. 28. sect. 4. num.* 18. & alii, quos citat, & sequitur Barbosa *de Offic. & Pot. Episc. allegat. 25. num.* 19. Ea ratione, quia qui obtinet beneficium Curatum, & approbatus est pro cura animarum exercenda, censetur pariter approbatus ubique pro audiendis Confessionibus Sacramentalibus omnium personarum extranearum, etiamsi sibi non subditarum. Idem Barbosa *in tract. de Parocho cap. 19. num. 4. & 5.*

Quartò facit; quod Archipresbyter S. Ursi non debet esse deterioris conditionis, quàm sit simplex alius Confessarius sivè Sæcularis, sivè Regularis, qui
6 potest vocari ad suam domum à quocunque aut sano, aut infirmo, coram eo peccata sua confiteri volente, absque obligatione petendi licentiam à proprio Parocho, intra cujus Parochiam habitat. Siquidem, ut ego dixi *in d. Decis. 37. num. 12. de Sacram. Pœnitentiæ*, nunc quatuor tantùm Sacramenta administrantur à Parochis privativè ad quemcunque alium
7 respectu suorum Parochianorum, scilicèt Baptismus, Communio Infirmorum, Extrema Unctio, & Matrimonium: adeòut, quemadmodum Parochi non possunt lamentari hisce temporibus; si habitantes sub eorum cura audiunt Missam, & divina Officia in alienis Ecclesiis; sic non possunt dolere, si pro confitendis eorum culpis vocant quemcunque Sacerdotem approbatum ad eas audiendas, qualem esse diximus, ex decreto Concilii Tridentini, quemcunque Sacerdotem Parochiale beneficium possidentem. Quod autem simplices Confessarii non teneantur petere licentiam à Parocho, si vocentur ab aliquo infirmo ad ejus Confessiones audiendas; sed sufficere, si postea fidem habitæ Confessionis in domo infirmi re-
8 linquant, pluries respondit Sacra Congregatio *Episc. & Reg.* & signanter *die 13. Septembris* 1641. ac deinceps, ut refert novissimè Pignatellus *tom. 10. Consult. 71. num.* 6.

Nihilominùs his minimè obstantibus, quæsito hoc maturè considerato in puncto Juris, & in sensu veritatis respondendum censui, Archipresbyterum S. Ursi nec licitè, nec validè potuisse audire Confessiones Sacramentales in domo DD. Comitum Thienæorum posita intrà Parochiam Pluvenarum Diæcesis Patavinæ, inscio, imò invito Parocho ejusdem loci Pluvenarum; ex illis duobus inconcussis, ac stabilibus principiis legalibus, quibus nunc innixa permanet
9 facultas audiendi Confessiones: *Uno* videlicèt, quod Confessarius debet esse approbatus ab Ordinario loci, in quo audienda est Confessio; *Altero*, quod Episcopi sivè expressè, sivè tacitè eatenùs approbant Parochos alienæ Diæcesis commorantes in confinibus Diæcesis propriæ, ut in ea audire possint Confessiones, quatenùs Parochi propriæ Diæcesis advocent, ac invitent prædictos Parochos alienæ Diæcesis sibi contiguos, ut intra suam Parochiam Confessiones audiant, & super hac auditione consentiant; secùs autem si nescii sint, vel inviti.

Primum fundamentale principium, quod Confessarius debeat esse approbatus ab Ordinario illius loci, in quo audienda est confessio, hisce temporibus constructum, & firmatum repetitur modernorum magnæ doctrinæ Doctorum Auctoritate; Decretis, ac Declarationibus Sacræ Congregationis Concilii; nec non Apostolicis Constitutionibus. Quandoquidem, cum olim

Digitized by Google

ro olim quatuor essent diversæ opiniones Doctorum circa approbationem Confessariorum, quas refert Barbosa *de Offic. & Potest. Episc. d. alleg.* 25. *à num.* 26. & *seqq.* *Una* quarum dicebat, sufficere approbationem Confessarii factam sivè ab Episcopo ipsius, sivè ab Episcopo pœnitentis, sivè ab Episcopo loci, in quo audiebatur confessio; quam opinionem tenebant Henriquez *in Summa lib.6. cap.6. §.7. & lib.7. cap.12.* Valerus *de Differ. utriusque fori d. Verb. Absolutio. differ.*1. *num.*62. *Secunda* verò affirmabat, approbationem esse necessariò faciendam ab Episcopo pœnitentis. Gutierez *QQ. Canonicar. lib.*1. *cap.* 27. *num.*6. *Tertia* asserebat, approbandum esse Confessarium ab ipsius proprio Episcopo. Ita Suarez *in* 3. *part. D. Thomæ d. tom.*4. *de Sacram. Pœnitent. disp.* 28. *sect.* 8. *num.*3. & Reginaldus *in Praxi fori Pœnitent. lib.* 1. *num.*185. *Quarta* verò, quod oportet, ut Confessarius approbetur ab Episcopo Diœcesano, idest illius loci, in quo
11 facienda est confessio, & administratur Pœnitentiæ Sacramentum. Hæc quarta opinio tanquam verior, securior, & magis consona Tridentino Concilio, prævaluit cæteris, atque stabile fundamentum obtinuit in universa Ecclesia; & ubique in Praxi recepta est, ut testantur sublimioris auctoritatis Doctores, inter quos sunt sequentes, videlicèt:

Barbosa *d. alleg.* 25. *de Offic. & Potest. Episc. num.* 30. ubi ita scribit: *Quarta sententia, (cui tanquam probabiliori adhæreo,) dictat, necessariam esse approbationem Episcopi ejus loci, quo fit confessio, cujus*
12 *multiplex ratio adducitur. Primò, quia ubi Episcopi, vel Prælati mentio fit, debet intelligi de Episcopo loci, in quo actus gerendus est, & cui incumbit Cura animarum, ne aliàs sequatur confusio contra vulgatam regulam textus in cap.*1. *dist.*92. & *in cap.*1. 13. *quæst.*1. *atque Concilii Tridentini sess.*14. *de Ref. cap* 9. *Secundò, quia extra territorium jus dicenti non paretur. l. ult. ff. de*
13 *Jurisd. omn. Judic. cap.* 2. *de Constit. lib.* 6. *Tertiò quia licèt Sacerdos in uno Episcopatu approbatus, & idoneus sit; in alio tamen propter majorem difficultatem negotiorum, majori indiget eruditione, majoremque expostulat casuum occurrentium experientiam. Navarrus in Man. cap.*4. *num.* 4. *Quartò quia Concilium æquiparat habentem Parochiale beneficium, & approbatum ab Episcopo: sed habens beneficium Parochiale non potest audire Confessiones extra locum, ubi est beneficium, & multò magis extra Diœcesim ex supra resolutis num.* 19. *Igitur nec approbatus ab uno Episcopo potest audire Confessiones in Episcopatu alterius. Quintò quia Patres Societatis Jesu habent Privilegium, ut iter facientes ubique audiant confessiones. Ergo in contrarium est jus commune.* Hucusque Barbosa; qui deindè citat Doctores quindecim partim Theologos, partim Canonistas hanc opinionem amplectentes.

Hanc eandem opinionem, discussis, & rejectis primis tribus, elegit, & tenuit Emin. Card. de Lugo *de Sacram. Pœnit. disp.* 21. *sect.* 2. *sub num.* 35. ubi hæc
14 subdit: *Debet itaque intelligi Ordinarius* (sc. pro approbando Confessario) *juxta subjectam materiam, non ille, cui ratione domicilii, aut originis Sacerdos subest; sed cui subest in ordine ad hoc ministerium audiendi confessiones talium personarum; plerumque enim peregrini, & hospites subduntur Judici Ordinario Territorii, in quo versantur, & ejus legibus, ut latè probat cum communi Suar. to.* 1. *de Relig. lib.*2. *cap.*14. *à n.* 9. Et paulò infra: *Undè licèt Sacerdos peregrinus approbatus sit ab Ordinario sui domicilii, non tamen est approbatus à suo Ordinario, si non approbatur ab Ordinario hujus loci: quia Ordinarius suus, in Ordine ad confessiones hujus Diœcesis audiendas, est solus ille, cui in Ordine ad hoc munus subditur; & à quo, si in hac materia deliquerit, poterit puniri, tanquàm à suo Judice, & Ordinario in hac serie causarum.* Et post longam digressionem probando convenientiam hujus opinionis, tandem *num.* 40. recapitulando superiùs dicta subdit: *Infero quartò, Sacerdotem Ostiensem approbatum ab Episcopo Ostiensi, si Tusculi commoretur, non solùm non posse ibi audire Cives Tusculanos sine approbatione Episcopi Tusculani; sed neque Ostienses sine eâdem approbatione Episcopi Tusculani.*

Fortiùs tamen, & magis nervosè confirmat hanc opinionem Emin. Card. de Lauræa *in* 4. *sent. tom.* 2. *de Sacramento Pœnitentiæ disp.* 20. *art.* 3. ubi *num.* 83. firmat hanc conclusionem: *Dico secundò appro-*
15 *batio hæc Sacerdotum in ministerium Sacramenti Pœnitentiæ, facienda est non à Pastore, seu Episcopo pœnitentis, sed à Pastore, & Episcopo loci, in quo audienda est confessio.* Probat deindè ipse Eminentissimus Auctor dictam conclusionem fortissimis rationibus, quarum quinta *num.*91. talis est: *Facultas approbandi Sacerdotes concessa Episcopis à Concilio, data est ad finem boni regiminis, ut scilicèt ineptis non conferatur jurisdictio ab aliquo sivè privilegiato, sivè Parocho, sivè per Bullam Jubilæi. Ergo Episcopo loci competit. Consequentia probatur. Non esset provisum abusui, & negligentiæ, quæ irrepere quoad hoc consueverant antè Concilium, si loci Episcopus non approbaret; nam alius Pastor vel non ita vigilans in cura animarum, vel non indigens Confessariis valdè peritis, aut maturis in sua Diœcesi, ob conditionem suarum ovium, approbare posset aliquos, qui in alia Diœcesi apti non essent. Idem dicendum de Episcopo pœnitentium, & Confessariorum, quia in una Diœcesi aliqui sunt apti; qui inepti sunt in alia ob negotiorum, & personarum difficultatem. Pastor autem loci, cui notæ sunt necessitates, meliùs potest providere de remedio per approbationem eorum, qui pro malis illis curandis apti sunt. Ergo ad eum spectat approbare.* Et prosequitur aliis argumentis, & rationibus demonstrans stabilitatem hujus opinionis tàm in Theorica, quàm in Praxi.

Eandem novissimè tuetur etiam doctissimus Thomas Franciscus Rotarius in Apparatu Universæ Theologiæ Moralis *part.* 1. *cap.* 1. *De Ministro Sa-*
16 *cram. Pœnitent. num.* 4. ubi agens de approbatione Confessarii ita loquitur: *Approbatus ab uno Episcopo non potest audire confessiones, etiam sui antiqui Pœnitentis, extra Diœcesim approbantis, putà si illum reperiat in Æde Lauretana, vel alibi.* Stat igitur ex Doctorum auctoritate firmissimum hoc Juris principium, quod approbatus in una Diœcesi pro confessionibus audiendis non potest eas audire in alia Diœcesi, in qua non sit approbatus; & ex hoc provenit, ut infra latiùs dicetur, quod Archipresbyter S. Ursi tanquam Parochus, & approbatus pro Confessionibus in Diœcesi Vicentina, non potuit eas audire in Diœcesi Paduana, in qua non erat approbatus.

Secundò confirmatur etiam hoc principium fundamentale Declarationibus, ac Decretis Sacræ Congregationis Concilii, inter quæ magistrale est illud, quod refertur tùm ab Emin. Cardinale Lugone *de Sacram. Pœnit. d. disp.* 21. *sect.* 2. *num.* 34. tùm à Beja *in Responsis ad Casus Conscient. part.* 4. *casu* 20. *Vers. Tandem.* Et est hujusmodi: *Congregatio Con-*
17 *cilii respondet, approbatum ab alio, quam à Valentino Episcopo, in Diœcesi Valentina non censeri approbatum ab Ordinario.* Hanc declarationem etiam ab aliis approbatis Auctoribus referri notat Barbosa *de Offic. & Pot. Episc. d allegat.* 25. *num.* 32. ubi addit sequentem: *Die* 6. *Junii* 1608. *in una Calagurritana. Congregatio Concilii censuit, tàm Sæcularem, quàm Regularem in una Diœcesi approbatos ad audiendas personarum sæcularium Confessiones non posse in alia easdem Confessiones audire absque Episcopi Diœcesis approbatione.* De aliis quoque consimilibus Declarationibus meminit Pignatellus *tom.*1. *Consult.* 314. ubi requisitus, An Confessarius approbatus in una Diœcesi possit audire confessiones subditorum ejusdem Diœcesis in alia, in qua non sit ab Ordinario, ubi commoratur, approbatus? Respondit,

Non

Digitized by Google

Non posse, quia sic declaravit S. Congregatio Concilii in una Regularium die 15. Octobris 1644. ad cap. 15. sess. 23. de Reform. Et Congregatio S. Inquisitionis die 30. Januarii 1659. contra recentiores, eosque Regulares, nominatim verò contra utrumque Rodriquez, Mirandam, Bejam, Peregrinum, Dianam, Bordonum, quos audacter sectatur Pasqualigus in QQ. Moral. Canonicis Centur. 2. q. 198. num. 8. En, quàm fortè sit hoc fundamentale principium tot Sacræ Congregationis vallatum Decretis, Declarationibus, & Responsis?

Tertiò, sed fortissimum remanet, & omninò inexpugnabile ex Apostolicis Constitutionibus. Una est, de qua loquitur Emin. Card. de Lauræa *de Sacram. Pœnit. d. disput. 20. num. 88.* his verbis: *Ur-*
18 *banus Papa VIII. per Decretum factum Anno 1628. revocavit omnes concessiones, licentias, & privilegia audiendi Confessiones sine approbatione Episcopo-*
19 *rum Diœcesanorum. Sed Episcopus Diœcesanus dicitur Episcopus loci, vel territorii. Ergo ab hoc facienda est approbatio.* Altera Constitutio est illa Clementis Papæ X. Incipien. *Superna, &c. diei 20. Maii 1670.* de qua ego verba feci in meis Decisionibus *de Sacram. Pœnit. Decis. 37. sub num. 20.* & quam per extensum integram continent mea Erotemata *pag. 434.* in ea enim Summus Pontifex §. 4. ita decernit
20 circa Confessariorum approbationem: *Ad hæc Religiosos ab Episcopo ad confessiones sæcularium in sua Diœcesi audiendas approbatos, non posse in alia Diœcesi eas absque Episcopi Diœcesani approbatione audire; quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi, à quo ipsi Religiosi jam fuerant approbati.* Nec est controvertendum, quod talis determinatio, etsi de Religiosis Confessariis loquatur, non comprehendat etiam Confessarios sæculares, de quibus minor erat dubitatio, ob privilegia, ac exemptiones plurimas, quas Regulares pro se poterant allegare; & quibus omninò sæculares carent.

Ex his omnibus deducitur, quod Archipresbyter S. Ursi tanquam beneficium Parochiale habens in Diœcesi Vicentina nullo modo censetur approbatus pro audiendis Confessionibus virtute sui beneficii in Diœcesi Patavina; licèt enim Doctores sint inter se discordes in diffiniendo, utrùm Parochus possit audire confessiones fidelium in tota Diœcesi, in qua existit ejus beneficium Parochiale? alii enim affir-
21 mant, & alii negant; negantiumque videatur probabilior opinio ob declarationem Sacræ Congregationis, quam refert Piasecius *in Praxi Episc. part. 2. cap. 1. num. 10.* & Barbosa *de Offic. & Pot. Episc. d. allegat. 25. num. 18. & 19.* ubi etiam eosdem Doctores de hoc dissidentes citat; quæ declaratio est hujusmodi: *Provisum de Parochiali Ecclesia per concursum censendum esse approbatum, & idoneum ministrum ad audiendas Confessiones dumtaxat in ea Civitate, vel Oppido, ubi sita est Parochia, non autem passim per totam Diœcesim.* Nihilominùs, quidquid sit de prædicta opinione, & de ejus facultate audiendi confessiones in tota sua Diœcesi; certum est, & in-
22 dubitatum apud omnes tàm Theologos, quàm Canonistas, quod extra Diœcesim sui beneficii non potest audire Confessiones; & quod eget approbatione aliorum Episcoporum, in quorum Diœcesibus vult Sacramentum Pœnitentiæ ministrare, sicut egent alii simplices Sacerdotes; adeòut neque tempore Jubilæi possit eligi in Confessarium extra suam Diœcesim, ut benè firmant Emin. Card. de Lugo *de Sacram. Pœnitent. d. disp. 21. num. 14. Vers. Puto.* Emin. Cardin. de Lauræa *de eod. Sacram. disp. 20. num. 145.* Garzias *de Benefic. part. 5. cap. 8. num. 87.*
23 ubi ponit hoc responsum datum à S. Congregatione hujusmodi quæsito: *Quartum dubium. An obtinens Parochiale beneficium in una Diœcesi possit in alia absque Ordinarii loci approbatione eligi in Confessarium ab habentibus privilegium vigore Jubilæi eligendi Confessarium idoneum? Sacra Congr. respondit ad Quartum: Minimè potest.* Ex quo responso, & ex supra consideratis, nunc apud omnes scribentes extra controversiam est, quod Parochus non potest in aliena Diœcesi audire Confessiones sivè occasione Jubilæi, sivè ex quocunque alio motivo, nisi approbationem obtineat ab Episcopo ejusdem Diœcesis, in qua confessio est facienda, hoc enim est Juris principium irrefragabile, & fundamentum inconcussum incontrovertibile.

Aliud Legale principium est, quod Episcopi ex universali consuetudine sivè expressè, sivè tacitè approbant Parochos alienæ Diœcesis in confinio propriæ Diœcesis habitantes, ut possint audire confessiones etiam in propria Diœcesi, cum hac tamen conditione,
24 & non aliàs, si propriæ Diœcesis Parochi, iisdem Parochis alienæ Diœcesis contigui, & confines, eos vocent, requirant, & consentiant, ut in ipsorum Parochia Confessiones audiant; adeòut è contra; si Parochi propriæ Diœcesis eos non vocent, vel non consentiant, & sint inviti, minimè possint Parochi alienæ Diœcesis, etsi contigui, & in confinio morantes, in hac altera Diœcesi Sacramentum Pœnitentiæ cuivis personæ ministrare. Hoc principium deducitur tùm ex doctrina Emin. Cardinalis Lugonis *de Sacram. Pœnit. d. disp. 21. num. 14.* ibi: *Eo ipso, quod sit Parochus, potest audire Confessiones in aliis Parochiis ex voluntate aliorum Parochorum.* Ergò non potest, sine
25 aliorum Parochorum voluntate: tùm ex conclusione, quam probat Emin. Card. de Lauræa *eod. tract. de Sacram. Pœnitent. d. disp. 20. num. 120.* his verbis: *Parochus unius Parochiæ de licentia alterius Parochi absque alia Episcopi approbatione potest audire Confessiones, & substitui à tali Parocho in suo munere.* Igitur semper requiritur licentia, & consensus illius Parochi, in cujus Parochia alter Parochus vult audire Confessiones, quia (ut dictum est) eatenùs Episcopi approbant alienos Parochos, & præcipuè contiguos eorum Diœcesi, ut intra propriam Diœcesim possint Confessiones audire, quatenùs accedat consensus propriorum Parochorum. Idcircò si talis consensus non habeatur, minimè alieni Parochi sint approbati; nam ab Episcopis approbantur sub hac conditione; con-
26 ditio autem dat formam, & ea deficiente dispositio non sortitur effectum. *l. Qui heredi. l. Mevius. ff. de Condit. & demonstrat.* Menochius *cons. 60. num. 48.* & actus conditionalis non valet, nisi existente conditione. *l. Si quis sub conditione. ff. Si quis omissa causa.* Cephalus *cons. 56. à num. 11. & seqq.* Barbosa *Axiomate 48. num. 1. & 2.* ubi plurimos DD. cumulat.

Hinc omnes Scholastici, & Moralistæ, qui loquuntur de consuetudine permittente, ut unus Parochus audiat Confessiones in alterius Parochi limitibus, sivè in eadem Diœcesi, sivè in aliena, seu in confinio duarum diversarum Diœcesum, semper supponunt
27 consensum vel expressum, vel saltem tacitum, & ratum habentem illius Parochi, in cujus cura alter Parochus Confessiones audit; siquidem Suarez *de Sacram. Pœnit. d. disp. 28. sect. 4. num. 19.* ut notatum est supra *num. 3.* sic loquitur: *Inter nos verò hanc scimus esse consuetudinem, ut Parochi sese mutuò juvent ex solo suo consensu, non tantùm intra eandem Diœcesim, quod est certius, & frequentiùs; sed etiam in confinio distinctarum Diœcesum.* Notentur verba illa, *sese mutuò juvent:* & illa *suo consensu.* Ergo non nescii, non inviti. Idem pariter supponendo scribit Bonacina *tom. 1. De Pœnitentiæ Sacramento disp. 5. q. 7. punct. 4. sub num. 12.* inquiens: *Consuetudine aliquibus in locis receptum est, ut in confinibus diversarum Diœcesum subditi unius Parochi confiteantur alteri Parocho: vel ut unus Parochus accersat, & advocet vicinum alterius Diœcesis Parochum, ut opem sibi ferat in confessionibus ovium sibi subditarum excipiendis.* Si accersitus, & vocatus à Parocho alterius Diœcesis ibi Confessio-

Digitized by Google

fessiones audit, sequitur eas de consensu ipsius Parochi audire, non eo reluctante, vel nesciente. Pariter, (omissis aliis) sub hac conditione, ut proprius Parochus consentiat, scribit Gobatus in *Experiment. Theolog. tract. 7. num. 45.* dicens: *Approbati ratione beneficii possunt in tota Diœcesi, si placeat aliis Parochis, audire Confessiones.* Non ergo possunt, si eis non placeat, vel si beneplacitum hujus Parochi non præcesserit; ut latiùs declarat idemmet Gobatus
28 *d. tract. 7. num. 95.* his præcisis verbis: *Cum grano Salis est intelligenda doctrina practica Navarri in Manuali cap. 9. num. 6. absolutè scribentis, quando duo Parochi adeò sunt familiares, & vicini, ut uterque illorum tàm velit, ut sui Parochiani alteri confiteantur, quàm sibi; in eo casu absolutionem impensam Parochiano unius, qui alteri Parocho confitetur absque ullâ licentia, validam reputari, vi licentiæ tacitæ, seu præsentis ratificationis. Hæc quippè doctrina non est vera, nisi signo externo prodita sit hæc licentia: erit autem prodita, si, postquam intellexit ille vicinus, aliquos suorum ita esse Confessos, approbavit factum. Etsi enim hæc approbatio tacita, vel expressa non efficiat, ut valeant Confessiones tunc primùm approbatæ ab eo; facit tamen, ut valeant secuturæ; illæ autem priores non valuerunt, nisi ante auditionem earum usus fuerit talibus verbis, aut factis, quibus manifestare vellet, fore sibi gratam illam fraternam confidentiam, atque operam.* Si igitur nullæ sunt Confessiones auditæ ab alieno Parocho, quando alterius Parochi non ei innotuit consensus, ac beneplacitum sufficientibus verbis, vel factis; multò magis erunt invalidæ, quando iste Parochus non erat consentiens; & eo invito, vel recusante, Parochus alienæ Diœcesis præsumpsit in Parochia alterius illas audire, juxta factum Archipresbyteri S. Ursi; quem propterea absque hæsitatione nec licitè, nec validè potuisse audire Confessiones in Parochia Pluvenarum est tenendum; quia non erat approbatus ad Confessiones audiendas in Diœcesi Patavina, etsi foret Parochus Vicentinus contiguus. Episcopus enim Patavinus generaliter approbat Parochos aliarum Diœcesum, suæ Diœcesi vicinos, ut audire valeant Confessiones in Parochiis Patavinæ Diœcesis, tunc, & quando earum Parochiarum Rectores illos accersant, & iisdem consensum suum, antequam ad audiendas Confessiones veniant, verbis, vel factis eum indicantibus, notum faciant.

His ita firmatis, de facili cadunt argumenta in contrarium proposita ad favorem Archipresbyteri S. Ursi, quæ nullius sunt momenti. Non primum, quod ipse sit Parochus, & tanquam Parochus sit à Concilio Tridentino declaratus habilis, & approbatus ad audiendas Confessiones. Nam talis approbatio est restricta vel ad suam propriam Parochiam tantùm, vel ad summum ad totam suam Diœcesim ex Doctoribus citatis supra *num. 5. & num. 21.* secùs autem si velit eas audire in aliena Diœcesi, ut declaravit Sacra Congregatio, de qua diximus *num. 17.*

Non secundum ratione vicinitatis, ob quam ex consuetudine universali Parochus unius Diœcesis audit Confessiones in alia Diœcesi vicina. Siquidem consuetudo requirit præcedentem assensum Parochi vicini; quem assensum minimè præbuerat Archipresbyter Pluvenarum.

Non Tertium deductum ex assertione Suarezii, & aliorum, quod virtute Jubilæi Parochus alienæ Diœcesis possit audire Confessiones in Diœcesi non sua,
29 absque alia approbatione Episcopi Diœcesani. Quia hæc opinio est erronea, ac à Sacra Congregatione damnata, ut ostensum est supra *d. num. 17.* Et eam expresè de falso convincunt Emin. Card. de Lugo *de Sacram. Pœnit. d. disp. 21. sect. 1. num. 14. Vers. Credo tamen.* & latè *eadem disp. 21. sect. 2. per totam.* nec non Emin. Card. de Lauræa *de Sacram. Pœnit. d. disp. 20. num. 149.*

Non Quartum, & ultimum de simplicibus Confessariis tàm Sæcularibus, quàm Regularibus, qui irrequisito Parocho, ejus Parochianorum Confessiones in eorum domibus, & in ipsis Parochiis excipiunt. Quoniam prædicti Confessarii sunt approbati ab Episcopo, in cujus Diœcesi Confessiones audiunt; quâ approbatione attentâ casus Archipresbyteri S. Ursi est omninò diversus; cùm ipse talem approbationem ab Episcopo Paduano non habuerit, ut demonstratum est. Quod autem ex usu nostrorum temporum Parochi non possint impedire suos Parochianos, ne peccata sua confiteantur coram quocunque Sacerdote sibi benè viso, non cohonestat, nec convalidat factum prædicti Archipresbyteri S. Ursi; quia ab eo non solùm violatum est jus Archipresbyteri Pluvenarum, quod reputatur non parvi momenti; sed offensum est etiam Jus, & Jurisdictio Episcopatus Patavini; imò Sacri Tridentini Concilii, ac Ecclesiæ Universalis, quæ non permittit, ut audiantur Confessiones à quocunque Sacerdote, qui non sit approbatus ab Episcopo illius loci, in quo Confessiones sunt audiendæ; &
30 hæc est gravissima offensio, quam Diœcesani Antistites graviter puniunt, & punire tenentur, tùm censuris Ecclesiasticis, tùm aliis arbitrariis pœnis, ut copiosè disserunt Bellettus *de Pœnis Clericor. §. 30. num. 1.* Menochius *de Arbitrar. Jud. cas. 310. à num. 4. & seqq.* atque Thesaurus *de Pœnis Eccles. part. 2. Verb. Absolutio cap. 2.* ubi latè probat, quod invalida est absolutio à tali Parocho non approbato collata; & confessio per eum audita est omninò nulla.

DISCORDIA LXIII.

ARGUMENTUM.

Præmissa Optionis definitione, ac declaratione; & recensitis octo beneficiorum generibus, in quibus Optio non datur; Disseritur, An Senex in decrepita ætate constitutus possit optare Mansionariam, cui incumbit exercitium Curæ animarum? Resolvitur Discordia Affirmativè, quia habebat Coadjutorem habilem ab Apostolica Sede priùs sibi concessum. De Coadjutoribus plura scitu digna tanguntur.

SUMMARIUM.

1 *Optio ex Statuto, & Consuetudine competit Custodibus, & Mansionariis Cathedralis Patavinæ.*
2 *Vincentius Riccius Custos d. Ecclesiæ in decrepita ætate optat Mansionariam.*
3 *Marcus Græcus J. U. D. Coadjutor ejusdem Riccii.* & num. 20.
4 *Optionis definitio, ac ejus declaratio.*
5 *Optionis jus in potentia est apud Capitulum, in actu apud eos de Capitulo.*
6 *Optio competit antiquiori respectu possessionis in Ecclesia.*
7 *Optio in reservatis an dari possit?*
8 *Optio intra 20. dies facienda. Et quando incipiant?*
9 *Optio non intrat in octo generibus beneficiorum. Et quæ sint?*
10 *Archidiaconatus Cathedralis Paduæ optari non potest. Et cur?*
11 *Optare aliam Præbendam an possit, qui Coadjutorem habet?*
12 *Pensio existens super Præbenda optata, ab optante solvenda.*
13 *Optare Præbendam Curatam Senes non possunt, ob rationes septem.*
14 *Optans Præbendam Curatam est ab Episcopo examinandus, & approbandus.*
15 *Optio permissa etiam Senibus, & inhabilibus.*
16 *Coadjuti habilitas metitur à sufficientia Coadjutoris.*

17 Coa-

Digitized by Google

17 *Coadjutoria quæ sit Etymologia?*
18 *Caiphas erat Coadjutor Annæ Pontificis.*
19 *Coadjutorum usus in Ecclesia antiquissimus.*

MEnse Decembri, Anno 1664, vacavit una ex sex
Mansionariis cum cura animarum in Ecclesia Ca-
thedrali Patavina, per obitum Rev. Rocchi Spinaz-
zæ; & attento statuto, ac immemorabili consuetudi-
1 ne ejusdem Ecclesiæ, ut sex Custodes, & sex Mansio-
narii in ipsa beneficiati possint optare Præbendas pin-
guiores, tùm Custodiarum, tùm Mansionariarum prædi-
ctarum, in quatuor mensibus ordinariis vacantes, in qui-
bus earum dispositio spectat ad Reverendissimum Capi-
tulum; cum antedicta Mansionaria Curata, quam
obtinebat Rev. Spinazza, haberet ditissimam Præ-
bendam; eam optare voluit, & de facto optavit Rev.
Vincentius Riccius Custos beneficiatus, tanquàm
senior, & antiquior in eadem Cathedrali; sed Dis-
cordia magna insurrexit inter eum ex una, & inter
alium Custodem post illum succedentem in jure op-
tandi, & eandem Mansionariam optare volentem ex
alia: asserebat enim iste, quod prædictus Riccius ob
2 senilem, imò decrepitam ætatem, erat inhabilis ad
exercendam Curam Animarum antedictæ Mansio-
nariæ incumbentem; & per consequens ejus Præben-
dam optare non poterat. At vice versa idem Riccius
non obstante sua longæva ætate ostentabat, se suffi-
cientem, & habilem ad dictam curam Animarum
exercendam; at, esto quod personaliter eam exercere
non valeret, allegabat se habere Coadjutorem, qui
3 erat Rev. Marcus Græcus Jurisutriusque Doctor,
Juvenis bonitate, Litteris, ac prudentia conspicuus,
de quo facta est mentio *supra Discord.* XX. & quem
non multò ante ab Apostolicâ Sede sibi benignè con-
cessum acceperat: quare insistebat pro validitate præ-
dictæ suæ optionis; prout è contra ejus adversarius
urgebat, eam declarari nullam; & subinde se tanquàm
antianum, ac antiquiorem, eo remoto, ad anteno-
minatam Mansionariam curatam admitti.

Requisitus super hac Discordia de mea opinione
veluti Advocatus, ac Promotor Fiscalis Episcopa-
lis Curiæ, quo munere tunc fungebar, dixi non esse
facilem ejus resolutionem, ob diversas rationes pro
utràque parte militantes; ad quarum faciliorem in-
telligentiam, ac discussionem, hæc, quæ sequuntur
de natura Optionis duxi præmittenda, ac non igno-
randa.

Primò, quod *Optio est jus quoddam Capitulo, seu
Collegiali alicui Ecclesiæ, ex consuetudine, vel statuto
competens, ut antiquiores gradatim vacantem Præben-
4 dam, quæ reservata non sit, propria dimissa, intra
certum tempus eligere possint.* Ita Moneta *de Optione
Canonica cap.* 1. *quæst.* 2. *num.* 13. Dicitur Jus, idest
facultas, & potestas, ut sumitur *in l.* 1. *in princ. ff. de
Tutel.* & Jo. Andr. & Canonistæ *in Rubr. de Reg. Jur.
in* 6. & residet in abstracto hoc jus apud Capitulum,
seu Collegium; in concreto autem apud singulos de
Collegio, vel Capitulo: ita tamen ut antequam va-
cet Præbenda optanda, dicatur jus ad rem; vacatio-
ne autem ejus secutâ, vocetur jus in re. Gonzalez
ad Reg. 9. *Cancellar. gloss.* 34. *num.* 126. Rota *coram Pu-
teo lib.* 2. *decis.* 235. videlicèt post acceptatam Præ-
bendam præcedente optione, ut advertit idem Mo-
neta *d. cap.* 1. *quæst.* 15. *sub num.* 16. Dicitur in defini-
tione *Capitulo, seu Collegio*, ad differentiam aliorum
Jurium, quæ particularibus personis competunt; nam
jus hoc optandi Præbendas soli Capitulo, seu Colle-
5 gio convenit in potentia; etsi in actu practico exer-
ceatur à personis particularibus ejusdem Capituli, seu
Collegii, cujus proprium esse dicitur, quia in ejus de-
corem est concessum; & quia Clericis non existenti-
bus de Capitulo, seu Collegio non datur. *cap. fin. de
Consuetud. in* 6. ubi DD. & Moneta *d. quæst.* 2. *num.* 17.
Dicitur *alicui Ecclesiæ*, quia non omnes Collegiatæ
habent jus optandi; prout in hac Diæcesi Canonici
Plebis Sacci, Montisilicis, Terræ Estensis, ac Mon-
tanianæ, etsi eorum Ecclesiæ sint Collegiatæ insi-
gnes, tamen non optant: Dicitur *ex Statuto, vel
Consuetudine competens*, siquidem non de Jure com-
muni provenit, sed ex Statuto antiquitùs per Capitu-
lum facto, aut ex Consuetudine legitimè præscripta:
Moneta *d. cap.* 1. *q.* 2. *&* 3. Tondut *QQ. & Resolut.
benefic. part.* 1. *cap.* 110. *num.* 1. Porrò quantum tempus
requiratur pro firmanda consuetudine optandi? non
sunt concordes DD. alii enim volunt sufficere decem
annos, alii requirunt cursum annorum quadraginta,
ut fusè differit idem Moneta *cap.* 2. *quæst.* 1. *& quæst.* 2.
Rota coram Emin. Card. Othobon. *decis.* 18. *& decis.*
53. Dicitur, *ut antiquiores gradatim vacantem præ-
bendam eligere possint;* quia hic ordo in optionibus ser-
6 vatur, ut antiquior de Collegio respectu non ætatis,
sed possessionis, vacantem præbendam ante alios om-
nes, si velit, optet; & secundus post illum, optet
Præbendam dimissam ab ipso, & tertius dimissam à
secundo, & sic de subsequentibus: at nolentibus anti-
quioribus optare, qui juniores sunt, & proximiores
illis, si velint, optent. Moneta *d. cap.* 1. *q.* 2. *num.* 23.
& 24. qui *num.* 27. subdit, ideò dictum esse in defini-
tione, quod optare *possint*, non autem quod *debe-
ant;* quia nemo cogitur optare, si nolit. Dicitur
Quæ reservata non sit; quia optio non admittitur, si
Præbendæ vacent in Mensibus Papæ reservatis, ex-
cepta tamen consuetudine immemorabili in contra-
7 rium ex cit. Rota coram Emin. Othobono *d. decis.* 18.
num. 7. *& decis.* 53. *num.* 5. *&* 6. Dicitur *propriâ dimissâ*,
quia statim per optionem vacat Præbenda ipsius op-
tantis, quam capit vel alius subsequens in optione;
vel nemine ulteriùs optante, consequitur ipsam novus
electus à Capitulo, seu ab Ordinario, habente in il-
lo mense dispositionem Præbendæ tunc vacantis.
Tandem dicitur *intra certum tempus;* idest *viginti dies;*
& tale tempus non datur unicuique de Collegio in
8 particulari; sed omnibus simul. Ventriglia *tom.* 1.
Annot. 6. §. *Unic. num.* 6. ubi reddit hanc rationem di-
cens, *nam si unicuique Canonico darentur viginti dies
ad deliberandum, an optare voluerit, sequeretur in-
conveniens, quod laberentur anni, & non fieret provi-
sio.* Glossa *in cap. fin. Vers. Viginti. De Consuet. in* 6.
& Barbosa *De Canon. & Dignit. cap.* 30. *num.* 5. Est ta-
men verum; quod talis terminus viginti dierum non
currit à die vacationis, sed à die scientiæ illius. Ro-
ta *decis.* 1. *aliàs* 23. *De Rer. permut. in novis.* Ven-
trigl. *d. Annot.* 6. *num.* 7. Barbosa *d. cap.* 30. *num.* 6.
Moneta *cap.* 6. *quæst.* 4. *& quæst.* 5. in qua probat,
quod dictus terminus non currit legitimè impedito; &
ulteriùs quod Optio etiam ab absente fieri potest per
Procuratorem. Rota *part.* 4. *recent. decis.* 434. *num.* 4.
tom. 2. Moneta *cap.* 4. *quæst.* 3. *à num.* 31. Gonzalez
gloss. 34. *à num.* 123. idem Barbosa *de Jure Eccl. Univ.
lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 10.

Secundò, circa naturam Optionis præmittendum,
& sciendum est, quod multa sunt beneficia, ac Præ-
bendæ Capitularis, seu Collegiatæ Ecclesiæ, quæ
optari non possunt, videlicèt. I. Præbendæ, seu be-
9 neficia, quæ vacant in Curia, seu apud Sedem. *d.
cap. ult. de Consuetud. in* 6. Flaminius *de Resignat. be-
nef. lib.* 2. *quæst.* 20. *num.* 7. Moneta *cap.* 3. *num.* 12.
II. Beneficia quomodocunque Papæ reservata, seu af-
fecta. Gonzalez *gloss.* 34. *num.* 2. Garzias *de Benefic.
part.* 5. *cap.* 1. *num.* 452. Rota *part.* 10. *recent. decis.* 140.
à num. 7. *& seqq.* ac *part.* 16. *recent. decis.* 112. *num.* 44.
III. Et in specie si Beneficia, Præbendæ, aut Cano-
nicatus vacent in uno ex octo Mensibus per *Reg.* 9.
Cancellariæ Apostolicæ Papæ reservatis. Gonzalez
d. gloss. 34. *à num.* 1. Barbosa *de Jure Eccl. Univ. d.
lib.* 3. *cap.* 13. *sub num.* 13. nisi ad favorem Capituli
militaret consuetudo immemorabilis optandi etiam in
his mensibus; ut dictum est *supr. num.* 7. & decisum
fuit in Rota coram Emin. Othobono *d. decis.* 18. *&
d. decis.* 53. IV. Neque Optio fieri potest in beneficiis,

Digitized by Google

quæ permutantur, vel in favorem resignantur in manus Papæ. Petr. Gregor. *de Benefic. cap. 39. num. 4.* Flamin. *de Resignat. lib. 2. d. q. 20. num. 2.* Secùs autem si resignatio simpliciter fieret in manibus Ordinarii, vel Capituli in uno ex quatuor mensibus non reservatis; imò etiam in manibus Papæ, ut ait Tondut *d. tom. 1. cap. 110 num. 12.* quamvis in praxi raro, aut nunquam in tali casu optio locum habeat ob clausulam derogationis Optionum, quam Papa inserit in suis Litteris Apostolicis. Parisius *d. lib. 2. cap. 20. num. 7.* V. Optio non intrat in Dignitatibus, etsi earum vacatio succedat in Mensibus Ordinariis non reservatis. Cæsar de Panimollis *Decis. 33. num. 12.* & secundum ejus doctrinam si in hac Cathedrali Patavina vacaret Archidiaconatus, qui est secunda Dignitas, ea
10 optari non posset ab aliis Canonicis. At è contra si vacaret aliquis Canonicatus habens pinguissimam Præbendam, & eum optare vellet Archidiaconus, utique posset, quatenùs esset antiquior cæteris Canonicis, juxta Rotam coram Merlino *Decis. 100.* quo casu per optionem, Canonicatus vacaret Archidiaconatus, & hic, ut dictum est, non subjaceret optioni; sed esset conferendus liberè à Capitulo; dummodò ex aliqua reservatione non esset affectus Apostolicæ Sedi. VI. Similiter Optio non datur, dum vacat Præbenda, seu Canonicatus Theologalis, ac Pœnitentialis, prout pluries decisum esse à Rota refert Garzias *de Benefic. d. part. 5. cap. 4. num. 132.* Moneta *de Option. cap. 3. quæst. 6. à num. 98.* Barbosa *de Can. & Dign. d. cap. 30. num. 20.* & Ventriglia *d. tom. 1. Adnot. 6. num. 22.* VII. Cessat pariter Optio in Canonicatu, seu Præbenda vacante per obitum illius, qui habet Coadjutorem; nam tunc Coadjutor ille succedit vigore suæ Coadjutoriæ cum futura successione, itaut nemini liceat illam Præbendam optare. Tondut. *d. tom. 1. cap. 110. num. 23. & 24.* Ventriglia *d. tom. 1. Annot. 6. num. 15.* ubi sic decisum testatur à Rota *in una Capuana Optionis 23. Martii 1609.* coram Lancellotto. Sed utrùm Canonicus Coadjutus habens Coadjutorem possit optare aliam Præbendam vacantem pinguiorem? Et Ventriglia *ibidem num. 12.* respondet affir-
11 mativè, dummodò Præbenda illa non requirat qualitates, quibus destitutus sit Coadjutor, nam tunc optare illam non posset in ejus præjudicium. Ex Gonzalez *gloss. 34. num. 97.* & ex Garzia *part. 4 cap. 5. num. 118.* Et è contra si Coadjutus nollet optare in odium Coadjutoris, quid ille facere debeat? docet idem Ventriglia *d. Annot. 6 sub num. 14.* VIII. Tandem Optio non datur in Præbendis, quæ sunt de Jurepatronatu sivè Laicali, sivè Ecclesiastico, quia hæ tales, quales sunt, pendent a Patronorum dispositione. Federic. de Senis *cons. 62. num. 1.* Moneta *de Option. cap. 3. q. 4. num. 112.*

Tertiò tandem notandum, & præmittendum est; quod si quis optet Præbendam antea oneratam Pensione, tenetur eandem Pensionem solvere; sivè illa Præbenda vacaverit per obitum, sivè per dimissionem factam ab antiquiori, qui aliam Præbendam vacan-
12 tem optaverit. Ratio est, quia Pensio est onus reale, inhærens fructibus Præbendæ; & qui optat Præbendam, & habet fructus illius, sentire debet hoc onus Pensionis. Gonzalez *Gloss. 24. num. 46.* Parisius *de Resignat. lib. 6 q. 2 à num. 94. usque ad num. 97.* Gratian. *Discept. forens. cap. 805. num. 4.* Sed quia satis se involvunt DD. super hac materia, facientes plures distinctiones metaphysicas, quæ mihi videntur inutiles; nam in praxi semper vidi in hac Cathedrali optantem Præbendam oneratam Pensione, eam solvere esse obligatum; nihilominus curiosus Lector de hac Discordia legat Ventrigliam *d. tom. 1. Annot. 6. à num. 25. & seqq.* & Nicolaum Noalem Advocatum Venetum *cons. 1.* per totum, in quo plenissimè de ea differit.

His ita constitutis reassumendo Discordiam circa Optionem Mansionariæ Curatæ factam à Rev. Vincentio Riccio, in senili, ac decrepitâ ætate constituto, plures è beneficiatis junioribus, qui affectabant optare dictam Mansionariam, asserebant optionis prædictæ
13 nullitatem: *Primò* quia beneficium est conferendum personæ habili, maximè si habeat annexam Curam animarum; *ad l. Ut gradatim. ff. de Munerib. & honor. l. 2. §. Præter. & ibi* Bart. *ff. Qui Satisd. cogan.* Sed ipse Rev. Riccius erat notoriè inhabilis. *Secundò*, quia idem est non esse, ac inhabilem esse. Rebuff. *de Nominat. q. 21. num. 2.* Ergo prædictus Rev. Riccius reputandus est, ac si non esset, & eo postposito, ac neglecto alii antiquiores in possessione ab ipso sunt admittendi ad optandam prædictam Mansionariam. *Tertiò*, quia sic in terminis consuluit Surdus *cons. 28. num. 8. lib. 2.* videlicèt omittendum esse antiquiorem inhabilem, & subsequentes juniores admittendos esse ad optionem. *Quartò*, quia sic non semel judicatum est à Rota, ut testatur Pax Jordanus *tom. 2. lib. 10. tit. 26. num. 21.* ubi sic scribit: *Sic etiam jus optandi alicubi vigens non competit ei, qui inhabilis est, prout de cæco fuit resolutum in Rota 24. Aprilis 1582. in Salamantina integræ portionis coram b. m. Clemente VIII. & ita pariter sententiatum fuit in Pacen. Jurisconferendi 4. Maii 1601. coram Penia, Bullam Innocentii de subrogandis antiquioribus Capellanis ad portiones vacantes, intelligendam esse de antiquiori habili, & idoneo ob eandem rationem: ac proindè antiquiorem inhabilem esse omittendum; & collationem secundo sequenti habili esse faciendam.* *Quintò*, quia si optans Mansionariam
14 Curatam aliàs per Episcopum non fuit approbatus ad audiendas Confessiones, & ad exercendam Curam animarum, eam assumere non potest, nisi priùs ab Episcopo examinetur, & approbetur. Rota coram Bichio *decis. 377. num. 17. in fin.* At Rev. Riccius approbari non poterat ab Episcopo, attentâ notoriâ ejus inhabilitate. *Sextò*, quia sic testantur omnes Beneficialistæ, inter quos Gonzalez *ad Reg. 9. Cancell. gloss. 34. num. 60.* & Garzias *part. 7. cap. 15. num. 13. & 14.* *Septimò*, quia etiam Urbanus VIII. excludit ab optione Decanatus Sacri Collegii Eminentissimorum DD. Cardinalium illos, qui sunt inhabiles pro exercendis functionibus Pontificalibus, ut testatur Jordanus *d. lib. 10 tit. 26. num 22. in fin.*

E contra qui pro validitate Optionis prædicti Rev. Riccii sentiebant, eam esse validam affirmabant, *Primò* quia in Optionibus, quæ vigent in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis inter beneficiatos, at-
15 tenditur tantummodò, quis inter eorum sit antiquior. Rota *part. 4. recent. decis. 434. tom. 2.* & talis erat Rev. Riccius. *Secundò*, quia Optio conceditur ratione antiquioris servitii. Rota *part. 17. recent. decis. 308. & decis. 309.* certum autem erat, quod magis, quàm cæteri Rev. Riccius servierat huic Ecclesiæ Cathedrali, ac semper diligentissimè, atque assiduè. *Tertiò*, quia de Jure impotentibus, maximè ex senili ætate, est miserendum; nec afflictis est addenda afflictio. *cap. Satis. 7. dist.* quod si repelleretur senis ille ab optione, utique nimium affligeretur. *Quartò*, quia de Jure inhabilitas superveniens alicui ob infirmitatem non debet illum privare jure suo. *cap. 1. & 2. De Cleric. Ægrot.* Sed juxta Proverbium morbus est ipsa senectus. Ergo qui est affectus hoc morbo, non est privandus jure sibi competente, tanquàm antiquiori, optandi Præbendam pinguiorem in mense Capitulari vacantem. *Quintò*, quia ejus inhabilitas supplebatur à Coadjutore, quem jam à Sede Apostolica obtinuerat; de cujus sufficientia non erat dubitandum; erat enim Jurisutriusque Doctor, approbatus per Curiam Episcopalem ad Confessiones Sacramentales audiendas; & ideò cadebant omnia objecta, & argumenta in contrarium adducta circa inhabilitatem Coadjuti optantis. Igitur consideratâ per me Coadjutoris sufficientiâ.

In hac Discordia dixi, justitiam stare pro eodem Rev. Riccio antiquiori optante, etsi ob senium inhabili

bili

Digitized by Google

bili ad personaliter exercendam curam Animarum, Præbendæ Mansionariæ optatæ incumbentem; siquidem habilitas, & sufficientia metienda est ex persona
16 Coadjutoris, ei à Summo Pontifice concessi. *cap. Ex parte tua. & cap. Consultationibus. De Cleric. ægrotan.* & ibi Emanuel Gonzalez *in Comment. tom. 3. num. 4.* ubi probat, Coadjutores esse semper receptos, & magno mortalium consensu approbatos tàm in Ecclesiasticis, quàm in temporalibus ministeriis; quia ex eorum servitio suppletur inhabilitas eorum, quibus conceduntur; & sic Coadjuti non possunt dici inhabiles, cum eorum munia integrè persolvantur à Coadjutoribus. *l. 13. §. fin. ff. de Tutelis. l. 6. C. Quomodo, & Quandò. & l. ult. ff. de Jure Immunit.* Coadjutoria enim est nomen compositum ab his vocibus *Con, ad,*
17 *& juvo*; ad significandum, quòd duo sunt, qui se invicem juvant. Nicol. Remocampius in *Synopsi De Coadjutoriis cap. 1. num. 3.* Et de Jure Coadjutor est correlativus ipsius Coadjuti, & potest omnia facere, quæ spectant ad eundem Coadjutum. Garzias *de Benefic. part. 4. cap. 5. num. 88.* Barbosa *in Collect. DD. ad Concil. Trid. sess. 25. cap. 7. num. 6. de Ref.* Remocampius *in d. Synopsi cap. 15. num. 7. & seqq.* ubi *num. 10.* concludit, quod Coadjutor cum sit vocatus in partem sollicitudinis, & tanquàm talis sit sociatus eidem Coadjuto, habet omnimodam administrationem, jus, & jurisdictionem in supplementum Coadjuti; qui propterea redargui non potest de inhabilitate, infirmitate, vel senio; cessantibus his omnibus defectibus, ob existentiam habilitatis, sanitatis, & juvenilis ætatis sui Coadjutoris.

Concordat Emanuel Gonzalez *in d. Comment. ad Cap. Consultationibus. de Cleric. ægrotant. tom. 3. num. 5. & 6.* ubi probat etiam in lege veteri fuisse in usu dare Coadjutorem Pontifici, ob senilem ætatem Sacrificia, ac alias functiones Sacras agere, non valenti;
18 in quo sensu ait, Caipham fuisse datum Coadjutorem Annæ Pontifici ex traditis per Bulengerum *in Diatriba advers. Casaubonem*; & per Spondanum *in Annal. Eccles. ad Annum Christi 31.* ubi *sub num. 5.* hæc habet: *Ita se Annas, & Caiphas eodem tempore se Pontifices habuerunt, ut ille fuerit primus, iste secundus, (prout de Saraja, & Sophonia 4. Reg. ult.) hoc est, quasi Vicarius, & Coadjutor; qui ad hoc Primo, sivè Summo socius dabatur; ut si per mortem, aut aliam causam sonticam ille non posset obire propria sua munia; secundus ea expleret; cujus & ideò tanta auctoritas erat, ut minimò minùs alter Summus Pontifex esset.* Subduntur postea alia exempla tùm ab ipso Gonzalez. *ibid.* tùm ab eodem Remocamp. in *d. Synopsi cap. 3* ubi *num. 10.* testatur, morem deputandi Coadjutores cum futura Successione introductum fuisse in Ecclesia Catholica, & servatum etiam in primis quatuor
19 sæculis, ut ex Ruffino *lib. 11. Hist. Eccles. cap. 3. num. 7* & ex Eusebio *lib. 6. cap. 8. & lib. 7. cap. 28.* ubi de Anatolio Episcopo, & de ejus Coadjutore fit mentio; & Sanctum Athanasium eodem munere Coadjutoris esse perfunctum habetur ex S. Cyrillo *in Epist. ad Monachos Ægypti.* Prout etiam Alexandrum divina revelatione vocatum esse ad Coadjuvandum S. Narcissum Senem Episcopum; ac S. Augustinum datum fuisse Coadjutorem Valerio Episcopo Hypponensi; præter alios, de quibus meminit S. Gregorius Papa *lib. 7. Indict. 2. Epist. 49.* nec non *lib. 11. Epist. 7.*

Quare post nonnullos actus judiciales in Curia Episcopali inceptos ab adversariis prædicti Rev. Vincentii Riccii optantis; ab iisdem cessaverunt; sicque Rev. Riccius remansit in pacifica possessione Præbendæ optatæ, curam animarum ipsi annexam Rev. Marco Græco Coadjutore laudabiliter exercente, qui
20 paulò post evasit principalis in dicta Mansionaria Curata per obitum antedicti sui Coadjuti; & ea potitus est annis circiter viginti; donec & ipse morte præoccupatus, reliquit eandem Mansionariam dispositioni Reverendissimi Capituli, à quo collata fuit Rev. Horatio Leonio, ut demonstratum est *supra Discord. XX.*

DISCORDIA LXIV.

ARGUMENTUM.

Congrua per Monasterium solvenda Parocho, curam animarum exercenti, non debet esse major Scutis 100. nec minor 50. An in ea computentur incerta? Valor ducatorum mille pro Episcopo, ac centum pro Rectore accipitur juxta morem regionis, qui Paduæ est librarum sex, solidorum quatuor pro ducato.

SUMMARIUM.

1 *Ecclesia S. Matthæi de Padua est de Mensa Monialium ibi habitantium.*
2 *Monachorum S. Justinæ de Padua generosa Pietas erga easdem Moniales Anno 1518.* & num. 3.
4 *Parochi S. Matthæi de Padua institutio spectat ad Abbatem S. Justinæ.*
5 *Andreæ Veronæ Parochi S. Matthæi Discordia cum Monialibus pro suæ congruæ augmento.*
6 *Scuta assignata à B. Pio V. Parochis pro eorum congrua, cujus valoris sint?* & num. 19.
7 *Congrua debetur Parocho non solùm ad puram necessitatem, sed etiam ad commoditatem.*
8 *Congrua assignatio semel facta attendi debet, nec est ampliùs ab ea recedendum: fallit* num. 16.
9 *Emolumenta incerta an sint in congrua computanda?* & num. 14.
10 *Habitatio est Parocho assignanda præter ejus alimenta.*
11 *Rotæ Magistralis Decisio circa congruam Parocho pro cura Animarum solvenda.*
12 *Congrua est debita de jure exercentibus curam animarum.*
13 *Congruæ quantitas ex Bulla 47. B. Pii V. quæ, & quanta sit?*
14 *Emolumentorum Parochialium incertorum duplex genus. Et quale?*
15 *Venter non patitur dilationem.*
16 *Congrua nimis tenuis etsi olim assignata, est augenda.*
17 *Congrua antiqua Parochi S. Matthæi de Padua quanta esset?*
18 *Congruæ ejusdem Parochi augmentum.*
19 *Scuta 75. Monetæ Romanæ faciunt Ducatos Venetos centum, & parùm pluris.*
20 *Ducati mille pro Episcopo, & ducati centum pro Rectore, sunt calculandi juxta morem Regionis.*
21 *Ducatus Paduæ, ac Venetiis valet libras sex, & solidos quatuor Venetæ monetæ.*

PArochialis Ecclesia S. Matthæi Apostoli Civitatis Paduæ, sita propè plateam Palearum, nunc est de Mensa RR. Monialium Ordinis S. Benedicti
1 ibi habitantium; sed antiquitùs erat de Mensa RR. Monasterii, & Monachorum S. Justinæ de Padua Congregationis Casinensis; quorum pia liberalitas, & generosa Pietas præfulsit Anno 1518. erga præ-
2 dictas Moniales. Harum enim Cœnobium sub titulo Sancti Francisci parvuli extra portam Saracinescam ædificatum, cum dirutum fuisset Anno 1509. ab exercitu Maximiliani Imperatoris, qui cum 80. millia militum Urbem Patavinam incassum capere tentaverat, ac ipsæ Moniales per annos novem profugæ fuissent; Abbas, ac Monachi S. Justinæ jus
3 proprietarium, ac Mensale, quod habebant in dicta Parochiali Ecclesia S. Matthæi, Summo Pontifice Leone X. approbante, cesserunt, ac donarunt iisdem RR. Mo-

Digitized by Google

RR. Monialibus cum omnibus fructibus, & redditibus; nec non domo Parochiali satis ampla, ac ejus Viridario amplissimo, in quo novum Monasterium ædificarunt; factâque renunciatione beneficii per R. D. Hieronymum Beltramotum, tunc Parochum S. Matthæi; cœperunt Moniales Anno 1518. novum Parochum eligere, Episcopo Paduano pro ap-
4 probatione; Abbati verò S. Justinæ pro institutione præsentare, ad præscriptum Bullæ ejusdem Summi Pontificis Leonis Decimi; qui hæc omnia admisit, cum onere iisdem Monialibus ex fructibus ipsius Parochialis Ecclesiæ S. Matthæi solvendi congruam portionem Parocho per eas, pro exercitio curæ animarum, pro tempore eligendo; ac consignandi annuatim libras quatuor ceræ albæ Monasterio S. Justinæ in signum, & memoriam ejus antiqui dominii, ac Patronatus antedicti beneficii S. Matthæi; ut ex eadem Bulla Leonis X. & ex Historiis Urbis Paduæ apud Portenarium *lib. 2. cap. 9.* Ursatum *lib. 4. ad Ann. Christi* 1136. & novissimè apud P. M. Jacobum Salomonium Ord. Prædicator. in suis elaboratissimis *Urbis Patavinæ Inscriptionibus; Ad Parochialem Ecclesiam S. Matthæi pag. 261.*

Anno 1657. erat Parochus, seu Vicarius perpetuus hujus Ecclesiæ S. Matthæi, R. D. Andreas Verona, vir probus, & doctus, ac ætate grandævus, electus per plures annos antea ab iisdem Monialibus, cum quibus ab ipso mota est discordia super suæ Congruæ
5 augmento; cum enim pro illa reciperet tantummodò Ducatos triginta Venetos L. 6: 4. pro Ducato ab ipsis Monialibus annuatim; & à Congregatione Parochorum duas portiones frumenti, millei, ac surgi, ac denariorum Ducatos similes decem circiter in anno, dicebat, non habere congruam portionem ad honestè vivendum; tantò minùs, quia non erat ei domus Parochialis, quam Moniales incluserant in clausura Monasterii; cumque B. Pius Quintus in *sua Constit.* 47. Incipien. *Ad exequendum, de Anno* 1567. *die prima Novembris*. decernat, ut Vicariis Ecclesiarum Parochialium solvatur per Monasteria, quorum mensæ Ecclesia est annexa, congrua portio,
6 quæ nec sit major centum, nec minor quinquaginta Scutis; & hæc Scuta debeant esse argentea, juliorum scilicet decem, seu librarum Venetarum novem pro quolibet, ad tradita per Pignatellum *tom. 9. Consult.* 169. *num.* 21. & 22. instabat, sibi augeri congruam non solùm usque ad Scuta quinquaginta; sed etiam suprà usque ad centum, eâ ratione, quia congrua debetur Parocho non solùm ad puram necessitatem,
7 sed etiam ad commoditatem, habito respectu ad qualitatem personæ, & ad situm Ecclesiæ, quæ est intra mœnia nobilissimæ Civitatis, ut latè considerat Redoan. *de Spol. Eccles. quæst. 9. §. Fiet ergo.* Et alii, quos citat, & sequitur Anton. de Possentibus *Singular.* 397. *num.* 2. præter Tondut *QQ. & Resolut. Benefic. part. 1. cap. 58. num.* 13. Joan. Carolum Antonellum *de Jurib. Clericor. lib. 1. part. 1. cap. 10. num.* 5. & alios per me allegatos supra *Discord.* 54. *à num.* 29. *& seqq.*

E contra Intervenientes pro Monialibus dicebant in hac Discordia non esse exaudiendum R. Veronam, tùm quia præter Ducatos triginta annuos, qui ei solvebantur à Monasterio; bladas, & pecuniam Congregationis Parochorum, ab eadem etiam recipiebat alios Ducatos decem circiter ex Anniversariis inter præsentes tantùm vocatis; & habebat plurima incerta, quæ tamen certa erant, ex Baptismis, Funeralibus, Matrimoniis, ac Missis; tùm etiam quia ab inoumerabili tempore Parochi ejus Prædecessores congruâ supradictæ quantitatis, & qualitatis contenti fuerunt, & se honestè sustentaverant; undè fit,
8 ut Congruæ assignatio semel facta, & longissimo spatio temporis observata, attendi debeat, neque ab ea recedi possit, ut scribit Emin. Card. de Luca *de Parocho disc.* 19. *num.* 3. & ibi Rota coram Mantica *decis.* 22. coram Ludovisio *decis.* 429. & *part.* 2. *recent. decis.* 449. *num.* 5. Replicabat Reverendus Parochus Verona, neque distributiones, quæ dantur à Congregatione Parochorum præsentibus tantùm,
9 neque manualia emolumenta ex baptismis, matrimoniis, & funeralibus esse computanda in Congruâ; quia sunt incerta; & Parochi sustentatio ab incerto pendere non debet; in nihilo valente praxis suorum Prædecessorum; quæ non afficit Successores, quando constat de Congruæ insufficientia, ut in hoc casu; præterquàmquod antiquitùs omnes res comestibiles viliori pretio vendebantur, ut notorium est; idcircò utraque objectio sibi per Moniales facta cadebat, ut benè advertit idem Emin. Card. de Luca *d. tract. de Parocho disc.* 20. *à num.* 4. *& seqq.* & ibi Rota coram Buratto *decis.* 152. nec non *part. 5. recent. decis.* 402. *num.* 1. & Adden. ad Gregorium XV. *decis.* 152. eò magis quia de Jure Moniales ipsæ obligatæ erant præbere eidem Parocho non solùm alimenta, sed etiam habitationem, nam & ipsa venit sub nomine
10 alimentorum. *l. Legatis. ff. de Alim. & Cibar. Leg. l. Verbo Victus. ff. de Verb. Signific.* Glossa *in l. Cum hi. §. Qui transigit.* & ibi DD. *ff. de Transact. cap. Episcopus*, ubi pariter Glossa *Verb. Victu.* 10. *q.* 2. Menoch. *de Arbitrar. Judic. casu* 170. *num.* 29. nec non *consil.* 26. *num.* 10. Surdus *de Alimentis tit.* 4. *q.* 4. *num.* 1. alios ibi DD. cumulans.

Hæc discordia in foro Episcopali introducta, indè fuit ad me delata, ut tanquàm utriusque Partis benevolus, & amicus, eam prout de Jure extinguerem; arbitrando ex bono, & æquo, ac partes ipsas concordarem: quorum Advocatis auditis dixi, casum hunc esse decisum à Rota, & ab ea non esse recedendum prout legitur *in part. 6. recent. Decis.* 230. quæ est hujusmodi.

„ Adest res judicata super eo, Ecclesiam S. An„ dreæ esse Regularem, & ipsam spectare ad Ab„ batissam, & Moniales S. Andreæ; atque ad easdem „ spectare curam animarum Parochianorum ejusdem
11 „ Ecclesiæ, exercendam per Rectorem, seu Vica„ rium à dictis Monialibus ad earum nutum amovi„ bilem; & ad Archiepiscopum approbationem tan„ tùm pertinere absque concursu. Undè stante istâ „ re judicatâ dubitavi; An, & quanta congrua de„ beatur Vicario prædicto? & an Litteræ patentes „ factæ eidem Vicario per Vicarium generalem D. „ Archiepiscopi sint corrigendæ?

„ Et quantum attinet ad Primum, quod congrua „ debeatur Rectori, seu Vicario exercenti curam „ animarum, non est dubium. *cap. Extirpandæ. §.*
12 „ *Qui verò.* ubi Glossa *De Præbend.* Concilium Tri„ dent. *sess. 7. cap. 7. de Ref. & sess. 25. cap. 15.* pa„ riter *de Reform.* Rebuffus *de Congrua quæst. 4. in* „ *princ.* Cæsar de Grassis *decis. 6. num. 7. de Præ*„ *bend.* Mantica *decis.* 269. *num.* 3. Rota *decis.* 16. „ *num. 1. part. 1. divers.* & *in recentior. decis.* 420. „ *num. 3. part. 1.* & *decis.* 449. *num. 5. part.* 2. & fuit „ dictum in causa *Pampilonen. Congruæ* 29. *Janua*„ *rii* 1590. *coram b. m. Comitulo Episcopo Perusino*, „ & San. mem. *Gregor. XV. decis.* 429. *num.* 1.

„ Quantum attinet ad secundum, quanta scilicèt „ debeat esse ista congrua, sanctæ memoriæ Pius „ Quintus in sua *Constitutione* 47. *Ad exequendum.* „ in novo Bullar. *§. 1. & 2.* quia Ordinarii excede„ bant mentem Concilii in assignandis congruis,
13 „ declarat quantitatem congruæ non esse debere ma„ jorem centum, nec minorem quinquaginta Scuto„ rum annuorum, computatis etiam incertis emolu„ mentis, & aliis obventionibus communiter percipi „ solitis; quod est intelligendum de incertis, quæ ha„ bent quandam certitudinem, ut sunt Decimæ fru„ menti, & vini; aliique fructus, emolumenta, & „ obventiones, quæ penès Vicarium sunt incertæ, „ quantum ex illis percipere potest; non autem hoc
14 „ est intelligendum de omninò incertis, ut sunt elee„ mosynæ

Digitized by Google

„ mosynæ Altaris , funeralium , & similium , quia
„ illa non computantur in congruam . Rebuff. *de Con-*
„ *grua num.*83. & 86. Mantica *decis.*269. *num.*6. Rota
„ *decis.* 5. *num.* 3. *part.* 2. *divers.* & *d. decis.* 449. *num.*
„ 6. & *d. decis.* 420. *sub num.* 2. ubi redditur ratio ,
15 „ quia Venter non debet pendere ab incerto , cum
„ venter non patiatur dilationem : Et ideò Domini se-
„ quendo mediam viam , cum Moniales sustineant
„ omnes impensas , Visum fuit Dominis , istam Con-
„ gruam esse taxandam ad Scuta 75. annua .

„ Neque obstat , quod quando Congrua à principio
„ semel fuit assignata , debet Vicarius illâ esse con-
„ tentus . Mantica *d. decis.* 269. *num.* 1. Rota *d. de-*
„ *cis.* 449. *num.* 5. Sanctæ mem. Gregor. XV. *decis.*
„ 429. *num.* 3. ubi dicitur , quod Vicarius sibi imputa-
„ re debet , si beneficium nimis tenue acceptavit :
„ quia hoc non procedit , quando Congrua est ita te-
16 „ nuis , ut Vicarius non possit se substentare ; & su-
„ stinere onera Ecclesiæ ; tunc enim non habet locum
„ illa ratio , quod sibi debeat imputare , cum non aga-
„ tur solùm de præjudicio personæ ; sed de præjudicio
„ Ecclesiæ , & ordinis Clericalis , ut egregiè declarat
„ Rota *in d. decis.* 420. *n.* 4. *part.* 1. *recent.* ubi dici-
„ tur , ita esse intelligendam præcitatam decisionem
„ S. M. Gregorii XV. & latiùs hoc idem dicit Rota in
„ *d. Decis.* 449. *sub num.* 5. Undè cum in hoc casu
„ Moniales sustineant omnia onera dictæ Ecclesiæ ,
„ & in ea hujusmodi congrua hactenùs formiter con-
„ stituta non fuerit , ipsæ animadvertentes ad præ-
„ judicium ordinis clericalis super illius taxatione à
„ Scutis 50. ad Scuta 100. remiserunt se judicio Ro-
„ tæ ; & propterea visum fuit Dominis , omnibus
„ consideratis , pro congrua deberi dicta Scuta 75.
Hucusque Rota circa taxationem Congruæ .

In hac Rotali Decisione dixi , utriusque partis ra-
tiones , nec non exceptiones , haberi . Monialium
rationes sunt , quod ipsæ faciunt omnes expensas in
Ecclesia ; quod Parochi Prædecessores ab annis cen-
17 tum , & ultrà contenti fuerunt ducatis triginta Ve-
netæ monetæ *L.* 6: 4. quibus addendo portiones fru-
menti , millei , surgi , & denariorum , quas annua-
tim Congregatio Parochorum solvit eidem Parocho
S. Matthæi , unà cum incertis ex administratione Sa-
cramentorum , & exercitio Curæ , nec non unà cum
Honorantiis , quas Monasterium juxta consuetudinem
Civitatis pluries in anno ei retribuit ; ex his omnibus
resultat Congrua sufficiens , attingens summam Scu-
torum monetæ Romanæ non solùm quinquaginta ;
sed 60. imò 70. & ultrà . E contra rationes ipsius Pa-
rochi deducebantur ex eadem Decisione Rotæ , præ-
cipuè in eo , quod emolumenta incerta ex funeralibus ,
& administratione Sacramentorum non sunt in Con-
grua computanda , neque portio pecuniaria Congre-
gationis Parochorum , quæ datur pro Anniversariis
inter præsentes tantùm ; ideòque ipsa congrua non
erat sufficiens , & de Jure oportebat eam augere .

His omnibus maturè pensatis arbitrando sententiavi ,
& arbitrariâ sententiâ judicavi ; ut pro Congruæ aug-
mento Moniales annuatim solverent modium unum
18 frumenti , ultrà solitam pecuniam Ducatorum Ve-
netorum triginta *L.* 6: 4. pro Ducato . Hac contri-
butione attentâ sufficiens fiebat ejusdem Parochi
Congrua : Siquidem Portiones bladarum , & dena-
riorum , quas recipit à Parochorum Congregatione ,
important valorem Ducatorum Venetorum 50. Soli-
ta contributio Monasterii Ducatorum 30. ascendit
cum antedictis portionibus ad Ducatos 80. Augmen-
tum à me injunctum uniùs modii frumenti , (quod
computatur Duc. 10.) auget Congruam ad Duca-
tos 90 Honorantiæ , quas mittunt Moniales ad Pa-
rochum in Capponibus , gallinis , agno , ovis , pul-
lis , dulciariis , & alijs regaliis in solemnioribus anni
Festivitatibus , conficiunt summam saltem aliorum
Ducatorum decem ; quæ addita summæ prædictæ
Ducat. 90. attingit , & complet summam Ducato-
rum Venetorum centum . Scuta 75. in quibus Rota
in supra relata Decisione taxavit Congruam solven-
dam ab illis Monialibus , continent in se summam
19 Ducatorum Venetorum 100. & parùm pluris ad ra-
tionem librarum Venetarum novem pro Scuto . Qua-
propter ita taxavi Congruam ejusdem Parochi S.
Matthæi , quem hortatus fui , eâdem contentum es-
se , attentâ Doctorum consideratione , quod Duca-
ti mille pro Episcopo , & Ducati centum pro Recto-
te accipiendi , & intelligendi sunt juxtà valorem Re-
20 gionis , in qua ipsi sunt solvendi , ut aliis DD. relatis
scribit Fagnanus *in cap. Extirpandæ . num.* 19. *de*
Præbend. tom. 4. *pag.* 153. At Paduæ , ac Venetiis
21 valor Ducati est librarum sex , solidorum quatuor ;
& quando Parochus habet Ducatos centum hujusce-
modi valoris , dicitur habere congruam sufficientem ;
potissimùm quando non est obligatus solvere publicas
gravedines Decimarum Papalium , Subsidiorum ,
Dadiarum , & aliorum publicorum onerum ; à qui-
bus omnibus immunis remanet Parochus S. Matthæi ;
quia ratione illius beneficii Moniales succumbunt in
ipsis . Hoc modo extincta fuit præsens Discordia
cum utriusque partis solatio .

DISCORDIA LXV.

ARGUMEMTUM.

Parochialis Ecclesia S. Viti in Braido Vicentinæ Diœcesis est unita , ac de mensa Monasterii Congr. Casinen. SS. Felicis , & Fortunati Vicentiæ . In ea Parochus non est ponendus ab Episcopo per concursum ; sed ab Abbate per ejus liberam electionem , nominationem , ac præsentationem . Argumenta quinque fortissima , ac certissima , quæ probant Unionem , ac Mensalitatem prædictæ Parochialis . Objecta quatuor , quæ contra illam fieri possunt per Curiam Episcopalem , recensentur , ac resolvuntur . Allegantur tàm pro Unione , quàm pro exclusione concursus plurimæ Decisiones Rotales in puncto hujus Discordiæ , eam ad favorem Abbatis terminantes .

SUMMARIUM.

1 *Ecclesia Parochialis S. Viti in Braido Vicentinæ Diœcesis non est conferenda per concursum .*

2 *Donatio ejusdem Ecclesiæ facta ab Episcopis Vicentinis Monasterio SS. Felicis , & Fortunati .*

3 *Parochialis unita Monasterio providetur ad liberam nominationem Abbatis .*

4 *Concursus ad Parochiales cur ordinatus à Tridentino Concilio ?*

5 *Episcoporum excessus in exequendo Concilio Trid.* sess. 24. cap. 18. de Ref.

6 *B. Pii V. Bullæ* 47. *conficiendæ quænam fuerit causa , ac motivum ?*

7 *Unionibus beneficiorum in probandis discordiæ innumeræ inter Episcopos , & Prælatos inferiores .*

8 *Rotæ Romanæ judicia , quod donatio Ecclesiæ importat Unionem .*

9 *Plebium appellatione in Jure intelliguntur Ecclesiæ Parochiales .*

10 Braidum *nomen quid significet ?*

11 *Parochialis de Braido S. Viti est de mensa Monasterii S. Felicis Vicentiæ .* Et num. 14.

12 *Donatio prædictæ Ecclesiæ facta per Episcopum Vicentinum d. Monasterio* Anno 975.

13 *Donatio Parochialis facta Monasterio cum Decimis , & pertinentiis fuit importat unionem .* Et num. 16. 18. 19. & 20.

15 *Unio*

Digitized by Google

15 *Unio Ecclesiæ probatur per signa, & conjecturas.*

17 *Annexio Ecclesiæ dicitur facta Monasterio, cui fuit donata cum omnibus Juribus suis.*

21 *Rota Romana est omnium Tribunalium auriga, & Magistra.*

22 *Confirmatio Imperialis bonorum Monasterii S. Felicis Vicentiæ Anno 1091.*

23 *Confirmatio Papalis eorundem bonorum Anno 1166.*

24 *Confirmatio, quam facit Papa de bonis donatis alicui Monasterio habet vim novæ concessionis, ac donationis.*

25 *Confirmatio Papalis facit probationē Unionis beneficii.*

26 *Collationes beneficii antiquitùs factæ ab Abbate probant, illud esse unitum ejus Monasterio.*

27 *Collationes antiquæ faciunt præsumere eas esse continuatas, etsi non habeantur.*

28 *Beneficia de Mensa Monasteriorum non cadunt sub reservatione Mensium.*

29 *Collationes beneficii factæ ab Abbate in mensibus reservatis indicant, illud esse de Mensa Monasterii.*

30 *Visitationes unius Parochialis factæ ab Abbate denotant eam esse de ejus Mensa.*

31 *Decimarum exactio, quæ fit à Monasterio, probat, Parochialem illius Villæ esse de ejus Mensa, & ei unitam.* Et num. 32 *ac* num. 46.

33 *Monasterium S. Felicis Vicentiæ esse dominum Ecclesiæ S. Viti in Braido probationes quinque.* Et num. 34. 35. 36. 37.

38 *Concursus non fit in Parochialibus de Mensa Monasterii* ex Const. 47. *B. Pii V.*

39 *Nominatio Parochi ad Ecclesiam de Mensa spectat ad Abbatem ex quadruplici Jure.*

40 *Salgadi doctrina de non concursu in Parochialibus unitis Monasterio.*

41 *S. Congreg. Concilii Declarationes pro non concursu in iisdem Parochialibus.*

42 *Doctores moderni de non concursu in prædictis Ecclesiis.*

43 *Parochus si habeat redditus independenter à Monasterio, ejus Ecclesia non videtur de Mensa illius.*

44 *Bona antiquitùs per Monasterium assignata Parocho non destruunt Unionem.*

45 *Beneficia Diæcesis Patavinæ unita Monasteriis, quæ habent sua bona separata.*

47 *Vacare non dicuntur beneficia unita, ac de Mensa Monasteriorum.*

48 *Vacare lato modo dicuntur beneficia, etsi unita, ac de Mensa.*

49 *Collationis nomen comprehendit etiam electionem, nominationem, & præsentationem.*

50 *Resignationes Parochialium de Mensa in manibus Papæ non præjudicant earum Unioni, ac Mensalitati.*

51 *Rector, Parochus, Archipresbyter, & Vicarius sunt nomina synonima.*

52 *Concursus Parochialium aliàs facti videntur destruere Unionem earum.*

53 *Decretum irritans* Const. 47. *B. Pii reddit nullius valoris concursus ab Episcopis factos ad Parochiales unitas, & de Mensa.* Et num. 54.

55 *Manutentio non datur Episcopo pro concursu in beneficio de Mensa.* Et num. 56. 57.

58 *Abbatis consensus in concursu ad Parochiales de Mensa Monasterii, ei non præjudicat.*

59 *Præscriptio, etsi centenaria faciendi concursum de beneficio unito, non nocet Monasterio, cui est unitum.*

60 *Præscriptio etiam centenaria eliditur, ubi docetur de titulo invalido, & erroneo.*

61 *Præscriptio interrumpitur sola oppositione verbali.*

62 *Turricelles Doctor Patavinus fuit Auditor Rotæ Ferrariæ.*

63 *Concursus cur tàm acriter ab Episcopis ubique attentati in Parochialibus de Mensa Monasteriorum, & Capitulorum?* Et num. 64.

ECclesia Parochialis Sanctæ Mariæ Elisabeth de Braido S. Viti, vulgò *di Bresanvolto* Vicentinæ Diæcesis non est conferenda prævio concursu, ordinato
1 per Concilium Tridentinum *sess.* 24. *de Ref. cap.* 18. sed est providenda de Parocho ad liberam electionem Reverendiss. Abbatis, ac Monasterii SS. Felicis, & Fortunati Congregationis Casinensis, præsentando coram Ordinario Vicentino pro examine, & approbatione quoad scientiam, ad præscriptum *Bullæ* 47. B. Pii V. *Incipien. Ad exequendum &c.* & hoc attenta Unione facta de dicta Parochiali Ecclesia eidem Monasterio,
2 & ipsius Mensæ ab Episcopis Vicentinis usque *de Annos* 975. & 1146. cujus Unionis vigore Jus eligendi, & præsentandi Parochum spectat ad Abbatem, ac Monasterium prædictum, tùm ex tenore Sa-
3 crorum Canonum *in cap. Extirpandæ. §. Qui verò. Et cap. de Monachis. De Præbend. cap. Unico de Capellis Monachor. in 6. Clem. 1. de Jurepatr.* tùm ex determinatione prædictæ Bullæ Pianæ.

Porrò ad intelligentiam hujus materiæ quatuor sunt præmittenda, & observanda. Unum est, quod tempore Concilii Tridentini, cum Episcopi, ut plurimum, conferrent beneficia Parochialia ad instantiam parentum, vel amicorum rudibus, ac ignaris Presbyteris,
4 ad hunc abusum tollendum statutum fuit *in cit. sess.* 24. *cap.* 18. *de Ref.* ut obligati essent Episcopi per publica Edicta invitare quoscunque Presbyteros ad examen, & concursum ad Ecclesias Parochiales vacantes; & peracto examine, eas conferrent magis digno scientiâ, ac moribus. In hujus Conciliaris decreti executione Episcopi nimis cœperunt excedere, ponentes
5 ad concursum non solùm Parochiales ad eorum collationem spectantes, ac illas, de Jurepatronatu Ecclesiastico, de quibus Concilium Tridentinum tantummodò intellexerat; sed etiam illas de Mensa Capitulorum, Monasteriorum, ac aliarum Dignitatum, usurpantes sibi electionem, & nominationem Parochorum, quos ab immemorabili tempore Capitula, Monasteria, ac Dignitates semper elegerant, undè exortæ fuerunt infinitæ propemodùm lites inter Curias Episcopales ex una, & Capitula, Monasteria, aliasque Dignitates ex alia, quæ expoliabantur Jure suo eligendi Parochos ad Ecclesias Curatas, eorum Mensis unitas. Ad has lites dirimendas B. Pius V. Pontifex Maximus corexit Episcoporum ausus ex
6 indiscreto zelo, sub prætextu exequendi Concilium Tridentinum, provenientes; & per generalem Constitutionem suam *die prima Novembris* 1567. declarando ordinavit, & ordinando declaravit, Concilii Tridentini decretum circa concursum ad Parochiales vacantes, non habere locum in Parochialibus, quæ essent unitæ, ac de Mensa Capitulorum, Monasteriorum, aliarumvè Dignitatum; sed in his Parochorum electiones esse faciendas absque concursu ab ipsis Capitulis, Monasteriis, ac Dignitatibus, à quibus electus præsentari deberet coram Episcopis, ad effectum, ut eum examinarent quo ad scientiam; adeòut Episcopis, in hujusmodi beneficiis unitis, ac de Mensa, nullum aliud jus haberent, nisi examinandi, ac approbandi ad Curam animarum exercendam eosdem electos, ac præsentatos per prædicta Capitula, Monasteria, ac Dignitates, ut notant, & differunt omnes Beneficialistæ; Inter quos Garzias *part.* 9. *cap.* 2. *num.* 289. Gonzalez *ad Reg.* 9. *Cancell. glossa* 5. §. 3. *num.* 53 Loterius *lib.* 2. *quæst.* 31. *num* 25. & novissimè Card. de Luca *in tract. de Parochis disc.* 11. & *in Annotat. ad Concil. Trid. disc.* 32. *num.* 33.

Alterum præmittendum est, quod non statim post publicatam Constitutionem Pianam antedictam cessarunt discordiæ Curiarum Episcopalium cum Capitulis, Monasteriis, ac Dignitatibus habentibus beneficia Parochialia suis Mensis unita; siquidem Episcopi
7 prætendebant, quod Unio esset probanda per publicum Instrumentum expresse loquens de Unione, & in quo manifestè, atque ad litteram diceretur, illa beneficia esse, ac fuisse unita, incorporata, & perpetuò annexa iisdem Capitulis, Monasteriis, seu Dignitatibus,

Digitized by Google

bus, adeòut ubi talia Instrumenta non ostendebantur, Episcopi ponebant beneficia ad concursum, nec admittebant præsentationes Parochorum factas per Capitula, Monasteria, aut Dignitates, à quibus exhibebantur Instrumenta donationum, de ipsis Ecclesiis antiquitùs sibi factarum, quarum donationum vigore, affirmabant Ecclesias fuisse unitas, ac incorporatas iisdem Capitulis, Monasteriis, atque Dignitatibus, & ita effectas esse de Mensa eorum. At reluctantibus, & resistentibus Episcopis, hujusmodi discordiæ, ac con-
8 tentiones delatæ fuerunt ad Sacrum Tribunal Rotæ Romanæ; per quam diligenter discussis, ac examinatis dissensionibus hujusmodi; fuit pluries judicatum, decisum, ac declaratum; Uniones beneficiorum Parochialium probari, ac justificari posse non solùm per diplomata expresè loquentia de Unionibus; sed etiam per Instrumenta, in quibus constaret, Ecclesias ipsas Curam animarum habentes fuisse donatas antiquitùs per Episcopos Capitulis, Monasteriis, aut Dignitatibus; dummodo donationes fuissent factæ cum omnibus Juribus, & pertinentiis suis; ac præcipuè cum facultate exigendi Decimas, quæ priùs ad easdem Curatas Ecclesias spectabant; & cum hujusmodi Decisionibus, ac Declarationibus terminatæ fuerunt innumeræ propemodùm lites, ac controversiæ, & conservata fuerunt Capitula, atque Monasteria in eorum inveterato Jure eligendi Parochos absque concursu, dum prædictæ Ecclesiæ olim sibi, ut supra donatæ, vacarent; ut videre est apud Card. Seraphinum *decis.* 1272. *&* *decis.* 1304. coram Card Cavalerio *decis.* 599. coram Card. Ludovisio *decis.* 196. coram Merlino *decis.* 115. *&* *decis.* 187. coram Buratto *decis.* 93. coram Bichio *decis.* 237. *& decis.* 336. *& part.* 1. *in recentioribus decis.* 102. *decis.* 626 & in aliis innumeris, quarum doctrinam, & judicia semper amplexa est eadem Rota Romana per totum decursum sæculum sexcentesimum supramillesimum; ut ex decisionibus modernis, quæ infra allegabuntur.

Tertium præmittendum est, quod antiquitùs quando alicui Monasterio, vel Capitulo fiebat donatio alicujus Plebis, erat illa donatio alicujus Ecclesiæ Parochialis, habentis annexam curam animarum; siquidem, juxtà sensum Sacrorum Canonum antiquorum, appellatione Plebium veniebant Ecclesiæ Paro-
9 chiales, ac Curatæ, ut doctè advertit Magrius in suo *Hierolexico Verb. Plebs*, ubi citat textum *in cap. Nulli.* 12 *q.* 1. in quo ita legitur: *Nulli Episcoporum liceat res mobiles, aut immobiles de subjectis Plebibus, aliisque piis locis in proprios usus habere.* Et *in cap. Decimis* 16. *quæst.* 1. ubi decernitur, *Decimas Plebibus tantùm, ubi Sacrosancta baptismata ministrantur, debere dari.* Et *in cap.* 3. *de Clericis peregrin.* quod decernit ita: *Qui penitùs sunt ignoti, non debes ipsos permittere in tuis Plebibus celebrare.* Deducitur ex hoc præmisso, quod *Anno* 975. cum Episcopus Vicentinus donaverit Monasterio SS. Felicis, & Fortunati *In Braydo S. Viti Curtes quatuor cum Plebe, & Capellis, & pertinentiis suis, & Decimis*, per illud Verbum *Cum Plebe* intelligenda est Ecclesia Parochialis, de qua in præsenti agitur, ut pleniùs infrà ostendemus.

Quartum tandem præmittendum, ac sciendum est, quod hæc Vox *Braidum* secundum phrasim latinam Longobardorum, qui vivebant in Italia ab anno non-
10 gentesimo citrà, significabat prædia, idest camporum multitudinem; ut notatur in *Dictionario Longobardico* existente in secundo tomo Bullarii Casinensis *Verb. Braida;* & de Jure Civili possidere Prædia idem est, ac habere magnam quantitatem possessionum, & camporum, ut docet etiam Albericus in suo *Dictionario Verb. Prædia.* adeòut supradictus Episcopus Vicentinus *d. Anno* 975. donasse dicatur eidem Monasterio totum districtum Villæ, seu contractæ Sancti Viti, comprehensum sub nomine *Braidi;* cujus districtus, ac Villæ proprietas usque in præsentem diem remanet in dominio ejusdem Monasterii S. Felicis, prout ex æstimis publicis ipsius Monasterii.

His ita præmissis, ac prænotatis, ad ostendendum, quod Reverendissimus Abbas S. Felicis habet Jus eligendi Parochum S. Viti; & quod ab Episcopo non potest fieri concursus, quotiescunque prædicta Parochialis Ecclesia vacat, duæ firmantur conclusiones: in facto Una, altera in Jure; Prima est, quod prædicta Ecclesia de Braido S. Viti, *vulgò di Bresanvito*
11 fuit, & est verè, ac realiter unita, annexa, & incorporata Monasterio SS. Felicis, & Fortunati, atque de ejus Mensa. Altera conclusio est; quod stante hac Unione, & Mensalitate, non est faciendus concursus ab Episcopo pro deputatione Parochi; sed Parochus est semper liberè eligendus à Reverendissimo Abbate, ac Monasterio; reservato Curiæ Episcopali examine super electi sufficientia, atque doctrina.

Primam conclusionem verissimam esse in facto; & antedictam Parochialem esse unitam eidem Mona-
12 sterio, & de Mensa ejusdem, probatur ex verbis donationis, quam fecit Rodulphus Episcopus Vicentinus *Anno Domini* 975. qui inter cætera illam donavit per hæc Verba: *In Braido S. Viti Curtes quatuor cum Plebe, & Capellis, & pertinentiis suis, & Decimis.* Siquidem per illud verbum *cum Plebe* intelligitur Ecclesia Parochialis, ut notatum est supra in tertio præmisso; per Verba verò sequentia *Capellis, & pertinentiis suis, ac Decimis*, intelligitur translata, & incorporata in Monasterium Cura animarum ejusdem Ecclesiæ, ut pluries decisum, ac definitum est à Rota Romana, quod scilicèt donatio Ecclesiæ facta alicui Monasterio *cum pertinentiis suis, & Decimis*, importat veram Unionem, ac translationem Curæ animarum in Mensam Monasterii. Non me piget transcribere verba Decisionum Rotalium comprobantium hanc veritatem.

Rota coram Card. Seraphino *Decis.* 1304. *die* 14. *Decembris* 1598. ita legitur decidisse. *Fuit conclusum curam Ecclesiæ Parochialis de Stella residere penès Abbatem de Hirache: Primò enim pro hac parte facit donatio Regis Navarræ Sancii, qui concessit dictam Ecclesiam à se constructam in hereditatibus propriis Abbati, & Monachis de Hirache in perpetuum cum deci-*
13 *mis, & primitiis, & oblationibus, & obventionibus omnibus suorum Parochianorum, integrè, & pacificè, sine subjectione, & contradictione alicujus sæcularis, aut clericalis personæ; & Episcopus Pampilonensis ad instantiam Regis prædictam donationem concessit, ex qua colligitur, Ecclesiam fuisse pleno jure concessam Abbati, & Monasterio de Hirache, & cum donatio comprehendat Decimas, primitias, & oblationes, de quibus Rex non poterat disponere, nisi de consensu Episcopi, apparet concessionem Episcopi ea omnia comprehendere, quæ in donatione Regis continentur &c. Undè sequitur curam animarum ad eam spectare, qui percipit ea omnia emolumenta, quæ curam gerenti de Jure competunt, ut penès eum sit onus, penès quem est & commodum &c.* hucusque Rota; ex cujus Verbis deducitur, quod donare Ecclesiam unà cum Decimis alicui Monasterio, est eam unire, & pleno Jure an-
14 nectere eidem Monasterio, transferendo in ipsum Curam animarum; & ideò cum Rodulphus Episcopus Vicentinus donaverit Ecclesiam Parochialem, *Plebem appellatam in Braido S. Viti cum pertinentiis suis, & Decimis*, prædicto Monasterio S. Felicis, sequitur, fuisse pleno Jure unitam eidem Monasterio in spiritualibus, & temporalibus, & in ipsum Monasterium fuisse translatam Curam animarum, cujus curæ respectu acquisivit Decimas ejusdem Braidi, & loci, quas usque in præsentem diem retinet, exigit, & possidet, ut ex earum locationibus.

Secundò: Hoc idem affirmat Rota *part.* 1. *recent. decis.* 102. *num.* 2. Anno 1605. ubi sic loquitur: *Ecclesiam autem esse subjectam Monasterio, aut annexam, vel de Mensa non est necesse probare per Instrumentum*

 Unio-

Digitized by Google

15 *Unionis, vel annexionis; sed potest etiam probari per alia signa, & argumenta, ut fuit decisum in causa Pampilonen. de Stella 14. Decembris 1598. coram Illustrissimo Cardinali Seraphino. In casu proposito Domini, inter alia, primò consideraverunt, quod Monasterium ante ædificationem hujus Ecclesiæ erat dominus totius districtus de Alcobatia titulo donationis factæ per Alphonsum Primum Regem Portugalliæ &c. Ex qua donatione juncta perceptione Decimarum &c. denotatur manifestè dominium esse penès eum, qui Decimas percipit, ita ut Ecclesia dicatur de Mensa illius, & curam residere penès Abbatem, & Monasterium habitu; exercitium verò curæ penes Vicarium. Card. in Clem.1. num 10. quæst.9. De Offic. Vicar. Glossa in Clem. Frequens in Verb. Ad mensam. & ibi Vitalin. num. 83. & cæteri DD. de Excessib. Prælat. Crescentius Decis. 2. de Decimis. Mohedan. Decis. ult. eod. tit. Veralius decis.339. part.3. Capella Tholosana decis.109. & ibi Adden. & fuit dictum in præcitata Pampilonen. de Stella.* Igitur cum donare Ecclesiam unà cum Decimis alicui Monasterio sit eam Unire, annectere, & incorporare eidem Monasterio; & in casu nostro Plebem, idest Ecclesiam Parochialem in Braido S. Viti, legamus donatam unà cum pertinentiis, & Decimis Monasterio S. Felicis, absque hæsitatione asseverandum est, eam esse pleno Jure unitam, annexam, & incorporatam eidem Monasterio S. Felicis.

Tertiò facit Rota *eadem part. 1. recent. decis. 626. num. 1.* Anno 1614. ubi ita legitur: *Postquam ad fundandam suam exceptionem, quæ versabatur in probanda Unione Ecclesiæ Parochialis loci de Ablitas Capitulum Ecclesiæ de Tudela quosdam testes hic in Curia formiter examinaverat, reproposita causa die 16. Junii 1614. utrâque parte informante, & omnibus accuratè perpensis, Visum fuit pro Capitulo talia adduci, ex quibus satis, superque probaretur Unio. Et primò consi-*
16 *derata fuit antiquissima donatio Regis Navarræ facta Ecclesiæ de Tudela de omnibus aliis Mesquitis, sivè Ecclesiis, quæ erant in illius oppidis, unà cum Decimis, & Primitiis, inter quas Ecclesias mentio habetur Ecclesiæ de Ablitas. Undè inferebatur, hanc Ecclesiam fuisse pleno Jure concessam dicto Capitulo, ut in simili donatione ejusdem Regis consideravit Rota in alia Pampilonen. Parochialis de Stella 14. Decembris 1598. coram Seraphino:* En stabile fundamentum conclusionis nostræ, quod scilicet, donatio Ecclesiæ Curatæ cum Decimis denotat ejusdem Ecclesiæ Unionem, & annexionem Monasterio, seu Capitulo, cui fuit donata.

Quartò concordat Rota *part. 4. recent. tom. 1. decis. 37. num. 1. & 2.* ita decidens: *Fuit conclusum Ecclesiam Parochialem S. Petri de Osseja spectare ad Præposituram de Liletto ex pluribus concessionibus* (idest donationibus) *antiquissimis diversorum Episcoporum Urgellen. cum clausulis amplissimis, quæ important*
17 *annexionem, & ejus omnimodam translationem in Præposituram. Adest enim in primis concessio cujusdam Petri tunc Episcopi Urgellen. qui de Anno 1214. recognovit hanc Parochialem esse suffraganeam Ecclesiæ de Liletto, & ei, ac suis Præpositis illam concessit in suffraganeam cum universis ejus honoribus, præeminentiis, decimis, oblationibus, &c.* Ergo judicatum fuit illam Ecclesiam unitam, & incorporatam esse Præposituræ; quia ei concessa, atque donata fuerat cum Decimis, & oblationibus; siquidem donare Ecclesiam cum Decimis alicui Dignitati, vel Monasterio, est illam ei pleno jure unire.

Quintò facit Rota coram Buratto *decis. 93.* Anno 1615. sic loquens: *Parochialem S. Salvatoris loci nuncupati de S. Cæcilia Diæcesis Jacen. spectare ad Monasterium S. Joannis de Pinna Ordinis S. Benedicti, Domini concluserunt; habet enim intentionem fundatam*
18 *in antiquissimo Instrumento donationis ad ejus favorem factæ à Ranymiro Aragonum Rege de Anno 1063. quamplurium locorum, ac Villarum, & inter cætera illius de Sancta Cæcilia, cum omnibus ad Jus Regale pertinentibus, & cum suis Ecclesiis, Decimis, primitiis, & oblationibus, &c.* Ecce spectabat Ecclesia, idest erat unita prædicto Monasterio, quia ei fuerat donata cum Decimis. Ergo idem tenendum, & dicendum de Ecclesia in Braido S Viti donata ab Episcopis Vicentinis Monasterio S. Felicis.

Sextò: Hoc idem, & quidem apertissimis Verbis docet Rota de Anno 1642. *part. 9. recent. decis. 88. num. 4. & seqq.* ita differens. *Unio probatur ex donatione dictæ Ecclesiæ facta ipsi Monasterio per Sancium Regem Navarræ usque de Anno 1225. vigore Privile-*
19 *gii Pontificis Urbani Regibus Hispaniarum concessi, postmodum confirmata ab Ordinario Pampilonen. & Archiepiscopo Tarraconensi; licèt enim ex simplici donatione beneficii non inferatur pernecesse ad Unionem, ut advertit Rota in Tarvisina Parochialis 1603. coram Ubaldo; quia tamen in hoc casu, ultrà plura adminicula: donatio concepta fuit verbis amplissimis, & continet Decimas, Primitias, & oblationes, ac obventiones omnium Parochianorum, pernecesse importat Unionem, cum hæc omnia alio titulo obtineri non possint, ad tradita per Vitalin. in Clem. Frequens num. 48. & 49. De Excessib. Prælat. Rota coram Martino Andræa decis. 11. &c. Sufficit enim in donatione virtualiter contineri Unionem, licèt expressa mentio de ea facta non fuerit. Paris. cons. 44. num. 5. lib. 1. Cravett. cons. 49. num. 10. Garzias de Benefic. part. 12. cap. 2. num. 256.* Quamvis igitur Episcopus Vicentinus Anno 975. & subindè alii Episcopi successores non dixerint, se Unire Monasterio S. Felicis Plebem in Braido S. Viti; sed eam donare; nihilominùs censentur eam unisse, ac pleno Jure incorporasse, & fecisse de Mensa ejusdem Monasterii; eo quia eam illi donarunt cum suis pertinentiis, & Decimis.

Septimò; nec omittenda, imò tanquàm in terminis terminantibus loquens est attentè observanda alia Rotæ decisio de Anno 1645. coram Bichio, quæ inter ejus impressas est *Decis. 237.* cuius *sub num. 4. & 5.* hæc sunt Verba: *Quod verò Ecclesia, & Cura Animarum illi inhærens fuerit unita Monasterio, ap-*
20 *paret ex Instrumento donationis ejusdem Ecclesiæ ad favorem Monasterii cum omnibus Decimis, Primitiis, & oblationibus: licet enim simplex donatio non probet Unionem; secùs est, quando continet Decimas, Primitias, & oblationes, quia cum debeantur ratione curæ animarum. Card. in Clem. Unica. De Offic. Vic. num 10. Seraphin. decis. 1304. sub num. 1. exindè infertur contineri in donatione ipsius Curæ animarum virtualem Unionem; quæ sufficit, quamvis de cura expressa mentio facta non fuerit. Garzias de Benefic. part. 12. cap. 2. num. 256. Seraphin. d. decis. 1304. sub num. 3. Vers. Ultimò. Adden. ad Sav. mem. Gregor. XV. decis. 77. sub num. 11. Vers. Quæ tamen. Rota in Pampilonen. Vicariæ de Stella 16. Junii 1642. coram R. P. D. meo Cerro.* Porrò in casu nostro, (ut iteratò dictum est suprà) donatio Plebis, idest Parochialis Ecclesiæ in Braido S. Viti facta fuit cum suis pertinentiis, & Decimis. Ergo fuit pleno Jure unita eidem Monasterio juxta tot, & tantas Decisiones Rotales, quarum auctoritatem spernere esset nimia temeritas, ut ait Loterius *lib. 1. in Apparatu num. 8.* siquidem
21 Rota Romana non solùm facit opinionem probabilem; sed est omnium Tribunalium Auriga, & Magistra, teste Emin. Card. Albitio in suo *Tractatu de Inconstantia in Judiciis quæst. 37. num. 451.* & Rubeus in *addit. ad eamdem Rotam part. 9. recent. decis. 285. num. 54.* & ideò cum ex Rota habeamus, donationem Ecclesiæ factam Monasterio cum pertinentiis suis, & Decimis importare Unionem; & Monasterium S. Felicis ostendat Parochialem in Braido S. Viti sibi fuisse donatam ab Episcopis Vicentinis ab Anno 975. citrà, *cum pertinentiis suis, & Decimis*; utique concludenter dicitur probare prædictam Unionem. Nihilominùs

Octavò:

Digitized by Google

Octavò tantò magis probata remanet prædicta
Unio, quo validioribus fuit confirmationibus robora-
ta, Imperiali Una, Papali altera, prout constat ex
authenticis in Archivio ejusdem Monasterii S. Felicis,
& legitur in Bullario Casinensi *d. tom.* 2. *Const.* 120.
22 *& Const.* 183. In Constitutione 120. legitur, quod
Henricus Tertius Imperator Anno 1091. confirmavit
possessionem omnium bonorum, ac ejusdem Paro-
chialis in Braido S. Viti, quam Monasterium ipsum
tenebat, dicendo: *Monasterio Beatorum Felicis, &
Fortunati quidquid nunc habet; & possidet, vel habi-
turum est, tàm intra Vincentiæ Urbem, quàm extra
certo, & immobili Jure concedimus; nominatim Brai-
dum S. Viti cum Plebe, ejusque Capellis, earumque De-
cimis, & universis conditionibus, locationibus, & aliis
omnibus ad eamdem Plebem pertinentibus, Imperiali
censuræ, quæ nullatenùs violanda est, prædictum Mona-
sterium perenniter tenere statuimus.* Inter alios effectus
ab hac Imperiali donatione, & confirmatione resul-
tantes, præcipuus est ille, quod ex ea constat, tunc
Monasterium S. Felicis ab Anno 975. citrà, & sic per
annos centum, & ultrà fuisse in possessione prædictæ
Plebis, idest Parochialis Ecclesiæ in Braido S. Viti,
decimarum, ac bonorum omnium ad eamdem Ple-
bem pertinentium. At fortior, & validior est Con-
firmatio Papalis facta ab Alexandro Papa III. Anno
1166. de qua in eodem Archivio Monasterii, & *in
Constitutione* 183. *in tom.* 2. *Bullarii Casinensis*; quan-
doquidem per eam Papa suscipit sub protectione S. Pe-
tri, ac Sedis Apostolicæ Monasterium ipsum S. Feli-
cis, ac omnia ejus bona, & præcipuè prædictam Pa-
rochialem ex certa scientia, illam ita nominando:
23 *In Braido S. Viti Curtes quatuor cum Plebe, & Capel-
lis, & pertinentiis suis, & Decimis.* Hujus confir-
mationis Apostolicæ quatuor sunt effectus. Unus,
quod probat, prædictam Ecclesiam tunc temporis fuisse
in dominio, ac possessione Monasterii. Ita Rota post
tom. 3. Tamburini *de Jure Abbat. decis.* 70. *num.* 22.
& 29. Alter, quod donatio Rodulphi Episcopi Vi-
centini de Anno 975. & illa Henrici III. Imperatoris
de Anno 1091. non potest argui de aliquo defectu,
quia Confirmatio Papæ supplet omnem defectum, &
24 habet vim novæ concessionis, & donationis. Rota
coram Buratto *Decis.* 93. *num.* 6. ubi DD. & Rota
part. 12. *recent. decis.* 65. *num.* 21. Tertius est, quod
eadem Confirmatio Apostolica producit justum titu-
lum in Monasterio ad præscribendum dominium ejus-
dem Ecclesiæ Parochialis. Fagnan. *in cap. Si quis.
num.* 23. *de Confirm. Utili, vel inutili, tom.* 3. Et
Quartus est, quod ex dicta Confirmatione Apostolica
25 remanet probata Unio, annexio, & incorporatio
ejusdem Parochialis Ecclesiæ Mensæ Monasterii pleno
Jure; ut testantur plurimæ decisiones Rotales, inter
quas illa coram Card. Seraphin. *decis.* 1304. *in fin.* &
part. 4. *recent. decis.* 37. *num.* 6. ubi sic loquitur: *Con-
currit cum omnibus supradictis receptio facta ab Honorio
III. sub sua, & Sedis Apostolicæ protectione de Præ-
positura Liletti cum omnibus bonis suis, quæ tunc possi-
debat; & in specie cum Ecclesia de Osseja; & hæc
enunciativa, junctis aliis supradictis antiquissimis mul-
tùm facit in probanda Unione.* Puteus *decis.* 208. *lib.* 2.
Caputaqu. decis. 344. *num.* 2. *part.* 3. *cum allegatis co-
ram b. m. Bubalo* 22. *Junii* 1588. *in causa Tirasonen.
Juris præsentandi; & sepiùs fuit decisum in aliis cau-
sis.* Hoc idem legitur *in cit. Decis.* 93. *num.* 1. coram
Buratto ita loquente: *Quæ confirmationes Summorum
Pontificum videntur sufficere ad hoc, ut Ecclesia dica-
tur spectare pleno jure ad Monasterium, juxta Glossam in
in Clem.* 1. *§. Quidam etiam in Verb. Ad mensam.
Vers. Istud autem. De Excessib. Prælat. Quam sequun-
tur ibi Cardinalis in §. Præsentatos. q.* 5. *num.* 4. *Ab-
bas in cap. De Monachis. sub num.* 9. *De Præben.
Joan. de Anania in cap. Ut super num.* 3. *ubi Imola
sub num.* 8. *De Reb. Eccl. non alien. Et in alia simili do-
natione Monasterio ejusdem Ordinis, à Rege Sancio facta
cum sola auctoritate Ordinarii fuit dictum in Pamplo-
nen. de Stella* 14. *Decembris* 1598. *coram b. m. Card.
Seraphino inter impressas* 1304. *Et in eadem* 28. *Febr.*
1606. *coram b. m. Card. Pamphilio; & in simili dona-
tione Regia à Papa confirmata dictum fuit in Ulixbo-
nen. Juris conferendi* 2. *Decembris* 1605. *coram b. m.
Litta.* Concordat Rota *part.* 11. *recent. decis.* 82.
num. 3. ita dicens: *Eo magis quia Monasterium exhi-
buit ulteriùs Confirmationem Apostolicam sub Hadriano
IV. Summo Pontifice donationis hujus Villæ, ejusque
Decimarum sibi à Joanne Polonorum Archiepiscopo fa-
ctæ, quæ satis probata dicitur ex ipsis litteris confirma-
tionis illius tenorem referentibus: gloss. in cap.* 1. *Verb.
Desunt.* 29. *dist.* Igitur ex Confirmatione Apostolica
Alexandri Papæ Tertii, qui recipiendo sub sua pro-
tectione Monasterium S. Felicis, & omnia ejus bona,
nominat expressè inter alia Plebem, idest Ecclesiam
Parochialem in Braido S. Viti cum Capellis suis, per-
tinentiis, & Decimis; concludenter probatur Unio
ejusdem Ecclesiæ in Braido S. Viti facta ab Episcopis
Vicentinis ipsimet Monasterio.

Nonò deducitur aliud argumentum validissimum, ad
probandam prædictam Unionem, ex collationibus per
Reverendissimum Abbatem Monasterii S. Felicis fa-
ctis de eadem Plebe, & Ecclesia in Braido S. Viti *de
Anno* 1471. *die* 4. *Januarii*, qua Abbas eam contulit
Reverendo Marco Tonso; & *de Anno* 1507. *die pri-
ma Decembris*, qua eam contulit Rev. Marco Anto-
nio Campiglia; cum vacasset per mortem supradicti
Rev. Marci Tonsi; in quarum collationum, seu ele-
ctionum Presbyterorum Instrumentis Abbas affirma-
vit, quod ejusdem Ecclesiæ collatio, & alia quælibet
provisio, quandocunque vacat, ad ipsum pertinebat
pleno Jure ex antiqua consuetudine. Has autem col-
lationes, & provisiones ejusdem Ecclesiæ antiquas
factas per Abbates esse signum, argumentum, ac
26 probationem, quod ipsa Ecclesia sit de Mensa sui
Monasterii, & eidem annexa, & unita, pluries con-
sideravit, & admisit Rota in consimilibus causis; &
præcipuè coram Emin. Card. Othobono (qui ad Api-
cem Apostolatus ascendens, se nominavit Alexan-
drum VIII.) inter ejus Decisiones impressas *Decis.*
125. *num.* 4. & 5. cujus verba licet hìc transcribere
tanquam valdè congruentia, cum auctoritatibus per
eum allegatis, ad probandam Unionem Ecclesiæ, de
qua ibi agebatur, & sunt hujusmodi: *Præsertim quia
Abbas docet etiam de pluribus provisionibus; & colla-
tionibus factis per suos Antecessores ejusdem Monasterii
S. Paterniani effectum sortitis; ex quibus Jus conferen-
di ad Abbates pro tempore existentes spectare dignosci-
tur.* Oldrad. *cons.* 229. *num.* 2. *Rota decis.* 598. *num.*
5. *part.* 1. *divers. & decis.* 132. *num.* 7. *part.* 5. *recent.
& coram Buratto decis.* 172. *num.* 5. *Et in Elboren.
Juris conferendi prima Junii* 1640. *in §. Non obstat.
coram R. D. meo Carillo Præside Vallisoletano. Et in di-
cta Placentina beneficii* 9. *Junii* 1645. *coram R. D. meo
Decano &* 11. *Maii* 1646. *in §. Quia intentio coram
R. P. D. meo Ghislerio.* Nec quis objiciat, quod non
ostendat Abbas S. Felicis collationes dictæ Ecclesiæ
ab Annis 975. citrà usque ad Annum 1471. quia res-
pondetur, ex frequentibus bellis, de Principum dis-
cordiis, per illa antecedentia sæcula continuatis, Mo-
nasterium S. Felicis, extra muros Civitatis Vicentinæ
positum, passum esse plura incendia, & militum in-
cursiones, quibus deperditæ sunt scripturæ. At ex
27 collationibus, quæ repetiuntur, præsumitur pro aliis
antiquioribus, potissimùm quia Curia Episcopalis Vi-
centina nunquam contulit eandem Ecclesiam; ad tra-
dita per Rotam *part.* 1. *divers. decis.* 282. *num.* 1. & 2.
part. 7. *recent. decis.* 254. *num.* 6. *& decis.* 301. *part.* 8.
recent. part. 9. *decis.* 330. *num.* 12. & *part.* 11. *decis.*
305. *num.* 15. nec non coram Bichio *decis.* 336. *num.*
4. & 5. Quod autem aliquando præfata Ecclesia fue-
rit resignata in manibus Summorum Pontificum, &
ab iisdem collata, nihil officit prædictæ Unioni, seu

Digitized by Google

Mensalitati, ut ostendemus infra in responsione ad objectum secundum.

Decimò, augetur probatio Unionis antedictæ Ecclesiæ in Braido S. Viti ex eo, quod collationes factæ fuerunt per Reverendissimum P. Abbatem *Annis* 1471. *&* 1507. quamvis prædicta Ecclesia vacasset in mensibus Apostolicis, & Summo Pontifici reservatis; undè fit, quod ipsamet Ecclesia, atque Beneficium S. Mariæ Elisabeth de Braido S. Viti est omninò censendum de Mensa, & unitum Monasterio S.
28 Felicis; ea ratione quia hujusmodi Mensalitas, &
Unio facit, ut beneficia non sint reservata Papæ, etsi vacent in ejus Mensibus, ut benè observat Gonzalez *ad Reg.* 9. *Cancell. Gloss.* 5. §. 7. *num.* 33. *&* 37. & sic quando collata reperiuntur ab Abbatibus, etsi vacantia in Mensibus reservatis, desumitur validum
29 signum, & argumentum, quod sint pleno Jure unita, & de Mensa Monasteriorum. Rota *part.* 1. *rec. decis.* 626. *num.* 6. & *part.* 11. *decis.* 305. *num.* 16.

Undecimò, aliam quoque probationem, & quidem validissimam prædictæ Unionis, ac Mensalitatis faciunt plurimæ, & antiquæ Visitationes habitæ de prædicta Ecclesia Parochiali in Braido S. Viti ab Abbatibus S. Felicis ab *An.* 1530. usq; *ad Ann.* 1570. in quibus habentur enunciativæ, quod eadem Ecclesia est de Jurisdictione ipsius Abbatis, & ad ipsum, ejusque Monasterium spectat pleno Jure collatio, dispositio, & omnimoda provisio de prædicta Ecclesia, atque ejus Visitatio; per
30 quæ verba resultat legalis probatio Unionis, ut scribit Turricelles in *tract. de Unione. cap.* 11. *num.* 96. *&* 97. præcipuè quia in illis antiquis temporibus nulla reperitur Visitatio facta per Episcopos Vicentinos de eadem Ecclesia, tanquam separata, & dependenti à Monasterio; & hæc probatio magni ponderis fuit apud Rotam *part.* 10. *recent. decis.* 152. *num.* 9. his verbis. *Tertiò faciunt Visitationes factæ ab Abbatibus Monasterii S. Petri de Perusia de Anno* 1560. *&* 1562. *cum assertione, quod hujusmodi Ecclesiæ collatio, provisio, & Visitatio ad Abbatem, & Monasterium spectat, quæ Unionem, & Subjectionem denotant. cap. Conquerente, ibique Glossa, & DD. De Offic. Ordin. Gregor. XV. in decis.* 4. *num.* 4. *&* 18. *Burattus decis.* 504. *num.* 1. *Rota inter recent. decis.* 724. *sub num.* 3. *Vers. Visitatio part.* 2. *Præsertim quia pro parte Ordinarii per lapsum* 30. *& ampliùs annorum nulla datur Visitatio facta de hoc beneficio tanquam separato, & dependenti à Monasterio.*

Duodecimò tandem alia legalis, & concludens Unionis probatio militat ad favorem Reverendissimi Abbatis, & Monasterii S. Felicis ex dominio, exactione, & recollectione Decimarum totius Villæ, & lo-
31 ci Braidi S. Viti, *vulgò di Bresanvido;* ut constat tùm ex locationibus earundem Decimarum *de Annis* 1455. 1596. 1665. *&* 1674. tùm ex Sententia Vicarii Prætorii Civitatis Vincentiæ *de Anno* 1581. ad favorem ejusdem Monasterii contra nonnullos possessores camporum in Parochia antedicta Braidi S. Viti, qui detrectabant solvere Decimam eidem Monasterio; tùm etiam ex publicis æstimis bonorum omnium districtus S. Viti *de An* 1556. 1564. *&* 1626. ex quibus clarè, ac manifestè constat, non solùm præfatum Monasterium esse dominum proprietatis omnium camporum, & terrarum ejusdem districtus S. Viti, & ex eis annuas livellarias pensiones exigere à laboratoribus; sed etiam ab ijsdem sibi solvi Decimas omnium frugum, & bladarum, quæ ex dictis campis nascuntur, reservato quartesio, idest quarta parte earundem Decimarum Vicario perpetuo S. Viti, seu *de Bressanvito*, qui nomine antedicti Monasterii exercet curam animarum in eadem Villa. Sequitur ex his omnibus, quod Monasterium S. Felicis habet in se Jus Parochiale Villæ Bressanviti, cujus Ecclesia ex donationibus Episcoporum Vicentinorum, & confirmationibus Apostolicis est donata pleno Jure, & unita eidem Monasterio; & prædictæ Unionis vigore Monaste-
rium exigit Decimas prædictæ Villæ Braidi S. Viti,
32 ut optimè docet Loterius *de Re Benefic. lib.* 1. *q.* 20. *à num.* 73. *& seqq.* & respondit Rota *part.* 2. *recent. decis.* 204. *sub num.* 2. *& part.* 6. *decis.* 16. *num.* 7. *& part.* 15. *decis.* 62. *num.* 11. ubi de anno 1667. ita loquitur: *In præsenti verò plura adsunt signa demonstrantia Unionem esse plenariam. Primum enim, ultrà supra deducta, resultat ex perceptione Decimarum, & oblationum fieri solita per Monasterium ab antiquo, & ferè immemorabili tempore. Rota decis.* 204. *sub num.* 2. *part.* 2. *& decis.* 16. *sub num.* 7. *part.* 6. *recent. Adden. ad Gregorium XV. decis.* 196. *num.* 3. §. *Arguitur:* per hæc Verba: *Item etiam per donationem factam unius Ecclesiæ alteri arguitur Unio, de qua dixi supra ad decis.* 77. *Prout etiam Unio arguitur* (notetur) *ex exactione Decimarum, facta ab Ecclesia, cui prætenditur facta Unio, assignata congrua Vicario. Cardin. Clem.* 1. *num.* 10. *quæst.* 9. *De Offic. Vicarii. Rota decis.* 102. *num.* 3. *& decis.* 626. *num.* 3. *part.* 1. *recent. & decis.* 204. *sub num.* 1. *Vers. cum ratione perceptionis Decimarum. part.* 2. *in recent.* Igitur cum Mona-
33 sterium S. Felicis ostendat donationes sibi factas ab Episcopis Vicentinis ab anno 975. citra de Ecclesia Braidi S. Viti, *vulgò di Bressanvito* cum Juribus,
34 ac pertinentiis suis, & Decimis; nec non Confirmationem Apostolicam Alexandri Papæ Tertii, collationes antiquas ejusdem Ecclesiæ factas ab Abbatibus,
35 etiam in Mensibus reservatis, Visitationes plurimas cum enunciativis, quod dicta Ecclesia spectat pleno
36 Jure ad idem Monasterium; & ultrà dominium directum, & proprietatem omnium Camporum ejusdem Villæ Bressanviti percipiat omnes Decimas; assigna-
37 ta quarta parte earum Sacerdoti exercenti curam animarum, remanet firma, inconcussa, & stabilis prima nostra conclusio, quod scilicèt verè, ac realiter ipsa Parochialis in Braido S. Viti, seu de Bressanvito, est de Mensa ejusdem Monasterii, ac ei Unita pleno Jure, scilicet quo ad temporalia, ac spiritualia; & quod Jus Parochiale residet in habitu penès ipsum Monasterium, demandato solo exercitio Curæ animarum Sacerdoti per Reverendissimum Abbatem, & Monachos pro tempore eligendo, nominando, ac præsentando.

Secunda conclusio, in hac causa firmanda, est; quod Sacerdos prædictus est eligendus, ad exercendam Curam animarum, non ab Episcopo Vicentino per concursum; sed ab Abbate, & Monasterio liberè, ac sine concursu; itaut Episcopus non habeat, nisi Jus examinandi prædictum electum quoad scientiam, & illum approbandi ad exercitium dictæ Curæ animarum, ad præscriptum non solùm antiquorum Sacrorum Canonum; sed præcipuè Bullæ 47. B. Pii Quinti, per quam declaravit, in beneficiis Parochialibus
38 de Mensa alicujus Monasterii, Capituli, vel Dignitatis, & quæ sint ijsdem pleno Jure unita, non esse faciendum concursum in earum provisione, de quo loquitur Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 18. *de Ref.* sed esse eligendum Parochum absque concursu à Monasterio, Capitulo, vel Dignitate, & præsentandum Episcopo pro examine. Ita docent omnes Doctores, qui scripserunt post dictam Bullam B. Pii Quinti; & ita centies, & ultrà judicavit, & decidit Rota Romana juxta sequentes Decisiones, quas cumulat Turricelles *de Unione cap.* 4. *num.* 53. ita scribens: *Præterea Vicarius Ecclesiæ Unitæ deputandus est, & instituendus ad nominationem Prælati Ecclesiæ, cui facta est Unio, sine alio concursu, tùm ex dispositione Juris communis. cap. De Monachis. De Præbendis. tùm ex Concilio Tridentino sess.* 7. *cap.* 13. *de Refor. tùm ex Bulla B. Pii Quinti de Vicariis. Burattus decis.* 214. *num.* 1. *ubi quod ita sæpiùs censuit Sacra Concilii Congregatio. Idem Burattus decis.* 870. *num.* 2. *Duranus Decis.* 21. *num.* 2. *Merlinus decis.* 115. *num.* 2. *& decis.* 625. *num.* 1. *Card. Ottobonus decis.* 159. *num.* 2. *Et part.* 1. *divers. decis.* 798.

Digitized by Google

cis. 798. in fine. Et recent. part. 1. decis. 102. num. 1. & part. 2. decis. 373. num. 4. & part. 4. tom. 3. decis. 380. num. 6. & 25. & part. 11. decis. 102. & decis. 305. num. 24. & decis. 314. num. 1. Et ratio est, quia Jus præsentandi est in fructu, ideò pertinet ad Ecclesiam, cui alterius Jura, fructus, & emolumenta fuerunt annexa. d. decis. 102. num. 1. & num. 15. part. 11. recent. Hucusque Torricelles, ex cujus verbis colligitur quatuor esse Jura, quæ concedunt Abbati, & Monasterio liberam electionem, ac nominationem ad Ecclesiam Curatam sibi unitam; Unum
39 est textus in cap. De Monachis. De Præbendis; alterum est Concilium Tridentinum in sess. 7. de Ref. cap. 13. Tertium est Bulla 47. B. Pii Quinti, & Quartum est Sententia Sacræ Congregationis Concilii Tridentini, quæ ita pluries decrevit, ac declaravit, ut etiam testantur Gonzalez ad Reg. 9. Cancell. gloss. 5. §. 3. num. 53. Garzias de Benefic. part. 9. cap. 2. n. 294. Loterius lib. 2. quæst. 31. num. 21. & novissimè Emin. Card. de Luca in tract. de Parochis disc. 11. num. 3. disc. 12. num. 3. & disc. 13. num. 6. & in Annotat. ad Concil. Trident. idem Cardin. de Luca disc. 32. num. 3.

Et ad hunc propositum referenda sunt verba Francisci Salgadi in tractatu de Regia Protectione part. 3. cap. 9. num. 156. ubi pro exclusione concursus in beneficiis Unitis, ac de Mensa cumulat Jura, ac Do-
40 ctores ita scribens: *Tamen in hujusmodi Vicariis perpetuis Parochialium unitarum concursus nullatenus necessarius est in earum provisionibus; sed dumtaxat ad nominationem, seu præsentationem illorum, quorum Dignitati, Monasterio, vel Ecclesiæ unitæ sunt, & annexæ deputandos, & instituendos esse tex. in cap. Extirpandæ. §. Qui verò, & cap. De Monachis. De Præbend. cap. Unico. De Capellis Monachor. in 6. & Clem. 1. de Jurepatron. Abbas in d. §. Qui verò. num. 9. Petrus de Perusio in tract. de Unionib. cap. 11. q. 6. Ripa Responsor. lib. 2. Respons. 18. num. 4. Navarrus in cons. 11. de Statu Monachor. num. 3. & 7. Joan. Guttierez consil. 44. Rota decis. 798. num. 5. part. 1. divers. Latè Gonzal. de Mensib. & Alternat. gloss. 5. §. 3. à num. 19. ubi de materia Vicariorum; & præcipuè à num. 50. cum seqq. & Gloss. 60. à num. 160. Optimè etiam latè disputat Nicolaus Garzias de Benefic. part. 9. cap. 2. à num. 285. Nonnulla etiam in comprobationem applicat fundamenta Aloysius Riccius in prax. Eccl. concurs. ad Eccl. Parochiales decis. 4. per totam. Galettus in sua Margarita Selectorum casuum conscientiæ. Verb. Parochi. Pro quo facit Constitutio B. Pii Quinti 47. super declaratione portionum assignandarum Vicariis perpetuis Parochialium, quæ incipit: Ad exequendum; & in Vers. Volumus, ita loquitur.* „Volumus insuper, & ita mandamus, quod dicti „Vicarii perpetui non ad liberam Ordinariorum electionem, sed ad nominationem illorum, in quorum Ecclesiis unitis ponentur, cum ipsorum Ordinariorum, seu eorum Vicariorum (Generalium) „prævio examine, & approbatione deputentur &c. *Et ita pluries determinavit Sacra Congregatio Concilii Tridentini super Decreto sess. 7. de Reform. ubi super Vers. Vicarios etiam perpetuos, &c. ita ait:*
41 *Congregatio censuit, nominationem Vicariorum ad beneficiatos pertinere; & hoc etiam B. Pius V. dicta Bulla citata adducens, Ordinarii, vel ejus Vicarii prævio examine approbationem necessariam esse, &c. Et iterum alia super eodem Vers. in hæc: Ex dicta Bulla B. Pii V. Kal. Novemb. Anno 2. Nominatio Vicariorum perpetuorum spectat Ecclesiis, seu locis, quibus dictæ Parochiales sunt unitæ?*

Hucusque Salgadus, ex quibus verbis Canones, Doctores, Rotæ, ac Sacræ Congregationis Concilii Decreta habentur, terminantia, non posse fieri concursum ab Episcopis in provisione Parochialium unitarum, ac de Mensa Monasteriorum; sed ad nominationem, & præsentationem Abbatum esse
42 Parochos admittendos; quod ex modernis docent etiam Parisius *de Resignat. lib. 8. quæst. 9. num. 93. & 94.* Massobrius *in Praxi habendi concurs. Prælud. 3. dub. 3. num. 24.* Fagnanus *in cap. Cum sit ars. à num. 20. & seqq. De Ætate, & qualit.* & pluries Rota, ut coram Bichio *decis. 211. num. 5. & decis. 268. num. 23.* ubi aliæ decisiones cumulantur.

Cæterùm quamvis supradictæ duæ conclusiones, & de Veritate Unionis, Mensalitatisque Ecclesiæ *de Bressanvito*; ac de non faciendo concursu innitantur solidis, ac legalibus fundamentis, Curia Episcopalis tentabit ea evertere, ac destruere quatuor objectionibus, quibus oportet respondere, & ostendere eas nullius esse valoris.

Prima erit objectio, quod si Ecclesia de Braido S. Viti esset unita, & incorporata, ac de Mensa Monasterii S. Felicis, Parochus exercens curam anima-
43 rum reciperet alimenta, & congruam portionem ab eodem Monasterio. At secùs est; siquidem Parochus prædictus habet sua propria bona; & suum æstimum independens à Monasterio solvit onera, & gravedines publicas; Monasterium nihil contribuit pro manutentione Ecclesiæ prædictæ. Ergo deducitur, quod quamvis ab initio unita, & incorporata fuerit Cura animarum illius Ecclesiæ Monasterio; successivis temporibus Monasterium eam transmiserit, & cesserit eidem Parocho; & ideò nunc eligendus est ab Episcopo per viam concursus, reservata tantummodò collatione Reverendissimo Abbati in mensibus ordinariis.

Respondetur, hanc objectionem esse frivolam, & nullius momenti; quia non est novum in Jure, & in facto, quod salva præcedenti Unione, Monasteria solita fuerint antiquitùs assignare bona stabilia Parochis, seu Vicariis perpetuis Ecclesiarum ijsdem Mo-
44 nasteriis unitarum, colligenda, & exigenda independenter à Monasterio, prout facit Parochus Villæ Breßanviti, quartesium percipiendo, & alia bona sibi assignata antiquissimis temporibus absque alia licentia Abbatis; hoc inquam non est novum in Jure; nam talis assignatio fructuum facta independenter à Monasterio approbatur à Glossa *in cap. Avaritiæ. in Verb. Redditus. & in cap. De Monachis. in fine de Præbend.* à Rota coram Crescentio *decis. 2. de Decimis.* & coram Mohedano *decis. 5. eod. tit.* & coram Cavalerio *decis. 595. num. 2.* & coram Merlino *decis. 115. num. 11.* Et, aliis decisionibus omissis, evacuat hanc objectionem Rota *part. 4. recent. decis. 37. num. 10.* ita dicens: *Non obstat &c. Potuit enim Præpositus, qui tenebatur dare Vicario congruam portionem de redditibus Parochialis juxta cap. De Monachis. de Præbend. ei assignare certam portionem, & reliquos fructus sibi reservare: vel omnes fructus Rectori dimittere, & sibi certum quid retinere.* In facto autem non est novum, quod plurimi Vicarii perpetui, & Rectores Parochialium unitarum Monasteriis, habeant bona ad proprium æstimum, ea colligant, & exigant independenter à Monasterio; solvant onera publica, & privata, ad quem effectum censentur dicta bona ijsdem Parochis assignata antiquo tempore, cujus initii memoria non habetur; & dari possunt exempla
45 in Civitate, & Diœcesi Patavina de beneficiis Sancti Danielis, ac Villæ Maseratæ, quæ sunt de Mensa Monasterii S. Justinæ; Item de beneficiis S. Nicolai Paduæ, & S. Mariæ de Volta Brusreganæ; quæ sunt de Mensa Monialium S. Petri de Padua; Item de S. Bartholomæo ejusdem Civitatis, quod est de Mensa Monialium ejusdem Ecclesiæ; & de S. Laurentio, quod est de Mensa Monialium S. Stephani; prout etiam de beneficiis Villarum Cenæ, & Pontiscasalis, quæ sunt de Mensa Abbatiæ Canonicorum Regularium Candianæ omnia enim prædicta beneficia habent propria bona cum suis æstimis separatis; exigunt suos redditus, & solvunt publicas gravedines, & alia

Digitized by Google

& alia onera independenter à Monasteriis; & tamen Parochi non eliguntur per concursum, sed ad nominationem, & præsentationem Abbatis, vel Abbatissæ Monasteriorum, quorum Mensis antiquitùs per donationem Episcoporum fuerunt Unita, & incorporata; prout factum fuit de Plebe in Braido S. Viti, donata, & sic Unita Monasterio S. Felicis ab Episcopis Vicentinis. Igitur nihil obstat Unioni, de qua agimus, quod Parochus Bresanviti habeat æstimum propriorum bonorum; tantò minùs, quia ut supra consideratum fuit, Monasterium retinet, possidet,
46 ac exigit Decimas ejusdem Villæ Bresanviti; & talis exactio, relicta Quartesio, idest quarta parte earum ipsi Parocho pro sua Congrua, est signum urgentissimum Unionis. Rota coram Ubaldo *decis.* 138. *num.* 12. *&* 13. & coram Gregor. XV. *decis.* 112. *num.* 4. quod advertit Card. de Luca *de Parochis d. disc.* 10. *num.* 6.

Secunda erit objectio ob statum collativum hujus Parochialis Bresanviti, tùm quia in antiquis electionibus factis per Abbates dicitur, quòd collatio ejus spectat ad ipsos; tùm quia ipsa dicitur vacare per mortem; tum etiam quia pluries resignata fuit in manibus Papæ, & ab eo collata juxta petitionem resignan-
47 tium. Porrò Ecclesiæ unitæ, & de mensa non conferuntur, non dicuntur vacare, non resignantur, cum sit extinctus earum titulus; ut docent beneficialistæ, & habetur apud Rotam, præcipuè *part.* 17. *rec. decis.* 150. *num.* 11. & coram Emin. Othobono *decis.* 179. *à num.* 7. *& seqq.* ubi concordantes allegantur; & Turricelles *de Unione d. cap.* 4. *num.* 9. 28. 29. *&* 39.

Sed respondetur, frivolam esse etiam hanc exceptionem; quia etsi rigorosè loquendo Beneficia Unita, & de mensa non dicantur vacare, neque habeant statum collativum, possintvè resignari; nihilominùs lato modo dicuntur vacare, & conferri; quatenùs per
48 obitum unius Parochi opus est providere de alio, & illum constituere in exercitio Curæ animarum. At ex his terminis loquendi non destruitur Unio, seu Mensalitas beneficii, ut in puncto docuit antiquitùs Glossa, *in Clem. Unica. §. præmissa. Verb. revocari. De Supplenda neglig. Prælat.* & ex modernis Gonzalez *gloss.* 15. *§.* 2. *sub num.* 24. & pluries respondit Rota, præcipuè coram Bichio *decis.* 336. *num.* 16. *& part.* 2. *recent. decis.* 25. *num.* 5. *part.* 10. *decis.* 152. *à num.* 14. *& seqq. part* 11. *decis.* 305. *num.* 33. & notat ipsemet Turricell. *d. cap.* 4. *num.* 56. *&* 57. Hinc Barbosa de Appel-
49 lativis Verbis *in Verb. Collatio Appell.* 54. ita scribit: *Collationis appellatione continetur præsentatio, electio, confirmatio, institutio, & omnis modus, per quem quis providetur de beneficio. Clem. Unica, juncta Glossa Verb. Conferantur in fine de Rer. permut. Rebuffus super Concordat. §. Statuimus il secundo in ult. gloss. sub Rubr de Collat. Mandosius in Reg.* 32. *Cancell. quæst.* 4. *num.* 2. *Verall. decis.* 36. *num.* 15. *part.* 3. *Gonzalez gloss.* 16. *num.* 9. Idcircò quando Abbates dixerunt, & dicunt ad eos spectare Collationem hujus beneficii, interpretandi sunt, & declarandi, quod ad eos spectat nominatio, electio, sivè præsentatio Sacerdotis, qui exerceat curam animarum in dicto beneficio.

Quo verò ad resignationes factas in manu Papæ à Parochis pro tempore dictæ Ecclesiæ Bresanviti, ad favorem alterius personæ, cui per ipsum Papam fuit non semel eadem Ecclesia collata, tacentibus Abbatibus S. Felicis, vel ob ignorantiam talium resignationum, vel in obsequium Sedis Apostolicæ, quando notitiam habuerunt de ijsdem; respondetur, easdem
50 resignationes, & collationes Apostolicas nihil officere Unioni, & mensalitati prædictæ Ecclesiæ, eò quia Papa eas admisit, & Ecclesiam contulit credens eam non esse unitam, neque de mensa; ob tacitam sibi veritatem, & sic ex errore; ideòque nullum præjudicium generare voluit Abbati, ac Monasterio S. Felicis circa nominationem, & præsentationem Parochi ad se spectantem; ut pluries respondit Rota, & signanter *in part.* 9. *recent. decis.* 330. *num.* 31. cujus Verba hic transcribam ob multas citationes, in eis contentas: *Non denique officiunt provisiones Apostolicæ de eodem beneficio factæ ex causa resignationis, & semel etiam per obitum de persona tamen à Decano nominata: Quoniam illæ non mutarunt naturam dicti beneficii, nec alterarunt ejus statum antecedentem, de quo in proposito casu plenè constat, quando Papa benè informatus de priori statu aliud expressè non disposuit. Ant. de Butrio in cap. Porrecta sub num.* 2. *Vers. Secundo casu. De Confirm. utili, vel inut. Calderin. in cons.* 26. *in fin. Vers. Sed certum est. De Præbend. Rota in Perusina, & Tirasonen. impressæ apud Garziam de Benefic. part.* 12. *cap.* 2. *sub num.* 242. *& decis.* 881. *num.* 4. *Vers. Postremo. part.* 4. *divers. & penès b. m. Card. Seraphinum decis.* 899. *sub num.* 3. *& decis.* 1301. *sub num.* 2. *Coccinus decis.* 230. *num.* 6. *ac Burattus decis.* 926. *num.* 9. *Item decis.* 788. *num.* 5. *part.* 3. *decis.* 401. *num.* 15. *part.* 5. *& decis.* 143. *num.* 11. *part.* 7. *recent.* En in quot, & qualibus decisionibus Rota respondit, provisiones Apostolicas de beneficiis unitis factas per errorem, & tacità veritate, non præjudicare Abbatibus, Monasteriis, seu Capitulis, quorum Mensæ ea erant unita.

Tertia objectio esse poterit; quod Parochus Braidi S. Viti, seu Bresanviti non vocetur Vicarius perpetuus illius Ecclesiæ; sed dicatur ejus Rector, Curatus, & forsan Archipresbyter, ex quibus nominibus videtur deducendum, quod Ecclesia non sit Unita Monasterio S. Felicis; sed libera, stans de per se, & independens à Monasterio, non solùm in temporalibus quo ad fructus, & onera; sed etiam in spiritualibus quo ad Jus parochiale, & ipsam Curam animarum.

At respondetur, nomina prædicta esse Synonima; neque habere vim destruendi Unionem, ac Mensalitatem Ecclesiæ, de qua clarè constat ex probationibus
51 supra consideratis; & idcircò quocunque nomine vocetur Sacerdos ille, qui Curam animarum exercet in prædicta Ecclesia Bresanviti, eadem censenda est, prout verè existit, unita, & de mensa Monasterii S. Felicis, ut frequenter respondit Rota ad hanc objectionem, & legitur in ejusdem Rotæ *part* 1. *recent. decis.* 102. *num.* 1. *part.* 2. *decis.* 204. *num.* 6. *part.* 4 *decis.* 37. *num.* 9. *& decis.* 580. *num.* 40. Item *part.* 6. *decis.* 16. *num.* 4. & coram Merlino *decis.* 95. *num.* 4. & *decis.* 625. *num.* 3. coram Bichio *decis.* 336. *num.* 15. & coram Coccino *in part.* 8. *rec. decis* 184. *num* 5. Novissimè Rota coram Priolo *decis.* 252. *num.* 2. ubi ita: *Non videtur revocanda in dubium talis Unio, etiamsi provisi vocati fuerint Rectores, non Vicarii; nam ista nomina uti Synonima variantur, & promiscuè ponuntur. Glossa in Clem.* 1. *§. Nonnulli quoque. Verb. Rectoribus. ubi Vitalinus num.* 35. *De Excessib. Prælat.* Nec desunt exempla in Civitate, & Diœcesi Patavina; nam Parochi S. Danielis, S. Nicolai, S. Laurentii, S. Bartholomæi vocantur Rectores illarum Ecclesiarum, etsi illæ sint unitæ, & de mensa Monasteriorum S. Justinæ, & Monialium, ut dictum est supra. Parochus quoque Maseratæ nominatur Archipresbyter; prout ille Conæ, & Pontiscafalis; & nihilominùs Ecclesia Maseratæ est de mensa Monasterii S. Justinæ de Padua; aliæ duæ de mensa Monasterii de Candiana.

Quarta, & præcipua objectio erit, quod Curia Episcopalis Vicentina *Anno* 1589. fecerit concursum ejusdem Ecclesiæ Bresanviti, & praelegerit, ac nominaverit in ejus Rectorem Rev. Marcum Brunellum, sciente, tolerante, imò approbante Reveren-
52 dissimo P. Abbate Monasterii S. Felicis, qui eidem Brunello præelecto per Episcopum in concursu, fecit collationem prædictæ Ecclesiæ; & ei dedit Bullam Investituræ, ac possessionem: & deindè ipse Rev.

Digitized by Google

Rev. Brunellus resignavit Romæ eandem Ecclesiam ad favorem Rev. Bernardini Bettini, qui pariter adeptus fuit possessionem ejusdem Beneficii, & forsan remanet in eo usque in præsentem diem. Quapropter Curia Episcopalis Vicentina conabitur destruere Unionem, allegando concursum prædictum, statum collativum; ac observantiam, & præscriptionem supra centum annos contrariam eidem Unioni, & destructivam Privilegiorum Congregationis Casinensis quorumcunque; ac subindè instabit manuteneri in possessione, vel quasi eligendi Parochum ad dictam Ecclesiam prævio concursu; ut tot, & tantæ Curiæ Episcopales institerunt, & vicerunt in casibus similibus, præcipuè circa Ecclesiam S. Danielis de Padua sub defuncto Cardinali Barbadico Episcopo Patavino.

Nihilominùs respondendum est, etiam hanc quartam objectionem esse frivolam, & nullius valoris, re-
53 sistente Decreto irritante *Constitut.* 47. B. Pii Quinti, cujus Decreti tanta est vis, ut quidquid actum fuerit contra illud, sit semper nullum, irritum, inane, & nullius valoris, tàm in petitorio, quàm in possessorio, ut decisum legitur à Rota in Decisionibus sequentibus, Videlicet:

Rota *part. 4. rec. decis.* 580. *num.* 24. *tom.* 3. ita dicit: *Demùm non obstat allegata observantia providendi de hac Vicaria per concursum, quia non affertur*
54 *nisi Una de Anno* 1582. *& nihilominùs stante Unione, de qua suprà, observantia suffragari non potest propter decretum irritans, de quo in Constitutione* 47. *B. Pii V. de Vicariis perpetuis conferendis ad præsentationem, seu electionem Prælati, cui facta est Unio, cum approbatione Ordinarii, non autem per concursum; quod Decretum inficit Titulum, & possessionem, sine qua possessione observantia non procedit ex latè deductis in Dertusen. Vicariæ* 22. *Aprilis* 1624. *coram R. P. Merlino.*

Item Rota *part.* 5. *recent. tom.* 2. *decis.* 443. *num.* 3. ait: *Quamvis probetur per quamplures collationes effectuatas Episcopum solitum fuisse Ecclesias conferre li-*
55 *berè per concursum, nulla expectata electione, seu nominatione Capituli, cui sunt unitæ; attamen hæc prætensa quasi possessio sibi non suffragatur ad effectum manutentionis, ex quo dicta Constitutio B. Pii V. non exigit concursum in his Vicariis, licèt habeant curam actualem Animarum, sed mandat Vicarios hujusmodi perpetuos deputari ad electionem, & nominationem illorum, quorum Ecclesiis factæ sunt Uniones, cum approbatione tamen Ordinarii. Quæ Constitutio servanda est, quia dat formam, & præceptum præcisum: ibi: Volumus insuper, & ita mandamus; & quia est posterior per quatuor annos Sacro Concilio Tridentino, ut benè observat, & notat Gonzalez super Reg. 9. Cancell. gloss. 5. §. 3. num 53. & in dicta Constitutione adest Decretum irritans, cum clausula sublata &c. quod Decretum inficit nedum titulum, sed etiam possessionem. cap. Si eo tempore. De elect. in 6 &c.*

Item Rota *part.* 6. *rec. decis.* 16. *num.* 16. dicit: *Nec obstare visæ fuerunt aliquæ collationes factæ per concursum ad nominationem Decani, quia tales collationes*
56 *manifestè deteguntur erroneæ, cum non constet de tali Jurepatronatus, sed de simplici Unione facta Prioratui, & sic non potest desumi aliqua observantia, quæ veritati rei præjudicare possit &c. ex quo provisiones sunt faciendæ ad formam Constitutionis B. Pii V. quæ cum contineat Decretum irritans inficit nedum titulum, sed etiam possessionem &c. Quare non potuit hic error constituere Episcopum in legitima possessione conferendi Vicariam prædictam per concursum &c.*

Item Rota *part.* 4. *recent. decis.* 330. *num.* 27. ita differit: *Nec obstat, quod de Anno* 1573. *vacante dicta Vicaria per obitum Francisci Ferrer, fuerit de illa prævio concursu provisus Petrus Vinces. Nam actus ille*
57 *non turbavit statum Unionis, de qua evidenter apparet ex prædictis, censetur enim processisse vel ex errore, quippè præcedente dicta Unione non erat locus concursui, sed Decanus nominare debebat personam idoneam, quæ deindè prævio examine approbanda erat ab Ordinario, juxta formam Constitutionis B. Pii V. Incip. Ad exequendum &c. Vel ex voluntate, ac tolerantia Decani, qui poterat impedire hujusmodi concursum; ac ideò nullo casu præjudicat Juri quæsito ejus Dignitati, neque Successoribus in ea, ut in his terminis latè probavit Rota in d. Dertusen. Vicariæ* 22. *Aprilis* 1624. *coram b. m. Merlino. Eoque minùs stante de Constitutione S. M. B. Pii V. quæ efficacissimis clausulis, ac decreto irritanti est roborata, quorum vigore (ut dictum est) inficitur quivis titulus, ac possessio in contrarium adducta &c.* Ex hac decisione Rotali habemus præter nullitatem concursuum ante factorum, quod eos non potuit convalidare consensus Abbatis, si forsan consensit, quia non habet facultatem derogandi dictæ Constitutioni B. Pii V. neque præjudicandi Monasterio, & Abbatibus Successoribus in illo; ut ex pluribus aliis decisionibus, quas eadem Rota citat idem *sub num.* 36. & repetit Rota *part.* 11. *rec. decis.* 305. *à num.* 30. *& seqq.*

Hanc quoque nullitatem concursuum præcedentium, & quod ex eis, licèt factis cum consensu Abbatis nullum illatum sit præjudicium Monasterio, nominandi, & præsentandi Parochum ad illud beneficium, clarè docet etiam Loterius *de Re benefic. lib.* 2.
58 *quæst.* 31. *num* 25. ita scribens. *Neque hoc casu suffragaretur Episcopo ulla quasi possessio faciendi concursum, quia cum præcitata Constitutio B. Pii V. det formam in providendis Vicariis hujusmodi per viam Legis generalis, cum clausula sublata, & decreto irritanti, talis quasi possessio remanet infecta, neque ullius est considerationis, ut in propriis his terminis respondit Rota decis.* 710 *num.* 6. *part.* 2. *rec. & coram Merlino decis.* 106 *ubi dictum fuit, nihil hoc casu referre consensum ejus, cui Unio est facta, quia cum sit in illius facultate hoc etiam permittendi, intrat doctrina Bartoli in l. Quominus. num.* 27. *ff. de fluminib.; ne per actum facultativum, etiam ad mille annos, censeatur quis aliquid de Jure suo remittere, quod alteri quæratur, &c.* Et citat Doctores, ac Rotales Decisiones, hanc Bartoli doctrinam approbantes; ex qua resultat ad defensam Monasterii S. Felicis, quod Curia Episcopalis Vicen-
59 tina non potest allegare præscriptionem centenariam contra ipsum, etsi fecerit concursum Anno 1589. tùm quia fuit erroneus, & contra formam Constitutionis B. Pii V. à qua remanet infectus quo ad titulum, & quo ad possessionem, & sic numquam potuit incipere præscriptio; tùm quia si Reverendissimus Abbas Monasterii S. Felicis eo tempore consensit prædicto Concursui, non potuit præjudicare Monasterio, & ejus Abbatibus Successoribus, ut protestantur supracitatæ Decisiones Rotales, ac DD. eò minus, quia Abbates de Anno 1657 insurrexerunt contra hujusmodi abusus, & petierunt sibi præservari nominationem, ac præsentationem Parochi, debitam ob Unionem, & Mensalitatem beneficii in Braido S. Viti; & in jure habemus certam regulam non solùm, quod Præ-
60 scriptio centenaria eliditur, si allegetur titulus invalidus, ac erroneus. Genuens. *in Praxi cap.* 63. *num.* 5. Loterius *d. lib.* 2. *q.* 7. *num.* 33. *& seqq.* & Cardin. de Luca *in tract. de Jurepatron. disc.* 57. *num.* 29. sed
61 etiam quod sola resistentia Verbalis interrumpit Præscriptionem. DD. quos citat, & laudat Barbosa *lib.* 3. *Voto* 126 *num.* 279.

Tandem supra consideratam invaliditatem concursuum antea factorum notat etiam Turricelles Patavinus, qui in fine transacti sæculi millesimi sexcentesimi
62 erat Auditor in Rota Ferrariæ in suo *tract. de Unione d. cap.* 4. *num.* 56. ita subdens: *Sed supposita Unione accessoriè facta, collationes per concursum factæ ad nominationem Capituli, seu Dignitatis, cui facta fuit Unio, non possunt turbare statum beneficii, aut præjudicare Juri quæsito Capitulo, aut Dignitati, & Successoribus in ea, quominùs in futurum possint unicum nominare, cui*

Digitized by Google

cui absque concursu, & cum solo examine collatio fieri debeat; cum tales concursus per errorem facti præsumi possint, & obstet Constitutio S. M. B. Pii V. efficacissimis clausulis, & decreto irritanti munita, quod inficit omnem titulum, & possessionem in contrarium adductam. Et allegat pro confirmatione suæ doctrinæ sex Decisiones Rotales.

Adstipulatur prædictis etiam Card. de Luca, qui novissimus omnium scripsit de his controversiis *in tract. de Parocho disc. 11. num.* 4. & 5. probans irrelevantiam assertorum concursuum ob decretum irritans Bullæ B. Pii V. & deindè subdit rationem, ob quam
63 post Concilium Tridentinum ubique terrarum Episcopi tentarunt carpere beneficia antea unita Monasteriis, & Capitulis, ac ea ponere ad concursuum, usurpando sibi nominationem, & electionem Parochorum, quæ facienda erat ab Abbatibus; scilicèt quia ignorabatur prædicta Constitutio B. Pii V. & nondum Rota benè declaraverat hanc Unionum materiam, præcipuè promanantium à donationibus antiquis factis per Episcopos de Ecclesiis Curatis cum pertinentiis suis, & decimis.

Ponamus hic Verba Cardinalis de Luca, & cum ipsis concludamus præsentem Juris allegationem. *Ponderando etiam* (ait *d. disc. 11. num. 6.*) *dicti contrarii usus rationem circa ea tempora sæculi præce-*
64 *dentis: licèt enim usque ab Anno 1584. iste fuerit sensus Rotæ, ut supra; ac etiam Sacræ Congregationis Concilii in una Abulen. de Anno 1593. relata per Garziam d. cap 2. num. 295. Attamen hæc erant abscondita etiam in Curia; in qua antequam ederentur labores Gonzalez, Garziæ, Loterii, & Barbosæ, & similium, neque adessent tot Rotæ decisiones, paucis materiæ beneficiales innotescebant, multò magis extra Curiam; neque Rota adeò materiam explanaverat, ut fecit in dictis modernioribus, ac aliis plerisque decisionibus, quarum prima, quæ circumfertur Magistralis est de Anno 1605. in Ulixbonen. coram Litta d. decis. 102. part. 1. rec. Ideò non mirum, si priùs vivebatur cum ista credulitate* (de faciendo concursu) *in sæculo præcedenti; secùs autem in currenti*.

Stant igitur inconcussæ antedictæ duæ Conclusiones; quod scilicèt Parochialis S. Viti in Braido est unita, ac de Mensa Monasterii S. Felicis Vicentiæ; & quod Episcopus Vicentinus non potest eam providere de Parocho per concursum; quia Parochus est in illa ponendus ad liberam electionem, & nominationem Abbatis; reservato examine, ac approbatione ipsimet Episcopo juxta *Constit.* 47. B. Pii Quinti.

DISCORDIA LXVI.

ARGUMENTUM.

Capellania etsi Laicalis per Testatorem ordinata in Collegiata Ecclesia, cum obligatione Missæ quotidianæ, & cum onere, festivis diebus, interessendi Choro, & serviendi Missis, ac Vesperis solemnibus, obtineri non potest à Mansionario ejusdem Collegiatæ tanquàm incompatibilis ob idem servitium personale, quod ipse præstare tenetur in Choro. Episcopus in hujusmodi incompatibilitate dispensare non potest, cum justa causa deficiat. Capellaniæ à Laicis in testamento ordinatæ possunt ab Episcopis erigi in Ecclesiastica beneficia, secùs si ab iisdem Laicis inter vivos sint constitutæ.

SUMMARIUM.

1 *Montisilicis Castri Paduani districtus denominatio undè sumpta?*
2 *Castrum prædictum quando, & à quo Christianam fidem susceperit?*
3 *Collegiata ejus Ecclesia reædificata Anno 1248.*
4 *Eadem Decimis ditata, & Privilegiis decorata.*
5 *Quot Canonicos, & Mansionarios habeat?*
6 *Mansionarius Choro obligatus an possit habere Capellaniam Laicalem, obligantem ad interessendum in eodem Choro.*
7 *Capellaniæ requirentes servitium in Choro sunt incompatibiles cum Canonicatibus, & Mansionariis*, & num. 20.
8 *Incompatibilitas non consideratur in Capellania Laicali.*
9 *Capellaniæ sine auctoritate Episcopi constitutæ an sint beneficia Ecclesiastica?*
10 *Capellaniæ Laicales non cadunt sub reservatione Mensium.*
11 *Incompatibilitas intrat etiam in Capellaniis Laicis. Et quando?*
12 *Interessentia in Choro non potest per substitutum adimpleri.*
13 *Unus duorum vices in eodem Officio, loco, & tempore supplere non potest.*
14 *Capellaniæ solam Missam requirentes an sint compatibiles cum aliis beneficiis?*
15 *Capellania est incompatibilis cum beneficio, si cum illo idem servitium requirat.*
16 *Personalis interessentia in Choro etiam verbis æquipollentibus inducitur.*
17 *Dispensare an possit Episcopus super incompatibilitate Capellaniæ?*
18 *Dispensare non potest Episcopus circa ultimas voluntates, nisi justa causa concurrat?*
19 *Avaritiæ notam incurrit affectans Officia incompatibilia.*
21 *Capellaniæ ordinatæ in Testamento de Jure sunt erigendæ in beneficia Ecclesiastica.*
22 *Capellaniæ à Laico institutæ inter vivos, & alterius ordinatæ in Testamento quænam sit differentia?*
23 *Capellania ordinata à Testatore juxta formam Juris, sapit naturam Ecclesiastici beneficii.*

Extat insignis Collegiata Ecclesia in Castro Montisilicis, per decem milliaria ab hac Urbe Patavina distante, sic nominato vel à *Cælio*, à quo conditum di-
1 citur, vel à quantitate *Silicum*, qui extrahuntur ex illo ad vias sternendas, ac delapidandas, ut observat eruditissimus P. Mag. Jacobus Salomonius Ord. Prædic. in suis *Agri Patavini Inscriptionibus Verb. Monselice pag.* 40. & 47. ubi de eadem Collegiata hæc scribit: *Olim in cacumine Collis posita, à Divo Prosdocimo constructa, & consecrata Anno Christi XLVII. qui (Græcus genere, nobilibus ortus parentibus,) à Beato*
2 *Petro Antiochiâ Patavium missus ad Fidem Evangelicam prædicandam, cum ibi Vitalianum Civitatis Principem ad veram Religionem perduxisset, ædificassetque Basilicam S. Sophiæ, pertransiens indè mira felicitate hoc idem præstitit in hoc Castro Montisilicis, postea Atheste, Acceli, Asili, Feltriæ, Belluni, Concordiæ, Opitergii, Altini, Tarvisii, & Vicentiæ*. Subdit deindè de hac Collegiata Ecclesia, quod *à Federico II. desolata, ut ibi Turrim cum Castro ædificaret, annuente Alexandro III. Summo Pontifice Anno MCCXLVIII. translata fuit, & in ampliorem formam*
3 *reædificata eo loco, in quo sita erat Ædicula S. Martini. Huic Collegiatæ de Anno MCLIII. à Joanne Episcopo Patavino confirmatæ fuerunt Decimæ totius Districtus Montisilicis, à Sinibaldo, & Ulderico suis An-*
4 *tecessoribus concessæ; fuitque pluribus Privilegiis Imperatorum, & Summorum Pontificum decorata, præsertim Joannis III. Anno MCLXXXVIII. ex* Bullis,

Digitized by Google

Bullis, ac *Scripturis publicis*. Hæc P. Mag. Salomonius de antiquitate, Privilegiis, ac amplis reddi-
5 tibus hujus Collegiatæ; quæ regitur ab Archipresbytero, qui est prima Dignitas, à Canonicis quinque, à Mansionariis quatuor, & à nonnullis aliis Capellanis, & Clericis.

In hac insigni Collegiata pius quidam Testator ordinavit in suo testamento Capellaniam Missæ quotidianæ pro suffragio animæ suæ, & de bonis suis assignavit ei pro dóte Ducatos centum, & viginti, percipiendos à Capellano, per suos heredes eligendo, quem ulteriùs *obligatum esse voluit singulis festivis diebus de præcepto interesse Choro, & inservire Missæ solemni, ac Vesperis, quæ in eadem Ecclesia Collegiata decantantur*. Unus ex prædictis quatuor Mansionariis Choro addictis, cupiens obtinere dictam Capella-
6 niam, ac Missam à Testatore quotidianam ordinatam celebrare, quæsivit à me, *Utrùm licitè possit? intendens diebus festis per substitutum supplere servitio Missæ solemnis, ac Vesperarum à Testatore ordinato*; siquidem discordes erant in hoc Archipresbyter, Canonici, ac alii Mansionarii; quorum aliqui id licere asserebant; alii id negabant.

In hac Discordia prima facie videbatur adhærendum asserentibus; quamvis enim S. Congregatio Concilii aliâs responderit, Capellanias, quibus incumbit onus celebrandi Missas, & in Choro inserviendi, non
7 esse compatibiles cum Canonicatibus, & Mansionariis Curatis, prout refert Fagnanus in *cap. Ut Abbates. num.* 93. *de Ætate, & Qualit. tom.* 2. nihilominùs in casu isto videtur dicendum contrarium eâ ratione, quia incompatibilitas, de qua loquitur S. Congregatio, & quæ damnatur, & prohibetur à Jure Canonico *in cap. De multa. De Præben. in Extravag. Execrabilis. Jo. 22. eod. tit.* atque *in Concil. Trident. sess.* 24. *de ref. cap.* 17. est illa, quæ provenit ex plu-
8 ralitate titulorum, ac Capellaniarum, quæ verè sunt beneficia Ecclesiastica; tanquam erecta, ac fundata Auctoritate Episcopi. Sed Capellania Montisilicis, de qua disputatur, non est beneficium Ecclesiasticum, cum non fuerit constituta Auctoritate Episcopi; sed
9 solâ ordinatione Testatoris Laici, ut latè probat Loterius *de Re beneficiar. lib.* 1. *quæst.* 5. *num.* 40. Barbosa *de Jure Eccles. Univ. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 15. & Gonzalez *ad Reg* 9. *Cancell. Gloss.* 5. *à num.* 20. & *seqq.* ubi propterea dicit, quod hæ Capellaniæ, quæ institutæ sunt à Testatoribus sine Episcopali decreto, vocantur Legata pia, & non cadunt sub Regula re-
10 servatoria Mensium, & possunt obtineri de manu Laici, etiam fœminæ; imò pro eis consequendis possunt iniri quæcunque pacta absque vitio Simoniæ, eam ob repetitam rationem, quia non sunt Ecclesiastica beneficia. Et in terminis hujus quæsiti, quod ex Legatis piis non insurgat incompatibilitas, eò quia in ipsis non cadit titulus beneficialis, resolutum refert ab eadem Sacra Congregatione Garzias *de Benefic. part.* 11. *cap.* 5. *num.* 318. & post illum Pax Jordanus *tom.* 2. *lib.* 10. *tit.* 28. *num.* 75.

His tamen non obstantibus, in sensu veritatis, mihi visum fuit adhærere negantibus; & ideò respondi sententiam meam postulanti, extare incompatibilitatem; & Dominum Mansionarium prædictum tutâ conscientiâ non posse obtinere hanc Capellaniam, neque in eâ per substitutum deservire. Ratio hujus mei responsi est, quia, etsi hæc Capellania non sit beneficium Ecclesiasticum, & ex defectu tituli beneficialis non generet incompatibilitatem; nihilominùs
11 incompatibilitas nascitur à parte rei; & ab onere, ei per Testatorem injuncto, inserviendi in Choro diebus festis Missis solemnibus, & Vesperis; quæ quidem obligatio reddit Capellaniam, etsi laicam, incompatibilem cum alio beneficio Ecclesiastico habente idem onus, & eamdem obligationem, qualis est, omnis Mansionaria prædictæ Ecclesiæ Collegiatæ, prout eruditè disserit Loterius *de Re Benefic. lib.* 3. *quæst.* 23. *num.* 1. & Gonzalez *gloss.* 15. *num.* 131. Incompatibilitas autem hujus Capellaniæ resultat ex illis verbis, in quibus Testator ordinavit, debere
12 suum Capellanum Choro interesse, & inservire Missis, ac Vesperis solemnibus, festivis diebus; quæ verba important servitium personale, quod per substitutum adimpleri non potest, ut docet Fagnanus *in cit. cap. Ut Abbates. de Ætate, & Qualit. num.* 88. & *seqq.* ubi *num.* 90. subjungit, Sacram Congregationem aliâs de hac materia consultam firmasse quatuor conclusiones, quas ipse ibi transcribit; secunda quarum, ad casum præsentem attinens, talis est: *Capellania eâ lege erecta, ut Capellanus teneatur Choro inservire, requirit personale servitium, quod non potest adimpleri per substitutum*. Et pro veritate hujus conclusionis consideratum fuit Concilii Tridentini decretum *in sess.* 24. *de Ref. cap.* 12. in illis verbis: *Omnes verò divina per se, & non per substitutum compellantur obire officia*. Si igitur in hac Capellania non potest per substitutum in Choro deservire Missis, ac Vesperis festivis antedictus Mansionarius; multò minùs hoc servitium præstare poterit personaliter, cum sit obligatus ad Chorum, & ad idem servitium
13 ex titulo suæ Mansionariæ; & non sit possibile, ut quis suppleat vices duarum personarum in eodem munere, loco, & tempore. Igitur hæc Capellania cum Mansionaria ejus est incompatibilis; nam incompatibilitas est concursus rerum, quæ eodem tempore simul stare non possunt, ut ait Vivian. *de Jurepatron. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 164.

Neque suffragatur consideratio in contrarium facta, quod hæc Capellania tanquàm laicalis non inducat incompatibilitatem ex Garzia, Jordano, & aliis suprà adductis. Quia ipsi loquuntur, quando obligatio Laicarum Capellaniarum consistit tantum-
14 modò in celebratione Missæ; in tali enim casu etiam Mansionarius, & quilibet alius beneficiatus potest eas obtinere etiam in eadem Ecclesia; secùs autem ubi præter celebrationem Missæ requiritur personalis interessentia, ac servitium in Choro, prout in præsenti discordia; tunc enim, ut dictum est, ab aliis beneficiatis, eidem Choro addictis, obtineri non possunt; quod docet etiam Navarrus *cons.* 16. *Incipien. An si duo. num.* 2. *de Præbend.* Et etiam Gonzalez *gloss.* 10. *num.* 34. Garzias *d. part.* 11. *cap.* 5. *num.* 225. novissimè Cæsar de Panimollis *decis.* 31. qui *sub num.* 4. ita loquitur: *Ad hoc, ut interest incompatibilitas, est necessa-*
15 *rium, ut utrumque beneficium requirat idem ministerium, & exercitium in eodem loco; itaut Dignitates, Canonici, vel Capellani convenire debeant in unum; & eadem munera eodem tempore explere*. Lapus, *alleg.* 116. *num.* 5. & *alleg.* 117. *num.* 1. & *per totam*. Felin. *in cap. Ex parte il* 2. *num.* 3. *de Rescript.* Abbas *in cap. Litteras. num.* 4. *De Concess. Præben.* Rebuffus *in Praxi tit. De non promot. infr. an. num.* 75. Barbosa *ad Concil. Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 17. *num.* 13. Parisius *de Resign. benef. lib.* 3. *q.* 1. *num.* 128. Tondut *QQ. Benefic. part.* 2. *cap.* 5 §. 6. *num.* 6. & Emin. Card. de Luca *de Benefic. disc.* 57. *num.* 3.

Minùs prodesse potest, si dicatur, quod Testator in fundatione hujus Capellaniæ expressè non præcepit, ut Capellanus inserviret in Choro Missis, ac Vesperis solemnibus per seipsum: quia satis est, quod hoc ordinaverit verbis æquipollentibus, qualia sunt,
16 ut deberet interesse Choro diebus festis, &c. talis enim interessentia de jure esse debet personalis; arg. *text. in cap. In his. De Verb. Signific. l fin ff. de Donationib. quæ sub modo*. Quod advertit idem Fagnanus *in cit. cap. Ut Abbates. num.* 76. *de Ætat. & Qual.*

Aliud quæsitum proposuit mihi supradictus Mansionarius, & fuit: An saltem Episcopus possit cum Patronorum consensu pro unâ vice dispensare, & concedere, ut ipse Mansionarium dictam Capellaniam ob-
17 tineat; & Missis, ac Vesperis solemnibus in Choro per alium Sacerdotem inserviat? Etiam ad hoc respondi

Digitized by Google

pondi negativè; quia, quidquid sit de ea Quæstione, An Episcopus possit commutare defuncti voluntatem, quando absque difficultate adimpleri potest? quam examinat Barbosa *de Offic. & Pot. Episc. alleg. 83. per totam*; illud extra controversiam est apud omnes, quod nunquam Episcopus potest dispensare, nisi concurrat justa, & rationabilis causa, ut ait
18 idem Barbosa *d. alleg.* 83. *num.* 3. ubi DD. cumulat; & innuit Concil. Trident. *sess.* 22. *de Refor. cap.* 6. aliàs censetur dissipare, & non dispensare. Pax Jordanus *d. tom.* 2. *lib.* 9. *tit.* 1. *num.* 6. & *num.* 59. ubi subdit, quod Episcopus dispensando absque justa, & rationabili causa peccabit mortaliter, & non erit tutus in conscientia. Porrò in hoc casu non solùm deficit justa causa, sed urget motivum ad prohibendum; siquidem quando quis affectat munera incompatibi-
19 lia, incurrit avaritiæ, & cupiditatis vitium. *cap. Jam dudum. & cap. Quia in tantùm. De Præbend.* quod notatur à Concilio Trident. *d. sess.* 24. *de reform. cap.* 17. ibi: *Improbæ cupiditatis affectu*. Ideòque furtum committere dicitur. *cap. Dudum. il 2. de Elect. cap. Non furem.* 7. *q.* 1. imò patrare sacrilegium. *cap. Gloria Episcopi.* 12. *q.* 2. tantò magis quia Testator declaravit, se velle, ut hoc suum pium legatum intelligatur factum juxta legum, ordinationum, ac decretorum formam; quare quæ sunt à Jure statuta, veniunt circa ipsum observanda, prout decernit Concil. Trid. *sess.* 25. *de Ref. cap.* 5. & scribit Fagnanus *in d. cap. Ut Abbates. num.* 76. Duo autem præcipit Jus Canonicum circa hujusmodi Ca-
20 pellanias: Unum quod si requirant interessentiam Capellani, & ejus servitium in Choro, sint incompatibiles cum aliis beneficiis requirentibus eandem interessentiam, & personale servitium in Choro, ut probatum est supra *num.* 7. Alterum quod Capellania per Testatorem ordinata in Testamento, licèt nulla facta mentione de Episcopo, intelligitur facta cum hac ordinatione, ut ab Episcopo erigatur in beneficium Ecclesiasticum, & conferatur in titulum;
21 & hoc ad differentiam Capellaniarum, quæ ordinantur à Laicis inter vivos; & dant eis executionem viventes; ut observat idem Cæsar de Panimollis, *decis.* 21. *sub num* 13. cujus verba tanquàm notatu dignissima non me piget transcribere; & sunt sequentia: *Testator simpliciter instituendo Capellaniam, nulla facta mentione, seu non requisita auctoritate Episcopi, censetur instituere voluisse beneficium Ecclesiasticum, præcipuè in Capellaniis institutis in ultima voluntate, in quibus non videtur exclusa auctoritas Ordinarii, & erectio ab eodem facienda; dum tantùm exigatur, & intervenire soleat post mortem testatoris,*
22 *quando effectum sunt habituræ: ad differentiam Capellaniæ institutæ inter vivos, irrequisito Ordinario, quæ cum de præsenti suum sortiatur effectum, jus Ordinarii omninò excluditur, & Capellania remanet merè laicalis, ut pulchrè tradit* Garzias *de Benefic. part.* 1. *cap.* 2. *num.* 109. *cum duob. seqq.* Deducitur ex hac observatione; Testatorem, qui ordinavit antedictam Capellaniam in Collegiata Ecclesia Monti-
23 silicis, voluisse eam esse beneficium Ecclesiasticum, & ad ejus erectionem, ac institutionem posse procedere Episcopum; undè tantò magis constat eam esse incompatibilem, neque posse obtineri à Mansionario ejusdem Collegiatæ, cui incumbit onus personalis residentiæ in Choro, præter curam animarum.

DISCORDIA LXVII.

ARGUMENTUM.

Canonici Choro addicti suæ obligationi non satisfaciunt per solam interessentiam corporalem in eo. Ipsi verè, & propriè tenentur divinas laudes recitare, & psallere in Choro simul cum aliis, tùm vigore Sacrorum Canonum, & Conciliorum; tùm Declarationum Sacræ Congregationis Concilii; tùm etiam Constitutionis 135. B. Pii Quinti; non obstantibus statutis, consuetudine etiam immemorabili, ac Moralistarum contraria assertione.

SUMMARIUM.

1 *Statuta Cathedralis Ecclesiæ Vicentiæ confirmata à Paulo VII.*
2 *Statuta prædicta an eximant Canonicos ab onere psallendi in Choro?* Et num. 3.
4 *Statutum quod non dicit, nec nos dicere debemus.*
5 *Deus, & Ecclesia honoratur per Divini Officii recitationem.*
6 Insistere *verbum quid significet?*
7 *Studio insistere significat laborare studendo.*
8 *Calepini auctoritas etiam in discordiis forensibus attendenda.*
9 *Officii Divini recitatio vocem labiorum requirit, & devotionem cordis.*
10 *Statuta recipiunt interpretationem à Jure communi.*
11 *Jus Canonicum semper voluit, ut Canonici canerent in Choro.*
12 *Aquisgranense Concilium de obligatione Canonicorum in Choro.*
13 *Basiliensis Concilii decretum de eadem obligatione.*
14 *Viennensis Concilii simile præceptum.*
15 *Bonifacii VIII. æqualis determinatio.*
16 *Tridentini Concilii verba, quod Canonici per seipsos in Choro psallant.* Et num. 21.
17 *Canonici verè sunt obligati personaliter in Choro psallere.*
18 *Consuetudo an eximat Canonicos ab hac obligatione?*
19 *Erotematum meorum verba de antedicta obligatione.*
20 *S. Congregationis Concilii Declarationes, quod Canonici obligati sunt psallere in Choro.*
22 *Moralistis deobligantibus Canonicos à psalmodia in Choro non est adhærendum.*
23 *S. Congregationis Concilii Decreta habent vim Legis.*
24 *B. Pii V. Constitutio 135. quod Canonici sint obligati personaliter recitare Officium Divinum unà cum aliis in Choro.*
25 *Pontificiæ Leges obligant sub peccato mortali.*
26 *Aquilejensis Synodus Provincialis de obligatione Canonicorum psallendi simul cum aliis in Choro.*
27 *Synodales Constitutiones sunt Leges, quæ obligant sub pœna mortalis peccati transgressores.*
28 *Syllogizandum non est contra Sacros Canones, sed eis obediendum.*

NOnnulli ex Reverendissimis Canonicis Cathedralis Ecclesiæ Vicentinæ, Nobiles genere, titulo Comitum Illustres, ac eximia pietate conspicui, consulere volentes saluti animarum suarum circa obligationem recitandi Horas Canonicas, aliaque Divina Officia in Choro, duas mihi quæstiones proposuerunt resolvendas, de quibus inter ipsos erat discordia, Unam in facto, & aliam in Jure.

Prima Quæstio facti fuit, An Breve Pauli Papæ III. *diei* 5. *Decembris* 1544. quo confirmavit ex
1 certa scientia Statuta ejusdem Cathedralis Vicentinæ, verè eximat, & liberet eosdem DD. Canonicos ob onere personaliter psallendi in Choro; itaut satisfaciant obligationi suæ per solam interessentiam, ac personalem præsentiam in illo? Siquidem Statutorum verba, summariè relata in eodem Brevi Apostolico videntur requirere tantùm ipsam personalem interessentiam, ac præsentiam in Choro; non autem onus psallendi, ac propriâ voce recitandi divinum Officium, prout faciunt inferiores Sacerdotes, Mansionarii, ac Ca-

Digitized by Google

ac Capellani, eidem Choro addicti. Verba prædi-
2 cti Brevis Paulini sunt ista: *Quodque omnes ipsius Ecclesiæ Prælati, & Canonici pro tempore existentes in Civitate, vel Diœcesi Vicentina personaliter residere, & Ecclesiam prædictam honorare, ac singulis tàm feriatis, quàm dominicis, & aliis festivis diebus, diurnis, ac nocturnis horis devotè insistere; & si id neglexerint, per Punctatorem ab eodem Capitulo, pro tempore, deputatum punctari debeant, & pars illa distributionum, quam lucrarentur, si interessent, acquiratur aliis, qui pro tempore interfuerunt.*

Ad hanc facti Quæstionem, maturè pensatis, ac examinatis iisdem verbis, in sensu veritatis respondi, eadem Verba ipsos DD. Canonicos non eximere ab
3 onere personaliter psallendi in Choro, & unà cum aliis Sacerdotibus, propria voce recitandi Canonicas Horas. Hujus mei responsi quatuor sunt præcipuæ rationes. *Una* est, quod id, quod non dicit Statutum, non est ab hominibus dicendum, vel præsumendum. *cap. Ubi nam?* & ibi Glossa 96. *dist.* *l. Si*
4 *Servum. §. Non dixit Prætor. ff. de Adquir. heredit.* Menochius *cons.* 52. *num.* 78. Mantua *tom.* 1. *cons.* 172. *num.* 4. & *tom.* 2. *cons.* 183. *num.* 15. Sed prædicta Verba Statuti, relata in eodem Brevi per Paulum Tertium, non dicunt, quod Canonici sola præsentia satisfaciant Choro, absque recitatione, & psalmodia horarum Canonicarum, & quod non sint obligati psallere, & propria voce cum aliis divinas laudes recitare. Ergo neque nos hoc dicere debemus. *Altera* ratio est, quia imò ipsa verba Statuti, & Brevis Apostolici innuunt, quod DD. Canonici debeant, & sint obligati in Choro psallere; nam inquiunt, quod præter personalem residentiam teneantur *Ecclesiam prædictam honorare*: tunc autem Ecclesia, ac ipse
5 Deus à suis ministris honoratur, quando propriis labiis ab ipsis, unà cum attentione internâ, ejus laudes proferuntur; juxta illud *Matth.* 15. 8. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Hinc Regius Psaltes pluribus in locis profitetur Deum laudare, & honorare labiis suis per vocalem orationem; ait enim *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Psal.* 50. *Vers.* 17. & iterùm: *Labia mea laudabunt te. Et labiis exultationis laudabit os meum. Psal.* 64. *Vers.* 4. & 6. prout etiam: *Exultabunt labia mea cum cantavero tibi. Psal.* 70. *Vers.* 23. ac denuò: *Eructabunt labia mea hymnum. Psal.* 118. *Vers.* 171. Et hoc idem manifestè obtestatur Spiritus Sanctus, ut legitur in *Ecclesiast. cap.* 39. *Vers.* 20. dicens: *Date nomini ejus magnificentiam, & confitemini illi in voce labiorum vestrorum; & in canticis labiorum.* Ergo si Deus honoratur, & magnificatur *in voce labiorum; & in canticis labiorum*; oportet ut Canonici ad Deum, ac Ecclesiam ejus honorandam, (prout illis præcipit Statutum) labiis suis laudes divinas canant, & ore proprio in Choro Horas Canonicas recitent. *Tertia*, & quidem urgentissima ratio promanat ex subsequentibus ejusdem Brevis Paulini verbis, quibus injungitur ipsis Canonicis, *diurnis, ac nocturnis horis devo-*
6 *te insistere*: nam verbum *Insisto* significat operari; non autem ociosè, ubi operandum est, per solam corporis præsentiam stare. Calepinus *in Verb. Insisto*, ubi sic explicat, dicens: *Insistere pro operam dare.* Et concordat textus *in cap. Unic. de Offic. Primic.* in quo cum dictum sit, *Ad Primicerii curam specialiter pertinere, ut præsit in docendo diaconis, vel reliquis gradibus Ecclesiasticis in ordine positis*; eidem injungitur, *ut ipse disciplinæ, & custodiæ insistat*; scilicet loquendo, docendo, explicando, & boni Præceptoris officium exercendo; quod per solam præsentiam corporalem cum silentio, & taciturnitate nequit expleri. Idem desumitur ex textu *in cap. Cum ex eo. De Elect. in* 6. in quo Summus Pontifex concedit facultatem Episcopis dispensandi, ut Parochis *usque ad septennium Litterarum studio insistentes promoveri mini-*
7 *mè teneantur.* Ibi enim Papa intelligit de Parochis laborantibus in acquisitione scientiæ legendo, scribendo, lectiones repetendo, & se in scientiis operosos demonstrando; non de illis, qui in Gymnasiis ociantur, & contentantur, alios qui student tantummodò audire. Vult ergo Statutum Cathedralis Ecclesiæ Vicentinæ, relatum in dicto Brevi Pauli Tertii, ut Canonici *diurnis, & nocturnis horis devotè insistant*; idest eas cum Choro devotè recitent, Psalmodiæ propriam operam dando, ut explicat Calepinus, qui
8 etiam in discordiis forensibus est attendendus. Franchus *decis.* 662. *num.* 17. Emin. Cardin. de Luca *in tract. de Præeminentiis discurs.* 36. *num.* 11. Tunc enim datur opera nocturnis, & diurnis horis in Choro, quando ibi alta voce ipsæ recitantur, ut notat Glossa *in cap. Dolentes. in Verb. Ut divinum Offi-*
9 *cium. De Celebratione Missar.* in quo cum injungatur Choro addictis, *ut divinum officium nocturnum pariter, & diurnum, studiosè celebrent, pariter, & devotè*; Glossa dicit: *Studiosè quantum ad officium oris: devotè quantum ad officium cordis*; & sic indicat, oris officium requiri, ut Horis Canonicis in Choro opera detur.

Sed ultrà rationes prædictas alia fortissima me suasum reddit, DD. Canonicos Vicentinos ab ipso Statuto non esse exemptos ab onere personaliter psallendi divinas laudes in Choro, & hæc est; quod omnia Statuta recipiunt interpretationem à Jure communi;
10 & id, quod clarè, & apertè non dicitur in Statuto, venit declarandum, & interpretandum secundum dispositionem Juris communis. Roland. *cons.* 80. *num.* 27. *lib.* 4. Honded. *cons.* 1. *num.* 33. *lib.* 1. Rota *part.* 5. *recent. decis.* 178. *tom.* 1. Modò Jus commune sem-
11 per intellexit, quod Canonici in Choro sint obligati psallere ore proprio Divinum Officium simul cum aliis Sacerdotibus, & ministris Choro addictis, ut ex sequentibus Canonibus, & Conciliorum generalium decretis.

In Concilio Aquisgranense sub Stephano Papa V. celebrato, *Anno* 816. in *cap.* 131. sancitum fuit ita:
12 *Studeant summoperè Canonici prædictas horas vigilantissima cura custodire; & in his divinum Officium humiliter, ac devotè persolvere*: Et infra: *Nec cum baculis in Choro, exceptis debilibus, sed religiosissimè illis standum, & psallendum est.* Et iterùm paulò post: *Quinimò laudes Deo in commune persolventes pro suis, populorumque, quorum oblationibus vivunt, delictis Dominum exorent.* Quis asserere audebit in hoc Concilii decreto non esse obligatos Canonicos psallere in Choro; sed eorum solam corporalem præsentiam sufficere? cum iteratò iisdem imponatur, *divinum officium humiliter, ac devotè in Choro persolvere*, ibidem *iisdem religiosissimè standum, & psallendum*, ac etiam *laudes Deo in commune persolvere.*

In Concilio Basiliensi *sess.* 21. *cap.* 3. relato etiam à Moneta *de Distribut. quotidian. part.* 2. *quæst.* 2. *num.* 14. & à Gonzalez *in Commentar. ad cap. De cætero. num.* 5. *De Clericis non resident.* sic legitur:
13 *Canonici cum psallendi gratia conveniunt, muta, aut clausa labia tenere non debent; sed omnes præsertim qui majori stringuntur onere, in Psalmis, Hymnis, & Canticis Deo alacriter modulentur.* Nulla est vox, nulla est Syllaba in hoc decreto, quæ non denunciet, non sufficere solam præsentiam Canonicorum; eosque esse præcisè adstrictos propriis labiis psallere, & Horas diurnas, ac nocturnas in Choro unà cum aliis de Choro recitare.

In Concilio Viennensi, de quo *in Clem.* 1. *de Celebrat. Missar.* fit indolentia ob omissam personalem Psalmodiam à Canonicis in Choro; & de ea sic dis-
14 seritur: *Plerique Ecclesiarum ministri, modestiâ clericalis Ordinis abjectâ, dum offerre Deo Sacrificium laudis, fructum labiorum suorum in puritate conscientiæ, & animi devotione deberent, &c.* cujus post detesta-

Ff 2 tio-

Digitized by Google

tionem abusus, sic in ejus remedium à Concilio injungitur Canonicis, videlicet: *Ut ab omnibus in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis, horis debitis devotè psallatur*. Si solam præsentiam in Choro sine psalmodiâ detestatur Concilium; & præcipit omnibus in Choro devotè psallere; quomodo asserere licet, permissum fore Canonicis in Choro non psallere, & solâ præsentiâ corporis suo muneri satisfacere?

Bonifacius Papa Octavus *in cap. Unico. De Cleric. non resident. in 6.* decernit, *Distributiones quotidianas esse dandas tantummodò continuè deservienti-*
15 *bus Ecclesiæ in divinis officiis*. At qui non psallit in Choro, & simul cum aliis in Choro non recitat Divinum officium; non dicitur deservire Ecclesiæ in Divinis officiis, nam ly *De* significat valdè, & bene servire.

Item, ut advertit Moneta *d. cap. 2. quæst. 2. num.* 32. in Concilio Tridentino apertissimè indicatur hæc obligatio DD. Canonicorum, psallendi in Choro, & cum Choro divinas Laudes, in illis verbis existenti-
16 bus *in sess. 24. de Ref. cap. 12.* quæ sunt sequentia: *Omnes divina per se, & non per substitutos compellantur obire Officia; atque in Choro ad psallendum instituto, Hymnis, & Canticis Dei nomen reverenter, distinctè, devotèque laudare*. Si omnes, ergò etiam Canonici. Quare cum de Jure communi, & secundum Sacros Canones iidem expressè obligati sint psallere in Choro, & horarias preces simul cum Choro ore proprio recitare; quamvis Statutum Cathedralis Vicentinæ, & Breve Apostolicum Pauli Tertii hanc obligationem præcisis, & expressis verbis non innuat, cum Statutum recipiat interpretationem à Jure com-
17 muni, constanter est affirmandum, eisdem DD. Canonicis hanc obligationem etiam vigore Statuti incumbere; si enim voluisset eos eximere, clarè, & apertè id dixisset; & cum hoc non dixerit, imò satis apertè eos esse obligatos ad psallendum in Choro innuerit; & id Sacri Canones, & Conciliorum decreta semper manifestis, ac prægnantibus verbis indicaverint, in sensu veritatis dicere oportet, DD. Canonicos Vicentinos vigore dicti Statuti non esse exemptos ab onere in Choro, & cum Choro recitandi, ac psallandi divinas Laudes.

Altera Quæstio Juris per eosdem DD. Canonicos mihi resolvenda proposita fuit: An, deficiente Statuto, saltem ex longa, ac inveterata consuetudine
18 Canonicorum non psallendi in Choro; sed tantùm interessendi, satisfaciant suo oneri? justè lucrentur quotidianas distributiones? & sint tuti in conscientia? Ad hanc pariter quæstionem Juris ex solo motivo veritatis respondi, *Negativè*: quia (omissis auctoritatibus bonorum Auctorum ita scribentium, quos longa manu cumulat Moneta *de Distribut. Quotid. d. lib. 2. quæst. 2. à num. 31. & seqq.* nec non Barbosâ *de Jure Eccles. Univers. lib. 3. cap. 28. num. 80.*) habemus Declarationes, & Decreta S. Congregationis Concilii, à qua pluries hujusmodi Quæsito responsum est, Consuetudinem quamvis immemorabilem non excusare Canonicos ab obligatione psallendi personaliter Divinum Officium in Choro, simulcum aliis de Choro, quas Declarationes referunt tùm Barbosa *de Canonicis cap. 20. num. 13.* tùm Fagnanus, qui fuit ejusdem S. Congregationis Secretarius, *in cap. Licet. num. 89. de Præbend. tom. 4.* tùm etiam mea Erotemata Ecclesiastica *cap. 18. num. 16.* ubi hæc sunt verba.

Quæritur, An satis sit Canonicis suam solam præsentiam in Choro exhibere, sed nihil dicere, neque submissa voce recitare ad lucrandas quotidianas distribu-
19 *tiones? Resp. Non deesse Doctores, qui affirmant satis esse, ubi talis sit consuetudo, ut videre est apud Tamburinum lib. 2. in Decalog. cap. 5. §. 4. num. 18. Cæterùm cum fuisset Romæ Illustrissimus, & Reverendissimus Petrus Leonius Canonicus Paduanus, & pro suæ conscientiæ securitate interpellasset de hoc Illustrissimum, & Reverendissimum Archiepiscopum de Vecchiis Secretarium ejusdem Sacræ Congregationis Concilii, habuit ab eo responsum, Consuetudinem licèt immemorabilem non suffragari ad lucrandas distributiones, & ad effugiendum peccatum juxta plures Declarationes ejusdem Sacræ Congregationis, quarum copiam authenticam exhibuit præfato Domino Canonico tenoris sequentis, Videlicèt:*

Urbis die 15. Novembris 1592. *Sacra Congregatio censuit, Canonicos Basilicæ S. Petri teneri ad psallendum in Choro.*

Gnesnen. 22. Februarii 1614. *S. Congregatio respon-*
20 *dit, Horas canonicas non posse per Vicarios, sed per ipsosmet Canonicos decantari debere, non obstante quacunque consuetudine immemorabili.*

Buscoducen. 20. Junii 1620. *Sacra Congregatio respondit, Canonicos Cathedralium, non solùm teneri Horis Canonicis interesse; sed etiam per seipsos psallere, neque aliâs suæ obligationi satisfacere.*

Patavina 17. Septembris 1667. *Quo ad Canonicos ejus Cathedralis Sacra Congregatio Declarationibus sæpè aliàs editis inhærendo censuit, illos non solùm Canonicis Horis interesse, sed etiam per seipsos psallere, quacunque etiam immemorabili contraria non suffragante consuetudine teneri, neque aliàs suæ obligationi satisfacere.*

Præterea præfatus Illustrissimus, & Reverendissimus Secretarius subjunxit, Sacram Congregationem ad sic declarandum præcipuè moveri ex verbis apertis S. Concilii Tridentini innuentibus, Canonicos debere personaliter in Choro psallere, & Deum laudare; nam in d. cap. 12 sess. 24. de Reform. Vers. Præterea, cum dictum sit, quod distributiones illi tantùm percipiant, qui statis horis interfuerint; deindè quasi explicans, quid sit statis horis interesse, subdit Con-
21 *cilium hæc verba*: Omnes verò per se, & non per substitutos compellantur inservire, atque in Choro ad psallendum instituto, Hymnis, & Canticis Dei nomen reverenter, ac distinctè laudare. *Quare non est attendenda ampliùs opinio Doctorum contrarium scribentium, stantibus præfatis Declarationibus Sacræ Congregationis, & ratione aperta resultante ex verbis S. Tridentini Concilii, contra quæ nemo timoratæ conscientiæ debet esse ausus operari*. Hucusque mea Erotemata.

Porrò, his Declarationibus Sacræ Congregationis Concilii stantibus, nemo est timoratæ conscientiæ, & qui saluti animæ suæ velit consulere; cui liceat cre-
22 dere Moralistis asserentibus, consuetudinem eximere Canonicos ab obligatione psallendi, & recitandi divinum Officium in Choro, & simul cum Choro, eosque satisfacere oneri suo per solam interessentiam, ac præsentiam personalem in ipso Choro: siquidem supradicta Decreta, ac Declarationes Sacræ Congregationis non solùm prævalent assertionibus Moralistarum, sed habent vim Legis, & obligant in conscientia,
23 ut benè advertit doctissimus Pater Anton. Cotonius (qui fuit Metaphysices Professor in hoc almo, & publico Gymnasio Patavino tempore, quo ego Jurisprudentiæ studio operam dabam) *in suis Controversiis Illustrib. lib. 3. Controv. 8. num. 50.* Roderic. *QQ. Regular. tract. 1. q. 11. art. 2.* Lezana *in Summa tom. 3. Verb. Sacra Congregatio à num. 6. & seqq.* ubi alios DD. cumulat, & in puncto scribit Ferentill. *in Addit. ad Buratt. decis. 479. num. 21.* adeò ut nefas sit de hac obligatione dubitare.

Ultimò: circumscriptis etiam prædictis omnibus rationibus, Conciliis, & Sacræ Congregationis Declarationibus; inexcusabiles redduntur Canonici à prædicto onere personaliter recitandi, & psallendi Divinum Officium in Choro, & unà cum Choro ex Constitutione 135. B. Pii Quinti Incipien. *Ex proxi-*
24 *mo*. data Romæ 19. *Septembr.* 1571. in qua agens de restitutione fructuum beneficiorum, ad quam tenentur beneficiati divinum Officium non recitantes; decernit

Digitized by Google

cernit ulteriùs, illos, qui sunt Choro addicti, non acquirere quotidianas Distributiones, & peccare mortaliter, si in Choro non psallant, & prætendant juxtà statuta, consuetudinem, vel fundationem, solâ præsentiâ suæ obligationi satisfacere; ita enim ibi Summus Pontifex loquitur & de eorum gravi culpa, & de non lucrandis distributionibus: *Tametsi aliquis Choro addictus non recitans, omnibus Horis canonicis cum aliis præsens adsit; fructusque, & distributiones fortè aliter assignatas, solâ præsentiâ juxtà statuta, consuetudinem, fundationem, vel aliâs sibi lucrifecisse prætendat; & quod is etiam præter fructuum, & distributionum amissionem, grave peccatum intelligat commisisse*. Hæc est Sanctio Apostolica, & Lex Pontificia decidens quæstionem Juris, de qua DD. Canonici Vicentini disputant, & petunt resolutionem; ipsa enim determinat, ut sola præsentia in Choro non excuset Canonicos non psallentes à gravi peccato, & quod ipsi non lucrentur quotidianas distributiones, non obstante contrario statuto, aut consuetudine; quia inevitabilis est obligatio DD. Canonicorum, non solùm interessendi in Choro, sed etiam recitandi divinas Laudes, & psallendi simul cum Choro; & huic
Pianæ Constitutioni est omninò acquiescendum; quia,
25 ut dixi, est Sanctio Apostolica, & Lex Pontificia
obligans quemcunque Choro addictum ad obediendum sub pœna mortalis peccati; ut fusè probat Baldellus *tom. 1. lib. 5. disp. 4. num 9.* ubi *text. & DD.*

Tandem ex abundanti considerandæ veniunt tùm
Synodus Provincialis Aquilejensis celebrata Anno
1596. quæ *in tit. De Divinis Officiis* expressè præci-
26 pit, & jubet, quod Canonici, non obstante quocun-
que prætextu, aut consuetudine teneantur psallere in
Choro Officia divina; tùm Synodales Constitutiones
Vicentinæ, quæ ijsdem DD. Canonicis inculcant
hanc eandem obligationem; & hæ omnes sunt Leges
27 obligantes sub mortali. Salas *de Legib. disp. 8. sect.
15. num. 79.* Bonacina *eod. tract. disp. 1. q. 1. punct. 3.
num. 14.* idem Baldellus *d. tom. 1. lib. 5. disp. 8. num.
1. in fine*.

Quapropter concludendum venit, in hac re, in
qua agitur de discrimine, & periculo animarum, ac
de dispendio æternæ salutis, non esse syllogizandum
28 contra Sacros Canones, Concilia, Decreta Sacræ
Congregationis, & Pontificias Constitutiones; sed
ijs esse inhærendum, ac obediendum; posthabitâ omninò contraria Theologorum assertione: itaut DD. Canonici veritatem amplectentes per viam salutis incedant; nec dedignentur imitari cœlestes Spiritus, quos vidit Isaias clamantes alter ad alterum *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum*: quandoquidem, ut ait Tertullianus relatus à Ceccoperio *in Opusculo De Canonicis lib. 2. num. 118. Si voluerimus ut Angeli esse, hic vocem, & Officium eorum ediscamus, dicendo cum David Psal. 65. ad ipsum ore meo clamavi*: imitando scilicèt ipsum Regium Psaltem, qui glorianter de se affirmabat, *Psal. 118. Septies in die laudem dixi tibi*.

DISCORDIA LXVIII.

ARGUMENTUM.

Canonici Ecclesiæ Collegiatæ Montisilicis stantes, & non genuflexi debent recipere ad Altare Candelas, Cineres, ac Palmas benedictas juxta Rubricas Cæremonialis Romani; non obstante contraria consuetudine, etiam immemorabili, & contradictione Mansionariorum ejusdem Ecclesiæ.

SUMMARIUM.

1 ***Bernardus Leonardinus Canonicus Collegiatæ Montisilicis laudatus.***
2 ***Canonici stantes recipiunt Candelas, Cineres, & Palmas benedictas.***
3 ***Mansionariorum Collegiatæ Montisilicis instantia adversus Canonicos super Uniformitate in recipiendis*** *Candelis, Cineribus, & Palmis benedictis.*
4 *Actus facultativi non inducunt obligationem.*
5 *Consuetudo immemorabilis quomodo sit probanda?*
6 *Consuetudo confundens Ordinem Hierarchicum in Ecclesia dicitur abusus*, & num. 12.
7 *Consuetudo irrationabilis non est manutenenda.*
8 *Cæremoniale Romanum habet vim Legis; & est ab omnibus servandum.*
9 *Irritantis decreti vim habet Lex, aliquid prohibens.*
10 *Consuetudines omnes præjudiciales Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis cassatæ sunt ab Urbano VIII.* Constitut. 270.
11 *Cæremoniale Romanum non tollit consuetudines laudabiles.*
13 *Consuetudini Ecclesiæ Romanæ omnes se debent conformare.*
14 *Uniformitas Mansionariorum Ecclesiæ Montisilicis cum suis Canonicis in pluribus rebus.*

COnsueverunt DD. Canonici Ecclesiæ Collegiatæ
Montisilicis, (de qua verba feci supra in *Discord.
LXVI.*) unâ cum Mansionariis ejusdem Ecclesiæ
recipere genuflexi Candelas, Cineres, ac Palmas be-
nedictas in diebus sacris Purificationis B. M. V. Ci-
nerum, & Dominicæ Palmarum: sed per Reveren-
1 dissimum Bernardum Leonardinum (qui fuit Ca-
pellanus Eminentissimi Gregorii Cardinalis Barba-
dici Episcopi Patavini, nec non Præfectus studiorum
Seminarii, & in præmium probitatis, ac virtutis
suæ ab eadem Eminentia Canonicatu Theologali in
dicta Collegiata decoratus) viso Cæremoniali Ro-
mano, in quo statuitur, quod Canonici debeant eas
2 recipere stantes, ipse Dominus Canonicus Leonardi-
nus, ac alii Canonici cœperunt abstinere à genufle-
xione in eis recipiendis; sed duo Mansionarii id ama-
rè ferentes petierunt à me, tanquàm Vicario Gene-
rali prædicti Eminentissimi Cardinalis Episcopi, ma-
nutentionem contra eosdem Canonicos uniformita-
3 tis accessus in ijsdem Candelis, Cineribus, ac Palmis
benedictis recipiendis, itaut ipsi Canonici deberent
genuflectere, proùt antea faciebant ex consuetudine, ut asserebant, immemorabili; ad quam probandam produxerant Positiones per juramentum; quibus Canonici responderunt, credere tantummodò de brevi tempore; undè Mansionarii exhibuerunt attestationes aliarum personarum, quæ dictam uniformitatem vidisse pluribus annis affirmabant. Cæterùm Ego sententiando in hac Discordia dixi, non esse locum petitæ Manutentioni per Mansionarios; sed à Canonicis esse servandam Rubricam Cæremonialis Romani ex sequentibus rationibus.

Primò, quia non constat de Consuetudine habente
vim obligandi Canonicos ad genuflectendum in re-
ceptione Candelarum, Cinerum, ac Palmarum; nam
genuflexio per eos facta, erat actus merè facultati-
4 vus, & propriæ devotionis. At in facultativis non in-
ducitur consuetudo obligatoria. *l. 1. C. de Servitut. l. 1. ff de Via public.* Bartol. *in l. Eam. ff. De in rem verso. & in l. Si certis annis. C. de Pactis*. Socinus *in cap. Tuam nobis. num. 15. & in cap. Ad Apostolicam. num. 13 de Simonia tom. 3. pag. 183. & 194* Igitur juxtà eandem consuetudinem non est danda Manutentio. Postius *de Manutent. Observat 53. per totam*.

Secundò, quia estò, quod extaret consuetudo obligatoria, eam esse immemorabilem, Mansionarii non probaverunt, cum per eos non fuerint producti, & examinati testes cum requisitis, de quibus per Glos-

sam

Digitized by Google

5 sam Magistralem *in cap.* 1. *de Præscription. in* 6. & per Adden. ad Gregor. XV. *in Decis.*298. *num.*12. Attestationes enim productæ non concludunt ad illam; quia immemorabilis non probatur per scripturas. Gregor. XV. *Decis.* 51. *num.*4. ubi DD. & Pax Jordanus *tom.*3. *lib.*14. *tit.*18. *num.* 1014. *& seqq.* & ad summum probata esset consuetudo ordinaria, cui derogant Bullæ Pontificiæ in initio Cæremonialis Romani impressæ.

Tertiò: At dato etiam, licèt non concesso, quod probaretur immemorabilis, ea non videtur manutenibilis, quia non foret laudabilis, sed tanquam abusus veniret reprobanda. Siquidem consuetudo, quæ confundit Ordinem Hierarchicum Ecclesiæ, dicitur irrationabilis, & corruptela. Sperellus *decis.*179. *num.* 59. quam Jus canonicum destruit. Oldrad. *cons.* 220. & talis est censenda in casu isto, cum perturbet ordinem Canonicorum, & illum confundat cum Mansionariis, à quibus in Ecclesiasticis functionibus de-
7 bet esse distinctus. Idcircò non manutenenda. Rota *part.*19. *recent. decis.*560. *num.*14. *tom.* 2.

Quartò, & in omnem casum Cæremoniale Romanum habet vim Legis, & est omninò ab omnibus servandum in Ecclesiasticis functionibus. Rota *part.*4.
8 *recent. decis.* 647. *tom.*3. etiam sub pœna peccati mortalis. Gratian. *Discept. Forens. cap.* 151. *num.* 7. & licèt non legatur expressè decretum irritans in Bullis Clementis VIII. & Innocentii X. insertis in eodem Cæremoniali Romano; tacitè tamen illud in eis inesse censetur, cum prohibeant omnes Ritus diversos ab iis in illo præscriptis; quæ prohibitio habet vim irri-
9 tandi juxta doctrinam Barbosæ *de Clausulis usufrequent. Claus.*40. *Verb. Decretum irritans. à num* 40. *& seqq.* atque Farinacii *In Fragment. Criminal. Verb. Lex. à num.*92. Undè fit, quod licèt extaret legitima possessio Uniformitatis prætensæ per Mansionarios, & esset probata consuetudo; nihilominùs non esset pronunciandum pro manutentione in possessorio; sed hoc judicio spreto, judicandum esset in petitorio, ut benè advertit Barbosa *d. Claus.* 40. *num.*38.

Quintò, quia hæc consuetudo est præjudicialis DD. Canonicis: At Urbanus VIII. *Constitut.* 270. Incipien. *Romanus Pontifex. dici* 5. *Junii* 1641. cessavit,
10 & annullavit omnes consuetudines personis Ecclesiasticis præjudiciales. Fagnan. *in cap. Consuetudines. num.*59. *de Consuetud. tom.* 1.

Neque obstat S. Rituum Congregationem declarasse, quod Cæremoniale Romanum non tollit consuetudines laudabiles, sed tantùm abusus, ut refert
11 idem Barbosa *in Decis. Apostolic. Verb. Cæremoniale Romanum.* nec non *De Canonicis, & Dignitat. cap.*43. *num.* 23. atque Pax Jordanus *lib.* 14. *tit.* 20. *num.* 34. *tom.* 3. Quia non videtur, quomodo dici possit laudabilis consuetudo hæc, quam prætendunt Mansionarii, cum pervertat, & confundat ordinem Hierarchicum in Ecclesia Collegiata Montisilicis; & faciat Canonicos non dissimiles ab aliis Ministris inferioris gradus; ex hoc enim DD. appellant eam scandalo-
12 sam, & irrationabilem. Hostien. *in cap.*1. *De Majorit. & Obed.* & ibidem Jo. Andr. *num.*3. & Anton. de Butrio *num.* 11. Menochius *de Arbitrar. Judic. cas.* 82. *num.*17. Sperellus *d. decis.* 179. *num.* 59. *&* 60. ubi subdit, quod dicitur etiam irrationabilis, quia contradicit Sacris Canonibus, & Decretis Pontificiis. Glossa *in cap. fin. Verb. Irrationabilis.* ubi etiam Abbas, & alii DD. *De Consuetudine.* & nefas esset asserere contrarium; cum omnes teneantur se confor-
13 mare consuetudini Ecclesiæ Romanæ. *cap. Nolite. & cap. Quis nesciat dist.* 11. Emin. Card. de Lauræa *tom.*3. *in* 4. *Sent. disp.*1. *num.*112. *& num.*170.

Verùm quia ijdem Mansionarii habent ab antiquo uniformitatem in multis aliis functionibus, & rebus cum præfatis DD. Canonicis, videlicèt in cantando
14 Missam, & Officium per turnum, in Almutia ejusdem qualitatis, in sedendo simul in eodem scamno ad conciones, in tenendis clavibus Archivii, & similibus, declaravi in mea sententia, ex disparitate modi in recipiendis Candelis, Cineribus, & Palmis non esse inferendum præjudicium uniformitati, quæ de Jure sit manutenibilis in aliis rebus ubicunque, quomodocunque, & qualitercunque; sed interim serventur Rubricæ Cæremonialis Romani; & tali meæ sententiæ omnes acquieverunt.

DISCORDIA LXIX.

ARGUMENTUM.

Juramentum ab Examinatoribus Synodalibus, de suo munere fideliter exequendo, præstandum est sivè in Synodo, sivè extra Synodum. Notabilia quinque circa eosdem; scilicet, quod sufficit, eos semel jurare; quod collegialiter debent intervenire ad examen; quod eorum vota in ipso actu collegiali sunt danda; quod major numerus votorum approbat, vel reprobat; & quod si sint paria, Episcopus potest, cui mavult accedere. Tandem quod examinare, & dare votum cum eis non potest, qui non est Examinator Synodalis; & quod præsentatus à Patronis ad beneficium Curatum ab ijsdem Examinatoribus Synodalibus est examinandus, & approbandus.

SUMMARIUM.

1 *Jurare debent Examinatores Synodales de benè exequendo officio suo.*

2 *Examen per concursum est nullum, si Examinatores antea non juraverint.*

3 *Juramentum præstari potest ab Examinatoribus Synodalibus tàm in Synodo.* num.4. *quàm extra Synodum.* num. 5.

6 *Regulares possunt eligi in Examinatores Synodales.*

7 *Jurare quoties debeant Examinatores Synodales?*

8 *Examinatores Synodales debent esse collegialiter congregati ad examinandum.*

9 *Vota Examinatorum Synodalium quomodo ab eis danda?*

10 *Approbatio, vel Reprobatio, quam faciunt Examinatores Synodales quomodo cognoscatur?*

11 *Examinatoribus Synodalibus discordantibus in paritate Votorum, Episcopus adhærere potest vel approbantibus, vel reprobantibus.*

12 *Examinator qui non est Synodalis non debet se miscere cum Examinatoribus Synodalibus in examinando.*

13 *Præsentatus à Patronis ad beneficium Ecclesiasticum, est examinandus à Synodalibus Examinatoribus.*

Fui requisitus à quodam Episcopo non amplæ Diæcesis, An sit adeò necessarium, ut Examinatores Synodales præstent Juramentum juxtà decretum
1 S. Concilii Tridentini *sess.* 24. *de Ref. cap.* 18. antequàm officium suum exerceant, ut si absque juramento vocati fuerint ad faciendum concursum, & ipsi examinaverint, concursus sit omninò nullus?
2 Respondi, esse omninò nullum, ut tradunt Garzias *de Benefic. part.*9. *cap.*2. *num* 83. *num.*324. *& num.*342. Massobrius *in Praxi haben. concurs. Requis.*14. *dub.* 1. & Barbosa *de Parocho cap.*2. *num.* 76. Sed utrùm hoc Juramentum sit ab ipsis Examinatoribus Synodalibus præstandum in Synodo, vel extra Synodum?
3 Dixi, quod Concilium *d. cap.*18. hoc non determinat; ideò requirendi Beneficialistæ de hoc dubio scribentes, qui inter se sunt discordes. Loterius *de Re benefic. lib.*2. *quæst.*31. *num* 94 *&* 95. videtur sentire,
4 quod ab eis sit jurandum in Synodo; ob vigorem copulæ

Digitized by Google

pulæ &, qua utitur Concilium circa præstationem
juramenti, statim ac ordinaverat, eorum Examina-
torum electionem esse faciendam in Synodo; dicit
enim: *Jurentque omnes ad Sancta Dei Evangelia, se,
quacunque humana affectione postposita, fideliter mu-
nus executuros*. Si igitur, ait Loterius, electio Exa-
minatorum est facienda in Synodo, etiam juramen-
tum ab electis est præstandum in Synodo, ob copula-
tivam *Que*, scilicet *Et*, cujus natura est copulare
eandem loci circumstantiam ex traditis per Socinum
Junior. *cons.* 160. *num.* 12. *lib.* 2.

Contrarium tamen docent Massobrius *d. Requis.*
14. *dub.* 3. Barbosa *de Parocho d. cap.* 2. *num.* 78. &
Garzias *d. part.* 9. *cap.* 2. *num.* 213. dicentes, tutius es-
se si in ipsa Synodo juramentum publicè præstetur;
5 sed concedentes illud præstari posse etiam extra Syno-
dum, tactis Evangeliis in manu Episcopi, vel solius
publici Notarii, qui probationem, ac fidem faciat de
Juramento præstito; & hanc opinionem amplectun-
tur etiam Gavantus *in Praxi Synod. cap.* 31. *num.* 8.
& Pignatellus *tom.* 1. *consult.* 13. ubi reddit hanc pul-
chram rationem, *quia cum idem Concilium concedat,
6 posse eligi in Examinatores etiam Regulares, qui non
interveniunt in Synodo, manifestè colligitur, quod ex-
tra Synodum possint juramentum præstare*.

Aliud quoque dubium olim discutiebant DD. An
hoc Juramentum sufficiat semel ab Examinatoribus
Synodalibus præstari? vel teneantur, illud repetere
7 toties, quoties ad examinandum asciscuntur? Sed
praxis ostendit, quod sufficit una vice eos jurasse; &
eam laudat Emin. Card. de Luca *in Annot. ad S. Conc.
Trid. disc.* 32. *num.* 8. ita scribens: *Super hujus autem
solemnitatis implemento aliàs dubitatum fuit, an jura-
mentum in singulis quibuscunque concursibus, toties
quoties casus contingat præstandum sit? vel potius suf-
ficiat, ut una vice generaliter præstetur? Istaque po-
sterior pars verior, magisque recepta est, ut unius Ju-
ramenti generalis præstatio sufficiat*.

Quinque autem notabilia *ibidem* dicit circa eosdem
Examinatores ipse Emin. Card. de Luca *à num.* 9. *&
seqq. Unum* est, quod examen ad Parochialem Ec-
clesiam est faciendum coram ipsis Examinatoribus
8 Synodalibus collegialiter, in loco præscripto in Edicto
concursus, congregatis. *Secundum*; quod eorum vo-
ta, collegiativo modo, statim post uniuscujuscunque com-
petitoris examen proferre debent, sive secretè, sivè
9 publicè; sivè voce, sivè in scriptis, juxta locorum
usum, itaut examinatum vel approbent, vel repro-
bent. *Tertium*, quod approbatio, vel reprobatio pen-
det à majori parte votorum: major autem pars ea di-
citur, quæ medietatem congregatorum etiam in uno,
10 vel in dimidio voto excedat, habita comparatione
omnium congregatorum; ut si sint Examinatores
quinque; vota tria consimilia approbent, vel repro-
bent: si sint tres à duobus votis æqualibus pendeat
approbatio, vel reprobatio. *Quartum*, quod si Exa-
minatores sint in pari numero, putà quatuor, vel
sex, & eorum Vota discrepent in paritate; itaut duo
approbent, & duo reprobent, si sint quatuor: vel si
sint sex, stent tres pro approbatione, tres pro repro-
11 batione, *in tali casu* (ait Emin. de Luca) *Ordina-
rius, vel ejus Vicarius, qui examini præsideat (etsi
aliàs si vota Examinatorum actum pro majori parte
concludant, nullum habeat Votum decisivum) habe-
bit votum adhæsivum, seu præponderans, ut pro-
ptereà illa pars approbationis, vel reprobationis
actum concludat, cui ipse adhærebit. Adhæsio ta-
men hæc pariter in ipso actu, atque in forma colle-
giativa, tanquàm per speciem electionis, vel actus ca-
pitularis fieri quoque debet*. *Quintum* tandem di-
ctum notabile est, quod in dicto consessu prohibita
12 est mixtura aliorum, qui non sint Examinatores
Synodales; quod declarat intelligendum circa datio-
nem voti, non circa interrogationem aliquam in exa-
minando; hæc enim non vitiaret actum, secùs autem
illa, ut fusiùs disserit idem Emin. de Luca *d. disc.* 32.
num. 13. *in Annot. ad Concil. Trid.* & decisum refert à
Sacra Congregatione Concilii *in una Januen.* 14. *Au-
gusti* 1643. Pignatellus *tom.* 1. *consult.* 403.

Ultimò; nec illud est omittendum circa Examina-
tores Synodales, quod ab his est examinandus præsen-
tatus per Patronos sivè Laicos, sivè Ecclesiasticos
13 ad beneficium Curatum; adeòut si examen, & ap-
probatio hujus præsentati fieret ab aliis, nulla esset
collatio, & institutio beneficii; ut declarasse eandem
Sacram Congregationem Concilii *in Vercellen.* 21.
Martii 1643. refert idem Pignatellus *eod. tom.* 1. *con-
sult.* 260. Idem docet Emin. Card. de Luca *in tract. de
Parocho discurs.* 7. Novissimè Carolus Anton. de Lu-
ca *in Observat ad Ventrigliam tom.* 2. *Annot.* 3. §. 2.
num. 2. *Vers. In casibus*. Et iterùm idem Emin. Card.
de Luca *in Annot. ad Concil. Trid. cit. discurs.* 32.
num. 35.

DISCORDIA LXX.

ARGUMEMTUM.

Concursus ad Parochiales coram Episcopo, vel Vicario ejus Generali tantùm sunt celebrandi: non etiam coram persona particulari, etsi ab Episcopo specialiter deputata.

SUMMARIUM.

1 *Examen per concursum an coram non Episcopo, vel non Vicario Generali possit haberi?*

2 *Quod sic*. num. 2. & 3. *Quod non*. num. 4.

5 *Examen per concursum soli Episcopo, vel Vicario Generali commissum*.

6 *Lex quod non dicit, nec nos dicere debemus*.

7 *Lex noluisse præsumitur, quod exprimere potuit, & non expressit*.

8 *Forma faciendi concursus ad Parochiales à Concilio Trid. præscripta*.

9 *Forma à Jure præscripta est omninò servanda*.

10 *Concursus est nullus, si Examinatores non Synodales adhibeantur*.

11 *Industria Episcopi, aut Vicarii Generalis in concursibus requisita*.

12 *Industria personæ ubi est electa, opus alii delegari non potest*.

13 *Beneficium dandum est magis idoneo ex concurrentibus*.

14 *Beneficiorum provisionem alii, quàm suo Vicario Episcopus delegare non potest*.

15 *Delegatio per Superiorem uni facta; alteri per inferiorem demandari non potest*.

16 *Episcoporum facultas circa beneficia Curata per Concil. Trident. est restricta ad formam concursus*.

17 *Doctoris dictum non est attendendum, si sit sine ratione*.

18 *Doctoris dictum obiter, vel per transcennam non attendendum*.

19 *Concursus ad Parochiales integra materia exactè discussa à Card. de Luca* disc. 37. de Paroch.

20 *Doctoris dicta appositè, & studiosè sunt attendenda*.

21 *S. Congregationis Concilii declaratio, quod concursus ad Parochialem coram privata persona, etsi ab Episcopo deputata, celebratus non valet*.

22 *Dicta declaratio intelligenda si Episcopus sit in Diœcesi; secùs si sit absens*.

REplicavit mihi Episcopus, de quo in præcedenti
Discordia, novam difficultatem circa concursus
ad Parochiales, & petiit à me, Utrùm Episcopus
possit committere celebrationem ejusdem concursus
1 alii, quàm Vicario suo Generali; itaut particularis
persona per Episcopum specialiter deputata possit con-
vocare coram se Examinatores Synodales, & cum
eis

Digitized by Google

cis præsidere examini competitorum, & concurren-
1 tium ad beneficium Parochiale?
Respondi, circa hoc dubium Doctores esse inter se
discordes; nam posse Episcopum delegare celebra-
tionem concursus personæ, quæ non sit Vicarius
Generalis, asserit Garzias *de Benefic. part. 9. cap. 2.*
2 *num. 129.* verbis istis: *Rectèque etiam potest Episcopus,*
alicui, qui non sit Vicarius, committere, & delegare hu-
jusmodi examen, & concursum cum electione dignioris,
vel sine ea; cum id competat ipsi Episcopo ex jure ordi-
nario, ut suprà dictum est num. 7. facit cap. fin. de Offic.
Ordin. & ibi DD. Quam Garziæ opinionem videtur
3 sequutus Emin. Card. de Luca *in Annot. ad Concil.*
Trid. disc. 32. num. 12. in illis verbis: *Frequens pra-*
xis docet, præsertim in magnis diæcesibus, ut concur-
sus fiat coram Vicario Generali, vel altero Præsidente
ad id deputato.
E contra non posse concursum fieri, nisi in eo præ-
sideat ipse Episcopus, vel eo impedito, ejus Vicarius
Generalis, scribit Pax Jordanus Episcopus Traguriensis
tom. 2. lib. 10. tit. 8. num. 127. rationemque reddit ita
4 dicens: *Sicut sine Examinatoribus Synodalibus nullum*
esset examen propter formæ defectum; sic è contra exa-
men eorum sine Episcopo, aut Vicario pariter redditur
nullum ob eundem defectum. Et equidem in hac Do-
ctorum discordia, opinionem negativam esse omninò
tenendam, quam tenet Pax Jordanus, me suasum
reddunt rationes sequentes:
Primò, quia Concilium Tridentinum hanc facul-
tatem præsidendi concursui concedit soli Episcopo,
& eo impedito soli Vicario ejus Generali; ita enim
5 inquit *d. sess. 24. de ref. cap. 18. Transacto constituto*
tempore (posito in Edicto) *omnes, qui descripti fue-*
rint, examinentur ab Episcopo, sivè, eo impedito, ab
ejus Vicario Generali, atque ab aliis Examinatoribus,
non paucioribus, quàm tribus; quorum votis, si pares,
aut singulares fuerint, accedere possit Episcopus, vel
Vicarius quibus magis videbitur. Ex his verbis duo
tantùm deputati sunt Præsidentes concursui; scilicèt
Episcopus, vel eo impedito, ejus Vicarius Generalis.
Non ergo alia persona quamvis ad hoc specialiter
deputata; quandoquidem si Concilium voluisset Con-
cursum posse fieri præsidente aliâ personâ, quæ non
esset Episcopus, vel Vicarius Generalis; eam expres-
sisset, & expressè dixisset. Sed hanc expressionem
non fecit, & hoc non dixit. Igitur dicere non possu-
mus, quod concursus fieri possit præsidente alia per-
6 sona; quia quod lex non dicit, nec nos dicere debe-
mus. *cap. Illa. Ne Sede Vacante. l. Dissentientis.*
C. De Repud. Surdus *cons. 219. num. 21.* Barbosa
Axiom. 136. num. 7. Et si voluisset Concilium hujus
tertiæ personæ deputationem, de ea loquutum fuisset.
Thomas de Thomassetis *in Florib. legum reg. 300.*
Emin. Card. Tuschus *tom. 1. litt. D. conclus. 508.*
Ideò; noluisse concursum posse fieri, nisi coram Epi-
scopo, vel Vicario Generali, est credendum; stante
7 regula, quod lex id noluisse præsumitur, cum facilè
id exprimere potuisset, neque expressit. Meno-
chius *cons. 30. num. 8.* Barbosa *d. Axiom. 136.*
num. 6.
Secundò, quia ex communi doctrina omnium Cano-
nistarum in hoc decreto Concilii data est forma fa-
ciendi concursus, & omnes personæ in eo nominatæ,
& designatæ pro faciendo concursu, sunt de forma;
8 ut, præter Loterium *de Re beneficiaria lib. 2. q. 31.*
num. 57. fatentur tùm ipse Garzias *d. part. 9. cap. 2.*
num 329. tùm ipse Emin. Card. de Luca in *tract. de*
Parochis disc. 37. num. 2. & per tot. Sed forma à Con-
cilio tradita pro faciendo concursu est omninò ser-
9 vanda, neque in uno puncto transgredienda. Masso-
brius *in Praxi habendi concurs. dub. 4. requis. 17.* Pyr-
rhus Corradus *in Praxi benefic. lib. 3. cap. 3. num. 26.*
& num. 33. Igitur si coram non Episcopo, vel non
Vicario Generali celebretur concursus, erit omninò
nullus; præcipuè attento decreto irritanti tùm ipsius
Concilii, tùm Constitutionis 33. B. Pii V. hanc for-
mam faciendi concursus confirmantis.
Tertiò, quia non licet Episcopo adhibere Exami-
natores non Synodales unà cum Examinatoribus Sy-
nodalibus, qui simul examinent, & dent votum su-
per approbatione, vel reprobatione competitorum;
quia illos non concessit Concilium Tridentinum; &
10 casu quo adhiberentur, concursus esset nullus, & in-
validus, ut declarasse S. Congregationem testatur
Massobrius ubi supra *Requis. 13. dub. 1.* & passim
omnes, ac ipsemet Emin. Card. de Luca *de Paroch.*
d. disc. 37. num. 11. & *in Annot. ad Concil. Trid. disc.*
32. num. 13. quem citavi in præcedenti *Discord.*
LXIX. num. 12. Ergo erit nullus, & invalidus con-
cursus etiam quando celebratus fuerit coram persona,
quæ non sit Episcopus, vel Vicarius Generalis; quia
Concilium hanc personam non nominavit, non de-
putavit, non concessit.
Quartò, tantò magis quia Concilium in hac for-
malitate examinis per concursum ad Parochiales ele-
11 git industriam vel Episcopi, vel Vicarii Generalis,
ut iisdem Examinantibus, & Examinatorum Syno-
dalium interrogationes audientibus; ac competitorum
responsa considerantibus; quis eorum sit dignior, ab
ipso Episcocopo, vel Vicario Generali cognoscatur,
& præeligatur; ut denotant illa verba Concilii, *Episco-*
pus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit.
Sed quando est electa industria personæ pro aliquo
12 munere, vel opere obeundo; illud munus, vel opus
alii personæ delegari non potest. *cap. 15. de Præbend.*
in 6. Innocent. *in cap. Quoniam Apostolica. n. 5. De*
Offic. Delegati, & ibid. Abbas *num. 3.* & Felin. *num.*
2. Rota *decis. 18. num. 4. de Concess. Præbend. in no-*
vis. Eadem Rota *part. 1. recent. decis. 234. num. 1.*
Quintò, quia si celebratio concursus posset ab Epis-
copo committi particulari, ac privatæ personæ, quæ
non sit ejus Vicarius Generalis, sequeretur, quod
idem Episcopus posset committere provisionem bene-
ficiorum etiam alii, quàm Vicario suo Generali; si-
13 quidem tùm ex Concilio, tùm ex d. Constitutione
33. B. Pii V. beneficium debetur magis idoneo; &
qui judicat, & declarat majorem idoneitatem con-
currentium ad beneficium, disponit de beneficio, ex
notatis per Fagnanum in *cap. Ex frequentibus num. 5.*
de Institutionib. tom. 4. Sed Episcopus alii, quàm
Vicario suo Generali non valet committere provisio-
14 nem beneficiorum; ut tradit Glossa Magistralis *in*
cap. fin. de Offic. Vicar. in 6. Oldrad. *cons. 77.* idem
Fagnanus *in cap. Præsentata num. 14. de Testib. tom. 3.*
Ergo neque examen per concursum particulari perso-
næ valet committere.
Sextò, quia ubi Concilium delegavit aliquem, si
Episcopus sit impeditus; ipse Episcopus alium dele-
gare non potest, qui idem munus, & opus exequatur;
15 ea ratione quia inferior non potest delegationem à Su-
periore factam vel infringere, vel alii demandare; ut
docet Sanchez *de Matrim. lib. 8. disp. 27. num. 42.* his
verbis: *Quamvis possit Episcopus Vicarium suum gene-*
ralem ab Officio removere, atque ita impedire, ne dele-
gationem ipsi, sub nomine dignitatis commissam, exe-
quatur; ut benè docent Cardin. *in Clem. 2. q. 9. num.*
10. de Rescript. & ibi Imola *num. 14.* Ancharan.
num 5. & Bonifac. *num. 52. &c. At non posset Vica-*
rium specialem constituere, ut de ea sola delegatione
cognoscat; quia hæc commissa est principali Officiali,
seu Vicarius ipsius, ut diximus num. 36. & hic non
est principalis Vicarius, nec ordinariam Vicarii juris-
dictionem sortitur. Igitur, cum præsidentia in con-
cursu celebrando sit per Concilium Tridentinum de-
legata Vicario Generali, quando ipse Episcopus est
impeditus; sequitur omninò dicendum, hanc præsi-
dentiam esse ab eodem Vicario Generali explendam;
& non posse Episcopum illam alteri particulari per-
sonæ delegare. His rationibus urgentissimis ego ad-
ductus sum ad hanc opinionem negativam ample-
cten-

Digitized by Google

ctendam, quam, ut dixi, amplexus est Pax Jordanus. Neque magni ponderis mihi visa est assertio Garziæ, & Eminentiss. Card. de Luca, de quibus suprà *num.* 2. & 3.

Non illa Garziæ, quia innititur rationi falsæ, & insubsistenti, videlicet, ideò Episcopum posse alium, quàm Vicarium Generalem delegare ad celebrandum concursum cum electione dignioris, nam (inquit) *id competit ipsi Episcopo ex jure ordinario, ut supra dictum est num. 7. Facit cap. fin. De Offic. ordin. & ibi DD.* Hæc ratio non subsistit, nec est vera; siquidem non ex jure communi, & ordinario competit Episcopo facultas celebrandi concursum; sed ex decreto
16 ipsius Concilii Tridentini, à quo fuit restricta facultas Episcoporum circà beneficiorum Parochialium dispositionem ad formam expressam in ipso decreto *sess.* 24. *de ref. cap.* 18. Satis sit ad convincendum Garziam adducere verba ejusdem Emin. Card. de Luca *in d. tract. de Parochis disc.* 37. *num.* 2. quæ sunt ista: *Concilium Tridentinum restrinxit facultatem de Jure communi aliàs Episcopis, vel Ordinariis collatoribus competentem; & novam præscripsit formam concursus, & num. 3. Undè inobservantia omninò annullat actum.* Igitur non subsistente ratione, qua innixus est
17 Garzias, dum asseruit, posse personam particularem delegari ab Episcopo ad celebrandum concursum, cadit etiam ejus assertio, & ejus opinio minimè attendenda est. Gonzalez *gloss.* 5. *§.* 8. *num.* 56. Loterius *lib.* 1. *q.* 24. *num.* 185. & *lib.* 2. *q.* 8. *num.* 46. Latè Fagnanus *in cap. Ne innitaris, à num.* 403. *& seqq. De Constitut. tom.* 1.

Ipsius autem Emin. Card. de Luca assertio relata supra *num.* 3. non est magni ponderis; quia ibi non examinat hoc punctum, nec discurrit de hac facultate, an verè competat Episcopis, nec ne? Sed, eam solùm leviter attingit; & de ea obiter, ac per transennam loquitur, ut ex ejus verbis apparet; in quibus incidenter dixit, concursum fieri *coram Vicario Generali, vel altero Præsidente ad id deputato*; undè fit, ut tale dictum non sit attendendum, ut advertit
18 Mandos. *in addit. ad Romanum conf.* 218. *in fin.* & Paulus Rubeus *in Annot. ad Rotam part.* 4. *recent. decis.* 378. *num.* 16. *tom.* 2. E contra idem Emin. Card. de Luca differens summa cum maturitate de omnibus, quæ servanda sunt in celebratione concursus ad Parochiales, juxta formam præscriptam à Concilio Tridentino, & præcipuè coram quo debeat celebrari?
19 *in tract. de Parochis d. disc.* 37. *num.* 10. dicit, quod *concursus haberi debet coram Episcopo, seu Vicario Generali, & examinatoribus in ultima Synodo deputatis.* Et prosequendo eundem punctum subdit *num.* 11. *Corpus illud collegiativum per solum Episcopum, vel eo absente, seu impedito, per Vicarium Generalem, tanquam caput, seu Præsidentem; solosque Examinatores Synodales constituitur.* Et nihil dicit in toto illo discursu de licita delegatione alicujus personæ particularis ad præsidendum in concursu ad supplendas vices Episcopi, vel ejus Vicarii Generalis; quamvis in eodem discursu intendat agere de omnibus, & singulis, quæ facere potest Episcopus ad celebrandum ritè, ac rectè concursum; quippè enucleavit prædictum discursum ad instruendum quendam Curialem amicum suum dilectum, ad Infulam Episcopalem promotum; ut ait in principio: undè fit, quod dicta in hoc loco ab eodem Emin. Card. de Luca sint attendenda tanquam appositè, ac studiosè scripta, ut in-
20 quit Rota *d. part.* 4. *recent. decis.* 463. *num.* 25. *tom.* 2. non autem quæ alibi incidenter; & utique si possibilis ei visa fuisset hæc delegatio particularis personæ; eam non occultasset amico suo; sed tanquàm non modicæ relevantiæ illam ei suggessisset. Quare ex his omnibus concludendum censui; illam non esse possibilem.

Ita respondi Antistiti meam opinionem super hac Discordia requirenti; qui non multò post mihi rescripsit; se porrexisse hoc idem dubium resolvendum Sacræ Congregationi Concilii, & reportasse infrascriptam Declarationem; quam juxta transumptum ejus mihi transmissum volui hic registrare.

Placentina Examinis.

Vacante Parochiali Ecclesia, Episcopus, nonnullis detentus impedimentis, non interfuit examini per concursum ex præscripto Sacri Tridentini Concilii sess. 24. de Ref. cap. 18. habendo; prout nec Vicarius Ge-
21 *neralis interfuit, cum publicam indicatam pridem functionem, non tamen ad Vicariatus munus pertinentem, obiturus esset. Itaque ne differretur examen, interfuit speciali Decreto Episcopi Deputatus familiaris, qui eidem est ab auditionibus: Quæritur, An posita præenarrata facti specie, dictum examen coram ejusdem Deputato haberi legitimè potuerit?*

Die 14. *Januarii* 1668. *Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit, Non potuisse.*

Est tamen verum, quod hujusmodi Declaratio, ac jura, & rationes omnes supra adductæ locum habere debent, quando Episcopus sit præsens in sua Civitate: nam si esset absens; ejusque Vicarius Generalis ita impeditus foret, ut concursui non posset adsistere; tunc Episcopo liceret deputare per Litteras aliam personam, quæ coram se concursum celebraret. De hac absentia do exemplum Eminentissimi Cardinalis Episcopi Patavini, qui Anno 1679. cum esset Romæ; & ad vacantem Præposituram S. Sophiæ de Padua, quæ Parochialis est, Reverendissimus Alexander Mantuanus, tunc Vicarius Generalis, vellet concurrere, obtinuit ab Eminentia Sua, ut deputaretur Vicarius particularis Monialium ad præsidendum concursui; in quo ipse Vicarius Generalis concurrens fuit examinatus, & approbatus, ac de eadem Præposituram provisus, ut latè disserui supra *Discord. XXXV.*

DISCORDIA LXXI.

ARGUMENTUM.

Canonici curam animarum exercentes in Ecclesia Collegiata non possunt obligari, ut assistant cum Dalmaticis Archipresbytero solemniter celebranti, si absint Canonici Diaconus, & Subdiaconus; nam horum vices supplendæ sunt ab aliis ministris Ecclesiæ inferioris gradus; non obstante contraria dispositione Cæremonialis Episcoporum *lib.* 1. *cap.* 26. quæ quinque responsionibus legalibus declaratur.

SUMMARIUM.

1 *Oppidi Montanianæ, Paduanæ Diœcesis, laus, & antiquitas.*
2 *Collegiatæ Ecclesiæ Montanianæ origo.*
3 *Ejus existentia cum Archipresbytero, & Canonicis Anno* 1198.
4 *Templum Collegiatæ prædictæ reædificatum Anno* 1431.
5 *Canonici ejusdem Collegiatæ quot sint?*
6 *Canonicorum Curatorum Montanianæ Officium.*
7 *Nemo debet duplici onere gravari.*
8 *Naturalis causa prævalere debet causæ accidentali.*
9 *Commodum qui attendit, non debet incommodum reportare.*
10 *Animarum numerus Ecclesiæ Collegiatæ Montanianæ subjectarum.*
11 *Cardinalis Barbadicus Episc. Patav. quos libros frequentiùs revolveret?*
12 *Magis dignum trahit ad se minùs dignum.*
13 *Animarum cura cæteris rebus præferenda.*

Digitized by Google

14 *Gravatus in uno debet in alio sublevari.*
15 *Impossibilia non obligant.*
Impossibile dicitur, quod sine magna difficultate fieri non potest. ibid.
16 *Nemo gravari debet causâ alterius.*
17 *Inferiores Ecclesiæ debent imitari eas, quæ sunt superiores.*
18 *Archipresbytero Patavino solemniter celebranti qui nam assistant in Officio Diaconi, & Subdiaconi?*
19 *Collegiatæ Plebis Sacci mos circa eandem assistentiam.*
20 *Simile facit argumentum validum pro sibi simile.*
21 *Possessio, cui res judicata resistit, non est manutenibilis.*
22 *Res judicata ad sui favorem dat titulum præscribendi.*
23 *Canonicus Diaconus, vel Subdiaconus si sit impotens ad suum officium, debet substituto, ut inserviat stipem dare.*
24 *Cæremonialis Episcoporum dispositio* lib. 1. cap. 26. *pro supplendis vicibus Canonicorum absentium.*
25 *Cæremoniale Episcoporum est liber habens vim Legis.*
26 *Assistentia ordinata pro Episcopo solemniter celebrante non est eadem cum Archipresbytero, quando celebrat.*
27 *Observantia est diversa in Collegiatis magni, vel parvi numeri Canonicorum.*
28 *Publicum bonum est privato præferendum.*
29 *Cæremoniale Romanum non tollit consuetudines immemorabiles.*
30 *Lex Pontificia an obliget in locis, in quibus non est acceptata?*
31 *Cæremoniale Episcoporum de supplendis vicibus Canonicorum absentium, non est Paduæ acceptatum.*
32 *Membra debent instructionem recipere à capite.*
33 *Manutentio debetur in actibus antea præstitis.*
34 *Urbanitatis actus non pariunt jus pro manutentione.*
35 *Protestatio præservat jura illius, qui protestatur.*
36 *Possessio anterior est manutenibilis, non autem illa, quæ est posterior.*
37 *Verba hortatoria non habent vim Legis, seu sententiæ.*
38 *Sententia est nulla, si sit lata partibus non citatis, nec auditis.*
39 *Contraria duo stare non possunt in eodem subjecto.*
40 *Libertas est pretiosior auro.*

INter alia oppida Patavinæ Diœcesis extat illud Montanianæ, cui potiùs Civitatis nomen videtur convenire, ob ejus amplitudinem ædificiorum, murorum fortitudinem, ac habitantium tùm numerositatem, tùm
1 nobilitatem, atque divitias; & fertur constructum eodem tempore, quo ædificata fuit hæc Urbs Antenorea, annis scilicet 1181. ante Christum natum. In ipsum autem invecta fuit Catholica Religio per Divum Prosdocimum S. Petri Apostoli discipulum, Anno post Incarnationem Dominicam 48. ut ex Historicis Patavinis scribunt Scardeonius *fol.* 103. Eques Ursatus *fol.* 5. & Bonifacius *lib.* 1. In hoc insigni oppido continetur perpulchra Ecclesia Collegiata sub titulo S. Mariæ; de qua sic loquitur P. M. Salomonius Ord. Prædicator. in suis *Agri Patavini Inscriptionib. ad pag.* 127. *Ecclesia princeps Montanianæ, ubi nunc sita est, extabat minor alia Ecclesia, quæ*
2 *ut fama à Majoribus tradita tulit, à Divo Prosdocimo extructa fuit. Inventus est tellure obrutus lapis hac cum epigraphe: IN VISIT. S. PROSD. Ministrabant in ea Sacerdotes aliquot, Canonicorum titulo præditi, quorum Princeps Commendatarius appellabatur, eam fortassis ob causam, quod ea Ecclesia successu temporis in commendam abierat. Sed Anno* 1427. *sub Summo Pontifice Martino V. primus Archipresbyter renunciatus est Angaranus Brigontinus, constitutique sunt Canonici sex, sublatis tribus.* Porrò Dignitates Archipresbyteratus, & Canonicatuum multò antiquiores erant in ipsa Ecclesia Collegiata; teste Jo: Baptista Ferretto Advocato Veneto, ac Serenissimi Dominii Consultore, sæculo decimoquinto; qui in suis ponderosis Consiliis refert Discordiam forensem agitatam inter Monachos Camaldulenses de Carceribus ex una, & Archipresbyterum, atque Canoni-
3 cos Montanianæ ante finem sæculiduodecimi super Jure Decimandi, de qua *Consil.* 249. *col.* 2. *in princ.* ita scribit: *Et superindè lata fuit diffinitiva sententia pro dictis Priore, & Fratribus per bonæ mem. tunc Gerardum Episcopum Paduanum de Anno* 1198. *contra Archipresbyterum, Canonicos, & Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ Beatæ Mariæ de Montaniana, prætendentes jus super decimis prædictis, in locis, de quibus in donatione*, scilicèt iisdem Monachis facta per S. Bellinum Episcopum Patavinum Prædecessorem Anno 1144. Igitur per annos ante quingentos erant in Ecclesia Collegiata Montanianæ Archipresbyter, Canonici, & Capitulum; etsi interim ob varietatem temporum, & asperitates bellorum, quæ in hoc Territorio Patavino usque ad sæculum decimumquartum invaluere, facilè fuerit, ut Archipresbyteratus tanquam ditissimus, in commendam transiret, ut notavit idem P. M. Salomonius *d. pag.* 127. ubi subdit: *Anno mox* 1431. *die* 29. *Februarii ex-*
4 *trui cœpit conspicuum, & prænobile Templum, quod nunc Oppido præest, primusque ejus Lapis, solemni ritu jactus est ab eodem Archipresbytero Angarano, qui Templum eidem Titulo adjunctum voluit VIRGINIS DEIPARÆ in Cœlum Assumptæ.*

In hac igitur Collegiata Ecclesia, in qua (præter plures alios Sacerdotes Mansionarios, ac Ministros) etiam nunc resident unus Archipresbyter, quatuor
5 Canonici Curati, & alii duo Canonici, Diaconus unus, Subdiaconus alter, corpus Collegiale insimul facientes; orta fuerat Discordia, paucis ab hinc annis, inter Reverendissimum modernum Archipresbyterum ex una; & eosdem Reverendissimos Canonicos Curatos ex alia super eo, quod, cum non rarò contingeret, Diaconum, vel Subdiaconum Canonicum ob adversam valetudinem non posse inservire Domino Archipresbytero, Missas solemnes, diebus festivis, ac principalioribus, decantanti, ipse D. Archipresbyter prætendebat obligare, & obligatos esse dicebat, Dominos Canonicos Curatos, ut unus, vel duo eorum se Dalmaticis vestirent, & ei in Missa ministrarent, officio Diaconi, vel Subdiaconi fungentes; recusans hoc ministerium, & servitium ab aliis Sacerdotibus Mansionariis, seu Capellanis ejusdem Ecclesiæ recipere. Idcircò in hujusmodi discordia requisitus scribere pro veritate, ac justitia, censui, Dominos Canonicos esse immunes à dicto onere, se parandi Dalmaticis, & serviendi pro Diacono, & Subdiacono ex sequentibus rationibus, juribus, ac auctoritatibus.

Primò, quia, ut supradictum est, in hac insigni Collegiata sex sunt Canonici, unus Diaconus, alter Subdiaconus, quorum officium est inservire Domino Archipresbytero, Missas, ac Vesperas solemnes celebranti; & quatuor Canonici Presbyteri, quibus in-
6 cumbit onus exercendi curam animarum, & ministrandi SS. Sacramenta numerosissimo populo hujus oppidi, vicorum, ac villarum ei adjacentium; ut ex Bullis Martini V. Eugenii IV. & ex Visitationibus, atque Decretis Antistitum Patavinorum. Idcircò si in diebus festis solemnioribus obligarentur inservire Archipresbytero, loco Diaconi, vel Subdiaconi in Missa solemni, cogerentur intermittere administrationem Sacramentorum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, quæ fit à summo manè usque ad meridiem, juxta Synodales Constitutiones in prædictis festis diebus; & notata per Grilenzon. *conf.* 162. *num.* 16. Hoc autem esset magnum absurdum; quia quilibet debet vacare proprio officio; & officium Canonicorum curam habentium

Digitized by Google

bentium animarum eos obligat, inservire animabus, non autem Archipresbytero, juxta text. *in cap. Ephesiis*. 43. *dist. cap.* 1. 13. *q.* 1. Concil. Trid. *de Ref. sess.* 6. *cap.* 1. & *sess.* 23. *cap.* 1.

Secundò, quia de jure nemo debet duplici onere gravari. *l. Honores subeunti. ff. de Munerib. & honorib. l. Navis onustæ. §. Cum autem. ff. Ad Leg. Rhod.*
7 *de jactu. l.* 1. *§. Interdum. ff. Ad Leg. Falcid.* Sed DD. Canonici Curati gravarentur duplici onere, quando simul deberent, & attendere curæ animarum, Sacramentorumque administrationi; & exercere officium Diaconi, & Subdiaconi ad beneplacitum Domini Archipresbyteri. Ergo ad hoc non sunt obligandi.

Tertiò, quia quando simul concurrunt causa naturalis, & causa accidentalis; semper naturalis attenditur, & accidentalis negligitur. Abb. *cons.* 62. *num.* 16. *lib.* 2. Ancharan. *cons.* 37. *num.* 6. & 7.
8 Barbosa *Axiom.* 41. *num.* 34. Sed in DD. Canonicis Curatis Collegiatæ Montanianæ naturale debitum est vacandi Curæ animarum, & administrationi Sacramentorum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ suis plebibus ad Ecclesiam confluentibus, à summo manè usque ad meridiem in diebus festis, & præcipuè solemnioribus: accidentale autem, quod deficiant ex infirmitate Canonicus Diaconus, & Canonicus Subdiaconus; itaut ipsi non possint se parare ad inserviendum Missæ solemni Domini Archipresbyteri. Ergo iidem Canonici Curati non sunt retrahendi ab eorum naturali officio, ut incumbant accidentali.

Quartò; quia quæ constituta sunt ad commodum alicujus, non debent contrarium effectum operari. *l. Quod. favore. C. de Legib.* Surdus *cons.* 215. *num.*
9 68. *lib.* 3. Gratianus *Discept. forens cap.* 922 *n.* 26. & facit *cap. Quod ob gratiam. De Reg. Jur. in* 6. Sed Canonicatus quatuor Curati in dicta Ecclesia Cellegiata instituti sunt in favorem, & commodum animarum, eidem Ecclesiæ subjectarum, quibus ob nimiam numerositatem solus Archipresbyter vacare non poterat, ut ex dd. Bullis Martini V. & Eugenii IV.
10 Summorum Pontificum: sunt enim quatuor millia circiter animarum sub eadem Collegiata, ut constat ex libris annuis status Animarum Diæcesis Patavinæ, qui conficiebantur sub regimine San. mem. Emi-
11 nentissimi Gregorii Cardinalis Barbadici Antistitis, & quos Eminentia sua frequentiùs, & diligentiùs observabat, quàm illos redditnum temporalium existentes in Factoria. Ergo non debent operari contrarium effectum; videlicèt ut à Canonicis Curatis serviatur Archipresbytero, & deseratur servitium populorum, & Animarum.

Quintò; Quia magis dignum trahit ad se minùs dignum: *cap. Quod in dubiis. De Consecr. Eccl. cap.* 1. *eod. tit. lib.* 6. *l. Quæ religiosis. ff. De rei vindic.* Glossa
12 *in cap. Unico. De Jurepatron. in* 6. Sed attendere curæ, & servitio animarum, est magis dignum; quàm inservire Domino Archipresbytero: Animæ enim sunt pretiosiores cæteris rebus; & ejus cura est omnibus præferenda. *cap. Præcipimus.* 2. *q.* 11. *cap. Cum infirmitas. in fin. De Pœnit. & Remiss.* Meno-
13 chius *lib.* 4. *Præsumpt.* 112. *num.* 4. & *Præsumpt.* 152. *num.* 4. Maceraten. *Var. Resol. lib.* 2. *resol. ult. casu* 37. idem Gratian. *Discept. forens. cap.* 298. *num.* 69. ubi in puncto scribit, quod cura animarum prævalet decantationi Missæ. Ergo DD. Canonici Curati non sunt distrahendi in diebus solemnioribus ab administratione Sacramentorum, & à servitio animarum, ut vadant ad se parandum Tunicellis, & inserviendum D. Archipresbytero Missam cantaturo.

Sextò, facit etiam regula, quæ dicit, quod gravatus in uno debet in alio sublevari. *l. Eum qui. ff. de Jurejuran. l. Secundum naturam. ff. de Reg. Jur.* Præ-
14 citatus Gratianus *cap.* 612. *num.* 18. Sed ex Canonicis Collegiatæ Montanianæ duo sunt obligati assistere solemni Sacrificio D. Archipresbyteri; quatuor autem sunt onerati stare in Sede Confessionali diebus festivis, & vacare curæ Animarum. Igitur ijsdem, portantibus toto manè hoc gravissimum pondus, non est imponenda hæc nova obligatio inserviendi Archipresbytero littanti.

Septimò addendum, quod impossibilia non obligant. *l. Impossibilium. ff. de Reg. Jur. cap. Nemo potest. eod. tit. in* 6. Beliettus *de Clerico debit.* §. 1. *n.* 4.
15 Et illud dicitur impossibile, quod sine magna difficultate fieri non potest, *l. Cum heres.* §. 1. *ff. de Statu liber. l. Apud Julianum.* §. *Constat. ff. de Leg.* 1. Maurus *de Fidejussor. in Prælud. sect.* 3. *cap.* 25. *num.* 8. & 9. Barbosa *Axiom.* 118. *num.* 8. Sed DD. Canonici curati non sine magna difficultate possunt assistere D. Archipresbytero parati, tempore, quo cantat Missam, dum eodem tempore tenentur assistere populis Sacramenta poscentibus. Ergo utrumque munus censetur impossibile, & ad illud, de D. Archipresbytero inserviendo, non sunt obligandi.

Octavò, venit quoque considerandum, quod obligatio inserviendi pro Diacono, & Subdiacono in Missis, ac Vesperis solemnibus in prædicta Collegiata, insita est duobus Canonicis non curatis, qui si desint muneri suo, debent ipsi compelli opportunis Juris remediis; non autem gravari DD. Canonici Curati: siquidem certa regula est apud Juristas,
16 quod nemo debet prægravari causa alterius. *cap. Non debet aliquis. De Regul. Jur. in* 6. *l. Si quis. sui.* §. 1. *C. De in Offic. testam.* & per consequens DD. Canonici Curati non sunt adstringendi supplere vices, seu facere functiones ad se non spectantes, ut in terminis disserit Pignatellus *tom.* 4. *Consult.* 28. *à num.* 11. *& seqq.*

Nonò, juvat mirabiliter DD. Canonicos Curatos etiam hæc reflexio, quod Dominus Archipresbyter Collegiatæ Montanianæ non debet plus prætendere circa sui ipsius assistentiam in Missis solemnibus; quàm prætendat Illustrissimus, ac Reverendissimus Archipresbyter Cathedralis Ecclesiæ Paduanæ; imò debet esse contentus, ut sibi serviatur à ministris ejusdem gradus, quales sunt illi, qui inserviunt eidem Archipresbytero Paduano: nam hic est dignior, & superior illo; & Ecclesiæ inferiores de-
17 bent imitari eas, quæ sunt superiores, præcipuè in functionibus sacris, juxta regulam, A capite non licet membra recedere. *cap. De his.* 12. *dist. cap. Olim. De Consuetud.* Romanus *cons.* 218. *num.* 1. Mosconius *part.* 1. *cap.* 15. *in fin.* Sed Archipresbytero Patavino, dum Missas cantat in solemnioribus diebus, (absente, vel impedito Episcopo) non assistunt duo
18 Canonici pro officio Diaconi, & Subdiaconi; sed duo ex Custodibus ejusdem Cathedralis explent talia officia, ut ex immemorabili consuetudine constat, & est cuique notissimum. Ergo multò magis Archipresbyter Collegiatæ Montanianæ hujusmodi officium, ac servitium debet recipere à duobus ministris suæ Ecclesiæ, licèt non sint Canonici.

Decimò, concurrit exemplum Collegiatæ Ecclesiæ Plebis Sacci hujus Diæcesis, quæ; (estò quod non sit dignior Collegiata Montanianæ, etsi ei in Synodo præcedat) saltem est illi similis, ac æqualis. Et
19 nihilominùs neque in ipsa adsistentes Archipresbytero, Missas solemnes cantanti, sunt Canonici; sed duo ministri non Canonici exercent officium Diaconi, ac Subdiaconi. Igitur idem servandum in Collegiata Montanianæ, à simili enim ad simile valet
20 argumentum. Everard. *in Topic. Legal. loco* 10. Decian. *cons.* 31. *num.* 47. *vol.* 1. Peregrinus Eques Patavinus *cons.* 9. *num.* 29. *vol.* 2. & est ratio manifesta, quia de similibus idem est judicium. *l. Non possunt. & l. seq. ff. de Legib.* §. *Rectè. Instit. Mandati.* Farinacius *in Fragment. crimin. part.* 1. *Litt.* E. *num.* 88.

Undecimò, sed magis strictè arguendo ad favorem DD. Canonicorum, ad eorum libertatem tuendam adversus hanc prætensionem Domini Archipresbyte-

 ri,

ri, militat sententia, quam in hac eadem Discordia
tulit contra eundem Archipresbyterum Judex Metro-
politanus *Anno* 1651. *die* 19. *Decembris*, in qua decre-
vit, eosdem DD. Canonicos Curatos Montanianæ
esse manutenendos in libertate non se parandi, nec
inserviendi in officio Diaconi, seu Subdiaconi in
Missis, ac Vesperis solemnibus eidem Archipresby-
tero. Ex hac sententia duo proveniunt effectus;
21 Unus est, quod possessio Archipresbyteri, si quam
postea acquisivisset; obligandi Canonicos Curatos ad
ei inserviendum, non esset manutenibilis, resistente
prædicta sententia. Rota coram Alexandro VIII.
Decis. 8. *Decis.* 9. *&* *Decis.* 30. Alter effectus est,
quod vigore dictæ sententiæ DD. Canonici Curati
possunt allegare legitimam præscriptionem suæ liber-
22 tatis, & immunitatis à prætenso onere se parandi,
& inserviendi Archipresbytero in Missis solemnibus;
quâ stante venit omninò repellendus ab hac præten-
sione, ut novissimè scribit Emin. Card. de Luca *de
Jurisdictione disc.* 34. *num.* 30. & decisum est à Rota
part. 4. *recent. decis.* 213. *num.* 4. *tom.* 1.

Duodecimò, & ultimò juvantur DD. Canonici
Curati decreto Eminentissimi Cardinalis Gregorii
Barbadici Episcopi Patavini *diei* 28. *Novembris* 1692.
qui exequendo Breve Apostolicum à Canonico Sub-
diacono Carolo Sellario ejusdem Collegiatæ, excusa-
tionem petente ab officio suo personali ob graves suas
infirmitates, Eminentia sua illum exaudiendo subjun-
xit in decreto hæc verba: *Ita tamen, cum nulla sit alia*
23 *Præbenda Subdiaconalis, ut ex propria pecunia stipem
solvat uni Clerico Subdiacono, à Domino Archipresbyte-
ro Montanianæ approbando, qui ejus vices suppleat, in
decantandis Missis, ac Vesperis*. Per hæc verba
Eminentissimus Antistes duo puncta sententiavit.
Primum, quod DD. Canonici Curati non sunt obli-
gati supplere vices Canonicorum Diaconi, & Subdia-
coni. Secundum, quod Archipresbyter contentus esse
debet assistentiâ, ac servitio in Missis solemnibus
unius clerici per eum approbandi, cui Canonicus in-
firmus stipem solvat, ut eius vices suppleat. Sunt ita-
que DD. Canonici Curati conservandi in sua liber-
tate, & immunitate à prædicta assistentia per D. Ar-
chipresbyterum prætensa. Neque attendendæ sunt
rationes, quibus ipse innititur pro obligandis, &
onerandis DD. Canonicis Curatis, quæ sunt sequen-
tes:

Prima ex Cæremoniale Episcoporum, in quo *lib.* 1.
cap. 26. sic legitur: *Plerumque evenit, ut ex his, qui
in aliquo peculiari ministerio, dum officia divina pe-
raguntur, servire solent, sivè illi Dignitates, sivè Ca-*
24 *nonici, seu etiam inferioris ordinis, sint legitimo im-
pedimento detenti; ut quia absentes, vel infirmi, vel
senio languentes, seu aliter occupati, munus eis com-
petens obire nequeant. Quo casu, ne debitum ministe-
rium deseratur, dum alter alterius onus, aut curam
subire negligit, vel recusat, deficientium vires ab aliis
suppleri debeat*. Et paulò inferiùs loquens de nostro
casu, ob quem nata est præsens Discordia, ita habe-
tur dispositum. *Sic etiam ex duobus Canonicis Diaco-
nis assistentibus si alter, vel ambo deficiant, alii sub-
sequentes Diaconi, & Subdiaconi supplebunt: quod si
unus tantùm Diaconus, vel Subdiaconus adesset, tunc
ex necessitate ultimus Presbyter, licèt major, supplet
loco Diaconi, vel Subdiaconi deficientis*. En igitur
(inquit Dominus Archipresbyter Montanianæ) de-
cisio Discordiæ; iubet enim Cæremoniale Episcopo-
rum, quod *Canonicus Presbyter licèt major suppleat
loco Diaconi, vel Subdiaconi deficientis*; & hunc li-
25 brum Cæremonialem Episcoporum habere vim Le-
gis nefas esset negare; ita enim docent DD. quos ci-
tat, & sequitur Gratian. *Discept. Forens. cap.* 131 *n.* 7.
& Rota *part.* 4 *recent. decis.* 647 *tom.* 3.

Cæterum eliditur hæc ratio pluribus responsionibus
per DD. Canonicos: *Una* est, quod Cæremoniale
Episcoporum loquitur de celebratione Missæ solem-
nis, quam facit Episcopus in Ecclesia Cathedrali, in
qua convenit, ut deficiente Canonico Diacono,
vel Subdiacono, ejus vices suppleantur ab alio Cano-
nico Presbytero, in obsequium Episcopalis Dignitatis.
Hoc patet ex subsequentibus verbis ejusdem Cæremo-
nialis, videlicèt: *Sed eo casu Diaconus, qui aderit,
sedebit à dextris Episcopi, cui imponet, & deponet
Mitram &c.* Idcircò cum in Archipresbytero Monta-
26 nianæ non concurrat hæc qualitas Episcopalis, seu
Mitratæ Dignitatis, ad eum non est applicanda dispo-
sitio Cæremonialis Episcoporum; quia ubi ratio est
diversa, diversa quoque debet esse juris dispositio. *l. Si
ita. ff. de Manumiss. testam. l. Servus. ff. de Statu
liber.* Barbosa *Axiom.* 197. *num.* 5. *ubi DD. Secunda*
responsio est, quod Cæremoniale Romanum loquitur
de Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis magno nu-
27 mero Canonicorum Presbyterorum instructis, ut notat
Pignatellus *tom.* 4. *Consult.* 28. tunc enim expedit, per
unum ex iisdem Canonicis Presbyteris suppleri vices
Diaconi, vel Subdiaconi absentis. At in casu nostro
quatuor tantùm sunt Canonici Presbyteri, & sic exi-
guus eorum numerus; & ideò non est eis applicabilis
ipsa Cæremonialis Libri dispositio, attenta diversita-
te numeri, quæ causat diversitatem juris. *l. Inter sti-
pulantem. §. Sacram. ff. de Verb. oblig. l. fin. ff. de Ritu
Nuptiar. Tertia* responsio est, quod ipsum Cæremonia-
le Romanum loquitur de Canonicis nullam aliam ha-
bentibus obligationem, quam illam interessendi in
Choro. Sed in nostro casu DD. Canonici Montania-
nenses habent, ultrà interessentiam Chori, onus gravis-
simum Curæ animarum, & debitum administrandi
Sacramenta Pœnitentiæ, ac Eucharistiæ omni popu-
lo, dum Missa solemnis cantatur ab Archipresbytero.
Ideò non est dicendum, quod Cæremoniale velit obli-
gare hos Canonicos, ut deserant Sacramentorum ad-
ministrationem, & vadant induere Dalmaticas, & as-
sistere Archipresbytero celebranti; quandoquidem
28 omnis Lex vult semper, ut bonum publicum præfe-
ratur commodo privato. *cap. Bonæ. De Postulat. Præ-
lat.* S. Thomas 2.2 *quæst.* 39 *art.* 2. *ad* 2. Gobatus *in
Quinario tract.* 5. *cap.* 37. *num.* 62 & cùm majus bonum
sit vacare administrationi Sacramentorum, & inser-
vire devotioni, ac pabulo spirituali animarum; quàm
assistere Archipresbytero; ad hanc assistentiam Cano-
nici Curati non sunt adstringendi. Card. Tuschus
tom. 5 *Litt.* M. *conclus.* 16 Barbosa *Axiom.* 140. *& ibi
alii DD. Quarta* responsio est, & quidem fortissima,
quam docent duo celeberrimi Advocati Romanæ Cu-
riæ, Pignatellus, & Eminentissimus Cardinalis de
Luca; nempè, quod Cæremoniale Romanum non
tollit, neque tollere intendit consuetudines ab imme-
29 morabili tempore vigentes in Ecclesiis, circa exerci-
tium Ecclesiasticarum functionum; quod etiam nota-
verat antea Barbosa *de Canonic. & Dignit. cap.* 33.
num. 24. & approbant prælaudati Pignatellus *tom.* 1.
Consult. 7. *num.* 25. nec non *tom.* 4. *Consult.* 25. *num.* 12.
prout ipsemet Emin. Card. de Luca *in Miscellan. post
tract. de Regularib. disc.* 39. *num.* 6. Quapropter in hac
Collegiata Ecclesia Montanianæ cum vigeat imme-
morabilis consuetudo, ut vices Diaconi, vel Subdia-
coni suppleantur à Sacerdotibus non Canonicis, ea est
servanda; quia ei non derogat Cæremonialis Roma-
ni contraria dispositio. *Quinta* responsio desumitur ex
doctrina tùm Canonistarum, tùm Theologorum,
quos longa serie referunt, & sequuntur Diana, &
Bordonus mox citandi, docentium, quod Lex, etsi Pon-
tificia, non obligat in locis, in quibus non est accepta-
30 ta; non ex eo, quod auctoritas Summorum Pontifi-
cum pendeat à consensu subditorum; sed quia ipsi
non intendunt obligare subditos, apud quos Lex sua,
(extra articulos fidei, & in solis actibus humanis) non
est acceptata. Ita Tannerus, Chokier, Filiuccius,
Becanus, Lessius, Reginaldus, Azorius, & alii plu-
rimi apud Dianam *part.* 1. *tract.* 10. *resol* 1. quæ in ejus
opere Coordinato est reposita *tom.* 6. *tract.* 1. *resol.* 55.
nec

Digitized by Google

nec non apud Bordonum *in Opere Posthum.cons.*81.*n.*8. Porrò dispositio Cæremonialis Episcoporum, ut Canonici Sacerdotes suppleant vices Diaconi, vel Subdiaconi, nunquam fuit acceptata in Collegiatis hujus
31 Diœcesis, neque in Collegiata Montanianæ, ut ex sententia Metropolitani de Anno 1651. imò neque in Ecclesia Cathedrali Patavina, in qua, ut dictum est supra *num.*18. Archipresbytero solemniter celebranti assistunt cum Dalmaticis non duo Canonici, sed duo Custodes, qui funguntur officio Diaconi, & Subdiaconi. Idcircò usus iste universalis totius Diœcesis, atque Ecclesiæ Cathedralis servandus est etiam in Ecclesia Montanianæ. *l. Morem majorum. ff. De Jurisd. omn. Judic. l. Maximum vitium. C. De Liber. praeter.* Membra enim recipere debent normam, & in-
32 structionem à capite. Menochius *cons.*126. *num.* 22. & omnes Ecclesiæ inferiores in celebratione Divinorum Officiorum debent se conformare Ecclesiæ Cathedrali. *cap. De his.* 12. *dist. cap. Cum olim. extr. de Consuetud.* & ex his remanet penitùs elisa prima ratio Domini Archipresbyteri.

Secunda ejus ratio est, quod præteritis temporibus DD. Canonici Curati se induerint Dalmaticis, & ei inservierint in Missa solemni, supplentes vicem Canonici Diaconi, vel Subdiaconi absentis; & ex hoc prætendit sibi jus acquisitum pro obligandis iisdem DD. Canonicis Curatis; & sibi deberi manutentio-
33 nem. Rota coram Buratto *decis.*904. *num.*1. At etiam hæc ratio resolvitur dupliciter. *Primò*, quia si quis ex Canonicis Curatis aliquando se vestivit Dalmatica, & Missæ solemni Archipresbyteri inservivit, id fecit non ex obligatione, sed ex mera urbanitate; ex actibus autem merè urbanis nullum Jus acquiritur recipienti, nec ei manutentio pro iterum recipiendis illis
34 datur. Glossa *in cap. Nemo. Verb. commendare. De Elect. in* 6. Marescott. *Var. Resol. lib.*1.*cap.*55.*num* 31. & Bordonus *cons.* 50. *num.* 10. ubi subdit, quod facta ex urbanitate nullam inducunt obligationem inter partes, & non præjudicant juri publico, aut privato; neque in petitorio, neque in possessorio. *l. Qui jure familiaritatis. ff. De adquir. possess.* & ibi DD. Abbas *in cap. Cum Ecclesia. De Causa poss. & propriet. Secundò* resolvitur asserta ratio D. Archipresbyteri dicendo, quod ulteriùs quando aliquis ex DD. Canonicis Curatis ei inservivit in Missa solemni, protestatus semper fuit, id facere ex sola urbanitate, & absque præjudicio libertatis suæ, ac aliorum DD. Canonicorum Curatorum, ab hujusmodi onere, servitio, seu assistentia: quâ protestatione attentâ nullum Jus, nul-
35 lave possessio censetur acquisita ipsi Domino Archipresbytero. Maria *de Clausulis part.*1. *clausf.*158. Marescot. *lib.*1. *cap.*22. *num* 22. Gratian. *cap.*310. *num* 38. Pollius *de Manutent. observ.*35. *num.*36. & 37. & ibi, præter plurimos alios DD. Rota coram Buratto *Decis.* 691. *num.*12. & coram Gregor. XV. *decis.*365. *n.*2. ubi Beltramin. *in Addit. num.* 4. Tantò minùs quia constat de anteriori possessione pro libertate eorundem DD. Canonicorum Curatorum ex prædicta sententia Vicarii Metropolitani de Anno 1651. quæ facit, ut
36 in concursu cum asserta posteriori possessione Domini Archipresbyteri, præcedens, & anterior DD. Canonicorum sit attendenda, & observanda. Rota coram eodem Gregor. XV. *decis.* 549. & coram Priolo *decis.* 249.

Tertia ratio ipsius D. Archipresbyteri, per eum deducitur ex actis Visitationis Episcopalis Ecclesiæ Collegiatæ Montanianæ de Anno 1665. in qua dictum fuit, & ordinatum ab Emin. Card. Barbadico Episcopo, ut Canonici Curati non recusarent, se Dalmaticis induere, & vices Diaconi, ac Subdiaconi supplere. Sed sine fundamento est ista ratio, quia dicta per Eminentissimum Antistitem habebant vim exhortationis, non obligationis, ut constat ex verbis in præambulo ita conceptis: *Lasciamo per hora gl' infrascritti ricordi, acciòche da tutti, à quali si aspetta, siano fino al nostro ritorno pontualmente osservati.* Quod
37 autem verba hortatoria tantùm non habeant vim Legis, aut Sententiæ, advertunt Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 7. §.4. *num.* 12. Salas *eod. tract. disp.*10. *sect.*9. *num.* 51. & Baldellus *eod. pariter tractatu tom.*1. *lib.*5. *disp.*22. *num.* 7. Præterquàmquod, si tunc intendisset prælibatus Antistes sententiare, & sententiando obligare DD. Canonicos Curatos ad assistendum cum Dalmaticis Archipresbytero solemniter sacrificanti, sententia fuisset nulla, quia super hac Discordia DD. Canonici Curati non fuerunt cita-
38 ti, neque auditi. Felin. *in cap. Ecclesiâ num.* 13. *de Constitut.* latè Scaccia *de Sentent. & Re Judic. gloss.* 13. *num.* 4. E contra DD. Canonici Curati affirmant, se in dicta Visitatione Episcopali de Anno 1665. fuisse servatos indemnes à prætensa assistentia per Archipresbyterum, dum in Decretis obligantibus illius Visitationis dictum fuit: *Sistant, prout eorum muneris est, singulis præcipuè festis diebus in Confessionalibus.* Si debent sistere in Confessionalibus, præcipuè festis diebus, non debent assistere Archipresbytero iisdem festis diebus solemniter sacrificanti; hæc enim duo sunt adinvicem contraria, & per conse-
39 quens stare simul non possunt in eodem subjecto. Glossa *in l. fin. ff. de Divortiis.* Thomasettus *in Florib. Leg. regul.* 101. Scaccia *de Commerc. & Camb.* §. 6. *gloss.*1. *num.*77.

Quare ex his omnibus concludendum venit, Jus, & justitiam stare pro DD. Canonicis Curatis, ad quorum libertatis favorem judicandum venit; prævia rejectione instantiæ D. Archipresbyteri, cui super hac Discordia imponendum est perpetuum silentium: agitur enim de magno præjudicio eorundem DD. Canonicorum, quia libertas est pretiosior auro;
40 ac amarissimum est hominibus in libertate constitutis, se alteri homini adstrictos, & ad ejus servitium obligatos contra justitiam videre; ut latè differunt ex Historicis Cæsar *in Commentar. lib.*3. Dionysius Halicarnas. *lib.* 6. & ex Juristis Decian. *vol.* 3. *Resp.* 11. *num.*8. Menochius *cons.*1003. *num* 66. atque Gratian. *Discept. Forens. cap.* 801. *num,* 56.

DISCORDIA LXXII.

ARGUMENTUM.

Circa Capellaniam relictam cum onere Missarum, tria Dubia examinantur, & resolvuntur. Unum est, quando ea sit Sacerdotalis, itaut obliget Capellanum ad sumendos sacros Ordines intra annum? Alterum, quando Capellanus sit obligatus ad residentiam, & ad celebrandum per se, & non per substitutum? Et Tertium, quid sit agendum, si Fundator non præscripserit numerum Missarum celebrandarum, sed se remiserit commoditati Capellanorum.

SUMMARIUM.

1 *Leonia Nobilis Familia Paduæ laudata.*
2 *Ecclesiâ S. Jacobi Villæ Leonis quando, & à quo fabricata?*
3 *Capellanorum Ecclesiæ prædictæ obligatio.*
4 *Ecclesia prædicta à Cardinali Pileo consecrata.*
5 *Chechi Leonii Nob. Patav. Sepulchrum.*
6 *Dubia tria circa Capellanum Ecclesiæ S. Jacobi Villæ Leonis.*
7 *Capellania quando dicatur esse Sacerdotalis?*
8 *Præsentatus ad Capellaniam Sacerdotalem debet infrà annum sumere Sacerdotium.*
9 *Prosper Fagnanus diù fuit S. Congr. Concilii Secretarius.*

10 Sa-

Digitized by Google

10 *Sacerdotii non susceptio intra annum causat privationem beneficii.*
11 *Residere personaliter quando Capellanus teneatur?*
12 *Residere si sit obligatus Capellanus, an debeat habitare in domo suæ Capellaniæ?*
13 *Capellani ut plurimùm non habitant in domibus suarum Capellaniarum.*
14 *Capellanus S. Jacobi de Leone quando teneatur in domo Ecclesiæ habitare.*
15 *Consuetudo quando excuset Capellanos à personali residentia?*
16 *Fundatoris beneficii expressæ voluntati derogari non potest.*
17 *Capellani S. Jacobi Villæ Leonis olim personaliter ibi residebant.*
18 *Consuetudo, quæ est simplex abusus, nihil prodest.*
19 *Consuetudo circa numerum Missarum celebrandarum quando valeat?*
20 *Consuetudo attenditur pro interpretanda voluntate dubia Testatoris.*
21 *Prescriptio an detur contra explicitam voluntatem Testatoris?*
22 *Voluntas illius attenditur, cujus commodo res est commissa.*
23 *Capellania dives censetur obligare ad Missam quotidianam.* & num. 27.
24 *Capellani, quando sunt infirmi, censentur non habere facultatem celebrandi.*
25 *Voluntates defunctorum juxta illas viventium sunt interpretandæ.*
26 *Facultas, à Fundatore data Capellano circa numerum Missarum, est restringenda ad limites justitiæ.*
28 *Arbitrium boni viri regulandum secundum S. Canones.*
29 *Missarum numerus, à Fundatore remissus arbitrio Capellani, est taxandus prout de Jure.*
30 *Testatoris verba generalia sunt restringenda ad ejus verisimilem mentem.*
31 *Præscriptio non currit contra non valentem agere.*
32 *Testatores plerunque loquuntur abusivè.*
33 *Missarum numerus, à Fundatore non expressus, ab Episcopo est taxandus.*
34 *Nicolids J. C. Romanus ubi obierit?*
35 *S. Congregationis Concilii Declaratio circa numerum Missarum ab Episcopo præscribendum.*
36 *Missarum celebrandarum in Ecclesia S. Jacobi Villæ Leonis numerus ab Episcopo taxandus.*
37 *Arbitrium boni Viri consistit in eligenda media via.*
38 *Sacerdotes rarò celebrantes non sunt sine gravi culpa.*

INter nobiles, & antiquas Familias Civitatis Paduæ,
fulget illa de LEONIIS, in qua jugiter plurimos
fuisse Viros conspicuos tùm litteris, tùm armis te-
1 stantur Historiæ. Inter hos recensetur CHECHUS
LEONIUS militari disciplinâ, & gestorum gloriâ,
sæculo decimo tertio, insignis; qui devotionis causâ,
præter Sacellum S. Joannis Baptistæ in Ecclesia S.
Augustini Ordinis Prædicatorum suo ære constructum,
ædificavit etiam Ecclesiam S. Jacobi Apostoli in ejus
2 Villa de Leone Anno 1373. eamque multis prædiis
dotavit, cum domo apud illam pro habitatione Sa-
cerdotis, à Se, & ab Heredibus suis pro tempore eli-
gendi, & Episcopo Paduano præsentandi, ac per eum
instituendi; cujus Sacerdotis Fundator prædictus hanc
voluit esse obligationem, (ut legitur in Instrumento
erectionis illius beneficii) Videlicet: *Quilibet Sacer-
dos, qui pro tempore fuerit, continuam residentiam per-*
3 *sonaliter in dicto beneficio facere teneatur; & singulis
diebus, quibus facultas, & commoditas sibi aderit, in
dicta Ecclesia S. Jacobi in remissionem peccatorum d. Do-
mini Francisci, Antecessorum suorum, & Successorum,
teneatur Missam, devotione debita, celebrare.* Fuit
autem consecrata præenarrata Ecclesia S. Jacobi dicto
Anno 1373. à Pyleo Cardinali Prata, tunc Episcopo
4 Patavino, ut ex memoria in marmore posita sub por-
ticu ipsius Ecclesiæ, in qua etiam narratur eundem
Checum Leonium fundatorem obiisse Anno 1380. &
sepultum esse in antedicto Sacello S. Jaonnis Baptistæ
5 in Ecclesia S. Augustini de Padua, super cujus se-
pulchro hæc carmina leguntur:

Clauditur hic tenebris Checus olim Phœbus Olympi,
Et sua mens regnat radiis opulenta per Aulas.

Ad Heredes igitur ejusdem Chechi Leonii cum spe-
ctet electio Sacerdotis, pro celebratione Missæ in ea-
dem Ecclesia S. Jacobi, vigore Jurispatronatus ex dis-
positione ipsius Fundatoris prædictis Heredibus reser-
vati; cum in proximo transacto sæculo aliquando
fuerint electi simplices Clerici, aliquando Presbyteri;
& horum aliqui resederint in domo beneficii, in Villa
Leonis, apud dictam Ecclesiam sita; & quotidiè
personaliter in eadem Ecclesia celebraverint: aliqui
verò nec resederint, nec personaliter Sacrificium quo-
tidiè Missæ obtulerint; sed per substitutum Sacerdo-
tem diebus festivis tantùm de Præcepto ibi Missam
fecerint celebrare; moderni Patroni, ac Heredes de
eadem Nobili Familia Leonia, propriæ conscientiæ
consulere volentes, pro proxima facienda nomina-
6 tione, & præsentatione Rectoris, & Capellani ad
idem beneficium, seu Capellaniam S. Jacobi Villæ
Leonis, petierunt à me de Jure, & pro veritate res-
ponderi super tribus sequentibus dubiis.

1. *Utrùm beneficium prædictum sit Sacerdotale; itaut ad illud præsentari non possit, nisi qui actu est Presbyter, & Sacerdos?*

2. *Utrùm ille, qui est præsentatus, & institutus in eodem beneficio teneatur residere personaliter in dicta Villa Leonis; & habitare in domo apud Ecclesiam à Fundatore constructa?*

3. *Utrùm satisfiat voluntati prædicti Chechi Leonii Fundatoris, si festivis tantùm diebus de Præcepto Missa ibi pro Anima ejus celebretur?*

Pro horum dubiorum resolutione, viso Instrumento erectionis, ac fundationis suprascripti beneficii, & maturè perpensis verbis ipsius Fundatoris supra relatis; nec non pluribus præsentationibus antiquitùs factis ad idem beneficium, in sensu veritatis, & ad limites rectæ conscientiæ, respondi, ut infra, videlicet:

Ad Primum: Beneficium hoc esse Sacerdotale;
ita tamen ut eligi, ac præsentari possit ad illud Cleri-
cus, etiamsi non sit actualiter Sacerdos, dummodò sit
in ea ætate constitutus, ut intra annum possit sumere
7 ordinem Sacrum Presbyteratus, quem omninò sume-
re tenetur sub pœna peccati mortalis, & privationis
ejusdem beneficii. Quod hoc beneficium sit Sacerdo-
tale, & quod præsentatus ad illud debeat intra annum
à die institutionis, si actualis Sacerdos non sit, sume-
re Sacerdotium, patet manifestè ex eodem Instrumen-
to fundationis hujus beneficij, in quo Fundator plu-
ries nominando futurum ejus Rectorem, ac possesso-
rem, eum semper appellat Sacerdotem; quâ appel-
latione, & expressâ nominatione attentâ, semper
Sacra Congregatio Concilii declaravit, teneri ele-
ctum, & institutum sumere omnes ordines Sacros,
ac ipsummet Sacerdotium intra annum; adeò ut eli-
8 gi, & præsentari non possit ille, qui non est ejus æta-
tis, ut intra annum ad omnes Sacros Ordines promo-
veri valeat, ut refert Fagnanus in *cap. Ut Abba-
tes num. 71. & num. 77. De Ætate, & Qualitate
tom. 2.* & hæc est communis sententia Theologorum,
ac Canonistarum, ut videre est apud Perez de Lara
de Capellan. lib. 2. cap. 5. num. 16. Gonzalez *ad Reg. 8.
Cancell. gloss. 5. num. 74. & num.* 104. Cevallum *com-
mun. opin. quæst.* 693. *à num. 9. & seqq.* Flaminium
Parisium *de Resignat. lib. 3. q. 6. num.* 3. Gratianum
discept. Forens. cap. 135. Quarantam *in Summa Bullar.
Verb. Servitium Capellaniæ*, Monetam *de Commutat.
ult. volunt. cap. 10. num.* 138. Barbosam *de Episc. al-
leg. 24. num.* 40. & Pignatellum *tom. 7. consult. 2.
num.* 2. ubi hanc reddit rationem, cui omnes DD.
inni-

Digitized by Google

innituntur, quia beneficium, habens annexum ministerium Sacerdotale, de jure potest impetrari à non Sacerdote, dummodò intra annum à die possessionis possit ordinari Sacerdos, ut in *cap. Cum in cunctis. De Elect. Clem. Generalem. De Ætate, & Qualit.* ac etiam in Concilio Tridentino *sess. 22. de ref. cap. 4. & sess. 24. de ref. cap. 12.* & pro hujusmodi doctrinæ confirmatione plures Declarationes refert etiam ipse Pignatellus *d. tom. 7. Consult. 2. à num. 18. & seqq.* ad-
9 dens in fine, circa hoc dubium non esse recedendum à doctrina D. Fagnani *in d. cap. Ut Abbates. De Ætate, & qualit.* quia ipse fuit ejusdem Sacræ Congregationis longo tempore Secretarius. Quod autem hujusmodi Capellanus teneatur omninò à die institutionis sumere Sacerdotium sub pœna peccati mortalis, ac privationis beneficii, probatur tùm ab exemplo Ecclesiarum Parochialium *ex cap. Licet canon. §. 1. cap. Statutum. cap. Cum ex eo. & cap. Commissa. De Elect. in 6.* tùm ex *Clem. 2. §. 1. De Ætate, & qualit. & ord. præ-*
10 *ferend.* tùm etiam ex Concilio Tridentino *sess. 22. de ref. cap. 4. ac sess. 24. de ref. cap. 12.* & plenè tradit Moneta *d. cap. 10. num. 117. & num. 118.* ubi tamen advertit id procedere, si non susceptio ordinis Sacerdotalis procedat absque legitima causa, & sine justo impedimento; quo concurrente concedi potest aliqua honesta dilatio ad ordines suscipiendos ad arbitrium boni viri, & de licentia Superioris.

Ad secundum dubium dixi; non esse opus syllogizare pro ejus vera resolutione; quia cum dictum sit à Fundatore, *quod Quilibet Sacerdos, qui pro tempore fuerit, continuam residentiam personaliter in dicto Beneficio facere teneatur*: est extra omnem controver-
11 siam, quod ipse investitus, ac beneficiatus dictæ Ecclesiæ S. Jacobi de Leone, tenetur apud eam personaliter residere, ac per seipsum celebrare, ut respondisse Sacram Congregationem *die 20. Julii 1600.* testatur Fagnanus *in cit. cap. Ut Abbates. num. 78. De Ætate, & Qualit. tom. 2.* his verbis: *Posito tenore fundationis, videlicèt: Sint tres voces in præsentando Sacerdotem, & Capellanum dictæ Capellæ, qui serviat in divinis eidem Capellæ, & ibidem continuè divina celebret, Missam, & Officia nocturna, & diurna, & residentiam continuam faciat juxta ipsam Ecclesiam S. Andreæ, & serviendo dictæ Capellæ. Quæritur, an Rector ejusdem Capellæ teneatur residere, ac subire onera per seipsum? Die 20. Julii 1600. Sacra Congregatio censuit, hujusmodi Rectorem teneri residere, ac munia hujusmodi explere per seipsum.*

Est tamen verum, quod licèt Capellanus iste obligatus sit personaliter residere, atque celebrare per seipsum concedit; Bordonus, ut non sit obligatus præ-
12 cisè habitare in domo à Fundatore ei relicta, utporè quia forsan habeat propriam habitationem in eadem Villa, ait enim Auctor prædictus *in tract. De Legatis piis cap. 12. sub num. 14. Quod id verum est, etiamsi Testator pro ipso domum reliquisset propè Ecclesiam, si ibi aliud munus exercere non tenetur, nisi celebrare; quia Testator præsumitur, non sibi, sed Capellano voluisse prodesse; ac proindè cum huic beneficio renunciare possit, & per hoc non noceat Testatori, liber est ab habitatione designata; & domum aliis locare potest, si sibi relicta fuit ad habitandum.* Hæc Bordoni doctrina videtur confirmari pluribus exemplis hîc Patavii, & in Diæcesi Patavina; ubi à Testatoribus relictæ fuut domus ad habitandum suis Capellanis, ut commodiùs personaliter Ecclesiæ personaliter inser-
13 viant; qui tamen cum habeant proprios lares, non multò longè ab Ecclesiis suis, in quibus sunt instituti; locant aliis domum Capellaniæ, & fruuntur pecunia locationis; ipsique habitant in proprijs domibus cum suis consanguineis. Ita fecit Reverendissimus Alexander Abbas Faninus, de quo egi *supr. Discord. X.* Ipse enim toto tempore, quo possedit Capellaniam S. Pauli Apostoli in Ecclesia Nobilium Monialium S. Petri, habitavit domum paternam non longè sitam ab eadem Ecclesia S. Petri; & locavit 30. annuis Ducatis domum Capellaniæ propè eandem Ecclesiam ædificatam; & ita à me practicatur tanquam successore in eadem Capellania, ex benignitate earundem Nobilium, ac Religiosissimarum Monialium mihi collata.

Itaque revertendo ad dubium, de quo agimus, circa personalem residentiam Capellani Ecclesiæ S. Jacobi de Villa Leonis; sicut concedi non potest, quod ipse non resideat in eadem Villa, & quod Missas pro anima Fundatoris personaliter non celebret: ita eidem
14 licitum esse valet, si fortè propriam habitationem haberet in eadem Villa; vel parùm distantem ab illa, itaut absque magna difficultate posset personaliter se conferre ad eandem Ecclesiam S. Jacobi ad celebrandum, in hoc casu aliis locare domum ipsius beneficii, & pecuniam locationis inter alios redditus numerare. Id quod non esset concedendum, si valdè longè à Villa Leonis habitaret, putà si in Civitate Paduæ domum suam haberet, & intenderet de Urbe ad Villam, quotiescunque tenetur celebrare, transitum facere; nam hyemali potissimùm tempore, ob pluvias, ac lutuosas vias, id adeò esset difficile, quod practicari videretur non posse; & impossibile reputaretur. *l. Cum heres. §. 1. ff. De Stat. liber. l. Apud Julianum. §. constat. ff. de leg. 1.* Barbos. *Axiom. 118. num. 8.* undè esset cogendus residere in Villa Leonis, & habitare in domo ibi à Fundatore ædificata.

Neque juvaret aliquem ex modernis beneficiatis ejusdem Ecclesiæ S. Jacobi, si allegaret usum aliquorum ex Prædecessoribus suis, qui residentiam non fecerunt in dicta Villa de Leone, neque personaliter ibi Missas celebrarunt; sed per substitutum satisfacere
15 oneri suo satagerunt; undè videtur orta consuetudo, quæ in hoc themate videtur toleranda ex Glossa *in cap. Cum omnes. De Constitutionib. in cap. Extirpandæ in fin. de Præbend. & in cap. Dudum il 2. de Elect.* quas Glossas sequitur Ferrettus in *consil. 112.* per totum. Nam respondetur primò, Consuetudinem posse introduci, ut obligatus ad personaliter celebrandum, valeat supplere per substitutum tunc, & quando verba Testatoris circa eandem personalem celebrationem sunt ambigua, dubia, vel obscura; secùs autem ubi sunt clara, & manifesta, ut in casu isto; in quo, ut supra notatum est, expressè Fundator mandavit, *quod quilibet Sacerdos, qui pro tempore fuerit, continuam residentiam personaliter in dicto beneficio facere tenea-*
16 *tur*: quâ manifestâ Fundatoris voluntate attentâ, introduci non potest consuetudo, quæ habeat vim ei derogandi, ut notat idem Fagnanus *in cit. cap. Ut Abbates. num. 107. de Ætat. & Qualit. tom. 2.* & fulcitur responsio auctoritate Concilii Tridentini sess. 25. de Ref. cap. 5. ita præcipientis: ***Ratio postulat, ut illis, quæ benè constituta sunt, contrariis ordinationibus non detrahatur: quando igitur ex beneficiorum quorumcunque erectione, seu fundatione, aut aliis constitutionibus, qualitates aliquæ requiruntur, seu certa illis onera sunt injuncta, in beneficiorum collatione, seu in quacunque alia dispositione, eis non derogetur.*** In nostro casu habemus qualitatem Sacerdotalem, ac onus personalis residentiæ huic Capellano à Fundatore injunctum; ergo sicut ei derogari non potest per expressam Superioris dispensationem; multò minùs per tacitam consuetudinem. Respondetur secundò, assertam consuetudinem esse merum abusum paucis ab hinc annis à modernis beneficiatis absque bona fide invectum; nam constat ex scripturis, ac litteris Insti-
17 tutionis in hoc beneficio, quod Capellani instituti in eo personaliter residebant; imò eis per Ordinarium Patavinum expressè hoc onus residentiæ personalis injungebatur, ut ex Bullis Hieronymi Zanetti investiti de hoc beneficio ad præsentationem Patronorum *Anno 1571.* in quibus Episcopus hæc verba inseruit: *Volumus tamen, quod in eadem Villa Leonis personaliter residere, & Missam celebrare juxta formam, & ordina-*

Digitized by Google

ordinationem Fundatoris ejus omninò tenearis. Igitur consuetudo, quæ est simplex abusus aliquorum beneficiatorum, sine scientia Heredum, ac Patronorum beneficii, & à Sacris Canonibus reprobata nihil pro-
18 dest: Gloss. *in cap.* 1. *Verb. non existit*. *De Consuetudine in* 6. Ciarlinus *Controv. forens. lib.* 1. *cap.* 15. *num.* 85. ubi plurimos *text. ac DD.* ita affirmantes cumulat.

Ad Tertium Dubium mihi propositum, in quo dubitatur, *Utrùm satisfiat voluntati prædicti Chechi Leonii Fundatoris, si festivis tantùm diebus de præcepto Missa ibi pro anima ejus celebretur?* Repetenda sunt verba ejusdem Fundatoris, quibus obligavit Capellanum ad celebrandum in dicta sua Ecclesia pro anima sua; & fuerunt hæc: *Quilibet Sacerdos, qui pro tempore fuerit, continuam residentiam personaliter in dicto beneficio facere teneatur; & singulis diebus, quibus facultas, & commoditas sibi aderit, in dicta Ecclesia S. Jacobi, in remissionem peccatorum dicti D. Francisci, Antecessorum suorum, & Successorum, teneatur Missam, devotione debita, celebrare*. His verbis attentis dixi, non esse facilem hujus Dubii resolutionem, si veritatem requiramus, & conscientiæ Capellani investiti, ut caveat à periculo errandi cum discrimine æternæ salutis, consulere velimus. Siquidem pro affirmativa, quod scilicèt ipse Capellanus investitus in hoc beneficio satisfaciat voluntati Fundatoris, celebrando pro anima ejus festivis tantùm diebus de Præcepto, facere videtur consuetudo, de qua testan-
19 tur Acta Visitationis Episcopalis *de Anno* 1655. in ea enim leguntur hæc verba circa d. Ecclesiam S. Jacobi Apostoli Villæ Leonis: *Est ejus possessor Abbas Rovellius, qui manutenet Sacerdotem pro celebratione Missæ singulis diebus festis de Præcepto, juxta consuetudinem*. Consuetudo autem semper attenditur,
20 ubi agitur de interpretanda dubia voluntate Testatoris, præcipuè si cum ea concurrat scientia, & patientia Heredum. Rota coram Buratto *decis.* 129. *num.* 5. & 7. Et ex eo, quod ultimis temporibus reperitur fuisse in usu, præsumitur à principio fuisse factum juxta mentem Testatoris. Natta *cons.* 406. *num.* 28. *lib.* 2. & Menoch. *cons.* 349. *num.* 15. Et quod dubia voluntas, & obscura Fundatoris recipiat declarationem, & interpretationem ab usu, quem præteriti Capellani servarunt in celebratione Missarum, docent in terminis Tamburinus *de Sacrificio Missæ lib.* 3. *cap.* 7. §. 1. Gobatus *in Theolog. Experim. Tract.* 3. *num.* 514. & Pellizzarius *in Manuali Regular. tract.* 5. *cap.* 9. *num.* 92. Præterquàm quod est communis Jurisprudentum doctrina asserentium, posse dari præscriptio-
21 nem contrariam voluntati Testatoris, quando præscriptio est longissimi temporis, ut latè probat Cæsar de Panimollis *decis.* 130. *à num.* 20. & *seqq.* Igitur cum ab hinc annis quinquaginta citrà testentur Acta Visitationis Episcopalis prædictæ Ecclesiæ, quod eo usque tempore consuetudo erat celebrandi festivis diebus de præcepto tantùm pro anima Fundatoris, deducitur, per multos etiam annos anteà ita consuetum, & in usu fuisse, scientibus, & consentientibus heredibus; & per consequens, cum ex verbis supra relatis ipsius Fundatoris obscura, & dubia sit ejus voluntas circa numerum Missarum; hic diffiniendus videtur ab ipso usu, & à consuetudine, juxta quam satis est celebrare pro ejus anima festivis diebus tantùm de Præcepto. Tandem ad favorem Capellanorum videtur facere, quod Fundator eos non obligando ad celebrationem, nisi *quando ipsis facultas, & commoditas ade-*
22 *rit*, censetur eam remisisse liberæ eorum voluntati, ex traditis per Rotam coram Bichio *decis.* 522. *num.* 12. & cum spontè, ac scienter sine expresso numero Missarum celebrandarum tradiderit bona sua iisdem Capellanis, ac Rectoribus antedictæ Ecclesiæ S. Jacobi, præsumitur liberè ea illis donasse. *l. Cujus per errorem ff. De Reg. Jur.* Rota coram præcitato Bichio. *Decis.* 201. *num.* 13.

Pro negativa autem urgentiores videntur esse rationes, quæ suadent, non posse satisfieri per Capellanos eorum obligationi per celebrationem Missæ in diebus festivis tantùm; nam cum reliquerit Fundator redditus annuos ducatorum ducentorum circiter pro
23 dicta celebratione; apertè demonstrat, voluisse ut Missa celebraretur singulis diebus pro anima sua; quia hæc est universalis consuetudo totius orbis Christiani, quæ in similibus Capellaniis viget, & quæ venit observanda. Innocent. *in cap. Olim. in princ. de Verb. Signific.* Abbas *in cap. Certificari. De Sepultur.* Card. Mantica *De Conject. ult. voluntat. lib.* 6. *tit.* 8. *num.* 7. & ideò ipse Fundator dixit, quod celebrent *singulis diebus*; sequentia autem verba, *cum facultas, & commoditas aderit*, referenda sunt ad casum infirmitatis Capellanorum, vel alicujus extraordinarii impedimenti tantùm; quia ex usu hominum loquendi, tunc Capellani dicuntur non habere facultatem, seu commoditatem celebrandi, quando
24 sunt infirmi; vel ex aliqua inexcogitatà circumstantià impediuntur, Menochius *cons.* 2. *num.* 10 & *cons.* 351. *num.* 34. latè Barbosa *de Dictionibus Usufrequent. dict.* 268. *num.* 10. & est regula, quod voluntates defunctorum sunt intelligendæ juxta voluntatem vi-
25 ventium *l. Quoniam. C. de Natural. liber.* Calcaneus *cons.* 8. *num.* 41. & *cons.* 48. *num.* 16. Franciscus de Capitelistæ J. C. Patavinus *In iisdem Consiliis Calcanei cons.* 105. *num.* 2. Viventes verò sentiunt, ut Capellani beneficiati, cessante legitimo impedimento infirmitatis, vel alterius gravissimæ causæ, teneantur celebrare quotidiè, ut notat Barbosa *de Jure Ecclesiast. Univ. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 34. ubi una dies excipitur in quacunque hebdomada pro honestate, & majori reverentia Sacrificii tantùm. Ulteriùs, estò quod numerus Missarum annuatim celebrandarum remissus sit à Fundatore liberæ facultati, & voluntati Capellanorum, hæc facultas, &
26 voluntas debet esse ad terminos Juris, & ad limites Justitiæ. Roman. *cons.* 476. *num.* 4. Bertazzol. *cons. civil.* 68. *num.* 9. Menochius *cons.* 226. *num.* 3. & Rota *part.* 7. *recent. decis.* 231. *num.* 16. Jus autem & justitia postulat, ut ubi Fundator reliquerit pingue stipendium pro celebratione Missarum, hæc judicetur quotidiana; & ideò Capellani in nostro casu
27 quotidiè celebrare debent pro anima Fundatoris, cujus mens tacita suppletur à lege. Cacheran. *decis.* 126. *num.* 7. Ulteriùs, concedendo, quod Fundator prædictus remiserit numerum Missarum arbitrio Capellanorum pro tempore futurorum; hujusmodi arbitrium non potest esse omninò liberum, & ad eorum bene-
28 placitum, sed debet esse regulatum à Jure. Cacheran. *decis.* 68. *num.* 19. Rota *part.* 5. *recent. decis.* 536. *num.* 7. Et in specie, quod recurrendum sit ad arbitrium boni viri, quando Testator commisit alicui declarationem suæ voluntatis, & ab hoc Commissario ineptè sit declarata, docent DD. *in l.* 1. *ff. de Leg.* 2. Matthæus de Afflict. *decis.* 371. *num.* 9. & 10. & Card. Mantica *de Conject. ult. voluntat. lib.* 3. *tit.* 1. *num.* 17. ubi quod bonus Vir debet esse Judex; prout etiam, quod Fundator Capellaniæ in hoc themate
29 remittendo numerum Missarum facultati, & commoditati Capellanorum, præsumatur voluisse, ut numerus esset diffiniendus ad arbitrium boni viri, apertè inferunt scripta per Felin. *in cap.* 1. *num.* 51. *de Constitut.* & per Menochium *de Arbitrar. Judic. quæst.* 8. *num.* 24. Tandem facit, quod verba à Fundatore generaliter prolata circa facultatem, & commoditatem Capellanorum debent de jure restringi ad
30 ejus verisimilem mentem. *l. Cum vir. ff. de Condit. & demonstrat.* Baldus *in l. Precibus. num.* 44. *ad fin. ff. de Impub. & aliis substitut.* Cardin. Mantica ubi *supr. lib.* 3. *tit.* 4. *num.* 13. Mens autem Fundatoris verisimiliter fuit, ut Capellani non deberent abstinere à celebratione, nisi quando essent infirmitate detenti, & eà cessante, quotidiè celebrarent; dixit enim *singulis*

Digitized by Google

singulis diebus, *&c.* & ejus mens desumitur tùm ex dictis verbis, tùm ex pinguedine dotis huic Ecclesiæ S. Jacobi relictæ. Nec vim habet asserta consuetudo celebrandi diebus tantùm festivis de Præcepto, tùm quia non constat de bona fide Capellanorum, quæ in eis defecerat etiam circa personalem residentiam, à Prædecessoribus semper servatam; tùm quia prævalere debet regula omnium Canonistarum
31 docentium, quod nulla consuetudo, & nulla præscriptio introduci potest contra non valentem agere. *leg. 1. §. fin. ubi DD. C. De Annali Except.* Latè Antonellus *de Tempore Legali lib. 2. cap. 40 num. 5. & cap. 101.* ubi de hac regula plenè agit. Fundator autem hujus beneficii tanquàm defunctus contra Capellanorum suorum novitates, ac sibi præjudiciales defectus circa numerum Missarum celebrandarum agere non potest; sicque contra ejus voluntatem, & ordinationem consuetudo introduci non valet, Bordonus *de Legatis Piis cap. 16. num. 79.* Peregrinus *lib. 1. cons. 18. num. 15.* Nec alicujus ponderis censenda est ratio desumpta à generalitate verborum ipsius Fundatoris, *quando scilicèt fuerit facultas, & commoditas ipsis Capellanis celebrandi*, per quæ videtur remisisse eorum voluntati numerum Missarum celebrandarum, & eisdem donare voluisse pingue stipendium pro ipsis Missis relictum; nam respondetur, Fundatores, ac Testatores frequenter loqui abu-
32 sivè, & eorum verba esse ita interpretanda, ut famulentur eorum verisimili voluntati, ac menti. *l. Non aliter. ff. de Legat. 3. l. Quisquis. ff. de Verb. Signific.* Peregrin. *de Fideicom. art. 11. à num. 5. & seqq.* Rota *d. part. 5. recent. decis. 471. num. 5. & 6.* Quare ex verbis Fundatoris Ecclesiæ S. Jacobi Villæ Leonis, etsi generaliter, & per modum obsequii erga Sacerdotes Capellanos latis, quod scilicèt, teneantur singulis diebus celebrare, *quibus facultas, & commoditas sibi aderit*, non est illatio facienda ad totalem libertatem eorum, itaut ad beneplacitum, & non ultrà celebrare teneantur: sed sunt declaranda, & interpretanda juxta mentem ejusdem Fundatoris, qui verè, & propriè voluit, illos obligatos esse celebrare quotidiè; exceptis diebus veræ infirmitatis, vel alicujus gravis, ac legitimi extraordinarii impedimenti, ad arbitrium boni viri; quod importat non liberam voluntatem; sed regulatam à Jure. Rota *d. part. 5. recent. decis. 444. num. 54.*

In tanto rationum discrimine, & ambiguitate, pro hujus dubii resolutione, amplectendam esse censui opinionem Nicolii *Lucubrat. Canonicor. lib. 3. tit. 41. num. 14.* ubi innixus Declarationibus Sacræ Congregationis Concilii docet, recurrendum esse ad
33 judicium Episcopi, ad quem spectat arbitrari, & arbitrando determinare numerum Missarum celebrandarum, habito respectu ad veram quantitatem annuorum redditiuum ejusdem Capellaniæ, ac beneficii; & ad necessariam, ac honestam sustentationem ipsius Capellani in dicta Villa Leonis, unà cum famulo, vel famula pro ejus servitio. Verba Nicolii. *d. num. 14.* sunt ista: *Si Testator, vel is, qui dedit eleemosynam, numerum celebrandarum Missarum non præscripsit; tunc Ordinarius præscribet secundum suæ Civitatis, vel Provinciæ morem. Idem si non præscripsit tempus: nam obligationi incertæ certos dies determinare pertinet ad Episcopum, non ad heredem; à qua determinatione non licet appellare, ut ex Decretis Sacræ Congregationis tàm Episcoporum, quàm Concilii dixi in meo Episcoporum Compendio Verb. Missa n. 43.*

Cæterùm quia Nicolius morte præventus prædictum Compendium Episcoporum typis dare non potuit, & Fratres Centurones S. Mariæ de Populo
34 Almæ Urbis (inter quos religiosè vixit, & obiit) neglexerunt ejus opera posthuma publicare, unum ex Decretis S. Congreg. Concilii de An. 1626. legitur apud Barbosam *de Offic. & Pot. Episcop. part. 3. tom. 2. in fine pag. 58.* tenoris hujusmodi: 2. *Super secundo ejusdem Congregationis Decreto, quo cavetur, ut
35 celebrentur tot Missæ, quot ad rationem tributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint. Quæritur, An verba illa*, præscriptæ fuerint, *intelligenda sint de præscriptione facta ab offerente, vel ab Ordinario? Resp. Esse intelligenda de præscriptione facta ab eo, qui eleemosynam tribuit; non autem ab Ordinario. Quod si tribuens eleemosynam numerum Missarum celebrandarum non præscripserit; tunc tot Missas celebrari debere; quot præscripserit Ordinarius secundum morem suæ Civitatis, vel Provinciæ.*

Igitur pro vera resolutione hujus tertii dubii dicendum est, obligatum esse Capellanum modernum investitum in dicto beneficio S. Jacobi Villæ de Leone, ut satisfaciat conscientiæ suæ, ac menti, & in-
36 tentioni Chechi Leonii Fundatoris, recurrere ad Episcopum Patavinum, & ab eo postulare, ut præscribat numerum annuum Missarum celebrandarum in dicta Ecclesia, calculatis priùs redditibus ab ipso Fundatore relictis; qui quidem Episcopus in taxando dicto Missarum numero uti debet arbitrio boni viri; cujus Officium est relinquere utrumque extre-
37 mum, & eligere mediam viam, ut ait Rota *d. part. 5. recent. decis. 524. n. 14.* adeòut cum nimis sit tenuis numerus, si celebrentur Missæ festivis tantùm diebus de præcepto; & cum nimis videatur amplus, si omnibus, ac singulis diebus celebratio sit facienda; possit Episcopus eam restringere ad quinque dies pro quacunque hebdomada, inclusis in eis diebus festivis; & talis sit numerus Missarum, quem adimplere debeant annuatim Capellani prædicti, ut satisfaciant voluntati Fundatoris.

Corollarii loco non est incongruum hîc notare, quod Sacerdotes rarò Missam celebrantes non sunt immunes à culpa gravi, ut advertunt DD. *in cap. Do-
38 lentes. De Celebrat. Missar. & ibid.* Barbosa, & Fagnanus *à num. 13. & seqq.* nec non Sperellus *in sua Parenæsi Theleturgica cap. 61.* ubi rationes, ac SS. Patrum auctoritates refert. Confirmatur hæc assertio ex amissione illorum fructuum, qui resultant ex quocunque Sacrificio, & quorum perditionem causant Sacerdotes non sacrificantes, juxtà verba Venerabilis Bedæ relata per Gabrielem Biel *in Canone Missæ Lect. 87.* quæ sunt sequentia: *Sacerdos non legitimè impeditus celebrare omittens, quantum in se est, privat SS. Trinitatem laude, & gloria; Angelos lætitia; peccatores venia; Justos subsidio, & gratia; in Purgatorio existentes auxilio; Ecclesiam speciali Christi beneficio; & seipsum medicina, & remedio.* Et de hoc puncto latè scripsi in meis Decisionibus *De Sacrificio Missæ Decis. 33. num. 54. & Decis. 34. num. 14. & 19.*

DISCORDIA LXXIII.

ARGUMENTUM.

Tres difficultates resolvuntur circa redditus annuos à piis personis relictos pro publica recitatione Horarum Canonicarum in Ecclesia Parochiali non Collegiata. Una est, An Parochus habeat eorundem redditumm liberam administrationem? Altera, An ex eis ipse Parochus capere possit duplicatam portionem? Tertia, etiam cum sit absens à Choro, occupatus in exercitio curæ Animarum?

SUMMARIUM.

1 *Coloniæ Castrum insigne sub Serenissimo Dominio Venetiarum.*

2 *Joannes Theopulus Primicerius, & Patriarcha Venetiarum laudatus.*

Digitized by Google

3 *Œconomus Horarum Canonicarum Terræ Coloniæ à quibus deputetur?*
4 *Archipresbytero d. Terræ an liceat administrare redditus Horarum Canonicarum?* Et num. 7. ac seqq.
5 *Eorum duplex portio an ipsi Archipresbytero debeatur?* Et num. 16. ac 17.
6 *Etiam dum abest à Choro pro Cura animarum?* Et num. 18. & seqq.
7 *Quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet.*
8 *Capellani in Collegiatis quando habeant votum in Capitulo?*
9 *Legatorum piorum administratio spectat ad eos, quos Testatores beneficarunt.*
10 *Plus vident oculi, quàm oculus.*
11 *Pluribus intentus minor fit ad singula sensus.*
12 *Consuetudo longæva habet vim concordiæ, ac Statuti.*
13 *Manutentio debetur habenti pro se rem judicatam.*
14 *Redditus pro Horis Canonicis distincti sunt ab illis Præbendarum.*
15 *Parochus non est absolutus administrator introituum pio operi relictorum, in ejus Ecclesia instituto.*
16 *Dignitati primæ in Collegiatis quando debeatur duplex portio distributionum?*
17 *Æqualiter nominatus cum aliis à Testatore, æqualem cum illis portionem capere debet.*
18 *Absentes à Choro quando lucrentur distributiones?*
19 *Absentes à Choro etiam pro Cura animarum non lucrantur distributiones per Testatores relictas canentibus in Choro.*
20 *Consuetudo attendenda circà modum dividendi distributiones pro recitatione Horarum Canonicarum.*

IN Terra Coloniæ, quæ est subdita in Spiritualibus Episcopo Vicentino, in Temporalibus autem Serenissimo Dominio Venetiarum; ad cujus Terræ re-
1 gimen, ob ejus præstantiam, mittit Potestatem unum ex Nobilibus Patriciis Venetis, extat insignis Parochialis Ecclesia, cum Cura Animarum, quam Parochus, nuncupatus Archipresbyter, exercet unà cum duobus aliis Capellanis Curatis; & ob eximiam Pietatem Civium, ac habitantium in eadem Terra, ab illius Communitate providetur eidem Ecclesiæ de omnibus necessariis ad Cultum Divinum, & manutenentur plures Sacerdotes pro celebratione Missarum, qui sua stipendia à Scholis piis, in ipsamet Ecclesia institutis, recipiunt.

Horum occasione Sacerdotum, decuplum numerum excedentium, centum ab hinc circiter annis introducta est in hac Ecclesia Horarum Canonicarum publica recitatio, & hujus egregii operis Author fuit,
2 Venerandæ Memoriæ Illustrissimus, ac Reverendissimus Joannes Theopolus Nobilis Venetus, Primicerius primùm Ecclesiæ Ducalis S. Marci, deindè Patriarcha Venetiarum, qui Anno 1611. Ducatos 400. dono dedit huic Ecclesiæ, investiendos per Archipresbyterum, & Proveditores Communitatis, ad effectum, ut fructus hujus pecuniæ distribueretur Sacerdotibus in eadem Ecclesia Horas Canonicas publicè psalientibus. Hoc pietatis exemplum secuti sunt plures Civium, & Habitantium in eadem Terra Coloniæ, à quibus in decursu Sæculi XVI. assignati fuerunt alii diversi redditus annui pro prædicta publica Psalmodia, ac etiam in principio præsentis Sæculi XVII. alia pia Legata sunt elargita, & ultimò addita est hereditas quondam Nobilis Domini Joannis Baptistæ de Mercatoribus; adeò, ut redditus annui pro hoc pio opere dicantur ascendere annuatim ad summam Ducatorum 240.

Occasione exactionis horum redituum, de consensu omnium Sacerdotum Horas Canonicas recitantium, usque ab initio constitutus est Procurator unus, seù
3 Œconomus, qui eorum nomine illos à Debitoribus exigeret, distribuendos posteà æquis portionibus juxtà punctaturam iisdem Sacerdotibus personaliter interessentibus; nec non lites necessarias, tenutas bonorum, ac alios actus judiciales ageret, prout concorditer, & absque ulla discrepantia præteritis temporibus semper factum est. Verùm post devolutam totam hereditatem de Mercatoribus ad ipsas Horas Canonicas, modernus Dominus Archipresbyter conturbare cœpit Consacerdotes suos, prætendens exigere de facto, & independenter ab eis omnes affictus, livellos, ac fructus antedictos, & ad libitum suum eos distribuere contrà inveteratum usum, & consuetudinem; & reclamantibus Sacerdotibus Discordia restringitur ad Tria Puncta.

Primum: An liceat Archipresbytero independenter ab aliis Sacerdotibus dictas Horas Canonicas publicè
4 in ejus Ecclesia recitantibus, exigere, ac administrare prædictos redditus, fructus, ac livellos à piis Testatoribus relictos?

Secundum: An ipse Archipresbyter possit applicare
5 sibi duplicatam portionem eorundem redditum; aliis verò Sacerdotibus unicam tantùm?

Tertium: An eidem Archipresbytero absenti ex quacumque causa, & personaliter non interessenti, dum
6 in ejus Ecclesia recitantur Horæ Canonicæ, licitum sit lucrari portionem illius diei?

His Quæsitis maturè examinatis, & ponderatis omnibus, quæ in Jure, & in facto ponderari debent, respondi.

Ad Primum: Negativè, ob sequentes rationes, Jura, ac Auctoritates Doctorum.

Primò: Quia quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet. *l. ult. ff. de Auctor. Præf. cap. Quod om-*
7 *nes. De Regulis Jur. in 6.* Cæsar de Grassis *Decis.* 4. *num.* 2. *&* 3. *De his, quæ fiunt à Major. part. Capit.* Parisius *Cons.* 90. *num.* 12 *lib.* 4. & Barbosa *Axiom.* 196. *num.* 18. Sed exactio, & administratio horum redditum tangit omnes recitantes publicè in ea Ecclesia Horas Canonicas. Ergo Exactor, Administrator, seu Œconomus est ab omnibus eligendus, & approbandus.

Secundò: Quia etiam in Ecclesiis Collegiatis Capellani habent Jus deliberandi unà cum Capitulo in
8 his, quæ concernunt proprium interesse, & massam communem Distributionum. Tondut *Quæst. Benef. part.* 1. *cap.* 1. *num.* 5. ubi DD. Ergò multò magis in hac Ecclesia, quæ non est Collegiata, & in qua Archipresbyter, quo ad introitus pro recitatione Horarum Canonicarum, est tanquam unus recitantium, omnes Capellani debent habere Jus circa eorundem introituum administrationem.

Tertiò: Quia de Jure administratio Legati pii spectat ad eos, quos Testator nominavit, & benefi-
9 cavit. *cap. Relatum il secondo, &* ibi Glossa *Verb. Congregatio. De Testament.* Fellnus *in cap. Dilecti num.* 1. *de Offic. Ordin.* Decius *cons.* 148. *num.* 3. Rota *part.* 5. *recent. Decis.* 145. *num.* 1. *& seqq.*, & eadem Rota coram Bichio *Decis.* 613. *per totam*. Sed nullus ex Testatoribus, qui reliquerunt legata pro recitatione publica Horarum Canonicarum in Ecclesia Coloniæ, nominavit solum Archipresbyterum; at simul cùm eo expresserunt alios Religiosos, & Capellanos easdem Horas recitantes, ut legitur Anno 1689. in Testamento Domini Julii Pellizzarii ibi: *Lascia Ducati sei annui alli Religiosi di quel Domo per la celebratione delle Hore Canoniche*. Et Anno 1690. in legato Domini Sancti Callicii ibi: *Lascia Ducati 6. annui dà esser pagati da suoi heredi alli Signori Arciprete, Curati, e Capellani del Domo per le Hore Canoniche: E caso s'estinguesse la sua descendenza, sostituisce nella sua heredità li Signori Arciprete, Curati, e Capellani della detta Chiesa pro tempore, con obligo di recitare le Hore Canoniche, per tutto quel tempo, che parerà giusto à detti Signori Arciprete, e Curati col Consiglio, e Voto de' RR. Capellani antedetti à misura delle sue Entrate*. Similiter Anno 1692. Dominus Hieronymus

Digitized by Google

mus Marcellinus *Lascia Ducati 6. , acciò il Signor Arciprete, Curati, e Capellani con altre L. 9. 6. annuali recttino le Hore Canoniche*. Et eodem Anno 1692. Domina Lucietta Bredda *dona Ducati 24. anni al Reverendo Clero della Parochiale di Cologna per le Hore Canoniche*. Tandem Anno 1701. Dominus Laurentius Justilianus *Lascia Campi trè con obligo alli Reverendi di Chiesa di recitare le Hore Canoniche*. Pariter Confratres Ven. Scholæ Disciplinæ decreverunt eodem Anno 1701. *di dare annui Ducati 6. da essere distribuiti dalli Signori Arciprete, Curati, e Capellani per le Hore Canoniche*. Cum itaque hi omnes nominaverint expressè, præter Archipresbyterum, etiam Reverendos Curatos, & Capellanos in his piis legatis, & ab iisdem voluerint esse distribuendos, ac percipiendos; sequitur de Jure, non posse, Archipresbyterum sibi soli arrogare eorundem piorum legatorum, & introituum exactionem, administrationem, & distributionem; sed ab eo attendendum esse consensum omnium Capellanorum; siquidem ipsi quoque censentur vocati à Testatoribus ad hanc administrationem. *Leg. Si pluribus 33. ff. de Legat. 1. l. Unica §. Ubi autem legatariis C. de Caducis toller.* Card. Mantica *de Conjectur. ult. volunt. lib. 4. tit. 11. num. 5.* Rota coram Bichio *in cit. Decis. 213. num. 10.*

Quartò; quia expedit pro magis recta administratione horum redditum, & diligentiori exactione, atque fideliori distributione, ut omnes de Clero, & de numero recitantium Horas Canonicas, habeant superintendentiam, & Votum, tàm in eligendo Œconomo, quàm in ejus computis, & rationibus examinandis, ac approbandis. Siquidem plùs vident oculi,
10 quàm oculus; & faciliùs invenitur, quod à pluribus quæritur. Gobatus *in Florilegio Theologo Juridico sub tit. 1. Vers. 22.*, & integrum est judicium, quod plurimorum sententiis confirmatur. *cap. Prudentiam. De Offic. Jud. deleg.* Igitur non à solo Archipresbytero dirigenda est administratio, sed ab omnibus, ad effectum, ut diligentior, sollicitior, & fidelior fit exactio redditum, & cultus Divinus, cujus intuitu relicti sunt à Fidelibus, magis conservetur, & augeatur.

Quintò: Quia Dominus Archipresbyter solus minùs aptus est ad hanc exactionem, & administrationem faciendam ob nimias ejus occupationes, non solum spirituales, in amplissima Cura Animarum, quibus tenetur indispensabiliter Sacramenta ministrare, Verbum Dei, & Doctrinam Christianam exponere, eamque Pueros, ac Puellas docere, Moribundis assistere, & de eorum salute satagere; sed etiam Temporales in collectione Decimarum, & Introituum, (qui amplissimi sunt) suæ Ecclesiæ Parochialis. Undè fit parum habilis ad exigendos redditus Horarum
11 Canonicarum juxtà vulgatum Axioma, pluribus intentus minor fit ad singula sensus. *cap. Diversis*, & ibi Glossa *Verb. Vitius. De Clericis Conjug.* Gonzalez *ad Reg. 8. Cancell. gloss. 5. num. 180.*

Sextò: Sed ultrà has omnes rationes, præcipua, & irrefragabilis est contraria consuetudo in hac administratione jam per annos ferè centum firmata; atque pacifica possessio, in quà Clerus Coloniensis reperitur deputandi Œconomos, & creandi Procuratores, tàm prò exigendis introitibus, quàm prò litibus agendis: horum enim electio ac deputatio semper facta fuit ab eodem Clero simul cum Archipresbytero. Hac consuetudine, ac possessione attentâ, nihil potest innova-
12 re modernus Archipresbyter, quia longæva consuetudo habet vim concordiæ, & statuti; imò est potentior statuto, seù Concordia. Felinus *in cap. Quod super his. num. 10. de Majorit. & Obed.* Gonzalez *ubi supra Gloss. 45. §. 1. num. 78.* & Rota *part. 15. recent. Decis. 296. num. 5.* ubi DD. plurimi.

Septimò, facit Sententia, & Res judicata coram Excellentissimo Potestate Coloniæ Anno 1703. ad favorem ipsius Cleri, & contrà Archipresbyterum, qui rejectus fuit à prætensâ revocatione Procuratoris à Clero electi, & per se attentatâ; & approbata fuere omnia acta per Procuratorem ipsiusmet Cleri habita nomine ejusdem Cleri, tàm in Judicio, quàm extrà.
13 Hinc fit, ut prædicto Clero danda sit manutentio in prædicta sua possessione, ut pluribus text. ac DD. probat Postius *de Manutent. Observ. 10. num. 41.*, & in his terminis nostri casus decisum fuit à Rota, quam ponit idem Postius *in tom. 2. Decis. 201.* cui conformis est alia ejusdem Rotæ Decisio *part. 2. recent. Decis. 397.*

Nec obstat, si Archipresbyter dicat, se solum esse Parochum, ac Dominum illius Ecclesiæ, in qua sicut habet gubernium, & liberam administrationem rerum Spiritualium, ac Temporalium independenter ab aliis Capellanis, etiam Curatis, & Titularis, prout judicatum fuit in Excellentissimo Pleno Collegio Venetiarum ad sui favorem; ità administratio Introituum pro Horis Canonicis, quæ in eadem sua Ecclesia recitantur, debet pendere à suo arbitrio, ac dispositione.

Nàm Respondetur, Horas Canonicas esse Opus Pium distinctum à redditibus Ecclesiæ Parochialis. In his, & in omnibus concernentibus Curam Anima-
14 rum Archipresbyter est Dominus, & unicus Administrator, independens ab aliis Capellanis, etiam Curatis; & super hac independentia natum est Judicium in Excellentissimo Pleno Collegio Venetiarum ad ejus favorem contra Capellanos Curatos. At in concernentibus recitationem Horarum Canonicarum, & exactionem Introituum eidem Pio Operi à Testatoribus relictorum, Archipresbyter non est major, etsi primus, aliis Sacerdotibus; sed habet unicum Votum, prout habet quilibet eorundem Sacerdotum in expediendis negotiis Temporalibus, & in dirigendis Spiritualibus; nam unicam tantùm habet vocem, ac personam in psallendis, & recitandis iisdem Canonicis Horis. Propterea non valet argumentum à dominio bonorum Archipresbyteratus, & ab independentia in illis, ad dominium, & independentiam bonorum prædicti pii Operis; quia sunt penitùs distincta, & separata, ac ex Testatorum dispositione spectantia ad omnes ejusdem Ecclesiæ Capellanos, ut in terminis præsentis casus decisum fuit à Rota Anno 1675., ut legitur *in part. 19. recent. Decis. 135.*, in qua terminatum
15 fuit, in bonis pii Operis instituti in Ecclesia Parochiali, Parochum non habere majorem auctoritatem, quàm habeat unusquisque alius aggregatus eidem pio Operi, & est casus simillimus huic Operi Horarum Canonicarum. Restat igitur resolutum primum Punctum hujus controversiæ, & firmatum, non licere Archipresbytero exigere, seù administrare bona Horarum Canonicarum independenter à consensu aliorum Sacerdotum.

Quoad secundum: Respondeo, Archipresbyterum capere non posse, nisi unicam portionem ex iisdem bonis Horarum Canonicarum, ea ratione, quia etiam
16 in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis unica tantùm portio datur Archipresbyteris, seu majoribus Dignitatibus, duobus casibus exceptis; *Uno*, nisi contraria esset immemorabilis consuetudo. *Altero*, nisi aliqua Dignitas contribuisset majorem summam bonorum in formanda massa distributionum, quam contulissent alii Canonici de eis participantes. Ita Moneta *de Distribut. Quotidian. part. 2. quæst. 4. num. 6.*; & ibi DD., inter quos Gigas *cons. 144. num. 28.* Azorius *part. 2. cap. 7. quæst. 13.* Lelius Zecchius *de Republ. Eccles. cap. 24. num. 6.*, & Garzias *de Benefic. part. 3. cap. 2. num. 186.* ubi sic testatur, declaratum esse à Sacra Congregatione. Modò in casu nostro introitus Horarum Canonicarum non sunt collati ab Archipresbyteris Coloniæ ex fructibus illius Ecclesiæ; sed sunt relicti à piis Testatoribus, ut vidimus suprà. Consuetudo quoque est, & semper fuit, ut Archipresbyteri, qui pro tempore fuerunt in hac Coloniensi Parochiali, unam tantùmmodo portionem pro Horis Canonicis caperent; eamque æqualem portionibus

Hh 2 aliorum

Digitized by Google

aliorum Capellanorum ipsas Horas recitantium. Ergò una tantùm portione debet esse contentus Modernus Archipresbyter.

His accedunt aliæ duæ ponderosæ rationes. *Una* est, quòd Testatores voluerunt, hos redditus esse æqualiter distribuendos Sacerdotibus interessentibus, ac personaliter Canonicas Horas recitantibus; quia
17 æqualiter eum cum aliis nominarunt; & si duplum, vel aliquid majus illum capere intendissent, hoc expressè declarassent. Igitur cum Archipresbyter quoad hanc recitationem sit æqualis cæteris Sacerdotibus, æquali portione debet esse contentus. Moneta *d. part. 2. q. 4. num. 7.* ubi *text. & DD.* cumulat. *Altera* ratio est, quod si Archipresbyter caperet duas portiones, præjudicaret aliis Consacerdotibus cum ipso recitantibus, qui propterea portionem diminutam, ac minorem, quàm justum sit, obtinerent. Hoc autem est injustum, & in Jure Canonico prohibitum. *Clem. 2.* ubi Glossa *in Verb. Non ad alium. De Relig. Domib.* Tondut. *Resol. Benefic. d. part. 1. cap. 105. num. 12.* & Rota *part. 5. rec. Decis. 413. num. 13.* Idcircò Archipresbyter debet esse contentus, ut dictum est, unicâ portione.

Quoad Tertium Punctum. Respondetur, non videri legitimam prætensionem Archipresbyteri lucrandi eamdem portionem etiam in casu absentiæ, & non interessentiæ in recitatione Horarum Canonicarum. Quia, etsi in Ecclesiis Collegiatis dentur multæ
18 causæ, ob quas addicti Choro lucrantur distributiones etiam absentes; inter quas admittitur absentia ob curam Animarum. Barbosa *de Canon. & Dignit. cap. 24 num. 12.* Nihilominùs id est intelligendum de distributionibus formatis ex tertia parte fructuum omnium Præbendarum ad præscriptum Concilii Tridentini *sess. 22. de Reform. cap. 3.* secùs autem de distributionibus, & emolumentis, à piis Testatoribus, ac aliis fidelibus relictis, ut recitantibus personaliter Horas Canonicas, ac Divinas preces tantummodò distribuerentur. Moneta *d. part. 2. quæst. 13. num. 69.* In
19 hoc enim casu videntur voluisse, quòd absentes ex quacunque causa non participarent de his bonis juxtà *text. in cap. Unico §. Qui verò,* & ibi Franchus, & DD. *de Clericis non resid. in 6.* Igitur in Ecclesia Coloniæ, in qua redditus pro Horis Canonicis non proveniunt à fructibus Præbendarum, sed à Legatis piis Testatorum, dicendum venit, absentes etiam pro Cura Animarum non esse admittendos ad eorum participationem pro tempore absentiæ. Moneta, alios DD. cumulans *d. part. 2. quæst. 14. num. 22.* Est tamen verum, quòd circà absentes, & causas absen-
20 tiæ attendenda est consuetudo uniuscujusque Ecclesiæ, ut advertit ipsemet Moneta *eod. tract. de Distribut. Quotidian. ead. part. 2. q. 12. num. 44.*, & scribunt Barbosa *de Jure Eccles. Univ. lib. 3. cap. 18. num. 33.*, & Tondut. *d. part. 1. cap. 52. num. 1.*

DISCORDIA LXXIV.

ARGUMENTUM.

Ostia lateralia publicorum Oratoriorum in Villis sunt toleranda, quando per ea non habetur ingressus in officinas, aut cubicula domorum adiacentium; sed in atria, aut amœna Viridaria earundem domorum.

SUMMARIUM.

1 *Ecclesiarum Campestrium magnus numerus in Diœcesi Patavina.*
2 *S. Congregationis responsum circa januas Ecclesiarum campestrium.*
3 *Æquitas in omnibus rebus amplectenda.*
4 *Superiorum contemptus omni studio evitandus.*
5 *Oratoria debent habere duo requisita, ut in eis Missa celebretur.*
6 *Oratoria publica non debent habere cubicula privata sibi unita.*
7 *Ecclesiæ janua lateralis, intrans in coquinam Parochi ab Auctore ablata.*
8 *Doctores concedentes ostia lateralia in publicis Oratoriis.*
9 *Consuetudo universalis est interpres legitima Decretorum S. Congregationis.*
10 *Epicheja est virtus moralis à Præsulibus sequenda.*

CUm innumeræ propemodùm sint Ecclesiæ Campestres in hac Diœcesi Patavina, à Viris Nobilibus, de licentia Ordinarii, propè eorum magnificas domos Rurales perpulchrè ædificatæ, habentes Januam principalem in via publica, per quam quilibet de populo
1 ingreditur ad audiendam Missam; aliam verò lateralem descendentem in atria, seu Viridaria earundem domorum, per quam soli Patroni intrant in easdem Ecclesias, separatique manent à plebe, dum conficitur Sacrum; Eminentissimo, ac Reverendissimo Cardinali Antistiti Horoscmeo suggestum fuit, prædictas januas Laterales non esse tolerandas; ideòque nisi ipsæ à Patronis muro claudantur, auferendam esse illis licentiam celebrare faciendi Missam in iisdem Ecclesiis. Quare Eminentia sua jussit in Congregatione boni regiminis hujus Diœcesis, examinari hoc dubium; & quid agendum de Jure circa illud, prævio maturo studio, firmari?

Nonnulli ex convenientibus in eadem Congregatione, viri Theologi, ac Canonistæ, opinabantur, dictas januas Laterales non esse tolerandas; sed omninò tollendas, & interim facultates ibi celebrandi Missam revocandas, freti auctoritate rescripti Sacræ Congregationis Concilii ad Episcopum Colimbricen. *die pri-*
2 *mæ Julii 1616.* relati per Barbosam *de Jure Eccles. Univ. lib. 1. cap. 12. num. 28.* in quo habetur permittendam esse celebrationem Missæ in Oratorio propè ædes Andreæ Dalmeidæ, Catholici Regis Senatoris extructo; *dummodò idem Oratorium, seu Capella publico in loco sita sit; atque ita à privatis domibus separata, ut per eas ad Capellam hujusmodi ire minimè possit; ad eamque liber accessus è via publica pateat.*

Ego autem fui contrariæ opinionis, & dixi, prædictas januas Laterales descendentes in atria, seu Viridaria domorum Patronalium esse tolerandas, innixus triplici fundamento, nempè Rationi, Auctoritati Doctorum, & Universali Consuetudini hujus Diœcesis.

Ratio erat, quia in omnibus rebus non strictum, ac rigorosum jus, sed æquitas est amplectenda. *l. Pla-*
3 *cuit. C. de Judic. l. In omnibus. ff. De Reg. Jur.* Æquitas enim dicitur benigna juris interpretatio. Marta *de Jurisdict. casu 162. num. 1.* & est recta ratio, quæ omnia ad humaniorem interpretationem, & magis convenientem naturæ revocat. Gobatus *in Quinario tract. 1. num. 80.* Porrò in hac Diœcesi cum ingens sit numerus Ecclesiarum Campestrium habentium, præter januam in via publica, aliam Lateralem descendentem in atria, ac Viridaria ædium adjacentium; nimis rigida, ac rigorosa esset earundem januarum Lateralium prohibitio, ac ex ea oritura fo-
4 rent scandala: & in pluribus inobedientia, cum periculo contemptus prohibitionis, qui prudentialiter est evitandus; nam nulli debemus laqueum injicere. *cap. De Viduis. 27. q. 1.* & ob hanc rationem, nihil innovandum; sed celebrationem Missæ in ipsis Ecclesiis permittendam: illam enim Episcopus permittere potest, quando duo requisita concurrant. *Unum*, quod
5 Ecclesia sit de ejus licentia fabricata cum principali janua in via publica, itaut per eam unicuique ad ipsam Ecclesiam pateat accessus: *Alterum*, quod non habeat januas Laterales intrantes in officinas, vel loca vicina indecentia. Ita Ventriglia *tom. 2. Annot. 19. num.*

Digitized by Google

num. 14. Cæsar de Panimollis *Decis.* 88. *Annot.* 1. *num.* 12. *&* 13. Bissus *in Hierurg. Sacr. tom.* 2. *Verb. Oratorium.* §. 2. Igitur cum januæ Laterales Ecclesiarum Campestrium intrent in atria, seu Viridaria domorum; non autem in officinas indecentes; & januam majorem habeant in via publica; publica quoque vocatur, & verè est ipsa Ecclesia, & celebrationem Missæ in ea absque scrupulo Episcopus concedere potest, ut latè probat Pignatellus *tom.* 1. *consult.* 93. *num.* 27. *&* 28.

Nec obstat responsum S. Congregationis relatum à Barbosa, de quo supra; quia in eo S. Congregatio loquitur, de januis Lateralibus Ecclesiarum ita unitarum domibus privatis, ut ex earum cubiculis immediatè ingrediantur homines in Ecclesias, ut denotant
6 illa verba, *ita à privatis domibus separata, ut per eas ad Capellam hujusmodi ire minimè possit:* est enim quædam indecentia, ut Ecclesiæ januæ contiguum sit cubiculum privatum, in quo ut plurimùm opera parùm religiosa fiant; in hoc enim casu janua lateralis Ecclesiæ non est toleranda, sed protsùs muro obstruenda; prout ego præcepi nonnullis ab hinc anni in Visitatione
7 Parochialis Ecclesiæ Villæ Sclavoniæ, in qua Parochus fecerat januam lateralem descendentem in ejus coquinam; & eam, sub pœna suspensionis à Divinis decrevi, esse statim muro claudendam, tanquam nimis indecentem; & contrariam reverentiæ debitæ Templo Dei. De hujusmodi januis lateralibus loquitur S. Congregatio supra relata; non autem de illis descendentibus in atria, seu Viridaria amæna, ut benè discerit Pignatellus *in cit. tom.* 1. *Consult.* 93. *num.* 27. *& seqq.*

Secundò, me suasum reddidit super earundem januarum Lateralium tolerantia authoritas Doctorum, qui concorditer scripserunt, eas non derogare publicitati Oratorii, seu Ecclesiæ; neque esse prohibitas à Sacra Congregatione, nisi in quantum descendant in privata cubicula, ex quorum vicinitate præjudicetur reverentiæ debitæ loco Sacro. Hi Doctores sunt, Pax
8 Jordanus Episcopus Traguriens. *in tom.* 1. *lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 161. Thomas Tamburinus *de Sacrific. Missæ lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 5. Pasqualigus *decis.* 173. Aversa *de Eucharistia q.* 11. *sect.* 14. Hurtadus *part.* 2. *resol. Moral. tract.* 12. *cap.* 1. *num.* 2193. Bardus *in quæst. select. lib.* 4. *q.* 10. §. 10. Quintanadvenas *tom.* 1. *Singular. tract.* 7. *Singul.* 33. *num.* 9. Riccius *part.* 4. *decis.* 78. *num.* 5. Alphonsus de Leone *de Offic. Capellani quæst.* 3. *sect.* 1. *in fine*; & novissimè ipsemet Pignatellus *d. tom.* 1. *Consult.* 93. *num.* 26. *&* 27.

Tertiò, reflectebam ad universalem consuetudinem non solùm hujus Diæcesis Patavinæ, sed etiam aliarum adjacentium; præcipuè Tarvisinæ, ac Vicentinæ, in quibus frequentes sunt Ecclesiæ Campestres, à Viris Nobilibus pro commoditate audiendi Missam ædificatæ penès eorum Palatia Ruralia; & in ijsdem Ecclesiis duæ sunt januæ, una principalis in via publica, alia lateralis, dans ingressum in atria, seu Viridaria ipsorum Palatiorum; & nihilominùs in omnibus de licentia Ordinariorum Missa celebratur; & hujusmodi consuetudo tanquàm interpres legitima decre-
9 torum Sacræ Congregationis est omninò servanda, ut tradit Rota *part.* 9. *recent. Decis.* 400. nec non *part.* 10. *decis.* 59. *num.* 13. & advertit Emin. Card. de Luca *in tract. de Jurisdictione Disc.* 42. *num.* 5. prout etiam *de Beneficiis Discurs.* 27. *num.* 17. simulque *de Parocho Disc.* 14. *num.* 5. Hæc autem interpretatio fundatur in Epicheja, quæ est virtus moralis, tempe-
10 rans rigorem Juris, & procedens cum æquitate; quam in regimine Ecclesiarum Antistites sequi tenentur. Miranda *in Manuali Prælator. tom.* 2. *quæst.* 30. *art.* 3. *conclus.* 3. & Sperellus *Decis.* 111. *num.* 86. Et quidem nimius rigor fuisset, auferre prædictas domos laterales, ac privare Viros Nobiles, eorumque Uxores, ac Filias commoditate illa accedendi ad Ecclesiam pro audiendo Sacro diebus festis, contra id, quod scriptum est *in l.* 25. *de Legib.* videlicèt: *Nulla juris ratio, aut æquitatis benignitas patitur, ut quæ pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipsorum commodum producamus ad severitatem.*

His motivis cessit novitas, quam nimium zelum, sed sine scientia, habentes suggerebant, non absque evidenti periculo magni scandali, si eorum dictis delatum fuisset.

DISCORDIA LXXV.

ARGUMENTUM.

Præmissis tribus modis, quibus una Ecclesia potest alteri uniri, scilicèt vel æquè principaliter, vel durante alicujus vitâ tantùm, vel accessoriè cum extinctione tituli, explicantur decem effectus Unionis hoc tertio modo factæ; ex quibus cognoscere licet, quæ, & quot jura; quamvè facultatem, & potestatem habeat in Ecclesia accessoriè unita is, cui facta est Unio; potissimùm si illa sit Parochialis?

SUMMARIUM.

1 *Jurgia diuturna circa Curatum Villæ Farræ inter Mensas Episcopalem, ac Capitularem de Padua.*
2 *Farræ Ecclesiæ fructus ab Eugenio IV. uniti Capitulo Paduano pro distributionibus quotidianis Anno 1439.*
3 *Unionis accessoriè factæ effectus decem.*
4 *Unio Ecclesiarum triplici differenti modo fieri potest.*
5 *Unio Ecclesiæ accessoriè facta variis nominibus nuncupatur.*
6 *Unio duarum Ecclesiarum æqualiter facta parit discordias.*
7 *Uniones ad tempus, & alicujus vita tantùm durante, sunt de jure prohibitæ.*
8 *Unionum Ecclesiarum Paduæ factarum exempla.*
9 *Rector Ecclesiæ unitæ vocatur ille, cujus beneficio Ecclesia ipsa est accessoriè unita.*
10 *Fructus Ecclesiæ unitæ exiguntur ab eo, cui facta est Unio.*
11 *Congrua portio solvenda est Curato per eum, cui unita fuit Ecclesia Parochialis.*
12 *Curati, seu Vicarii nominatio, & præsentatio spectat ad eum, qui habet Ecclesiam Parochialem sibi unitam.*
13 *Residere non tenetur in Parochiali, cui ipsa est accessoriè unita.*
14 *Primiceriatui S. Marci Venetiarum unita est una ex Mansionariis curatis Montisilicis.*
15 *Professio Fidei respectu Parochialis Ecclesiæ accessoriè unitæ non est necessariò facienda.*
16 *Unio accessoriè facta de Ecclesia Curata non generat incompatibilitatem cum alia Parochiali.*
17 *Impetrans beneficium, cui alia Ecclesia Curata est accessoriè unita, quando teneatur facere de ea mentionem?*
18 *Pleno jure esse subjectam, & unitam Parochialem alicui, quid significet?*
19 *Animarum cura in Parochiali accessoriè unitâ an exerceri possit ab eo, cui facta est Unio?*
20 *Licentia exercendi Curam animarum in Parochiali unita datur à solo Episcopo.*
21 *Canonicorum Paduæ rejecta opinio circa facultatem Curati Villæ Farræ.*
22 *Episcopus non solùm examinat Curatos in Ecclesiis unitis quoad idoneitatem; sed etiam dat eis auctoritatem pro exercenda cura.*

Occa-

OCcasione jurgiorum, quæ diù invaluere inter Cu-
riam Episcopalem Patavinam, eam regente Emi-
nentissimo, ac Reverendissimo S. M. Gregorio Car-
dinale Barbadico ex unâ, & inter Reverendissimos
Canonicos illius Ecclesiæ Cathedralis ex aliâ; præci-
1 puè circa Auctorizabilem dandam Curato Villæ Farræ,
pro administratione Sacramentorum in illa Ecclesia;
(quæ Anno 1439. per Eugenium Papam IV. fuit uni-
ta Canipæ, idest Mensæ Capitulari eorundem DD.
Canonicorum ad effectum, ut ejusdem Ecclesiæ red-
ditus, & fructus deservirent pro distributionibus quo-
2 tidianis per illos lucrandis, qui interessent Choro, &
in eo Horas Canonicas psallerent) de quibus jurgiis
latè scripsi in meis Discordijs forensibus *de Jurisdi-
ctione*: Occasione inquam horum jurgiorum, ac præ-
dictæ Unionis Parochialis Ecclesiæ Villæ Farræ, ipse
Eminentissimus Præsul mihi, tunc Auditori suo, de-
dit in mandatis, ut summatim scriberem, Qui, &
Quot essent effectus Unionis? Pro cujus mandati exe-
cutione, visis Canonistarum doctrinis, de his effectibus
3 tractantium, comperi decem esse Unionis effectus;
At pro eorum faciliori intelligentia duo esse præmit-
tenda, ac prænotanda.

Unum est, quod Unio tripliciter fieri potest juxtà
Glossam *in cap. 1. Ne Sede Vacante. Et in cap. Et
temporis 16. q. 1.* & secundum Jo. Baptistam Turri-
cellium Nobilem Patavinum in tractatu *De Unione
cap. 1. num. 1. & seqq.* videlicet, vel æquè principali-
4 ter, velut si de duobus Episcopatibus fiat unus; vel
de duobus beneficijs unum constituatur; adeò ut in-
ter utrumque non sit superioritas, vel subiectio; sed
in illis servetur æqualitas. Rota coram Puteo *decis.
431. num. 1. lib. 1.* & coram Cavalerio *decis. 330. eod.
num. 1.* Turricellius *d. tract. de Unione cap. 3. per to-
tum*, in quo hujusmodi Unionis effectus lepidè decla-
rat. Vel fit personæ tantùm, veluti si alicui Episcopo
uniatur Præbenda Canonicalis, cujus fructus ei deser-
viant ad commodiùs vivendum; quo casu, post mor-
tem Episcopi cessat illa Unio, tanquam personalis, ac
temporalis, ut latè per Rotam coram Durano *Decis.
314. à num. 4. & seqq.* & per D. Turricellium *eod.
cap. 1. num. 10. De Unione*. Vel fit accessoriè, quan-
do scilicèt una Ecclesia unitur alteri per subjectionem;
itaut ea, cui fit Unio, sit Principalis, ac Superior;
illa verò quæ unitur, sit inferior, & accessoria; &
5 talis Unio diversis nominibus vocatur; nam aliquan-
do dicitur *Transfusiva*, quia beneficium unitum trans-
funditur, & inseritur in illud, cui unitur. Rota co-
ram Merlino *decis. 122. num. 1.* aliquando vocatur
Incorporatio, quia Ecclesia, quæ unitur, incorpora-
tur, & infigitur illi, cui fit Unio, itaut fiat, & re-
maneat ejus membrum. Rota coram Mantica *decis.
224. num. 3.* & coram Bichio *decis. 421. num. 8.* &
aliquando nuncupatur *Extinctiva tituli*, quia extin-
guit titulum ejusdem Ecclesiæ, quæ alteri unitur.
Rota coram Buratto *decis. 857. num. 1. & decis. 642.
num. 7. part. 4. recent. tom. 3.*

Alterum præmittendum, & prænotandum est;
quod ex prædictis tribus modis faciendi beneficiorum
uniones, primus, ac secundus non est frequens, imò
rarus est uterque; ea ratione quia, si primo modo duæ
uniantur Ecclesiæ; cum utraque consistat in æquali-
tate, & servet antiqua jura, ac prærogativas, quæ
ante unionem sibi competebant, de facili oriuntur
6 discordiæ inter Rectores, ac Præbendatos utriusque
Ecclesiæ pro usu suarum prærogativarum, & præ-
tensorum jurium, ut vidimus supra *Discord. LV.* de
prætensa Matricitate inter Parochiales Ecclesias S. Li-
beralis, ac S. Mariæ Novæ de Castrofranco, anti-
quitùs æquè principaliter adinvicem unitas; idcircò
non expedit juxtà primum modum illas unire. Gar-
zias *de Benefic. part. 12. cap. 2. num. 7.* neque juxtà
secundum modum; quia Episcopis pauperibus faci-
liùs providetur per assignationem Pensionum; quàm
per personales uniones Præbendarum, quarum one-
ribus, ac obligationibus difficulter possunt satisface-
7 re. Quare hujusmodi uniones de jure fieri non valent.
Rota coram Mohedano *De Offic. Vicar. decis. 1. n. 2.*
E contra tertius modus uniendi beneficia, nempè ac-
cessoriè, per incorporationem, & extinctionem Titu-
li illius, quod alteri unitur, est frequens in praxi;
& de eo jugiter videmus exempla, tùm in Unionibus
quæ fiunt per Apostolicam Sedem; prout de Ecclesia
Villæ Farræ, quæ antiquitùs erat Prioratus Regula-
ris, & Anno 1439. fuit per Eugenium IV. unita ca-
8 nipæ Capitulari DD. Canonicorum Paduæ; nec non
de Prioratu S. Margaritæ Villæ Vigontiæ, qui An-
no 1478. à Sixto Papa IV. fuit unitus, & incorpora-
tus Monasterio RR. Monialium S. Mariæ Miseri-
cordiæ de hac Civitate Paduæ; tùm in Unionibus,
quas faciunt Episcopi suis Seminariis de beneficiis
simplicibus; ac illas, quibus provident egestati alicu-
jus Parochialis Ecclesiæ; prout novissimè fecit præ-
laudatus Eminentissimus Cardinalis Barbadicus Epis-
copus Patavinus, uniendo Parochiali Ecclesiæ S. Fi-
dentii Villæ Sermedulæ simplex beneficium, quod
Anno 1690. in ea vacaverat: Igitur de Effectibus
Unionis, quæ tertio modo fit, & quæ censetur fa-
cta accessoriè, per incorporationem, ac cum extin-
ctione tituli Ecclesiæ, quæ alteri unitur, hic est
agendum; qui, ut in principio dixi, sunt decem.

Primus est Honor in nomine: ille enim, cujus Ec-
clesiæ unita reperitur accessoriè, & incorporata alia
Ecclesia, vocatur Rector ejusdem Ecclesiæ unitæ.
9 Jo. Andreas *in cap. Exposuisti. num. 8. de Præbend.*
Felinus *in cap. Postulasti. num. 1. De Rescript.* Abbas
in cap. Extirpandæ. §. Qui verò. De Præbend.

Secundus est, jus exigendi decimas, percipiendi
fructus, & alia emolumenta provenientia ratione
Ecclesiæ unitæ, etsi Parochialis; cum obligatione tamen
10 solvendi congruam Vicario exercenti curam anima-
rum in eadem Ecclesia accessoriè unita, sivè ille sit
perpetuus, sivè amovibilis. Jo. Andr. *in d. cap. Ex-
posuisti. num. 8.* Verallus *part. 3. decis. 339. num. 3.*
11 Mohedanus *decis. 5. in fin. de Decimis*. Rota *part. 2.
recent. decis. 208. num. 1.* nec non *part. 4. recent.
decis. 580. num. 8. 15. & 19.* prout etiam *part. 11.
decis. 305. num. 19.* Dummodò tamen à principio Unio-
nis non fuissent illi assignata bona sufficientia ad
honestè vivendum, ut diximus supra *Discord. 48.
num. 50.* Item *Discord. 57. num. 27.* atque *Discord. 65.
num. 44.* ubi notavimus exempla.

Tertius effectus est facultas nominandi Vicarium
sivè perpetuum, sivè amovibilem, qui in Ecclesia
unita exerceat curam animarum, & sit instituendus
12 ab Episcopo absque concursu; vel det ei mandatum,
ac licentiam pro eadem Cura animarum exercenda,
prævio privato examine, ac approbatione, si sit
amovibilis. *cap. Extirpandæ. §. Qui verò. & cap.
De Monachis. De Præbend.* Constitutio 47. B. Pii V.
Incipien. *Ad exequendum. §. 4.* Garzias *de Beneficiis
part. 9. cap. 2. num. 289.* & Rota *part. 1. Diversor.
decis. 798. in fine*.

Quartus est libertas non residendi, quia Beneficia-
tus, cujus beneficio annexa est accessoriè Ecclesia
aliqua Parochialis, etsi habeat in se habitualem Cu-
13 ram animarum, non est obligatus residere in ipsa Pa-
rochiali, prout declaravit S. Congregatio, quam al-
legat Barbosa *in Collect. DD. ad Concil. Trid. sess. 6.
cap. 2. num. 5.* Extat exemplum in hac Diœcesi Pa-
tavina in Collegiata Ecclesia Montisilicis, cujus una
ex Mansionariis Curatis unita est Primiceriatui S.
14 Marci Venetiarum; & nihilominùs ipse Primice-
rius residet Venetiis, & in Montesilice manute-
net Mansionarium unum, qui ibi Curam exercet
animarum.

Quintus effectus est, ut hujusmodi beneficiatus,
habens annexam, & incorporatam suo beneficio Ec-
clesiam Curatam, non teneatur facere professionem
15 fidei in manibus Ordinarii respectu ejusdem Ecclesiæ
Cura-

Digitized by Google

Curatæ. Barbosa *de Parocho cap. 4. num. 9.* ea ratione, quia licèt dicatur Parochus, & Curatus illius Ecclesiæ unitæ, verè tamen non est Parochus, quia ipse non exercet animarum Curam. Idem Barbosa *ubi proximè cap. 1. num. 48.* & Pyrrhus Corradus *in Praxi Benefic. lib. 3. cap. 5. num. 9. Vers. Præterea*.

Sextus est, ut ipse possit obtinere aliud beneficium Parochiale, seu cum onere residentiæ in alio loco, quia Cura habitualis non generat incompatibilita-
16 tem cum alia Ecclesia Curata. *cap. Super eo.* ubi Glossa, & DD. *de Præbend. in 6.* Loterius *lib. 1. q. 30. num. 154.* Rota coram Alexandro VIII. *decis. 58. num. 12.* eadem Rota *part. 13. recent. decis. 37. num. 8.* & notavit Pyrrhus Corrad. *in d. Praxi benefic. lib. 3. cap. 5. num. 8.*

Septimus effectus est, quod in impetratione beneficii, seu Præbendæ, cui accessoriè est unita Ecclesia Parochialis, non est facienda mentio ejusdem Ec-
17 clesiæ, neque Curæ habitualis ex ea provenientis. Felinus *in cap. In nostra. num. 15. Vers. Scias etiam. De Rescriptis.* Gonzalez *ad Reg. 9. Cancell. glos. 6. num. 42.* Garzias *de Benefic. d. part. 9. cap. 2. n. 175.* Pyrrhus Corradus *d. lib. 3. cap. 5. num. 7.* Hunc tamen effectum limitant DD. moderni, ut habeat locum si unio accessoria Ecclesiæ Curatæ facta sit Collegio, Capitulo, Monasterio, vel alicui Dignitati; secùs autem si sit unita alteri Parochiali, vel privatæ Præbendæ; ut scribit Loterius *d. lib. 1. quæst. 20. num. 163.* Rota coram eod. Alexandro VIII. *d. decis. 58. à num. 6. & seqq.* & *part. 10. recent. decis. 31. num. 31.*

Octavus effectus est, quod habens Parochialem Ecclesiam suo Capitulo, vel Monasterio, seu Dignitati unitam, dicitur eam habere sibi pleno jure subje-
18 ctam; ut plures notat Glossa tùm in *cap. Cum & plantare. §. In Ecclesiis. Verb. Pleno jure, & in cap. Quoniam. in fin. Verb. Utroque Jure. De Privileg.* tùm *in Clem. Frequens. verb. Ad mensam. De Excessib. Prælat.* atque in *Clem. Quia Regulares. Verb. De Mensa. De Supplend. neglig. Prælat.* tùm etiam alii, prout observat Sayrus *de Censur. lib. 1. cap. 6. num. 22.* & Murga *de Parocho part. 1. quæst. 2. num. 47.* Hujusmodi tamen plenitudo juris impropriè tantùm, ac lato modo accipitur, videlicèt quo ad Jus exigendi decimas, & fructus ejusdem Ecclesiæ unitæ; & quo ad potestatem nominandi, atque præsentandi Parochum, ut dictum est supra in secundo, & tertio effectu *num. 10. & 12.* Siquidem verè, & propriè Ecclesia dicitur pleno jure subjecta alicui, quando iste habet Jurisdictionem Episcopalem in Clero, & in populo eidem Ecclesiæ addicto, cum Territorio separato, ut benè tradit ipsa Glossa *in cap. Dilectus. Verb. De Lege Jurisdictionis. De Offic. Ordinarii.* Et docent Socinus, & Abbas *in d. cap. Cum & plantare. De Privileg.* ac novissimè Fagnanus *in cap. Cum inter. num. 4. De Sent. & Re judic. tom. 3.*

Nonus effectus est prædictæ Unionis accessoriè factæ de aliqua Parochiali Ecclesia, ut in ea administrentur Sacramenta populo, & Cura animarum exerceatur per Curatum ab Episcopo approbatum, & ad eam exercendam admissum; non autem ab il-
19 lo, cujus Monasterio, Capitulo, vel Præbendæ dicta Ecclesia est unita; quia, licèt is censeatur principalis Rector, & Parochus, atque habeat in se Curam animarum habitualem; attamen non potest se ingerere in exercitio ipsius Curæ, neque in administratione Sacramentorum; nisi obtineat, ad hunc effectum, specialem licentiam, atque facultatem ab Episcopo; ut concorditer docent omnes Canonistæ, inter quos Abbas *in cap. Extirpandæ. § Qui verò. num. 15. Vers. Ex quo sequitur. De Præbend. in 6.* Ancharan. *in cap. Exposuisti. in fin. eod. tit.* Azorius *Institut. Moral. tom. 2. lib. 3. cap. 6. quæs. 2.* Barbosa *de Parocho cap. 1. à num. 56. & seqq.* Loterius *lib. 1. quæst. 33. num. 111.* Turricellius *de Unione cap. 4. num. 45.* ubi allegat Rotam ita decidentem coram Card. Seraphino *decis. 1009. num. 5.* nec non *part. 4. recent. decis. 448. num. 12. tom. 2.*

Decimus tandem prædictæ Unionis accessoriè factæ effectus est, ut soli Episcopo competat jus dandi facultatem, & auctoritatem Sacerdotibus exercendi Curam animarum, atque administrandi Sacramenta
20 in Ecclesia Parochiali unita; adeòut Capitulum, Monasterium, aliusvè beneficiatus, habens sibi Ecclesiam Curatam accessoriè incorporatam, & unitam, non possit eandem facultatem, & auctoritatem concedere, neque ad libitum mittere Sacerdotes ad prædictam Ecclesiam, qui inscio Episcopo Sacramenta administrent, & Curam animarum exerceant; ut benè scribit Emin. Card. de Luca *in tract. de Parocho disc. 12. num. 13.* & *in tract. de Jurisdict. disc. 14. & 15.* ea ratione, quia per deputationem Curati non agitur de providenda Ecclesia unita, sed de providendo populo, qui reperitur habitare sub illa Cura; & quamvis Ecclesia illa curata vigore unionis sit subjecta Capitulo, vel Monasterio, aut alii beneficiato, cui est unita; populus tamen non est ei subjectus, sed remanet sub subjectione Episcopi; cujus interest, ut Sacerdos habilis ad eundem populum regendum deputetur; & sic de ejus expressa licentia, & facultate, ut inquit Rota coram Card. Seraphino *decis. 1304. num. 3.* his verbis: *Vicarius electus ab Abbate mittitur ad Episcopum pro obtinenda licentia exercitii Curæ animarum; quia ex quo populus non est exemptus, debet Vicarius approbari per Episcopum Ordinarium loci ex cap. Unic. De Capellis Monachor. in 6.*

Ex his duobus ultimis effectibus, ac auctoritatibus, & Doctoribus in eis allegatis, reprobata fuit opinio, quam nonnullis ab hinc annis habebant duo Canonici hujus Cathedralis Paduæ; posse à Capitulo mitti quemcunque Sacerdotem ad ejus libitum ad Ecclesiam Curatam S. Bartholomæi Villæ Farræ,
21 ipsi Mensæ Capitulari, ut dictum est, ab Eugenio IV. accessoriè unitam; qui Sacerdos, Episcopo nesciente, imò eo invito, Sacramenta administraret, & Matrimoniorum celebrationi assisteret; asserentibus iisdem DD. Canonicis, ad ipsos spectare jus concedendi facultatem, & auctoritatem administrandi Sacramenta in antedicta Ecclesia Farræ; licitumque esse Domino Archipresbytero ejusdem Cathedralis Curam animarum exercere in ipsa Villa Farræ; itaut Episcopo Patavino tantùm competeret jus examinandi Curatum à Capitulo electum, super ejus idoneitate quo ad Confessiones audiendas; in reliquis verò auctorizabilem licentiam totius exercitii Curæ animarum spectare ad ipsum Capitulum; cui pleno jure censebatur subjecta Ecclesia Parochialis Farræ vigore Eugenianæ Unionis. Talis opinio, post diuturnam discordiam inter utramque Mensam, Episcopalem, & Capitularem, damnata fuit; & firmatum, pertinere ad Episcopum non solùm cognitionem idoneitatis Sacerdotis per Capitulum electi; sed etiam concessionem specialis facultatis, & auctoritatis, pro exercenda Cura animarum habitantium in Villa Farræ; & pro
22 ministrandis Sacramentis prædicto populo, ejusque Matrimoniis interessendi; ipsumque Dominum Archipresbyterum prædicta non posse personaliter absque licentia Episcopi exercere: undè declarata fuerunt nulla, & invalida Matrimonia celebrata coram Sacerdote per Capitulum ad Curam animarum Farræ deputato, non habente approbationem, & auctoritatem ab Episcopo; ea invincibili ratione, quod populus Villæ Farræ non est subjectus Capitulo, sed Ordinario Patavino, cujus interest, & ad quem spectat, licentiam concedere, ministrandi ibi Sacramenta; & illarum animarum Curam exercendi; ut fusè demonstrat præcitatus Emin. Card. de Luca *disc. 12. de Parocho; & disc. 14. & 15. de Jurisdict.* nam de jure, & in puncto Juris Capitulum Paduanum duas solum-

Digitized by Google

solummodò facultates obtinet vigore ejus Eugenianæ Unionis, videlicèt percipiendi fructus, & redditus temporales annuos Villæ Farræ; & nominandi, seu eligendi Sacerdotem, ab Episcopo approbandum, atque admittendum ad animarum Curam in ipsa Ecclesia Villæ Farræ exercendam.

DISCORDIA LXXVI.

ARGUMENTUM.

Recensentur requisita ab Episcopis servanda, pro Unionibus simplicium beneficiorum per eos validè faciendis, tùm Seminario puerorum, tùm alicui Præbendæ Canonicali, seu Ecclesiæ Parochiali egestate laboranti.

SUMMARIUM.

1 *Unionum beneficiorum, quas Episcopi facere possunt, species duæ.*
2 *Requisita octo servanda ab Episcopis in Uniendis beneficiis Seminario.*
3 *Seminarii erectio præcedere debet beneficiorum unionem.*
4 *Taxa beneficiatorum pro Seminario est facienda ante eandem Unionem.*
5 *Seminario sufficienter ditato alia beneficia uniri non possunt.*
6 *Seminarii redituum sufficientia pendet ab arbitrio Episcopi.*
7 *Seminario beneficia individualiter, non autem genericè unienda.*
8 *Seminario beneficia de Jurepatronatu uniri non possunt.*
9 *Seminario non uniuntur beneficia Curata, vel residentiam requirentia.*
10 *Seminario beneficia Papæ affecta, vel reservata non possunt uniri. Et de hoc Jura quatuor diversa.*
11 *Urbani VIII. Constitutio prohibens Unionem prædictorum beneficiorum.*
12 *Seminario beneficia unita si vacant in mense reservato, Unio remanet in suspenso.*
13 *Resignatio ad favorem de beneficio jam unito Seminario An valeat?*
14 *Consilium quatuor Deputatorum requirendum ab Episcopo pro unione beneficiorum Seminario facienda.* Et num. 18.
15 *Deputatorum pro regimine Seminarii species tres.*
16 *Deputati quatuor pro uniendis beneficiis Seminario à quo eligendi?*
17 *Seminarii administrationis rationes coram quibus reddendæ?*
19 *Seminario possunt uniri beneficia, etsi ipsi Deputati dissentiant.*
20 *Requisita septem pro uniendis beneficiis Parochiali per Episcopum.*
21 *Unire beneficia libera beneficiis Patronatis Episcopus non potest.*
22 *Capitulari Mensæ non potest Episcopus beneficia unire.*
23 *Parochialibus pauperibus Episcopus unire valet beneficia.*
24 *Paupertas Parochialis, cui unio beneficii vult fieri, est priùs probanda.*
25 *Capituli Ecclesiæ Cathedralis consensus est necessarius in Unionibus, per Episcopum alicui Ecclesiæ faciendis.*
26 *Consensus Capituli utrùm præcedere debeat Unionem alicui Ecclesiæ faciendam, vel satis sit, si subsequatur? Quæstio dubia.*
27 *Sermedulæ Villæ Parochiali Ecclesiæ unitum beneficium simplex ab Episcopo Anno 1691.*
28 *Bonifacii Comitis Borromæi de Padua pietas, ac religio laudata.*

POst relatos effectus Unionis Ecclesiæ alicui Capitulo, vel Monasterio, seu alteri Præbendæ accessoriè, per incorporationem, ac extinctionem tituli factæ, prout in Discordia antecedenti, complacuit eidem Eminentissimo, ac Reverendissimo D. D. Gregorio Barbadico, Antistiti Patavino, injungere mihi tunc Auditori suo, ut Eminentiæ suæ in scriptis darem, quæ, & quot Requisita sint attendenda, atque observanda ab Episcopis volentibus facere Uniones beneficiorum; ad hoc ut ipsæ Uniones censeantur ritè, ac rectè factæ, & à nullitatibus sint immunes? His Heri mei mandatis obtemperans, Respondi, distinguendas esse duas species Unionum, quæ ab Episcopis fieri solent: Unam scilicet concernentem Uniones beneficiorum Seminariis
1 clericorum faciendas: Alteram respicientem unionem alicujus beneficii Præbendæ Canonicali, vel Parochiali pauperi applicandam. Quo ad primam Unionum speciem, scilicet quando Episcopus vult unire beneficia Seminario suo, vigore Sacri Concilii Triden-
2 tini *sess.* 23. *de Ref. cap.* 18. ut ritè, ac rectè procedat, & à nullitate caveat, dixi, octo Requisita esse ab eodem Episcopo observanda.

Primum est, ut priùs erexerit ipsum Seminarium; nempè ut jam deputaverit domum pro habitatione Clericorum; horumque aliquos in ipsam introduxerit,
3 unà cum Preceptore, Magistro domus, ac aliis servitoribus necessariis; prout advertunt Riccius *Resolut.* 415. *num.* 3. Garzias *de Beneficiis part.* 12 *cap.* 2. *num.* 193. & Barbosa *de Offic. & Pot. Episc. allegat.* 77. *num.* 24. Licèt enim contrarium scripserint Gonzalez *ad Reg.* 9. *Cancell. gloss.* 5. §. 7. *num.* 68. & Gratianus *Discept. Forens. cap.* 248. *num.* 71. putantes sufficere, quod de proximo sit facienda erectio Seminarii, & introductio puerorum in ipsum; eorum opinio reprobata est à Rota *part.* 2. *recent. decis.* 361. quæ *num.* 3. *& duobus seqq.* sic loquitur: *Unio autem producta pro parte Seminarii minimè apparet, quod habeat duo præcipua Requisita; primum, quod tunc temporis Seminarium esset erectum, quod est necessarium; cum aliàs Seminario nondum erecto non possit fieri Unio. Rota in causa Genen. Præstimoniorum.* 15. *Novembr.* 1593. *&* 27. *Aprilis* 1595. *coram Illustris. Blanchetto; & in Corduben. Præstimoniorum* 7. *Januar.* 1601. *coram bon. mem. Litta. Facit textus cum Glossa fin. in cap. Ad Audientiam il* 2. *de Eccles. ædificand. Neque testes, de quibus in processu deponentes Seminarium fuisse erectum ab Anno* 1588. *citrà, de quo anno contigit Unio, aliquid probant; quia non deponunt de introductione puerorum de dicto Anno* 1588. *quæ introductio est necessaria, ut Seminarium possit dici erectum ad effectum, de quo agitur, ut in d. Corduben. Præstimoniorum* 7. *Februarii* 1601. *coram b. m. Litta.* Concordes sunt duæ aliæ Decisiones Rotales, nempè *Decis.* 372. coram Cavalerio, *& Decis.* 373. *part.* 4. *recent. tom.* 2. ubi Rubeus *in addition.* & de eis meminit Emin. Card. de Luca *in Annot. ad Concil. Trid. d. sess.* 23. *cap.* 18. *disc.* 25. *num.* 16.

Secundum Requisitum est, ut Episcopus statim post erectum Seminarium taxaverit omnes beneficiatos tùm Civitatis, quàm Diœcesis ad contribuendam congruam portionem ex fructibus suorum beneficiorum pro sustentatione Puerorum, ac Ministrorum in
4 eodem Seminario juxtà decretum ejusdem Concilii *d. sess.* 23. *cap.* 18. *de Ref.* prout requirit eadem Rota *d. part.* 2. *recent. decis.* 361. *num.* 7. his verbis: *Secundum requisitum juxtà Sacrum Concilium pro validitate Unionis est, quod præcedat dismembratio fructuum ipsius Cathedralis, & aliorum beneficiorum ipsius Diœcesis, ut in prædicta Corduben. coram Litta. in Aversana beneficiorum* 3. *Julii* 1606. *coram me. Novissimè in Novarien. Unionis in Mense Maii proximi coram R. P. D. Coccino.*

Tertium est, quod Seminarium jam erectum verè habeat necessitatem aliarum Unionum, pro competenti numero Puerorum, ac Ministrorum sustentatione;

Digitized by Google

ne; quia si jam esset ei sufficienter provisum per præ-
5 cedentes beneficiorum Uniones, non essent ei aliæ addendæ, commodioris sustentationis, vel amænitatis, aut recreationis gratia; & si adderentur, subjacerent nullitati juxta Rotam *in Mediolanen. Præbendæ Unionis* 16. Novembris 1594. *coram Orano*, quam citat Loterius *de Re Beneficiar. lib. 1. quæst. 29. num. 60.* docens, id esse prudenter examinandum ab Episcopo cum consilio Deputatorum ad ipsas Uniones faciendas; & quia in hac quantitate redditum pro sustentatione Seminarii non potest dari regula certa, arbi-
6 trium Episcopi, ac Deputatorum regulari debet ab amplitudine Diæcesis, & à necessitate Sacerdotum pro cura animarum; & in hoc exuberabat ipse Eminentissimus Cardinalis Barbadicus ad mensuram zeli sui, qui erat immensurabilis erga salutem animarum, & multitudinem Presbyterorum, qui doctrinâ, ac pietate pollerent in eis regendis, ac spiritualiter gubernandis; ad quem effectum Seminarium suum beneficiis simplicibus ditare satagebat.

Quartum requisitum est, ut Unio fiat de beneficiis individualiter, & expressè nominatis, non autem in genere de beneficiis vacaturis; siquidem si tali modo generico fieret, & beneficia, quæ uniuntur Semina-
7 rio, non nominarentur, Unio subjaceret nullitati, ut advertunt Barbosa *de Offic. & Pot. Episc. d. alleg. 77. num. 29.* & Fagnanus *in cap. Recolentes. num. 29. De Statu Monachor. tom. 5.*

Quintum Requisitum est, ut beneficia per Episcopum Seminario unienda sint ejus liberæ collationis: nam si illa forent de Jurepatronatu aliquorum, & Se-
8 minario unirentur, unio esset nulla, & invalida; ut testantur Barbosa *d. alleg. 77. num. 28.* Zerola *in Verb. Seminarium* §. 5. & Gavantus *in Manuali Episcop. eod. Verb. Seminarium. num. 40.*

Sextum est, ut eadem beneficia neque sint Parochialia, vel Curata; neque Canonicatus requirentes residentiam in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis; hæc enim omnia minimè possunt Seminario uni-
9 ri. Zerola, & Gavantus *ubi supra*, quibus adhæret Fagnanus *in cap. Extirpandæ.* §. *Qui verò. num. 59. De Præbend. tom. 4.* ubi tamen advertit, quod si Ecclesia esset Parochialis habitu tantùm, non autem in actu, posset validè Seminario uniri; ita tamen, ut si Parochiani ad illam redirent, & Parochialis iterum evaderet actu; tunc evanesceret unio, ac dissolveretur.

Septimum Requisitum est, ut beneficium ipsi Seminario uniendum non sit affectum, vel reservatum Apostolicæ Sedi. Circa quod quatuor jura sunt observanda, & distinguenda. *Primum* est Concilium Tri-
10 dentinum *d. sess. 23. de Ref. cap. 18.* in quo concedebatur Episcopis, ut possent unire Seminariis quæcunque beneficia simplicia, quamvis Sedi Apostolicæ affecta, vel reservata: ibi: *Quod locum habeat, etiamsi beneficia sint reservata, vel affecta &c.* Verùm quia Episcopi, ut plurimùm, beneficia simplicia, quæ in suis mensibus vacabant, & ad eorum collationem pertinebant, suis familiaribus, ac benevolis personis dabant; & illa, quæ erant Summo Pontifici reservata, vel affecta Seminariis unire satagebant: *Secundum* jus prodiit, Decretum scilicet Sacræ Congregationis tempore B. Pii V. & Gregorii XIII. quæ declaravit, eatenùs valere uniones Seminario factas de beneficiis simplicibus Papæ affectis, vel reservatis, quatenùs ea fuissent unita ante vacationem; secùs si postquam ita affecta, & reservata vacassent, ut notat Garzias *de Benefic. d. part. 12. cap. 2. num. 102.* ubi ponit sequentes Declarationes S. Congregationis Concilii. *Gienuen. Congregatio Concilii censuit, Uniones beneficiorum reservatorum validas esse, modò factæ fuerint ante ipsorum vacationem, servata forma à Concilio Tridentino præscripta.* Anno 1589. Item: *S. M. Pius V. & Gregorius XIII. decreverunt, in unionibus factis, seu faciendis Seminariis, quod uniones de beneficiis reservatis validæ sint, si modò fuerint factæ ante ipsorum vacationem: quod si post vacationem factæ reperiantur, nullæ sint, & provisi à Sede Apostolica mitti debeant in possessionem dictorum beneficiorum.* His quoque inhærendo, die 18. *Decembris* 1597. *Congregatio Concilii censuit, si Episcopus beneficia simplicia, servatâ formâ Concilii, Seminario univerit ante eorum vacationem, etiam in mense reservato unionem debere effectum sortiri.* Porrò, quia neque per has Declarationes sufficienter erat provisum indemnitati Apostolicæ Sedis; nam Episcopi observantes, & requirentes, quæ, & quot essent beneficia affectionibus, ac reservationibus Papalibus certò subjecta, tanquam possessa vel à familiaribus Papæ, aut Cardinalium, vel à Prothonotariis Apostolicis, seu Subcollectoribus, vel Militibus, aliisvè personis comprehensis in Regulis Cancellariæ, vel Pontificiis Constitutionibus, ea statim ante vacationem Seminariis uniebant, ut cum vacarent, à Papa conferri non pos-
11 sent: emanavit *Tertium* jus tempore Clementis VIII. nempè alia Declaratio S. Congregationis Concilii, de mandatò Sanctitatis Suæ, quam ponit Garzias *d. part. 12. cap. 2. num. 106.* quæ decrevit, *De cætero ad obviandum fraudibus, ut non possint etiam ante vacationem uniri Seminario beneficia, quæ obtinent personæ, quæ ob familiaritatem Cardinalium, vel aliam rationem talia sint, ut quocunque mense decedant, certum sit, ea fore affecta Sedi Apostolicæ.* Eandem Declarationem S. Congregationis refert Fagnanus in *cap. Sicut unire. De Excessib. Prælat. tom. 7.* ubi *num. 37.* subdit: *die 26. Februarii 1602. Sanctissimus D. N. ex sententia Congregationis decrevit, ut superius est adnotatum. Itaque inspecto hoc tempore quoad uniones, quæ fiunt Seminario, funditùs sublata est facultas, quam Episcopi habebant à jure communi, & à Concilio Tridentino uniendi beneficia reservata, vel affecta.* *Quartum*
11 tandem jus processit à Constitutione Urbani VIII. *diei 15. Julii 1642.* quam per extensum ponit idem Fagnanus *in cit. cap. Sicut unire. num. 49. De Excessib. Prælat. tom. 7.* in qua, cum Cardinales Episcopi prætenderent vigore suorum Indultorum posse unire Seminario beneficia reservata, & affecta; vel ea conferre, etiam duplici reservatione, vel affectione non obstante, maximè si eorum Unio ab eis fieret, antequam vacarent, Summus Pontifex Urbanus VIII. utrumque prohibuit, decernendo, illos ea nec unire, nec conferre posse. Idcirco nunc nullo modo possunt Episcopi, etsi Cardinales, unire suis Seminariis beneficia Papæ affecta, seu reservata; prout nec possunt ea conferre, si duplici reservationi sint obnoxia.

Est tamen verum, quod si beneficia ritè, ac rectè, & servata formâ per Concilium Tridentinum *d. sess. 23. de Ref. cap. 18.* præscripta, fuerint per Episcopum Seminario unita; ipsaque beneficia ante eorum vaca-
12 tionem evaserint affecta; vel in mense Papæ reservato vacaverint, & de eis Sedes Apostolica disposuerit, non destruitur unio, sed suspensa remanet usque ad aliam vacationem, quæ in posterum sequatur absque affectione, vel reservatione; & tunc ipsa Unio suum consequitur effectum, & Seminarium mittitur in eorundem beneficiorum antea unitorum possessionem; ut scribit Fagnanus *in cit. cap. Sicut unire. n. 23. de Excessib. Prælator.* & idem affirmat esse dicendum, si beneficia jam unita ante eorum vacationem resignen-
13 tur à possessore ad favorem tertii in manibus Papæ; nam etiam in hoc casu Unio non destruitur; sed ejus effectus suspenditur, & differtur ad futuram aliam liberam vacationem, quæ careat quacunque affectione, ac reservatione; ut latè prosequitur idem Fagnanus *ibid. num. 27. & 28.* cujus tamen doctrinam Parisius *de Resignat. benefic. lib. 2. quæst. 9. num. 13. & seqq.* vult esse intelligendam; si in resignatione beneficii mentio unionis facta fuerit, & ei Papa derogaverit; secùs autem si de Unione nihil dictum sit, quia tunc resignatio non valet. Sed utrùm hoc casu beneficium remaneat apud resignantem? vel vigore unionis tran-

sceat in Seminarium? disputat Parisius *ibidem à num.* 20. *& seqq.* ubi curiosus, & studiosus Lector videat.

Octavum Requisitum, ut validæ sint Uniones factæ Seminario de beneficijs simplicibus, est, ut illæ fiant ab Episcopo, prævio consilio quatuor Deputatorum, quos
14 eligi mandavit Concilium Tridentinum *d. sess.* 23. *de ref. cap.* 18. pro his Unionibus faciendis. Quare hîc notandum est, quod *in d. cap.* 18. Tridentinum Concilium præscribit tres species Deputatorum, quorum opera uti debent Episcopi in regimine Seminarii. Pri-
15 ma species continet duos Deputatos pro formandis regulis, & pro Seminario benè gubernando; & hi debent esse duo Canonici Ecclesiæ Cathedralis electi ab Episcopo, juxta illa verba Concilii, *Cum consilio duorum Canonicorum seniorum, & graviorum, quos ipsi* (*Episcopi*) *elegerint*. Secunda species requirit quatuor Deputatos, quorum consilio imponenda est taxa beneficiatis pro sustentatione Seminarii, donec de beneficijs sufficienter ei provideatur, & faciendæ sunt beneficiorum uniones ipsi Seminario. Hi autem debent esse quatuor, nempè duo Canonici, & duo de
16 Clero Civitatis: unius autem Canonici, ac alterius de Clero electio facienda est ab Episcopo. Capitulum verò eligere debet alterum Canonicum; prout Clerus Civitatis eligit alium de gremio suo, prout clarè ordinatum est ab ipso Tridentino Concilio *d. sess.* 23. *cap.* 18. ibi: *Iidem Episcopi cum consilio duorum de Capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter ab ipso Capitulo eligatur: itemque duorum de Clero Civitatis, quorum quidem alterius electio similiter ad Episcopum; alterius verò ad Clerum pertineat, &c.* Tertia Deputatorum species concernit eos, coram quibus reddendæ
17 sunt rationes circa expensas, & administrationem introituum Seminarii; & prædicti debent esse quatuor, idest duo Canonici, & duo de Clero Civitatis, ita tamen, ut illi sint electi à Capitulo; isti à Clero, dicente Concilio *in ead. sess.* 23. *cap.* 18. *Rationes autem redditum hujus Seminarii Episcopus annis singulis accipiat, præsentibus duobus à Capitulo, totidem à Clero Civitatis deputatis*. Igitur Uniones beneficiorum fieri non possunt per Episcopum Seminario, nisi præ-
18 via requisitione consilii quatuor Deputatorum in secunda specie nominatorum; quorum consilium si Episcopus non requireret, uniones essent invalidæ; ideòque debet per publicum Notarium rogare facere actum convocationis illorum, & requisiti per Episcopum ab eis consilii super aliqua unione facienda; & tunc erit validè, & legitimè facta; etiamsi prædicti quatuor Deputati starent contra illam, & in eam non consentirent; quia Episcopus non est obligatus sequi
19 eorum consilium, sed tantummodò illud requirere. Thesaurus *in Praxi Fori Eccles. part.* 2. *cap.* 31. *num.* 23. Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 46. *num.* 74. & Barbosa *in Collect. DD. ad d. sess.* 23. *cap.* 18. *num.* 6. Dedecet autem Episcopos ignorare has tres Deputatorum species, aut unam capere pro alia in antedictis tribus ministeriis, seu officiis concernentibus eorum Seminaria; quamvis multi reperiantur, qui earum nullam habeant notitiam, & confusè iisdem Deputatis utantur non sine magnis inconvenientibus, ut advertit Pax Jordanus *lib.* 7. *tit.* 4. *num.* 18. *&* 19. *Elucubrat. divers. tom.* 2. Et hæc omnia octo requisita huc usque recensita sunt adamussim servanda in uniendis beneficijs Seminario; aliàs, etiam uno tantùm eorum deficiente, Uniones evadunt invalidæ, & remanent subjectæ vitio nullitatis.

Quo verò ad Uniones per Episcopos faciendas alicui Præbendæ Canonicali, vel Ecclesiæ Parochiali, septem sunt requisita observanda ad effugiendam Unionis nullitatem. *Primum* est, ut Unio fiat de aliquo
20 beneficio simplici; nam Ecclesiæ Parochiales, aliavè beneficia residentiam requirentia non possunt alteri Præbendæ ab Episcopis uniri. Emin. Card. de Luca *Annot. ad Concil. Trid. disc.* 8. *num.* 19. *Secundum* est, quod ipsa beneficia unienda nulli subjaceant affectioni, vel reservationi Papali, ut dictum est *supra num.* 10. & notat idem Emin. Card. de Luca *d. disc.* 8. *num.* 14. *&* 15. *Tertium* est, quod unio fiat alicui Præbendæ, vel Ecclesiæ, quæ sit liberæ collationis Ordinarii;
21 quoniam Præbendis, seu Ecclesiis de Jurepatronatus beneficia libera per Episcopos uniri non possunt. Idem Emin. de Luca *ibid. num.* 20. & latè de *Beneficijs*
22 *disc.* 19. *& disc.* 43. *Quartum* est, ut Unio fiat Præbendis particularibus, non autem Mensæ Capitulari, seu toti Capitulo. Emin. de Luca *d. disc.* 43. nec non *in Annotat. ad Conc. Trid. disc.* 8. *num.* 17. *Quintum* est, ut talis Unio fiat ex causa paupertatis, seu neces-
23 sitatis Ecclesiæ, vel Præbendæ, cui simplex beneficium Episcopus vult unire; non enim potest procedere ad talem Unionem ad ditationem, vel superabundantem possessorum provisionem. Ipse Emin. de Luca *d. disc.* 8. *Annot. ad Trid. num.* 16. & *de Benefic. disc.* 43. *& seq.* Rota *part.* 5. *recent. decis.* 294. *num.* 2. *& decis.* 318. *num.* 2. *tom.* 1. ubi *textus & DD. Sextum* est, ut fiat processus ab Episcopo super paupertate, & necessitate prædicta; adeòut de ea manifestè constet
24 per concludentes testium depositiones, aliàs Unio erit nulla. Rota *d. part.* 5. *recent. decis.* 294. *num.* 7. *& seqq.* prout etiam *decis.* 318. *num.* 4. *&* 13. ubi aliæ Decisiones, & DD. multi. *Septimum* tandem est, ut ad tales Uniones concurrat consensus Capituli Ec-
25 clesiæ Cathedralis. *Clem.* 2. *& ibi* Glossa *Verb. consentiente. De Reb. Eccl. non alien.* Abbas *in cap. Sicut unire, num.* 2. *de Excessib. Prælat.* Garzias *de Benefic. part.* 12. *cap.* 2. *à num.* 145. *& seqq.* Sed utrùm consensus Capituli debeat adesse in ipso Unionis actu, ac incontinenti? Vel sufficiat, si præstetur post illam factam per ratihabitionem? Est quæstio dubia, ac
26 brocardica, habens pro utrâque parte plures rationes, atque Doctores, relatos ab eadem Rota *d. part.* 5. *recent. decis.* 294. *tom.* 1. *à num.* 17. *& seqq.* ubi *num.* 21. tenuit, quod debeat intervenire in ipso actu Unionis, quia est de forma ejus. Nihilominùs *ead. part.* 5. *d. decis.* 318. *num.* 42. ipsa Rota recessit à decisis; & amplexa est sententiam docentem, sufficere, quod consensus Capituli etiam post factam Unionem accedat, illamque ratam habeat, ex pluribus rationibus, juribus, ac DD. ibi congestis.

Melius tamen, & tutius semper erit, obtinere consensum Capituli antequam fiat decretum Unionis; ut ego practicavi Anno 1691. qui, cum vacasset simplex beneficium in Ecclesia Parochiali Villæ Serme-
27 dulæ hujus Paduanæ Diœcesis; & Emin. Cardinalis Barbadicus Episcopus voluisset, ad instantiam Illustrissimi Comitis Bonifacii de Borromeis, habentis in eadem Villa amplissimas possessiones, ac nobilissimam Dominicalem Domum, providere paupertati illius Ecclesiæ Parochialis, eidem uniendo prædictum simplex beneficium; ego tunc Vicarius Generalis Eminentiæ suæ formavi processum, & probationes recepi super dicta paupertate, tùm per examen testium, tùm per publicas scripturas; & cum de ea concludenter constaret; requisivi consensum pro ipsa Unione facienda à Reverendissimo Capitulo Ecclesiæ Cathedralis, à quo promptè, ac benignè fuit præstitus; & deindè Eminentissimus Præsul devenit ad actum Unionis; applicando, & incorporando antedictum simplex beneficium (quod in mense Decembri Anno 1690. per mortem R. D. Alexandri Mantuani Præpositi S. Sophiæ, ac Vicarii Generalis Prædecessoris mei vacaverat) eidem Parochiali Ecclesiæ Villæ
28 Sermedulæ; juxta supplicationem prænominati Domini Comitis Bonifacii de Borromeis; cujus Pietas enituit, & magnam meruit commendationem; quia cum haberet Filium clericalem vitam dignè profitentem, non institit, ut poterat, eidem illud beneficium conferri; sed flagitavit, ipsum uniri prædictæ Ecclesiæ Parochiali, ut Rectoris eandem possidentis egestati opem ferret; ex solo motivo Charitatis, Devotionis, ac Religionis.

DIS-

Digitized by Google

DISCORDIA LXXVII.

ARGUMENTUM.

Explicatur, quando beneficium sit Monoculare? & ostenditur, quod etiam tale comprehenditur in Regulis reservatoriis Cancellariæ Apostolicæ.

SUMMARIUM.

1 *Archipresbyteratus Terræ Scledi an sit beneficium Monoculare?*
2 *Beneficia Monocularia an sint comprehensa in Regulis reservatoriis Cancellariæ Apostolicæ?* & num. 5.
3 *Gonzalez doctrina de hoc quæsito.*
4 *Beneficium quando verè sit Monoculare?*
5 *Beneficia Monocularia comprehenduntur in Reg. 4. Cancellariæ Apostolicæ.*
6 *Dignitas quamvis unica in Collegio dicitur prima, & principalis.*
7 *Expectativæ non capiebant beneficia Monocularia.*
8 *Beneficium non dicitur Monoculare, si Ordinarius alia quocunque modo conferat.*
9 *Loterii opinio circa reservationem etiam beneficiorum Monocularium.*

Attenta Collegialitate Ecclesiæ S. Petri Terræ Scledi, Vicentinæ Diæcesis, de qua *in Discord. LII.* requisitus fui respondere, An de Jure possit Episcopus conferre Archipresbyteratum ejusdem Ecclesiæ, tan-
1 quam beneficium Monoculare; ideſt unicum in dicta Collegiata; cum in ipsa non existant alia beneficia liberæ collationis, sed omnia sint de Jurepatronatus Laicorum; ad quorum nominationem, & præsentationem tenetur Episcopus ea conferre?

Et prima facie videbatur respondendum, quod Episcopus possit prædictum Archipresbyteratum conferre, quando vacat in mensibus ordinariis; quia beneficia
2 Monocularia non venire sub reservatione scribunt Æneas de Falconibus *in tract. de Reservat. quæst. 1. principal. num.* 31. post alios, quos allegat Selva in *tract. de Benefic. lib. 3. q. 11. num. 71. & 73.* Glossa *in Clem. 1. Verb. Incerta. De Præbend.* Gomezius *in tract. de Expectativis*; & Menochius *de Arbitrar. Judic. cas.* 201. *num.* 94. ubi subdit, quod *illa est ratio, quia non est verisimile, Pontificem velle privare Ordinarium collatorem unicâ dignitate; atque ita unico lumine, juxta Clem. 1. de Sent. Excom. in fin. Hinc docuit* Archidiaconus *in cap. Si pro clericis. de Præbend. in 6.* Jo: Andreas, & alii *in Clem. 1. de Præbend.* ubi Glossa, *quod mandatum de providendo de Dignitate in aliqua Ecclesia, non intelligitur de unica dignitate, quæ est in Ecclesia illa, & quæ ad ipsum collatorem ordinarium spectat. Idem decidit* Rota *decis. 13. de Præbend. in novis*, & Corrasius de *Sacerdot. part. 4. cap. 5. num.* 48. Hæc omnia Menochius.

Ulteriùs ad favorem Episcopi facere videtur id, quod subjungit Gonzalez *ad Reg. 9. Cancell. gloss. 9.*
3 *§. 4. num.* 11. his verbis: *Similiter videmus, quod Regula 3. Cancellariæ (nunc 4.) quatenùs reservat primam Dignitatem post Pontificalem in Cathedralibus, & principalem in Collegiatis, non comprehendit Dignitatem Monocularem, quando non adest, nisi una tantùm Dignitas, ut consuluit* Cardinalis *cons. 30.* Incipit *In hac dubia. sub num. 7. vers. Sed adhuc post medium, & num.* 8. Geminianus *cons.* 36. Incipit *Quod collatio. num.* 1. Gomezius *de Expectativis num.* 46. Æneas de Falconibus *ubi supr. d. num. 32. ad fin.* Quintilianus Mandosius *in ead. reg. 3. q. 5. per totam; ubi potissimam rationem ad hoc adducunt, videlicèt quod Dignitas major, & principalior dici non potest, ubi non adest nisi una Dignitas; sicut si unus homo esset in civitate, non posset dici, quod talis sit principalis, seu major, quia principale præsupponit accessorium, & majus præsupponit minus.* Porrò in Collegiata S. Petri Terræ Scledi unica est dignitas, nempè Archipresbyteratus, de quo quæritur: ergò tanquam Monocularis non censetur comprehensus in *d. Reg.* 4. Cancellariæ; & sic quandocunque vacet in mensibus ordinariis, qui non sunt Papæ reservati, & in quibus competit Episcopo libera beneficiorum dispositio, poterit Episcopus de eodem Archipresbyteratu disponere; & ipsum, cui voluerit, conferre.

His tamen minimè obstantibus, Respondi in sensu veritatis, quod de Jure Episcopus non potest de eodem Archipresbyteratu disponere; quia verè, ac propriè est semper reservatus Apostolicæ Sedi tanquam prima Dignitas in dicta Collegiata Scledi; & hoc ob duas præcipuas rationes. Prima est, quia dictus Archipresbyteratus non est Beneficium Monoculare;
4 siquidem ut tale dicatur, oportet, quod Ordinarius collator nullibi habeat alia beneficia conferibilia, & suæ dispositioni subjecta; itaut tota ejus facultas conferendi restringatur, ac alligetur uni beneficio tantùm, ut ex Rebuffo *de Nominat. quæst. 15. num. 50. & seqq.* demonstrat Tondut *QQ. & Resolut. Benefic. tom. 1. part. 2. cap. 2. §. 6. num.* 6. Sed sic est, quod Episcopus Vicentinus habet plura alia beneficia ad suam dispositionem spectantia, tàm in Civitate, quàm in Diœcesi præter Archipresbyteratum Scledi; & per consequens ille non potest vocari Beneficium Monoculare. Secunda ratio est, quod estò vocari Monoculare valeret, adhuc ab Episcopo conferibile non es-
5 set tanquam beneficium Sedi Apostolicæ reservatum, & comprehensum *in Reg. 4. Cancell.* ut per plura argumenta probat idem Gonzalez *d. gloss. 9. §. 4. à num. 15. & seqq.* & inter alia, quia *Regula* 4. Cancellariæ est lex generalis comprehendens omnes Dignitates, quæ primum locum tenent in Collegiatis; & semper
6 Dignitas est prima, & principalis, quamvis sit unica; quia talis reputatur respectu aliorum beneficiorum de Collegio; & sufficit, quod in eo nullus sit, qui ratione suæ Præbendæ præcedat, vel superiorem locum obtineat, aut sedeat supra possidentem illam unicam dignitatem; & ita censuit Adden. ad Geminian. *cons. 30. num.* 1. ac Simonetta, qui fuit Rotæ Auditor gravissimus in *tract. de Reservat. quæst. 85. per tot.* Quos sequitur Gonzalez *d gloss. 9. §. 4. à num.* 15. usque in finem.

Neque subsistunt fundamenta pro favore Episcopi supra considerata: Siquidem Auctores ex adverso *num.* 2. allegati loquuntur circa Expectativas, quæ
7 antiquitùs personis particularibus concedebantur pro beneficiis vacaturis; illæ enim non capiebant Beneficia Monocularia, ut notat Gonzalez *d. §. 4. num.* 24. Ratio verò Monocularitatis non intrat, ubi etiam Ordinarius haberet Jus conferendi unicum tantùm beneficium; si ad institutionem, & collationem aliorum posset procedere ex præsentatione facta per alios
8 de Collegio, prout frequenter fit in eadem Ecclesia Scledi, ex traditis per Felinum *in cap. In nostra. corollar. 24. sub num. 23. De Rescript.* Ideò multò minùs, quando Ordinarius in aliis Ecclesiis sibi subjectis habet collationem liberam plurium beneficiorum, prout notorium est in Episcopo Vicentino; qui proptereà dictum Archipresbyteratum in quocunque
9 mense vacet, minimè conferre poterit, ut novissimè docet etiam Loterius *de Re Beneficiar. lib. 2. quæst. 39. num.* 6.

DISCORDIA LXXVIII.

ARGUMENTUM.

Canonici Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum non possunt habere distributiones in absentia trium Mensium, nisi verè resideant aliis novem Mensibus quolibet anno.

SUMMARIUM.

1 *Canonici non residentes novem Mensibus in Anno amittunt omnes distributiones.*
2 *Mensibus tribus Canonici abesse possunt à Choro singulis annis.*
3 *Canonici residere debent novem Mensibus, ut aliorum trium Mensium distributiones habeant absentes.*
4 *Supplicatio Vicarii Generalis Paduæ ad S. Congreg. Concilii de Anno 1588. super dicta absentia.*
5 *S. Congregationis Concilii responsum ad eundem Vicarium.*
6 *Intimatio, & notificatio ejusdem responsi facta Capitulo, & Canonicis Plebis Sacci Anno 1590.*

QUidam Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ, cum irresidens fuisset per integrum annum, & ad Chorum nunquam accessisset, fuit à Capitulo privatus integris distributionibus totius illius anni, juxta decre-
1 rum Sacri Concilii Tridentini *sess. 24. de Ref. cap. 12.* At ipse Canonicus prætendebat, sibi deberi quartam partem earundem distributionum, ea ratione, quia Concilium Tridentinum *ibidem* concedit Canonicis, ut abesse possint à Choro tribus mensibus per singulos annos, ex qua concessione inferebat, portionem distributionum sibi esse debitam respectu
2 trium mensium, qui conficiunt quartam partem anni. Qua in Discordia ego consultus Respondi, justitiam stare pro Capitulo; & nullam distributionum portionem esse dandam prædicto Canonico: siquidem communis doctrina Theologorum, ac Canonistarum est, quod ad consequendas distributiones in tribus mensibus absentiæ concessis à Tridentino Concilio, opus est, ut Canonicus verè, ac actualiter resideat,
3 & Choro intersit aliis novem mensibus, ut notat Barbosa *in Collect. DD. d. sess. 24. cap. 12. num. 66.* & Nicol. Garzias *de Benefic. part. 2. cap. 2. sub num. 198.* ubi ita respondisse ait Sacram Congregationem; cujus individuale Responsum pro hac Diæcesi Patavina emanatum, Anno 1588. registratum reperitur in Archivio Collegiatæ Ecclesiæ Plebis Sacci, & fuit obtentum à Vicario Generali hujus Episcopatus, pro-
4 ut ex sequenti ejus supplici libello, ac Litteris Eminentissimi Cardinalis Caraffæ responsivis. Videlicet:

Eminentissimi, ac Reverendissimi Patres

In Cathedrali Paduæ, & aliquot etiam Collegiatis, quilibet Canonicus vigore Constitutionis reformationis ejusdem Ecclesiæ, Apostolica etiam Auctoritate confirmatæ, potest in diversis temporibus, ejus arbitrio, per tres menses à residentia abesse, & non ultrà; & tunc habetur pro præsente, & Divinis interessente, dummodò verè resideat in toto Adventu, Quadragesima; & certis aliis festivitatibus.

Supplicat Vicarius Paduanus à Sacra Congregatione edoceri, An qui reliquo Anni tempore, videlicet novem mensibus integris non resederit, possit beneficio vacationis ipsorum trium Mensium gaudere, vigore præsertim consuetudinis, post ipsam reformationem hactenùs observatæ?

RESPONSUM.

Dilecto Nobis Vicario Generali Episcopi Paduæ.

Adm. Rev. Dom. Libellus, quem his Litteris adjunximus, tuo nomine oblatus fuit Sacræ Congregationi Cardinalium, Concilio Tridentino interpretando Sanctissimi Domini Nostri Auctoritate præpositorum: qui ad dubitationem libello prædicto compre-
5 hensam responderunt:

Non posse Canonicos, qui novem mensibus integris non resederint, vacatione trium Mensium, de qua in libello, gaudere. Quod superest, Deum rogamus, ut te gratiæ suæ donis cumulare dignetur.

Romæ die 16. Decembris 1588.

Tuus in Domino
A. Cardinalis Caraffa.

Intimatio, & notificatio supradictæ Declarationis R. Capitulo, & Canonicis Collegiatæ Ecclesiæ S. Martini Plebis Sacci.

Die Lunæ 21. Mensis Maii 1590.

Convocato Reverendo Capitulo DD. Archipresbyteri, & Canonicorum Ecclesiæ S. Martini Oppidi
6 Plebis Sacci, Paduanæ Diæcesis, in quo interfuerunt

Adm. Rev. Dominus Aloysius de Ponte Archipresbyter dictæ Ecclesiæ.

Rev. Dominus Presbyter Vincentius Gallus
Rev. Dom. Angelus de Albanensibus
Rev. Dom. Petrus Pavanus
Rev. Dom. Felix de Mangiatoribus } Canonici.

Ego Marcus Antonius Sclavus Notarius Episcopatus Paduæ, mandato Admodum Reverendi, ac Excellentissimi Domini Nicolai Galerii Canonici, & Visitatoris Generalis in Civitate, ac Diæcesi Paduana, Litteras Sacræ Congregationis diei 16. Decembris Anni 1588. super propositione, & supplicatione adm. Rev. & Excell. Domini Vicarii Generalis Episcopatus Paduæ, tenoris suprascripti, eisdem, & cuilibet ipsorum, altâ, & intelligibili voce legens intimavi, & ad ipsorum notitiam deduxi; & copiam dimisi, omni meliori modo.

Qui adm. Rev. D. Archipresbyter benignè intimationem, & præcepta Superiorum acceptavit. Idemque fecit, & affirmavit suprascriptus Rev. Gallus, Rev. D. Angelus Albanensis, Rev. D. Petrus Pavanus, & Rev. D. Felix de Mangiatoribus: Quibus, &c.

Nicolaus Martinius Publicus Veneta Auctoritate Notarius, ac adm. Rev. Capituli Collegiatæ Ecclesiæ S. Martini Plebis Sacci Cancellarius, ex Actis Capitularibus q. Sp. Dom: Joannis Baptistæ Martinii Patrui sui itidem Notarii, & Cancellarii fideliter exemplavit, & in fidem subscripsit: L. D. O. M.

DISCORDIA LXXIX.

ARGUMENTUM.

Parochus statim obtentâ collatione Ecclesiæ Parochialis tenetur in ea residere, nisi legitimo detineatur impedimento; quia tunc Episcopus potest ei dare licentiam per duos Menses, & ultrà non residendi; aliàs eum privare debet tùm fructibus, tùm ipsa Parochiali.

SUMMARIUM.

1 *Parochus statim post collationem Parochialis habitam tenetur in ea residere.* Et num. 3.
2 *Possessio beneficii potest propriâ Auctoritate capi à proviso de illo.*
4 *Parochi an possint à residentia abesse?*
5 *Pœnæ contra Parochos irresidentes.*
6 *Causæ non residendi in Parochiali quænam sint?*

COllata Parochiali Ecclesia per Episcopum cuidam Presbytero, iste procrastinabat possessionem capere ejusdem Parochialis, & ad ejus residentiam se conferre; undè quæsitum fuit; intra quantum tempus teneatur provisus de Parochiali & possessionem sumere, & in ea residere? Respondi, in Jure non esse determinatum tempus, in quo Parochus debeat possessionem suæ Ecclesiæ apprehendere, & ad residen-
1 dum in ea se conferre; ideò dicendum, quod statim post collationem teneatur utrumque adimplere, legitimo impedimento cessante; quia collatio beneficii dat jus in re, & facit beneficiatum dominum beneficii, etiamsi non adipiscatur possessionem. *cap. Si tibi absenti, De Præbend. in 6. cap. ultim. in fin. de Con-*

Concess. Preb. eod. lib. Vivianus *de Jurepatron. lib. 3. cap. 2. num. 2. & 10.* Garzias *de Benefic. part. 4. cap. 2. num. 1. 2. & 6.* ubi ait, possessionem sumi posse ab
2 eodem Parocho etiam propria auctoritate, quia Jus in beneficio provenit à collatione ejus, non autem à possessione; & per consequens statim Parochus tenetur residere, quando obtinuit collationem Eccle-
3 siæ Parochialis; ita præcipiente tùm Jure communi *in cap. Quia Nonnulli. in cap. Conquerente. Et in cap. Relatum. De Clericis non residentib.* tùm Concilio Tridentino *sess. 23. de Ref. cap. 1.* tùm etiam Constitutione 65. B. Pii V. quæ incipit *Cupientes*.

Verum tamen est, quod ab eodem Concilio Tridentino *d. sess. 23. de Ref. cap. 1.* conceditur Parochis, ut abesse possint à residentia, relicto idoneo Capellano, per duos Menses, si legitima causa con-
4 currat, ac Episcopi licentia; etiamsi ipsa causa non sit multùm urgens, ut ait Pax Jordanus *lib. 10. tit. 40. num. 61. & 62. tom. 2.* ideò Episcopus supradicto novo Parocho poterit indulgere, ut per duos menses differat possessionem Parochialis capere, & ad residendum in ea se conferre; quibus transactis, debet ei præcipere, & monitionem facere, ut & possessionem capiat, & resideat in Parochiali sub pœna privationis fructuum, ac etiam ejusdem Parochialis jux-
5 tà idem Trid. Conc. *d. sess. 23. cap. 1.* Et Pianam *Const. 65.* & ad eandem privationem transactis sex mensibus poterit devenire. Massobr. *in Praxi habendi concurs. requis. 1. dub. 2. num. 93.* & Rota coram Card. Seraphino *decis. 1346.* nisi tamen allegaret legitimum impedimentum, & rationabilem causam,
6 qualis esset infirmitas, gravis aliqua inimicitia, prosecutio litis, & aliæ, de quibus Garzias *part. 3. cap. 2. num. 47. & num. 170.* ubi refert plures Declarationes S. Congregationis Concilii, quæ permittunt Episcopis, ut stantibus prædictis impedimentis, & urgentibus causis possint concedere Parochis licentiam non residendi per tres, vel quatuor alios menses, si ita cognoverint in domino expedire.

DISCORDIA LXXX.

ARGUMENTUM.

Canonicatus diaconalis si à Papa concedatur Clerico non habenti debitam ætatem sumendi sacros Subdiaconatus, & Diaconatus ordines, cum præcepto tamen, ut ætate completâ illos in proximis futuris temporibus suscipere teneatur, aliàs Canonicatus vacet eo ipso; si eos non suscipiat, statim vacat; & Capitulum eligere potest novum Canonicum infra sex menses à die cognitæ transgressionis supradicti præcepti.

SUMMARIUM.

1 *Dispensatio Papalis super ætate ad Canonicatum sub qua conditione detur?*
2 *Ordinum denegatio per Ordinarium Clerico facta denotat indignitatem in ipso.*
3 *Ordines denegare possunt Episcopi etiam beneficiatis ob occultam causam.*
4 *Episcoporum judicio est deferendum circa Clericos ordinandos.*
5 *Episcopus repellens Clericum ab ordinibus præsumitur justè repellere.*
6 *Omninò est dictio importans præcisam obediendi necessitatem.*
7 *Ordinibus per Episcopum Clerico denegatis, quo remedio sit ei utendum?*
8 *Impeditus legitimè non dicitur, qui potuit removere impedimentum.*
9 *Negligentia gravis non excusat à pœna.*
10 *Sententia declaratoria an sit necessaria super vacatione beneficii ipso Jure?*
11 *Beneficium ipso jure vacans potest conferri absque alia declaratoria.*
12 *Canonicatus vacans ipso jure impetrari potest, sententiâ non expectatâ.*
13 *Canonicatus vacans in mense Decembri est conferendus à Capitulo.*
14 *Canonicatus ob non susceptum Ordinem Sacrum vacat eo mense, in quo Ordo Sacer erat sumendus.*
15 *Ordo requisitus à beneficio satis est, si sumatur intra annum à die obligationis illum sumendi.*
16 *Menses Martius, Junius, September, & December sunt Capitulares.*
17 *Collatoris Ordinarii habent tempus sex mensium ad conferenda beneficia.*
18 *Canonicus Diaconus habet tempus unius anni ad suscipiendum Diaconatum.*
19 *Verba generalia latè sunt intelligenda etiam in odiosis.*
20 *Ignorantia ex justa causa excusat à culpa, & à pœna.*

Quidem Clericus primâ tantùm Tonsurâ insignitus, & in ætate annorum decem, & novem solummodò constitutus, obtinuit à Papa Coadjutoriam cum spe futuræ successionis in Præbenda, & Canonicatu Diaconali cujusdam Ecclesiæ Cathedralis, cum hac tamen expressa conditione, & pœnali
1 decreto in ejus Bullis apposito, *Ut cum primùm ad ætatem legitimam quemcunque ex Sacris Subdiaconatus, & Diaconatus Ordinibus suscipiendi pervenerit, proximis indè futuris temporibus Ordinem ipsum, quem ætas postulaverit, videlicèt Subdiaconatus, & Diaconatus Sacros Ordines, suscipere omninò teneatur: alioquin, eo deficiente in aliquo ex temporibus prædictis, dicti Canonicatus, & Præbenda vacent eo ipso.* Infrà annum à die Coadjutoriæ hujusmodi obtentæ mortuus est Canonicus Coadjutus, & ipse Clericus remansit principalis, & consequutus est plenam possessionem Canonicatus; cumque de Mense Novembri, Anno 1699. complevisset ætatis suæ annum vigesimum primum, & annum vigesimum secundum incœpisset; & per consequens capax factus fuisset recipiendi Sacrum Ordinem Subdiaconatus, in proximis sequentibus temporibus Mensis Decembris ejusdem Anni 1699 illum non sumpsit; neque sumere curavit in aliis subsequentibus temporibus Mensium Martii, Junii, ac Septembris Anni 1700. Quo tempore, completo etiam ætatis suæ Anno vigesimo secundo Mense Novembri; factusque esset habilis ad suscipiendum Sacrum Diaconatus Ordinem à sua Præbenda, & Canonicatu requisitum, illum pariter omisit suscipere; bis transgrediendo conditionem, qua fuit à Papa provisus de hoc Canonicatu; nihil curans de præcepto Pontificio sumendi eosdem Ordines Sacros, sub pœna vacationis Canonicatus eo ipso, in Litteris suæ provisionis inserto.

Capitulum, & Canonici ejusdem Cathedralis, reflectentes ad hanc transgressionem, censuerunt, Canonicatum prædicti Clerici esse vacantem; ideòque de Mense Decembri ejusdem Anni 1700. juxta eorum statuta, & immemorabilem consuetudinem, processerunt tanquam Collatores Ordinarii ad electionem novi Canonici, Sacros Ordines Subdiaconatus, & Diaconatus habentis, cui ipsam Præbendam, & Canonicatum Diaconalem contulerunt. Ab hujusmodi nova electione, ac collatione Capitulari prædictus Clericus appellavit, asserens, eam esse invalidam, & injustam; & circa illam quatuor sequentia Quæsita mihi proposita fuerunt de Jure, & pro veritate resolvenda.

Primò, An attenta non susceptione Sacri Ordinis Subdiaconatus in nullo ex quatuor temporibus, postquam dictus Clericus compleverat annum ætatis suæ vigesi-

Digitized by Google

vigesimum primum, Canonicatus ejus verè vacaverit eo ipso; quamvis, ut asserit, ipse petierit ab Ordinario suo ordinari, & fuerit ab ordinatione repulsus Anno 1699. Mense Decembri?

Secundò: Estò, quod Canonicatus ob non susceptum Subdiaconatus ordinem verè eo ipso vacaverit, An Capitulum potuerit procedere ad electionem novi Canonici absque prævia Sententia declaratoria super eàdem vacatione?

Tertiò: An electio novi Canonici facta per Capitulum dicto Anno 1700. Mense Decembri, verè, ac de Jure spectet ad ipsum Capitulum?

Quartò: Utrùm prædicta novi Canonici electio Capitularis facta sit in tempore à Jure statuto?

Habita matura consideratione ad hæc Quæsita; & facto convenienti studio super singulis eorum, in sensu veritatis, & de Jure censui Respondendum, ut infrà.

Ad Primum dixi, quod Canonicatus vacaverit eo ipso tùm ob culpam, tùm ob negligentiam ejusdem Clerici. Culpa ejus deducitur, ex denegata Sacri Ordinis collatione ab Ordinario ei facta; quæ sup-
2 ponit ip ipso Clerico indignitatem, vel ob ignorantiam Litterarum, vel ob pravitatem morum; cum enim à Tridentino Concilio *sess.* 14. *de Ref. cap* 1. data sit Ordinariis facultas repellendi ab Ordinibus Clericos indignos, etiam ob occultum crimen, quomodolibet,
3 & extrajudicialiter sibi notum, dicendum venit, prædictum Clericum non absq; justa causa, sed ob ejus gravem aliquam culpam rejectum fuisse per suum Episcopum ab ordinatione Subdiaconatus; de jure enim deferendum est judicio Episcopi circa mores Clericorum, &
4 qualitates necessarias ad Ordines Sacros suscipiendos. Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancell. glossa* 4. *num.* 117. Rota *decis.* 223. *num.* 1. *post* 2. *Vol. Consil.* Farinacii. Eadem Rota coram Emin. Othobono *decis.* 86. *num.* 9. & coram Priolo *decis.* 175. *num.* 14. quod in puncto docent etiam Barbosa *de Offic. & Pot. Episc. alleg.* 4. *num.* 66. & Fagnanus tùm *in cap. Quæris. num.* 24. *de Ætate, & Qualit.* tùm *in cap. Ex tenore. num.* 13. tùm etiam *in cap. Ad aures. num.* 12. *De Tempor. Ordinat. tom.* 2. ubi advertit, Decretum Concilii Tridentini comprehendere etiam Clericos habentes beneficia, vel dignitates, ex quibus obligantur se promoveri facere ad Ordines. Nec referri potest rejectio ab ordinatione in hoc casu ad adversionem animi, vel aliquod moti-
5 vum minùs justum in Episcopo; quia cum notoria sit ejus justitia, pietas, ac religio, excluditur ab illo omnis suspicio injustitiæ. Farinacius *libr.* 1. *consil.* 99. *num.* 73. & apud illum Rota *decis.* 267. *num.* 2. *post lib.* 2. *Consilior.*

Negligentia quoque ejusdem Clerici penitùs inexcusabilis, & omninò peccaminosa fuit causa vacationis ejusdem Canonicatus; cum enim ei præceperit expressè Summus Pontifex, ut completà ætate annorum unius, & viginti, in proximis futuris temporibus reciperet Ordinem Sacrum Subdiaconatus *Omninò*, quæ dictio im-
6 portat præcisam obediendi necessitatem, & obligationem. DD. apud Barbosam *Diction.* 240. *num.* 13. & 14. ipse Clericus, denegatà, ut asserit, sibi sacrà Ordinatione ab Episcopo Ordinario suo, neglexit remedium à Jure in tali casu introductum; recursum scilicèt ad Sacram Congregationem vel Concilii, vel Epi-
7 scoporum; à qua requiruntur causæ ab Episcopis, quibus Clericos suos, præcipuè beneficiatos, recusant ad Sacros Ordines promovere; & iisdem causis minùs legitimis existentibus, ab eadem Sacra Congregatione datur facultas viciniori Episcopo rejectum ab ordinatione Clericum ordinandi, ut testatur Fagnanus *in d. cap. Ad aures. num.* 22. *de Tempor. Ordinat.* Pyrrhus Corradus *in Praxi Dispensat. Apostol. lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 53. 55. & 56. Cæsar de Panimollis *decis.* 139. *num.* 48. & Emin. Card. de Luca *De Benefic. disc.* 7. *à num.* 4. & *seqq.* Igitur cum prædictus Clericus, estò quod fuerit repulsus per Ordinarium suum ab Ordinibus; cum acquieverit repulsæ per integrum annum; & pro sui ipsius justificatione nihil egerit, sequitur, in negligentia culpabili fuisse, & eum dicere non posse, quod per se non steterit, si Ordinem Sacrum Subdiaconatus non susceperit; & quod fuerit legitimè impeditus; siquidem qui de facili potest removere impe-
8 dimentum, & non removet, non dicitur impeditus, sed convincitur de culpabili negligentia. Menochius *cons.* 100. *num.* 16. Ciarlinus *lib.* 1. *cap.* 90. *num.* 1. & 2. & ille, qui non fecit diligentias in tempore pro removendo impedimento, non excusatur ab incursu pœnæ ipso Jure appositæ. Loterius *lib.* 1. *quæst.* 39 *num.* 127. nec non *lib.* 2. *q.* 24. *num.* 9. Quapropter antedictus Clericus ex capite propriæ negligentiæ (ultrà culpam in-
9 dignitatis ob malos mores) incurrit in pœnam privationis Canonicatus. Abbas *in cap. Extirpandæ. §. Quia verò. De Præbend.* Rota coram Card. Seraphino *Decis.* 220. *num.* 2. & coram Bichio *Decis.* 238. *num.* 13. juxtà expressam comminationem à Papa insertam in suis Bullis. Riccius *in Praxi part.* 3. *resol.* 462. *Vers. Quadragesimo sexto.* & ibi Rota in una *Vicen. Canonicatus* 5. *Junii* 1590. coram Pamphilio, & in una *Ilerden. Canonicatus* 1597. coram eodem. Firmata igitur vacatione Canonicatus tùm ob culpam, tùm ob negligentiam ipsius Clerici:

Ad Secundum Quæsitum, in quo petitur, An Capitulum potuerit devenire ad novam electionem alterius Canonici absque prævia Sententia declaratoria superèadem vacatione? pariter Respondi Affirmativè. Ratio est, quia licèt disputent Doctores, An privatus ipso jure beneficio, quod habebat, possit etiam privari possessione absque Sententia declaratoria? &
10 hinc indè sint diversæ opiniones, secundum diversitatem casuum, in quibus beneficia vacant ipso jure; ut videre est apud ipsos Doctores, quos cumulat, & allegat Loterius *lib.* 3. *quæst.* 18. *à num.* 26. & *seqq.* Nihilominùs quo ad dispositionem ipsius beneficii, ut suprà ipso jure vacantis, vel per impetrationem, vel per electionem, aut collationem, non est necessa-
11 rium, ut Sententia declaratoria præcedat, juxta textus expressos in *cap. Licet canon. §. Is, cui.* & ibi Glossa *in Verb. privatus. De Elect. in* 6. & *in cap. Commissa, §. Porrò. eod. tit.* & ibi pariter Glossa, quam sequuntur omnes Canonistæ, inter quos Probus *in Addit. ad Jo: Monachum in cap. Alma. n.* 8. *de Sent. Excom. in* 6. Felinus *in cap. Cum non ab homine. num.* 10. *Limit.* 1. *De Judiciis.* Diaz *cap.* 55. *num.* 1. & 2. Rebuffus *in Praxi benefic. in tit. De non promotis intra annum num.* 1. & *num.* 50. Barbosa *de Parocho cap.* 5. *num.* 12. Antonellus *de Regimine Milit. Eccl. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 33. Tondut *de Pensionibus cap.* 76. *num.* 25. Latè Garzias *de Beneficiis part.* 11. *cap.* 10. *à num.* 23. & *seqq.* ubi loquitur in puncto præsentis casus, de collatione beneficii vacantis ipso jure ob non susceptos Ordines in tempore præfixo; & hoc idem docent, & tenent plurimi alii DD. quos allegat, & probat Rota *part.* 12. *recent. decis.* 69. *n.* 8. ubi firmat, Canonicatum vacantem ipso jure, vali-
12 dè fuisse impetratum, & de eo dispositum, quamvis non esset pronunciata Sententia declaratoria super ejus vacatione, neque fuisset citatus possessor: quia neque citatio, neque Sententia est necessaria; quibus auctoritatibus, & doctrinis attentis, absque hæsitatione affirmandum venit, esse validam electionem factam à Capitulo de novo Canonico post annum à die completæ ætatis ejusdem Clerici pro suscipiendo Subdiaconatu, & per eum non suscepto; quamvis eum priùs citare non fecerit coram competenti Judice ad audiendam Sententiam super ipsius Canonicatus vacatione; attentà ejusdem vacationis notorietate ob non susceptum Sacrum Ordinem Subdiaconatus in termino per Papam præfixo, sub pœna privationis, & vacationis ipso jure.

Ad Tertium Quæsitum, in quo requiritur, An electio novi Canonici facta per Capitulum mense Decem-

Digitized by Google

cembri, Anno 1700, verè, ac de Jure spectet ad ipsum Capitulum? pariter Respondi Affirmativè, ea ratione
13 quia vacatio Canonicatus contigit in mense Capitulari. Hoc concludenter probatur, ac desumitur ex eo, quod vacatio emanavit à die transgressionis præcepti comminantis ipsam vacationem eo ipso, ut optimè de-
14 monstrat Loterius *d. lib. 3. quæst. 18. num. 58.* Modò Summus Pontifex in suis Litteris Apostolicis, quibus contulit Canonicatum, prævia gratia Coadjutoriæ, huic Clerico; eidem præcepit, *ut cum primùm ad ætatem legitimam pervenerit, proximis indè futuris temporibus ordinem ipsum, quem ætas postulaverit, suscipere omninò teneretur, alioquin eo deficiente in aliquo ex temporibus prædictis, Canonicatus, & Præbenda vacarent eo ipso.* Modò iste Clericus complevit ætatem pro Subdiaconatu Mense Novembri Anni 1699; & sic suscipere debebat Ordinem Subdiaconatus in temporibus subsequentis Mensis Decembris ejusdem Anni 1669. quæ proxima erant complemento suæ ætatis, juxtà Pontificium præceptum sibi factum, & in Bullis Coadjutoriæ, & Canonicatus concessionis insertum. Omisit Clericus Subdiaconatus Sacrum Ordinem sumere eodem Mense Decembri, tùm ob ejus culpam, tùm ob ejus negligentiam, ut probatum est suprà in primo Quæsito. Ergo Canonicatus vacavit in ipso Mense Decembri, qui est mensis Capitularis; & in quo Capitulum vigore statutorum, & immemorabilis consuetudinis disponit de Canonicatibus in eo vacantibus; & per consequens electio novi Canonici, & dispositio ejusdem Canonicatus spectat ad ipsum Capitulum.

Neque obstat, si dicatur, Summum Pontificem non dixisse in suis Litteris Apostolicis, quod prædictus Clericus teneretur post completam ætatem sumere sacrum Subdiaconatus Ordinem *in primis futuris Temporibus*; sed generaliter *in proximis indè futuris Temporibus*; ex qua generali locutione deduci potest, non fuisse obligatum ipsum Clericum sumere sacrum Ordinem precisè in Temporibus Mensis Decembris Anni 1699. sed potuisse differre Ordinationem suam
15 ad alia tempora subsequentia intra annum à die completæ ætatis juxtà dispositionem, & concessionem factam omnibus obtinentibus beneficia, requirentia susceptionem Ordinum per Concilium Constantiense sub Martino V. *in sess. 43.* de qua scribit Fagnanus *in cap. Cum in cunctis §. Inferiora num. 23. De Elect. tom. 2.* Siquidem supposità etiam hac habilitate in hoc Clerico, ac dilatione sumendi Ordinem sacrum intra annum, & sic in aliis subsequentibus temporibus
16 post mensem Decembris 1699. talia Tempora Anni 1700. occurrerunt in mensibus Martii, Junii, ac Septembris; qui omnes sunt menses Capitulares, prout est December; cumque omiserit, se ordinare facere etiam in his mensibus Anni 1700. sequitur dicendum, quod vacatio Canonicatus contigerit in Mense proprio ipsius Capituli; & sic ipsum potuisse devenire ad electionem novi Canonici, & ad provisionem illius Canonicatus tanquam vacantis in mense Capitulari. Tandem

Quo ad Quartum Quæsitum, in quo disputatur, Utrùm prædicta novi Canonici electio Capitularis facta sit in tempore à Jure statuto? pariter Respondi Affirmativè. Ratio est manifesta, quia cum talis electio facta sit per Capitulum Mense Decembri Anni 1700. & Collatores ordinarii habeant terminum sex men-
17 sium à die notitiæ vacationis beneficii ad eligendum, & disponendum de illo. Abbas *in cap. Dilectus. num. 2. De Conceß. Præbend.* Ventriglia *tom. 2. Annot. 3 §. 2. num. 11.* supposità vacatione hujus Canonicatus in temporibus Mensis Septembris ejusdem Anni 1700. ad quæ usque tempora antedictus Clericus Canonicus differre poterat suam ordinationem in Sacris, & non ultrà ex jam dictis, sequitur evidenter, quod Capitulum processit ad novam electionem intra debitum tempus, nempè in tertio mense à vacatione ipsa.

Neque valeret objectio, si quis defendere vellet, & assereret, quod vacatio contigit in primis temporibus, quæ evenerunt post completam ætatem ab eodem clerico ad suscipiendum Ordinem Subdiaconatus, scilicèt in Mense Decembri Anni 1699. in quibus tenebatur illum suscipere, & non suscepit; & sic Capitulum videtur fuisse morosum, & devenisse ad electionem novi Canonici tantummodò Mense duodecimo à die vacationis. Nam hæc objectio evacuatur duplici Responsione. Prima est, quod ille Clericus verè, & propriè non erat obligatus sumere Subdiaconatus Ordinem in temporibus primis, quæ evenerunt post completum
18 vigesimum primum annum ætatis suæ; idest in Mense Decembri Anni 1699. quia Summus Pontifex in litteris Apostolicis non posuit ei præceptum, *ut in primis futuris temporibus ordinaretur in Sacris*, sed solummodò dixit, ut *in proximis futuris temporibus, Sacrum Subdiaconatus ordinem susciperet*; quæ locutio, cum sit generalis, extendi debet etiam ad sequentia quatuor tempora intra annum à die completæ ætatis, juxtà dispositionem Juris communis, ut dictum est
19 *supra num. 15.* quandoquidem verba generalia latè intelliguntur etiam in odiosis, si ipsorum proprietas hoc patitur, ut in præsenti casu. Gratian. *Discept. forens. cap 689. num. 17.* ubi alii DD. Secunda responsio est, quod etiamsi concederemus, Canonicatum vacasse in primis quatuor temporibus post completum vigesimum primum annum, nempè in Mense Decembri 1699. ob non susceptum Subdiaconatum in illis; adhuc Capitulum potuit Mense Decembri 1700. devenire ad electionem novi Canonici, & disponere de illo Canonicatu; quia antea non habuit, nec habere poterat notitiam completæ ætatis ejusdem Clerici; tantò minùs quia ipse Clericus in Bullis suæ Coadjutoriæ registratis in Archivio Capitulari expresserat Summo Pontifici minorem ætatem, quàm verè tunc haberet; idcircò Capitulum habuit justam causam ignorandi, quod transgressio Pontificii præcepti contigerit in temporibus Mensis Decembris Anni 1699. vel in illis Men-
20 sium Martii, aut Junii Anni 1700 Certum est autem quod justa causa ignorantiæ, & quodcunque legitimum impedimentum juris, vel facti excusat Collatores inferiores à negligentia, & non permittit currere tempus ad eligendum, nisi à die detecti erroris, & impedimenti sublati. *cap. Quia diversitatem: De Conceß. Præbend.* Antonellus *de Tempore Legali lib. 3. cap. 16. num. 8.* Rota coram Card. Seraphino *decis. 380.* Loterius *lib. 2. quæst. 24. num. 27.* & Ventriglia *d. tom. 2. Annot. 3. §. 2. num. 15.*

DISCORDIA LXXXI.

ARGUMENTUM.

Hæres obligatus celebrare facere Missam quotidianam pro anima Testatoris, si commiserit celebrationem ficto, ac ementito Sacerdoti, quando teneatur easdem Missas supplere, ac iterùm celebrare facere?

SUMMARIUM.

1 *Hæres obligatus celebrare facere certas Missas, quando teneatur reiterare celebrationem earum? & num. 3.*

2 *Bidellus non adstringitur restituere Scholari librum, quem dedit ejus consueto famulo, vel deferenti certum signum.*

4 *Sacerdotes exteri à nullo, neque à Regularibus admittendi sunt ad celebrandum, si Ordinarii loci licentiam non habeant.*

PEr aliquot annos Hæres, Legato Missæ quotidianæ ex majorum Testamento oneratus, eam celebrare fecit

fecit ab extero Sacerdote, qui deindè cognitus fuit non esse talis, sed ementitus, ac merus Laicus. Quæsitum est, an prædictus Heres sit obligatus Missas illas non veras ab alio celebrare, ac supplere facere?

Ad hunc Heredem respondi cum distinctione. Vel fictus ille Sacerdos erat approbatus ab Episcopali Curia, & ab ea habebat licentiam celebrandi in Diæcesi?
1 Et in hoc casu Heres ad nihil tenetur. At è contra prædictus Sacerdos ementitus non habebat approbationem, & licentiam ab Ordinario celebrandi? & in hoc casu Heres censetur fuisse in culpa, committens celebrationem Missarum non habenti Episcopalem permissionem, & tenetur iterum celebrare facere, ac supplere omnia Sacrificia illa, quæ inania fuere, ob defectum characteris Sacerdotalis in ementito illo Sacerdote. Fundatur hæc mea Responsio in doctrina Bartoli *in l. Si quis Uxori*. 53. §. *Apud Labeonem. ff. de Furtis*; ubi firmat, non teneri Bidellum solvere pre-
2 tium libri à Scholare sibi consignati, si eum dederit consueto famulo, vel alicui alteri portanti signum à Scholare indicatum Bidello; etiamsi qui portavit signum fuerit latro, & furtivè signum arripuerit; & ratio est, quia tunc nulla culpa fuit in Bidello; ut concordanter habetur etiam *in l. Eum qui*, 10. §. *fin. & in l. Argentum*. 20. *ff. Commodati*. Ita in præsenti casu; cum Testator injunxerit Heredibus, ut quotidiè sibi transmitterent Suffragia Missarum per manus Sacerdotum, signum Episcopalis approbationis, ac licentiæ in manibus habentium; si Heredes committant
3 celebrationem Missarum habentibus tale signum, approbationem scilicèt, ac licentiam ab Episcopali Curia; ipsi non sunt in culpa, quamvis tale signum furtivè fuisset obtentum; & licentia celebrandi per errorem à Curia Episcopali fuisset non Sacerdoti elargita; & sic Heredes ad supplementum Missarum non tenentur. Porrò si absque signo, idest licentia Episcopi committant Missas celebrandas alicui non Sacerdoti, tenentur eas supplere facere, quia fuerunt in culpa; cum nemo possit, aut debeat admittere aliquem exterum Sacerdotem ad celebrandum, neque in Ecclesiis
4 Regularium, nisi habeat facultatem ab Ordinario loci, & ab eo Litteræ dimissoriales ipsius sint recognitæ, ut docui in meis Decisionibus *De Venerab. Euchar. Sacram. Decis.* 37. *num.* 7. *atque Decis.* 60. *num.* 13. Hanc meam distinctionem approbant, & tenent Rebellius *de Oblig. just. part.* 1. *lib.* 2. *quæst.* 13. *num* 14. & 15. Valerius *in Different. utriusq. for. Verb. Restitutio. diff.* 42. ubi DD. cumulat. Molina *tom.* 2. *tract.* 2. *disp.* 296. *num.* 8. & Bonacina *de Restitut. in genere disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 9. *à num.* 8. *& seqq.* præcipuè *num.* 11. & 12. *tom.* 2.

DISCORDIA LXXXII.

ARGUMENTUM.

In taxandis Præbendis Canonicalibus pro supplemento Summæ quotidianarum distributionum, detrahendæ sunt Pensiones, quibus ipsæ Præbendæ sunt oneratæ.

SUMMARIUM.

1 *Ducatorum tria millia dantur annuatim Canonicis Paduanis pro quotidianis distributionibus.*
2 *Pensiones plures super Præbendis Canonicalibus Paduæ.*
3 *Contributiones imponendæ sunt juxtà valorem bonorum.*
4 *Bona nostra sunt illa, quæ supersunt soluto ære alieno.*
5 *Quod nos aliis debemus, æs alienum nuncupatur.*
6 *Taxa pro distributionibus quotidianis non est personalis, sed realis.*
7 *Collectæ reales sunt ad ratam fructuum, deductis expensis, ac oneribus.*
8 *Injustitia est solvere duplicem taxam super iisdem fructibus.*
9 *Decimarum Papalium solutio fit Principi, cum bonificatione pro rata Pensionum.*
10 *S. Congregatio Concilii mandat, ut detrahantur Pensiones in taxa pro quotidianis distributionibus.*
11 *S. Congregationis decreta habent vim legis.*
12 *Taxa Præbendarum pro distributionibus quotidianis non est facienda secundum valorem antiquum, sed præsentem.*
13 *Consuetudo irrationabilis non est servanda.*

IN Ecclesia Cathedrali Patavina inter Canonicos residentes distribuuntur annuatim tria millia Ducatorum; sed quia introitus Canipæ majoris ejusdem Cathedralis, qui pro distributionibus deserviunt, ad dictam sum-
1 mam non ascendunt, DD. Canonici supplementum erogant ex fructibus suarum Præbendarum juxtà contributionem, quam unicuique imponit Capitulum annis singulis, habito respectu ad majus, vel minus æstimum Præbendarum Canonicalium, ad præscriptum Bullæ Gregorianæ, videlicèt ad Constitutionem particularem Gregorii XIII. ab eodem Capitulo impetratæ Anno 1575. super forma solvendi distributiones prædictas. Verùm quia nonnulli ex DD. Canonicis habent suas Præbendas oneratas Pensionibus, ad fa-
2 vorem exterorum, Apostolicâ Auctoritate impositis, & nihilominùs in taxanda prædicta contributione non detrahuntur ab æstimis Præbendarum antedictæ Pensiones; sed ipsi Canonici collectantur eo modo, quo collectarentur, si Præbendas liberas, & immunes à Pensionibus haberent; Quæsitum fuit, An de Jure reclamare possint contra dictam taxam, & petere ejus moderationem, itaut fiat ad ratam fructuum, qui remanent detractis Pensionibus? Respondi affirmativè ex sequentibus rationibus, ac juridicis fundamentis.

Primò, quia de jure omnes contributiones imponendæ sunt secundùm quantitatem bonorum cujusvis contribuentis, *cap. Cum Apostolus. cap. Sopitæ, & cap. Cum nuper*, ubi Glossa *De Censib. cap. Conque-*
5 *rente. De Offic. Ordin.* & facit textus *in Extravag. Vas Electionis in princ. De Censib. inter comm.* nec non *in l. Cum possessor. ff. eod. tit.* & in *l.* 2. *C. De Annon. & tribut. lib.* 10. Sed quantitas fructuum, seu pecuniæ, quæ à Canonicis erogatur in solvendis Pensionibus, non dicitur esse in eorum bonis; id enim à bonis nostris abest, in quo alteri obligati sumus. *l. Si quis mandat.* & ibi Glossa *in Verb. videtur. ff. De Negot.*
4 *gestis*: Et cujusque bona intelliguntur, quæ ei supersunt deducto ære alieno. *l. Subsignatum*. §. *Bona*, ubi etiam Glossa *ff. De Verb. Signific. l.* 2. §. *Illud autem*. *ff. De Collation. bonor.* Et quod nos aliis debemus, dicitur æs alienum; & quod nobis alii debent, æs no-
5 strum appellatur. *l. Bonorum. l. Cedere diem. ff. De Verb. Signific. l. Ob æs alienum. C. De Actionib. & Obligat.* Ergo DD. Canonici habentes Præbendas oneratas Pensionibus taxari non debent ad supplendam summam trium millium Ducatorum pro quotidianis distributionibus, nisi iisdem Pensionibus deductis.

Secundò, quia hæc taxa non est personalis, sed realis, quæ imponitur non personis, sed super fructibus Præbendarum; ut manifestè constat tùm ex illis verbis citatæ Bullæ Gregorianæ, *ratione habita valoris*
6 *Præbendarum, & fructuum*, tùm ex ipsa methodo taxandi; quia non imponitur æqualis contributio unicuique Canonico; sed inæqualiter, & secundum pinguiores, vel minùs pingues Præbendas. Sed in collectis, & contributionibus realibus attendendus est valor fructuum deductis expensis, & oneribus super eis existentibus. *cap. Præsenti. De Offic. Ordin. in* 6. Felinus *in cap. Ad Aures*, *num.* 13. *Vers. Duodecima* conclu-

Digitized by Google

conclusio. De Rescripti. Ferrettus cons. 256. num. 8. & cons. 354. num. 15. Garzias de Benefic. part. 5. cap. 3. num. 164. Barbosa De Appellat. Verbis Appellat. 103. num. 22. Rota Decis. 60. De Conceff. Præben. in antiquis. Ergo priùs deducendæ sunt Pensiones, quibus Præbendæ Canonicales sunt oneratæ, deindè super earum reliquis fructibus rata contributionis pro quotidianis distributionibus est imponenda.

Tertiò, quia aliàs sequeretur magna injustitia, ex eo quod Canonici pensionati duplici solutione gravarentur super iisdem fructibus; solvendo scilicèt eosdem
8 Pensionariis, ac pariter Caniпario Reverendissimi Capituli; quod non est à jure permissum. l. Navis. §. Cum autem. ff. Ad leg. Rhod. de jactu: ibi: Quia non debet duplici damno onerari: prout etiam paulò infra in Vers. Quid ergo: ibi: Indubitatè utrumque onus pati non debet: quod latè considerat Tiraquell. De Retract. Lignag. §. 1. gloss. 18. num. 9. textum notabilem in l. Honorem sustinenti ff. De Munerib. & Honorib. concordat Bellencin. De Charitativo subsidio. quæst. 37. & Purpuratus agens de collectis in cons. 356. num. 2. lib. 1.

Quartò, quia Capitulum non debet esse melioris conditionis, quàm sit Supremus Princeps, qui in exigendis Decimis, ac Subsidiis Papalibus à beneficiatis, vult iisdem bonificari ratam Pensionum, quas solvunt; & quando Pensionarii sunt à Decimis solvendis
9 exempti, prout sunt S. R. E. Cardinales, ac Auditores Rotæ, iisdem beneficiatis defalcat ratam pro iisdem Pensionibus, ut est notorium cuique. Ergo etiam Capitulum in taxandis Canonicatibus, pro supplendâ summa quotidianarum Distributionum, debet defalcare ratam Pensionum, quæ super iisdem sunt impositæ. cap. 1. De in integr. restitut. Barbosa de Offic. & pot. Episc. allegat. 37. num. 79.

Quintò, quia in terminis præsentis Discordiæ, in taxandis Præbendis Canonicalibus pro detrahenda tertia parte fructuum, qui deserviant pro quotidianis Distributionibus, Sacra Congregatio Concilii pluries de-
10 claravit, detrahendas priùs esse Pensiones super iisdem Præbendis existentes, ut testantur Garzias de Benef. part 3 cap. 2. num. 468. & Barbosa de Jure Eccles. Univ. lib. 3. cap. 18. num. 20. & novissimè emanavit alia declaratio in una Bergomen. de Anno 1652. quæ est hujusmodi. Quærit Ordinarius Bergomen. An assignatio tertiæ partis redituum Præbendarum pro Distributionibus quotidianis fieri debeat detractis Pensione, & aliis oneribus, & de quo tempore? Die 25. Maii 1652. Sacra Congregatio Concilii respondit, fieri debere detractis Pensionibus, & aliis oneribus legitimis antea reservatis, & quamdiù illa duraverint. Porrò Decla-
11 rationes S. Congregationis Concilii habere vim legis, & obligare in utroque foro testantur DD. quos citat, & sequitur Barbosa de Jure Eccl. Univ. lib. 1. cap. 4. num. 83. Rodericus QQ. Regular. tom. 1. q. 11. art. 2. & Rota coram Buratto decis. 479. num. 21.

Neque obstat, quod in citata Bulla Gregoriana dicatur, hànc contributionem esse imponendam super Canonicatibus juxta taxam Decimæ factam Anno 1567. quæ verba significare videntur, ad nihil aliud esse respiciendum, nisi ad valorem fructuum Canonicatuum tunc temporis calculatum, & liquidatum. Quia respondetur, illam clausulam habere relationem ad cognoscendum valorem fructuum cujuscunque Canonicatus de per se, & quatenùs Pensionibus non sint onera-
12 ti; non autem ad tollendam dispositionem Juris communis, & ad evertendam naturalem rationem; impugnandasvè Declarationes Sacræ Congregationis Concilii; præcipientes, si contingat fructus Canonicatuum Pensionibus onerari, esse detrahendas ipsas Pensiones, in æstimando valore eorundem fructuum, pro imponenda taxa Distributionibus quotidianis profutura: etenim, ut supra probatum est, fructus dicuntur detractis oneribus; & in hujusmodi contributionis impositione non est attendenda taxa præteritorum temporum; sed præsens valor ipsorum fructuum. Garzias d. part. 3. cap. 2. num. 467.

Pariter non obstat, allegare consuetudinem hucusque servatam taxandi Præbendas Canonicorum juxtà earum æstimum, non detractis Pensionibus. Quia
13 cum talis consuetudo sit irrationabilis, minimè est observanda. cap. Mala autem consuetudo. 8. dist. cap. fin. De Consuetud. Sperellus decis. 133. num. 21. & decis. 179. num. 33. Manifesta est autem irrationabilitas hujus consuetudinis, quia repugnat decisionibus, & juribus fundatis in ratione naturali, quæ non patitur, ut quis duplici onere gravetur, ut demonstratum est supra, & concludenter probant Sperellus d. decis. 179. num. 60. & Menochius de Arbitr. Judic. casu 82. num. 18. ubi in specie firmat, irrationabilem esse consuetudinem, quæ aliquem indebitè gravat. Quare, &c.

DISCORDIA LXXXIII.

ARGUMENTUM.

Capellania non est Sacerdotalis, quamvis Fundator dixerit, quod ad eam eligatur Sacerdos, quando concesserit, ut etiam per alium possit Missas celebrare; & ideò ad illam præsentari, ac institui potest etiam Clericus annorum quatuordecim.

SUMMARIUM.

1 Capellanus, ubi per se non est obligatus celebrare, non tenetur esse Sacerdos.
2 Clericus annor. 14. est capax Capellaniæ, cum obligatione Missarum.
3 Rota coram Merlino ita decidens.
4 S. Congregatio Concilii hoc idem declarans.
5 Doctores hoc idem docentes.
6 Cardinalis Ludovisius factus Papa vocatus Gregorius XV.
7 Oliverii Beltramini doctrina, quando Capellania sit Sacerdotalis.
8 Rotæ Romanæ aliæ Decisiones de eadem doctrina.

ANno 1450. instituta fuit Capellania in Ecclesia Cathedrali Vicentina per Patronum Laicum his verbis: Quod unus Presbyter dictæ Ecclesiæ Cathedralis habere debeat dictas L. 150. denariorum de affictu omni anno; qui investiri debeat de dicto affictu, & beneficio ejus per Capitulum dictæ Ecclesiæ; & Jufpatronatus ipsius beneficii spectet ad infrascriptos ejus heredes offerendi, & præsentandi dicto Capitulo unum Sacerdotem, qui sit idoneus, & sufficiens: qui quidem Sacerdos teneatur, & obligatus sit ipse, vel alius ejus loco, & vice, omni die celebrare Missam ad Altare dictæ Capellæ, & in d. Missa facere commemorationem Animæ ipsius Testatoris, & defunctorum suorum &c. Vacat hoc anno 1690. hæc Capellania; & quia Patronus Laicus cupit ad eam præsentare Clericum annorum viginti, Quæritur, An possit? & an Capitulum dictæ Cathedralis teneatur eandem præsentationem admittere, & ipsum Clericum investire?

Respondi ad utrumque Quæsitum Affirmativè; quia, etsi dixerit Fundator Capellaniæ, quod præsentetur Sacerdos, tamen noluit, eum esse obligatum personaliter celebrare; sed subjunxit, quod teneatur, & obligatus sit ipse, vel alius ejus loco, & vice, omni die celebrare. Constans autem est opinio Doctorum, canonizata per Rotam, & Decreta S. Congregationis, quod quotiescunque Testator non obligavit Capellanum, ut personaliter celebret, & per se-
1 ipsum, Capellania non sit Sacerdotalis, quamvis dixerit, ut eligatur Sacerdos in Capellanum; & per

consequens illa potest conferri Clerico annorum quatuordecim; ut novissimè scribit doctissimus Jacobus Pignatellus Jurisconsultus Romanus *tom. 7. consult. 2. num. 6.* his verbis: *Imò etiamsi Testator dixerit, quod præsentetur, seu instituatur Sacerdos, vel Presbyter, qui Missas celebret, adhuc posset per alium celebrare;*
2 *& Capellania non esset Sacerdotalis, sed posset conferri simplici Clerico, ut tradunt Rota in Pirmana Altaris 5. Decembris 1594. coram Blanchetto; & in Pampilonensi Sacrificii 11. Februarii 1591. & in fortioribus terminis idem respondit Sacra Congregatio Concilii in Ariminensi 17. Maii 1636. ubi mandabatur eligi unus Presbyter bonus, qui continuò celebret Missas &c. & nihilominùs S. Congregatio censuit, sic electum non teneri per seipsum celebrare, quia non dictum erat per seipsum. Idem tenuit Rota coram Merlino decis. 825.* Hæc Pignatellus.

Rotæ verò coram Merlino *in cit. Decis.* 825. *num.* 8. sunt sequentia: *Et quod Dominos in hanc resolutionem maximè impulit, illud fuit, quod Sacra Congregatio Concilii hanc tenet sententiam, cujus resolu-*
3 *tiones Rota semper reverenter excipit, & sequitur. Sacra enim hæc Congregatio pluries respondit, nisi Fundator expressè dixerit, quod præsentandus celebret per seipsum, beneficium non esse Sacerdotale, & posse per alium adimpleri onus Missarum, ut in Resolutione impressa 1630 post sess. 24. num. 12. de Ref. in fin. & duæ aliæ extant Resolutiones ejusdem S. Congregationis impressæ eodem anno 1630. post sess. 25.*
4 *cap. 5. de Ref. & tres habentur apud* Garziam *de Benefic. part. 7. cap. 1. num. 47. aliæ duæ ibidem num. 93. quarum omnium brevior, & magis præcisa est hujus tenoris. Habens Capellam non tenetur promoveri ad Sacerdotium, dummodò in fundatione cautum non sit, ut Capellanus per seipsum Missas celebret.* Hæc omnia Rota coram Merlino ubi supra, quæ ex abundanti allegat DD. ita docentes, inter quos Mar. Antonin. *Var. Resol. 4. num. 3.* Vivianum *de Jurepa-*
5 *tron. lib. 6. cap. 6. num. 31.* Quarantam *in Summa Bullar. Verb. Servitium Capellaniæ in princ.* Gratianum *Discept. forens. cap. 133. à num. 12. & seqq.* Garziam *de Benefic. part. 7. cap. 1. §. 1. num. 85.* Gonzalez *ad Reg. 8. Cancell. gloss. 5 num 74.* & alios multos; quibus addere licet Oliverium Beltraminum *in*
6 *Annot.* ad Decisiones Rotæ Cardinalis Ludovisii, qui promotus ad apicem Summi Pontificatus se vocavit Gregorium XV. ille enim *ad Decis.* 108. *num.* 15. annotat ita:

Et quod Beneficium non censeatur Sacerdotale, non obstante, quod in fundatione fuerit dictum, quod eligatur Capellanus, qui Missas celebret; quia cum non
7 *dicatur, quod celebret per seipsum, potest per alium celebrare juxta decisionem Laps 35. & plures cumulat Gonzalez super reg. 8. gloss. 5. num. 74. & seqq. Rota decis. 366. num. 2. & decis. 635. num 2. & decis. 719.*
8 *num. 1. part. 2. recent. in quibus decisionibus Rota requirit, quod Fundator expressè dixerit, quod Capellanus per seipsum celebrare teneatur ad effectum, quod sit Sacerdotale. Et Gonzalez ampliat id procedere etiam si Testator dixerit, quod Capellanus celebrare debeat Missam sicut cæteri Capellani. Gonzalez d. gloss. 5. num. 88. Hoc idem procedit, etiamsi fuisset dictum, quod eligatur Sacerdos idoneus, qui Missas celebret, nam satis dicitur idoneus, qui per substitutum celebrat, ut ita respondit Rota d. decis. 635. num. 2. & 3. part. 2 recent.*

Ex quibus omnibus concludentissimè comprobatum remanet, non posse Capitulum Vicentinum rejicere præsentationem illius Clerici, sed obligatum esse eam admittere, & illum in prædicta Capellania investire; quia non est Sacerdotalis, quamvis dixerit Fundator, quod ad eam eligatur Sacerdos, cum concesserit, *ut etiam alius ejus loco, ac vice, possit Missas celebrare*; quibus verbis attentis, etiam Clericus annorum quatuordecim potest præsentari, ac investiri ex testimonio tùm Doctorum, tùm Rotæ Romanæ, tùm etiam Declarationum Sacræ Congregationis Concilii, quæ, ut suprà notatum est, apud eosdem DD. leguntur.

DISCORDIA LXXXIV.

ARGUMENTUM.

Ex duobus Clericis per Patronos æqualibus vocibus ad beneficium præsentatis, Episcopus instituere debet digniorem. Dignior ex eis quis dicatur? Patroni per turnum præsentantes, extrà suum turnum non possunt se ingerere in præsentatione.

SUMMARIUM.

1 *Præsentatio duorum Clericorum si fiat à Patronis ad idem beneficium, quid agendum?*
2 *Dignior ex eis est investiendus.*
3 *Patroni si sint plures reputantur unus in solidum.*
4 *Episcopus ex duobus præsentatis instituit magis dignum.*
5 *Dignior ex præsentatis quis censeatur?*
6 *Episcopus, si merita plurium præsentatorum sint æqualia, instituit unum ad sui beneplacitum.*
7 *Patroni alternatim ex pacto præsentantes non possunt se ingerere in vice aliorum.* Et num. 10.
8 *Patroni possunt per turnum præsentare.*
9 *Pacta sunt religiosè servanda.*
11 *Præsentatio ad beneficium est fructus Jurispatronatus.*
12 *Juspatronatus est tanquam prædium insolidum existens apud plures Patronos.*

Occasione alterius beneficii vacantis de Jurepatronatu laicali, duo mihi fuerunt proposita dubia resolvenda.

Primum dubium fuit; Plures Patroni, ad quos in tali vacatione spectat nominatio, cum sint inter se discordes, nominarunt, & præsentarunt duos Cleri-
1 cos, æqualibus vocibus, in tempore à Jure Statuto. Dubitatur, an Episcopus, ad quem spectat institutio, teneatur unum ex his duobus præsentatis admittere? vel possit tertium extraneum ad sui beneplacitum eligere, & instituere, rejectis ambobus Clericis per Patronos præsentatis?

Respondi ad hoc dubium, quod Episcopus non potest instituere aliquem extraneum pro suo arbitrio; sed eum teneri admittere unum ex præsentatis per Patro-
2 nos, quem cognoverit præditum majori prærogativâ meritorum. Ratio est, quia in hoc casu, licèt nullus videatur à Patronis præsentatus, quia nullus ex præsentatis habet majorem votorum, seu vocum numerum; nihilominùs non potest Episcopus extraneum eligere, & instituere; sed unum
3 ex præsentatis; omnes enim Patroni censentur Patroni in solidum, & omnes simul reputantur tanquam unicus Patronus; ideòque cum dividant æqualiter vota sua, idem est, ac si unus Patronus successivè præsentaret duos variando in electione; quo casu, ut nemo ignorat, Episcopus non potest extraneum substituere, sed pro suo arbitrio debet instituere unum
4 ex duobus, quem digniorem reputaverit. Idemque faciendum est in præsenti nostro casu, ut in his præcisis terminis scribit Sanchez *in Opusc. Moral. lib. 2. cap. 3. dub. 101.* ex doctrina Lambertini *de Jurepatr. lib. 2. part. 2. q. 5. art. 1.* Jo: Andreæ *in cap. Cum autem. num. 3. De Jurepatron.* Angeli *in Sum. Verb. Juspatronatus n. 22.* & Armillæ *eod. Verb. n. 10.*

Dixi, quod tenetur Episcopus instituere illum, cui major inest meritorum prærogativa; videlicet, vel quia

Digitized by Google

quia sit de familia Fundatoris: vel bonitatis, aut vir-
5 tutis majora præferat signa, ut notat idem Lambertin. *d. lib. 2. part. 3. q. 5. art. 1.* Rochus *in eod. tract. Verb. Honorificum : quæst.* 15. Rota coram Buratto *decis.* 316. *à num.* 12. *& seqq.* Novissimè Emin. Cardin. de Luca *in Tractatu de Jurepatron. Discurs.* 29. *num.* 11. Quod si omnes ipsi præsentati æqualia merita haberent, tunc Ordinarius poterit uni eorum
6 gratiam institutionis facere, cui voluerit. *cap. Quod autem. cap. Pastoralis. De Jurepatr.* Riccius *part.* 1. *resol.* 184. Barbosa *de Offic. & Pot. Episc. alleg.* 72. *num.* 16. & Pax Jordanus *lib.* 10. *tit.* 7. *num.* 246. & passim omnes.

Secundum dubium fuit hujusmodi. Cum plures sint Patroni ad Jus præsentandi, dum beneficium vacat, à Fundatore vocati; convenerunt ipsi inter se de præsentando Clerico alternatim per columnellos, seu lineas eorum communis descendentiæ à Fundatore. Duo columnelli jam antea præsentarunt successivè in eorum vicibus, aliis columnellis non se ingerentibus in præsentatione. Venit casus, & vacatio, in
7 qua electio, & præsentatio clerici spectat ad tertium columnellum, cujus consortes discordant inter se in eligendo Clerico; & ideò æqualibus vocibus, & votis nominant, & præsentant duos. Aliorum columnellorum consortes, qui jam (ut dictum est) in sua vice præsentaverant, videntes dictam discordiam, volentes eam tollere; accedunt, & ipsi ad hanc electionem, & uni ex partibus discordantibus adhærentes augent ultrà medietatem ejus voces, & vota; dubitatur, an talis adhæsio sit licita? & an verè causet augmentum vocum, & votorum?

Respondi, Negativè; quia cum divisio per turnum in eligendo, & præsentando Clerico ad beneficia sit licita, & per Sacros Canones approbata per
8 *text. in Clem. Plures. §. Et ut facilius.* ubi Glossa, & DD. *de Jurepatron.* & ut advertunt Gonzalez *ad Reg. 8. Canc. gloss.* 45. *§.* 1. *num.* 58. Barbosa *ubi supr. alleg.* 71. *num.* 30. Pax Jordanus *d. lib.* 10. *tit.* 7. *num.* 281. & Fagnanus *in cap. Perlatum. num.* 5. *De Jurepatron. tom.* 5. sequitur, quod conventio inita inter ipsos columnellos, de præsentando Clerico alternis vicibus, sit omninò servanda; itaut non sit licitum alicui columnello extrà suam vicem se ingerere in præsentatione, juxtà regulam *in l.* 1. *& in l. Jurisgentium. §. Prætor ait. ff. de Pactis.* nec non *in l.* 1. *ff. de Constit. pecun. in cap.* 1. *in cap. Qualiter. De Pactis*; ut benè differit Rota *part.* 9. *recent. decis.* 67. *num* 42. ubi ait, semper religiosissimum esse pa-
9 cta servare; & in terminis de conventione facta per Patronos, circà modum præsentandi ad beneficium, hoc idem advertit eadem Rota *part.* 10. *recent. de-*
10 *cis.* 216. *num.* 1. & idem tradit Emin. Card. de Luca *in d. tract. de Jurepatron. disc.* 41. *num.* 7. ubi eruditè considerat, quod jus præsentandi ad beneficia nihil aliud est, quàm fructus Jurispatronatus. Idcircò, quemadmodum legato usufructu duabus personis, ut
11 alternis annis fructus ex eo provenientes percipiant, unicuique suus annus debetur; neque licitum est illi, qui primo annò fructus habuit, eosdem exigere etiam anno secundo; ita pari jure licitum esse non potest columnello, qui in sua vice Clericum præsentavit, ingerere se in præsentatione facienda in alia vice per alterum columnellum; Jus enim patronatus existit in solidum apud omnes, & consideratur
12 tanquàm prædium, seu causa productiva fructus præsentationis, cujus non sunt capaces columnelli, nisi alternis vicibus, adinstar legatariorum, qui capere non possunt fructus, nisi alternis annis. *l. Quoties.* 41. ubi Glossa. *ff. de Usufruct. & l. Via.* 5. *ff. de Servitutib. in fin.* Discordia autem consortum columnelli, in sua vice præsentantis, tollenda erit, & decidenda ab Episcopo eo modo, qui dictus est supra, quando æqualibus vocibus duo Clerici in eadem vacatione beneficii præsentantur.

DISCORDIA LXXXV.

ARGUMENTUM.

Canonici Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum in feriis Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum, præter Missam solemnem post Tertiam de Sancto illius diei, tenentur cantare alteram Missam de Feria post Nonam.

SUMMARIUM.

1 *Cenetæ Urbis situatio.*
2 *Petrus Leonius Episcopus Ceneten. translatus ad Episcopatum Veronæ.*
3 *Missa altera An cantanda in Choro post Nonam?* & num. 11.
4 *Impossibile dicitur id, quod salvâ dignitate fieri non potest.*
5 *Tridentinum Concilium jubet Divinum Officium, non autem Missam in Choro cantare.*
6 *Consuetudini centenariæ circa Officium in Choro an sit standum?* & num. 29.
7 *Verba enunciativa non faciunt præceptum.*
8 *Choro interessentia supponit existentiam quotidianarum Distributionum.*
9 *Doctores asserentes unam tantùm Missam esse in Choro cantandam.*
10 *Regularibus sufficit unam Missam in Choro cantare.*
12 *Missam secundam cantari in Choro post Nonam decies est ordinatum.*
13 *Missa solemnis in Choro antiquitùs qua hora celebraretur?*
14 *Missa de feria post Nonam cur in Choro cantetur diebus jejuniorum?*
15 *Præceptum esse dicitur id, quod reiteratò jubetur.*
16 *Rubricæ Missalis omnes sunt de Præcepto.* & num. 30.
17 *Canonici tenentur sub mortali psallere in Choro.*
18 *Missa solemnis in Choro est pars Horarum Canonicarum.*
19 *Officium Divinum cur in Collegiatis recitetur?*
20 *Bullæ B. Pii V. in principio Missalis appositæ, est obediendum.*
21 *Verba* in omnibus, & per omnia *nullam partem Rubricarum Missalis excludunt.*
22 *S. Rituum Congregationis decreta habent vim legis.*
23 *Honorii III. præceptum de Officio, & Missis in Choro decantandis.*
24 *VEL dictio significat ET, ac ETIAM.*
25 *S. Rituum Congr. decreta de secunda Missa post Nonam cantanda.*
26 *Missa lecta non sufficit, quando ea est in Choro cantanda.*
27 *Doctores tenentes duas Missas esse in Choro cantandas, jejuniorum diebus.*
28 *Rationes frivolæ non sunt attendendæ.*
29 *Consuetudo contra Rubricas Missalis est abusus; & quamvis immemorabilis non est attendenda.*
31 *Distributiones quotidianæ ex fructibus Canonicatuum supplendæ.*
32 *Doctoribus privatis non est standum circa Ritus Sacros, sed Decretis S. Congregationis.*
33 *Regularium Ecclesiæ an dici debeant Collegiatæ?*

Cum esset Episcopus Cenetæ (quæ est Urbs distans milliariis 13. à Belluno, totidem ab Opitergio, & 15. à Tarvisio, subjecta Serenissimæ Reipublicæ Ve-
1 netæ, ut notat Ferrarius *in Lexic. Geographic. Verb. Ceneta.*) cum esset, inquam, Episcopus Cenetæ Illustrissimus, ac Reverendissimus Petrus Leonius Nobilis Venetus, Dominus meus humanissimus, qui postea ob ejus merita, & virtutes ab Apostolica Sede
2 translatus fuit ad Episcopatum Veronæ, parùm ante

Digitized by Google

hujusmodi sui ipsius translationem proposuit mihi sequentem Discordiam inter se, & Capitulum suæ Cathedralis vertentem; ut super ea opinionem meam dicerem, & An justitia pro Episcopo, vel pro Canonicis staret? demonstrarem. Discordia erat ista.

In Ecclesia Cathedrali Cenetensi non est usus cantandi duas Missas in ferijs Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum, quando in eis occurrit Festum duplex, vel semiduplex, aut de Octava: sed cantata Missa de Festo, seu de Octava post
3 Tertiam, & recitatis horis Sexta, & Nona, Canonici discedunt à Choro. Episcopus instat, ut etiam Missam de Feria, post Nonam horam recitatam, cantent. Canonici detrectant. Quæritur, an pro Episcopo? an verò pro Canonicis stet ratio, atque justitia? Prima fronte videbatur dicendum, eam stare pro Canonicis.

Primò, quia ipsi sunt tantummodò decem, cum duobus Curatis, & quinque Mansionarijs; ex quibus cum frequenter aliqui sint occupati in cura animarum, & in administratione Sacramentorum, & aliqui sint præpediti infirmitate, pauci remanent in Choro, qui sufficientes sint ad Cantandum, demptis etiam Diacono, Subdiacono, & alijs inservientibus cum Thuribulo, & Candelabris; & ob hanc numeri paucitatem impossibile censent, duas Missas eadem die cantare; ideò omittunt illam de Feria post Nonam in
4 prædictis Ferijs, quia impossibile dicitur id, quod salva dignitate fieri non potest. Emin. Card. Tuschus *Practic. conclus. tom* 4. *Litter.* I. *conclus.* 52. Ad impossibile autem nemo tenetur. *l. Impossibilium. ff. De regul. Jur. cap. Nemo potest eod. tit. in* 6. Surdus *decis* 289. *n.* 21.

Secundò, quia Concilium Tridentinum *sess.* 24. *de Ref. cap.* 12. non imponit aliam obligationem Canonicis Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum,
5 nisi recitandi Horas Canonicas, quæ sunt septem. *cap.* 1. *De Celebrat. Missar.* inter quas Missa non numeratur. Igitur non videtur esse absoluta obligatio cantandi Missam; & eò minùs duas, unam de Sancto, seu Festo currenti; & alteram de Feria.

Tertiò, quia DD Canonici Cenetenses consueverunt ab immemorabili tempore canere unam tantùm Missam in Choro, non autem duas; quæ consuetudo
6 cum sit supra centum annos, & semper observata, ei videtur standum, & eà attentâ novum onus non est Canonicis imponendum. Castaldus *in Praxi Cærem. lib.* 2. *sect.* 6. *cap.* 3. *num* 20.

Quartò, quia Rubricæ Missalis, ubi loquuntur de prædictis duabus Missis cantandis, non utuntur verbis imperativis, sed enunciativis tantùm, ut *Rubric.* 3.
7 §. 1. ibi: *Cantantur duæ Missæ:* prout etiam *Rubric.* 7. §. 2. ibi: *Dicuntur duæ Missæ*. Ex his autem verbis non censetur inductum præceptum, ex traditis per Baldellum *lib* 5. *de Legib. disp.* 21. *num.* 7. *tom.* 1.

Quintò, quia obligatio cantandi Missam Conventualem in Choro est de Jure Ecclesiastico, quod supponit existentiam introituum, & proventuum tempo-
8 ralium, dividendorum inter personas, ac ministros Choro interessentes. *cap. fin.* 92. *dist. cap. Si quis in Clero.* 7. *quæst.* 1 Zacchias *de Salario quæst.* 3. *num.* 10. Sed Capitulum Ceneten non habet sufficientes redditus pro quotidianis distributionibus, ut supponitur in facto; & Præbendæ Canonicales sunt valdè tenues, Ergo Canonici non sunt adstringendi ad illud duplex onus cantandi in Choro duas Missas.

Sextò, quia non esse præcisam obligationem cantandi aliam Missam post Nonam in Choro in antedictis ferijs Adventus, Quadragesimæ, & alijs, tenent
9 Tamburinus *de Sacrific. Miss. lib.* 1. *cap.* 6. §. 2. *num.* 1. Quartus *in Rubric. Missal. part.* 1. *proem. dub* 1. Castaldus *d. lib.* 2. *sect.* 6. *cap.* 3. *n.* 20. quibus adstipulatur Diana Coordinatus *tom* 2. *tract.* 1. *resol.* 83. & 84. quæ resident in ejus oper. veter. *p.* 2. *tr.* 14. *R.* 76. & *p.* 10. *tr.* 12. *R.* 40.

Septimò, quia ab hac eadem obligatione, cantandi duas Missas in Choro prædictis Ferijs, immunes esse Regulares Choro addictos, testantur omnes DD. su-
10 pracitati; & præter illos Bordonus *Var. Resol. part.* 1. *resol.* 26. *num.* 25. Pellizzarius *in Manuali Regular. tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 9. *sect.* 2. *num.* 33. & Lezana *tom.* 4. *Verb. Missa num.* 49. & tamen eorum Ecclesiæ dicuntur esse, ut verè sunt, Collegiatæ, & ipsi Regulares eandem obligationem habent quo ad Chorum, quam tenent Canonici Cathedralium, & sæcularium Ecclesiarum, & præcipuè circa Missas cantandas in illo. *Clem. Gravi. De Celebrat. Missar.* Donatus *de Regularib. tom.* 3. *tract.* 7. *quæst.* 102.

His tamen non obstantibus, Discordiâ hac, maturo studio, & attenta reflexione discussâ; censui jus, & justitiam stare pro Episcopo; neque posse DD. Canonicos se eximere ab obligatione cantandi in Choro
11 duas Missas in Ferijs præenarratis; imò posse Episcopum illos opportunis juris remedijs adstringere ad cantandam etiam secundam Missam post Nonam. Pro intelligentia autem, & comprobatione hujus obligationis præmitto:

Primò, quod ipsa decies præcipitur, & inculcatur in Missali Romano, videlicet. Primò in Rubricis generalibus *Rubric.* 3. *num.* 1. ibi: *In Ferijs tamen Qua-*
12 *dragesimæ, Quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum, etiamsi duplex, semiduplex festum, vel Octava occurrat, in Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis cantantur duæ Missæ; una de Festo post Tertiam, alia de Feria post Nonam*. Secundò in *Rubrica VII. num.* 2. ibi: *In Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis &c. in feria prima, Rogationibus, & Vigilijs prædictis, quæ habent Missas proprias, dicuntur duæ Missæ, Una de Festo, alia de Feria, Rogationibus, & Vigilia absque ulla utrorumque commemoratione*. Tertiò in vigilia Ascensionis in rubro ante Missam, ibi: *Sed in Ecclesijs Collegiatis dicuntur duæ Missæ, Una de Festo, & alia de Vigilia*. Quartò in Festo S. Marci die 25. Aprilis ibi: *Ad Processionem dicitur Missa de Rogationibus sine commemoratione S. Marci*. Quintò in Vigilia SS. Apostolorum Petri, & Pauli die 28 Junii in rubro, ibi: *In Ecclesijs autem Collegiatis dicuntur duæ Missæ, Una de Festo cum commemoratione S Joannis, & Beatæ Mariæ; alia de Vigilia cum commemoratione B. Mariæ, & Ecclesiæ, vel pro Papa*. Sextò in vigilia S. Laurentii die 9. Augusti in rubro ibi: *In Ecclesijs autem Collegiatis dicuntur duæ Missæ; Una de Sanctis, in qua oratio secunda A cunctis &c. tertia ad libitum; & altera (Missa) de Vigilia cum 2. Orat de S. Maria, &c. 3 Ecclesiæ, vel pro Papa*. Septimò in festo SS. Cornelii, & Cypriani die 16. Septembris in rubro, ibi: *Si verò occurrat (hoc festum) in feria 4. Temporum, in Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis dicuntur duæ Missæ, Una de SS. Cornelio, & Cypriano &c. altera de dicta Feria sine commemoratione Sanctorum*. Octavò in festo SS Eustachii, & Sociorum Mart. die 20. Septembris in rubro, ibi: *Si sequens Festum S. Eustachii &c. venerit in Dominica transfertur post diem S. Matthæi &c. & in Sabbato præcedenti in Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis dicuntur duæ Missæ, Una de Sanctis &c. & altera de Quatuor Temporibus*. Nonò in Vigilia S. Matthæi in rubro, ibi: *Quocunque verò alio die venerit festum SS. Eustachii &c. fit de eo cum commemoratione Vigiliæ. Sed in Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis dicuntur duæ Missæ &c.* Decimò die 2. Novembris in rubro, ibi; *Secunda die fit commemoratio omnium Fidelium Defunctorum, & dicitur Missa de Requiem &c. Sed in Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis dicuntur duæ Missæ; una de Octava post Tertiam, altera principalis pro Defunctis post Nonam*.

Secundò præmitto, quod usus antiquorum Christianorum fuit, ut in diebus festivis Missa diceretur hora Tertia. *cap. Nocte Sancta. de Consecr. dist.* 1. Emin.
13 Card. Bona *Rer. Liturgic. lib.* 1. *cap.* 21. *num.* 5. quod statutum fuisse à S. Damaso Papa notat Emin. Card. Baronius *ad Annum Christi* 382. At in diebus jejuniorum,

Digitized by Google

niorum, & Vigiliis extra Quadragesimam antiqui deputarunt horam diei Nonam pro Sacrificio offerendo, ut ex testimonio S. Epiphanii, & S. Ambrosii probat idem Emin. Card. Bona *d. cap.* 21. *num.* 5. In Quadragesima verò solemnis Missa cantabatur hora Vespertina, quia jejunium non solvebatur, nisi in Vespere. *cap. Solent. de Consecrat. dist.* 1. Emin. Card. Bona *ibid. num.* 6. *&* 7. ubi observat cum Francolino de *Tempore Horar. Canonic. cap.* 29. quod antiquitùs Missa solemnis in diebus festivis celebrabatur hora Tertia, in Vigiliis cum jejunio extra Quadragesimam hora Nona; in Quadragesima hora Vespertina. At in diebus ferialibus absque jejunio consuetudo erat, ut Missa caneretur hora Sexta, tanquàm media inter dies festivos, qui sunt dies lætitiæ, & dies jejuniorum, qui sunt dies luctus, ac pœnitentiæ; cumque hæc horarum præscriptio, & divisio, quæ servata fuit usque ad Sæculum duodecimum, contrario usu sit abrogata, ob relaxationem pristinæ severitatis, & successionem mollioris disciplinæ, Sancta
14 Mater Ecclesia, ne antiquitatis vestigia omninò abolerentur, decrevit, & ordinavit, ut Missa Conventualis in diebus festis cantaretur in Choro post Tertiam; & in diebus jejuniorum, & Quadragesimæ post Nonam; & sic utraque Missa in prædictis distinctis horis, quando officium de Sanctis occurrit in Vigiliis, vel in Quadragesima, prima quidem post Tertiam in signum lætitiæ; altera verò post Nonam, ut populus excitetur ad luctum, & pœnitentiam, juxtà pervetustum morem Ecclesiæ, & antiquorum Christianorum, ut latiùs declarat prædictus Emin. Card. Bona *d. lib.* 1. *cap.* 21. *num.* 7. Bissus *in Hierurgia Sacra tom.* 1. *Verb. Feria. num* 18. § 9. Emin. Card. Baronius *Anno Christi* 34. *num.* 164. *&* 167. Novissimè Magrius *in Hierolexico Verb. Jejunium. Et Verb. Missa Conventualis.*

His præmissis; quod DD Canonici Cenetenses non possint se eximere ab obligatione cantandi in Choro duas Missas, unam post Tertiam, & unam post Nonam, in diebus jejuniorum, Quatuor Temporum, & Quadragesimæ juxtà prænotatas Rubricas Missalis; & ad eas cantandas posse ipsos cogi ab Episcopo, probatur ex sequentibus:

Primò, quia cum de secunda Missa cantanda in Choro post Nonam Missale Romanum tot vicibus loquatur in suis Rubricis, signum est, illam esse de Præcepto, & sub obligatione; cum enim aliquid reite-
15 ratò, ac pluries ordinatur à Superioribus, & constat de eorum enixâ voluntate, censetur ordinatio de Præcepto. Glossa *in cap. Per inquisitionem. De Elect.* Carolus de Grassis *in tract. de Exceptionib. Except.* 14. *num.* 23. ubi alios DD. cumulat.

Secundò, quia juxtà veriorem opinionem, de qua in meis Decisionibus Miscellaneis *Decis.* 115. & in aliis meis Decisionibus de Sacrificio Missæ *Decis.* 50.
16 *num.* 13. Rubricæ Missalis omnes sunt Præceptivæ; & in re gravi obligant sub pœna peccati mortalis, ex Gratian. *Discept. Forens. cap.* 112. *num.* 7. Loterio *de Re benefic. lib.* 1. *quæst.* 16. *num.* 123. Sperello *decis.* 179. *num.* 23. & ex Rota Romana *part.* 4. *recent. decis.* 647. *tom.* 3. nec non *part.* 17. *recent. decis.* 87. *num.* 23. Quod autem Rubricæ ejusdem Missalis, in quibus ordinantur Missæ solemnes in Choro cantandæ sint de re gravi, & strictioris juris; testantur omnes de eis scribentes, inter quos Gavantus *in d. Rubric. Missal. part.* 3. *tit.* 11. *num.* 4. 7. *&* 8. Bonacina *de Eucharistia disp.* 4. *quæst. ult punct.* 7. §. 3. *num.* 3. Gobatus *in Theolog. Morali tract.* 3. *num.* 705. & Pax Jordanus *tom.* 1. *lib.* 4. *tit.* 1. *de Sacrific. Missæ num.* 490.

Tertiò quia Canonici Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum tenentur sub mortali recitare integrum Officium Divinum in Choro; & integras Ho-
17 ras Canonicas in eo psallere, ut probant mea Erotemata *cap.* 18. *num.* 16. quibus conformes sunt Navarrus *de Orat. cap.* 10. *n.* 47. Comitolus *in Respons. Moral. lib.* 1. *Quæst.* 62. Castropalaus *tom.* 2. *disp.* 3. *punct.* 4. *n.* 5. & Barbosa *de Canonicis cap.* 34. *num.* 9. Sed Missa Conventualis est portio, ac pars earundem Horarum
18 Canonicarum. Francolin. *de Horis Canon. part.* 1. *cap.* 16. *num.* 18. Gavantus *d. part.* 3. *tit.* 11. *num.* 4. Jordanus *d. lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 490. Novissimè Pignatellus *tom.* 1. *consult.* 321. ubi advertit, quod celebratio Divinorum Officiorum, debita Ecclesiæ ratione beneficii, non solùm importat Horas Canonicas, de quibus in Breviario, sed includit etiam Missas Conventuales, tanquam partes præcipuas earundem, ut notat Glossa *in Clem.* 1. *de Celebrat. Missar.* & Navarrus *de Orat. cap.* 2. *num.* 29. Sicut igitur non est licitum illis, qui Choro sunt obligati, non integras Horas Canonicas in eo recitare; ita non est ijsdem permissum, unam ex Missis Conventualibus, & solemnibus, quando duæ sunt in Choro cantandæ, omittere; quia sic non persolvunt totum, & integrum Divinum Officium; quod quidem publico Ritu institutum est in
19 Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis ad colendum Deum, & orandum pro populo, tùm Psalmodiâ, tùm solemnibus Sacrificiis per Canonicos conventualiter exhibendis, quorum omissio est culpa mortalis. Abb. Jo: Andr. & cæteri Canonistæ *in cap. Cum creatura. De Celebrat. Missar.*

Quartò, quia Summus Pontifex B. Pius Quintus in sua Constitutione impressâ in principio Missalis præcipit omnibus Ecclesiasticis, ut Missas celebrent juxtà Rubricas ejusdem Missalis; & hoc præceptum non solùm concernit ritus, ac cæremonias Missarum privatarum, sed etiam numerum Missarum solemnium, in eodem Missali præscriptum. Sed hæc Con-
20 stitutio est Lex Ecclesiastica; cui non præstant debitam obedientiam Chorales illi, qui detrectant cantare duas Missas, unam post Tertiam, aliam post Nonam in Festis duplicibus, vel semiduplicibus occurrentibus in Adventu, in Quadragesima, & in aliis feriis cum jejunio. Ergo.

Quintò, quia Sacra Rituum Congregatio in Decreto, pariter impresso in principio Missalis, mandat, & præcipit, in omnibus, & per omnia servari Ru-
21 bricas Missalis Romani; quæ quidem verba *in omnibus, & per omnia*, comprehendunt omnes Rubricas, & nullam earum partem excludunt, Marta *de Clausul. part.* 1. *clausul.* 62. Surdus *cons.* 419. *num.* 29. Barbosa *Clausul.* 67. *num.* 4. Nefas autem esset asserere, quod Decreta S. Rituum Congregationis vim legis non habeant; cum apud Theologos, & Canonistas stabilis, & inconcussa sit regula, in eis vim le-
22 gis inesse, & ea obligare sub gravi culpa; præcipuè si sunt approbata à Summo Pontifice, prout illud supradictum impressum in principio Missalis fuit approbatum ab Urbano VIII. & ideò est obligatorium. Cotonius *in Controv. Illustr. lib.* 3. *Controv.* 3. *cap.* 3. *num.* 46. *&* 50 Fagnanus *in cap. Quoniam. à num.* 6. *usque ad num.* 72. *De Constitutionib. tom.* 1.

Sextò, quia Honorius Papa Tertius *in cap. Cum creatura.* 11. *de Celebrat. Missar.* universis, qui Choro sunt obligati, ita præcipit. *Mandamus, quate-*
23 *nùs nullum in vos torporem negligentiæ obrepere permittatis, quo minùs & pro Anniversariis defunctorum, & pro Festo, vel Feria, secundum temporum congruentiam, Missarum solemnia conventualiter celebretis.* Circa quem Canonem observare licet, quod verbum *Mandamus* est de præcepto. Donatus *de Regular. d. tom.* 3. *tract.* 7. *quæst.* 104. In verbis autem illis *pro Festo, vel Feria*, dictio *Vel* significat *Et*, idest *Etiam*;
24 ut tradit Barbosa *Diction. Vel.* atque Fagnanus *in eod. cap. Cum creatura. num.* 15. *tom.* 3. ubi propterea advertit, esse culpam gravem, si duæ Missæ conventualiter non cantentur in diebus prædictis; & refert, S. Congregationem Concilii Canonicis Cathedralis Sarnen. supplicantibus non cogi ad cantandam aliam Missam Conventualem præter votivam, cum essent solùm decem Canonici, in loco insalubris aeris, &

cum

Digitized by Google

cum cura animarum; *die* 9. *Novembris* 1613. respondisse, teneri ad cantandam Missam Conventualem quotidiè.

Septimò, quia in præcisis terminis præsentis Discordiæ Sacra Rituum Congregatio pluries respondit, non esse omittendam secundam Missam Conventualem post Nonam in diebus festivis, incidentibus in feriis jejuniorum, in quibus cantata sit Missa de Sancto
25 post Tertiam, ut præter Decreta relata per Gavantum *d. part.* 3. *tit.* 11. *num.* 8. testatur etiam Barbosa *in Summa Apostol. Decis. collect.* 479. *num.* 3. his verbis: *Missa Conventualis de feria nunquam est omittenda, etiam quòd occurrat Festum duplex, vel semiduplex, non obstante contraria consuetudine ex decreto S. Rit. Congreg. in Aquilejen.* 9. *Aprilis* 1633. Subdit po-
26 stea *num.* 5. *in Urbinaten.* 4. *Julii* 1615. decisum esse, quod non sufficit Missa lecta in diebus Quadragesimæ, & Vigiliarum; etiamsi consuetudo contraria esset immemorabilis.

Octavò tandem favet menti Illustrissimi, ac Reverendissimi Episcopi Ceneten; instantis pro decantatione Missæ de Feria post Nonam in diebus prædictis, auctoritas Doctorum hoc idem docentium, quos allegat Gavantus *d. part.* 3. *tit.* 11. *num.* 10. & Dia-
27 na Coordinatus *d. tom.* 2. *tract.* 1. *resol.* 84. *num.* 4. quibus ego addo Pacem Jordanum *d. tom.* 1. *lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 491. ubi subdit, quod in sua Cathedrali Ecclesia Traugurien. secunda Missa Conventualis post Nonam privatim recitabatur; sed ipse obtinuit à suis Canonicis utramque Missam cantari ad præscriptum Rubricarum Missalis; quibus parituros esse etiam DD. Canonicos Cenetenses fidendum est, cum aliquantulum ad illas animadverterint, ob eorum egregiam pietatem.

Neque eos retrahere debent ab hac laudabili obedientia rationes ab initio pro ipsis enarratæ; omnes
28 enim frivolæ sunt, & insubsistentes. Siquidem

Prima nihil valet de parvo numero Canonicorum; quia soli quatuor sufficiunt ad canendum Introitum, Kyrie, Graduale, & alia necessaria ad Missam de feria in Choro.

Secunda ex verbis Concilii Tridentini deducta non stringit, quia appellatione Horarum Canonicarum comprehenditur etiam Missa de Feria, quæ est pars earundem, ut probatum est *supr. num.* 18.

Tertia innixa consuetudini cadit, tùm quia Sacra Congregatio respondit, eâ non obstante, cantandam esse Missam etiam post Nonam in diebus jejuniorum,
29 ut *supr. num.* 25. tùm etiam quia, Decretum ejusdem S. Congregationis impressum in principio Missalis declarat abusum quamcunque consuetudinem contrariam Rubricis Missalis: ex quo sequitur, eam nullius roboris, vel momenti esse, quamvis centenariam, & immemorabilem. Sperellus *decis.* 182. *num.* 33. *num.* 57. & *num.* 60. Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancell. gloss.* 33. *num.* 10. & 11.

Quarta supponens, verba illa Rubricarum, *cantantur, dicuntur*, non esse præceptiva, non subsistit; quia eadem verba vim præcepti habent ex Constitutione B. Pii V. impressa in principio Missalis, quæ mandat omninò servari omnes ejus Rubricas à quo-
30 cunque; undè omnes Rubricæ censentur præceptivæ. Fagnanus *in d. cap. Cum creatura num.* 22. *de Celebr. Missar.* & Gavantus *d. part.* 3 *tit.* 11. *num.* 9. ubi observat, quod in Breviario *die* 2. *Novembris* in Rubrica post secundas Vesperas omnium Sanctorum habentur hæc verba: *Dicto Benedicamus Domino dicuntur Vesperæ defunctorum*. Et tamen omnes Doctores affirmant, eas esse de Præcepto. Sperell. *d. decis.* 179. *num.* 23. Gratian. *Discept. forens. cap.* 151. *num.* [illegible]

Quinta non relevat de deficientia quotidianarum Distributionum; quia, vel sufficiunt pro Horis Canonicis; & debent satis esse etiam pro Missa feriali post Nonam. Vel non sufficiunt pro iisdem Distributioni-
31 bus; & est supplendum cum detractione fructuum ex Præbendis Canonicalibus juxtà decretum Concilii Tridentini *sess.* 22. *de ref. cap.* 3. vel est aliud remedium opportunum applicandum, prævia unione beneficiorum, sed interim Rubricis Missalis est obtemperandum.

Sexta nullius est roboris, quia non est adhærendum opinioni privatorum Doctorum in materia Sacrorum Rituum, & Rubricarum; sed Declarationibus Sacræ
32 Congregationis, ut bené considerat Emin. Card. de Luca *in tract. de Regularib. disc.* 29. *num.* 9.

Septima, & ultima non concludit deducta ab exemplo Regularium, quia eorum Ecclesiæ, rigorosé loquendo, non sunt Collegiatæ; & ipsi non habent red-
33 ditus Ecclesiasticos ad hunc effectum assignatos, ut decantent Horas Canonicas, & Missas Conventuales in Choro, ut ait Gavantus *ubi supra*, & Pax Jordanus *d. lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 494. & 495. Quare, &c.

DISCORDIA LXXXVI.

ARGUMENTUM.

Missæ de Requiem, in die obitus Defuncti, celebrari possunt etiam in festis duplicibus, quæ non sint de Præcepto, à quocunque Sacerdote; si corpus Defuncti sit præsens in Ecclesia, ubi talis est consuetudo.

SUMMARIUM.

1 *Missæ de Requiem in Festis duplicibus non sunt dicendæ.*
2 *Lex generaliter loquens generaliter est intelligenda.*
3 *S. Rituum Congregationis decreta vim legis habent.*
4 *Consuetudo, quæ est abusus, neque centenaria valet.*
5 *Inclusio unius est exclusio alterius.*
6 *Doctores negantes posse dici Missas de Requiem præsente corpore in Festis duplicibus.*
7 *Missæ de Requiem in Festis etiam duplicibus dici possunt præsente corpore.*
8 *Lex præsumitur noluisse prohibere id, quod prohibere potuit, & non prohibuit.*
9 *Lex quod non dicit, neque nos debemus dicere.*
10 *Legislatoris potius mens, quàm verba attendenda.*
11 *Observantia Sacrorum Canonum interpretativa non est prohibita.*
12 *Observantia est optima interpres quorumcunque Decretorum.*
13 *Missæ de Requiem ut celebrentur, antequàm sepeliatur Defunctus, intendit Ecclesia.*
14 *Singularitas in jure non excludit pluralitatem.*
15 *Missa an magis proficiat Defunctis si sit de Requiem?*
16 *Capellani Monialium Missam debent dicere de Officio, quod faciunt ipsæ Moniales.*
17 *Scandala ut evitentur, sæpè receditur à dispositione Juris.*
18 *Rubrica directiva non obligat sub pœna peccati.*
19 *Lex nova confirmans Legem antiquam recipit limitationem ejusdem Legis antiquæ.*
20 *Lex nova distinguitur eodem modo, quo Lex antiqua.*
21 *Rubricarum Missalis quis sit finis, & intentio?*
22 *Consuetudo immemorabilis circa Missas Votivas attenditur etiam in Festis duplicibus.*
23 *Rubricæ Missalis non obligant cum gravi incommodo.*
24 *Basilica Vaticana celebrat Anniversaria etiam in Duplicibus.*
25 *Doctores affirmantes posse dici Missas de Requiem in Duplicibus præsente corpore.*
26 *Lex generalis restrictionem admittit.*
27 *Missarum brevitas, ob parvam devotionem celebrantium, prohibita.*
28 *Missæ de Requiem in Festo duplici de Præcepto non dicuntur, exceptâ solemni, præsente corpore.*
29 *Doctorum dictis ratione fultis est standum.*

Ad

Digitized by Google

AD tollendum abusum, à pluribus Sacerdotibus pro brevitate in celebranda Missa introductum, recitandi Missas de Requiem etiam in diebus, in quibus Officium est duplex de Sancto, emanavit Decretum Sacræ Rituum Congregationis, annuente, & approbante Alexandro VII. Summo Pontifice *die 5. Augusti 1662.* in quo firmatum, & injunctum fuit, quod *Nullus Sacerdos sive Sæcularis, sive Regularis, cujusvis Ordinis, Congregationis, vel Instituti etiam necessariò exprimendi, audeat Missas privatas de Requiem in duplicibus celebrare.* Occasione hujus Decreti orta est Discordia inter nonnullos Parochos hujus Diæcesis; quorum aliqui negabant, in festis duplicibus etsi non de præcepto, & quamvis in die obitus defuncti ejus corpus præsens esset in Ecclesia supra terram, esse licitum pro ejus anima celebrare Missas privatas de Requiem; sed esse dicendas de Festo illius diei cum applicatione Sacrificii pro anima ejusdem Defuncti. At è contra alii Parochi plures affirmabant; præsente corpore defuncti posse Missas privatas de Requiem etiam in Festo duplici celebrari, juxtà hujus Diæcesis consuetudinem. Utriusque opinionis sequentia erant fundamenta; quibus examinatis, ego asserentibus adhæsi. Qui negabant, ita ratiocinabantur.

Non videtur toleranda consuetudo dicendi Missas de Requiem præsente corpore defuncti in Festis duplicibus, quamvis non sint de præcepto,

Primò: Quia Rubrica Missalis *cap. 5. num. 2.* prohibet dicere Missas de Requiem in Festis duplicibus;
1 nulla facta distinctione, an corpus defuncti sit præsens, nec ne? & ideò; ubi Lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. *l. De pretio ff. de public.*
2 *in rem. act.* Et lex generaliter loquens generaliter est intelligenda. *l. In toto ff. de Reg. Jur.*

Secundò: Quia Sacra Rituum Congregatio *die 5. Augusti 1662.* mandavit ab omnibus, & ubique servari dictam Rubricam: Decreta autem S. Rituum Congregationis sunt omninò servanda; quia habent
3 vim legis. Roderic. *Quæst. Regular. tom. 1. quæst. 11. artic. 2.* Rota coram Burat. *decis. 479.* & ibi *adden. num. 21.* Maximè quia Decretum S. Congregationis prædictum fuit approbatum à Summo Pontifice Alexandro VII. quo casu nefas est dubitare de ejus efficacia. Peyrinus *de Subdito. q. 1. cap. 25. ubi DD.* Nicolius *Lucubrat. Canonic. lib. 1. tit. 1. num. 13. & in Floscul. Verbo Congregatio num. 1. & 2.* Et fortiùs quia in dicto Decreto Consuetudo prædicta damnatur
4 ut abusus, & ideò censetur prohibita, quamvis esset centenaria, & immemorabilis. Gonzal. *ad Reg. 8. Cancell. gloss. 33. num. 10* Sperellus *decis. 37. num. 51. & decis. 182. num. 33. 57. & 60.*

Tertiò: Quia eadem Rubrica Missalis, & Rituale Romanum *in tit. de Exequiis* concedit Missam de Requiem solemnem tantùm in Festo duplici præsente corpore. Ergo aliæ Missæ privatæ de Requiem sunt prohibitæ; siquidem inclusio unius est exclusio
5 alterius. *cap. Qualis 25. dist. l. Cum Prætor ff. de Judic.* Et quod de uno conceditur de altero negatur. *l. Maritus C. de Procurat. l. Cum ita. in fine C. de Condition. & demonstrat.*

Quartò: Quia ita docent Doctores de hac re scribentes, videlicèt Gavant. *in Rubric. Missal. part. 1. tit. 5. num. 2. litt. X.* Arnaud *in Epitom. ead. part. 1.*
6 *tit. 5. num. 4.* Tonellius *in Sacro Enchirid. lib. 2. cap. unic. num. 37.* Lantusca *in Theatro Regular. Verb. Missa num. 7.* Corsettus *in Praxi Sacr. Rit. tit. de Exequiis num. 5.* Quartus *in Rubric. Missal. d. part. 1. tit. 5. dub. 2. Vers. dico 3.* Pax Jordan. *lib. 4. tit. 1. num. 505.* & Pignatell. *tom. 3. Consult. 40.*

Nihilominùs præmissis minimè obstantibus; alii affirmabant antedictam consuetudinem non esse im-
7 probandam, sed servandam, & tuendam ex sequentibus fundamentis.

Primò: Quia citata Rubrica Missalis, & allegatum Decretum Sacræ Congregationis in prohibendo Missas de Requiem diebus Duplicibus non loquuntur in casu supposito, videlicèt quando corpus defuncti est præsens in Ecclesia: ideò talis casus non censetur in prohibitione comprehensus. Rubrica enim, ac Sacra Rituum Congregatio si voluisset, expressisset. *l. Unica §. fin autem ad deficientis C. de Caduc. toll. l. Si servus §. Prætor ait. Vers. non dixit ff. de Acquir. hæredit. cap. Ad audientiam 2. de Decimis. cap. 2. de Transact.* Menoch. *cons. 1. num. 178. & cons. 149. num. 4.* Barbosa *Axiom. 136. num. 5.* Est enim certissima juris
8 regula, quod lex præsumitur noluisse id, quod potuisset facilè exprimere, & non expressit. Quare cum in Rubrica, & in Decreto *diei 5. Augusti 1662.* non legatur, *etiam præsente corpore defuncti*; non est extendenda prohibitio ad Missas de Requiem celebrandas præsente defuncti corpore, juxta illud, quod
9 lex non dicit, non est à nobis dicendum *l. Dissentientis. C. de Repud. Cap. Illa. Ne Sede Vacan.* Surdus *cons. 219. num. 21.* & Barbosa *d. Axiom. 136. num. 6. & 7.*

Secundò: Quia in omnibus Juris dispositionibus recurrendum est ad mentem disponentium. Abb. *in cap. Dilecti num. 2. & 3. de Donat.* ea ratione quia
10 potiùs mens Legislatoris, & ejus intentio, quàm verba Legis sunt attendenda. *cap. Intelligentia de Verb. Signific.* Jo: Andr. *in cap. Certum de Reg. Jur. in 6.* & Abb. *in cap. 1. de Jur. Calumniæ, & in cap. Ad audientiam de Decimis.* Modò mens Rubricæ, & Sacræ Rituum Congregationis in prohibendis Missis de Requiem in Festis Duplicibus illa fuit, ne passim Sacerdotes indevoti, & soli brevitati studentes, absque urgenti causa, recitarent Missam de Requiem in diebus Officio duplici impeditis: quem usum frequentissimum ubique, tanquam abusum Sacra Congregatio voluit abrogare; & restaurare obsequium debitum Sanctis, Officium Duplex habentibus, per celebrationem Missæ correspondentem eorum Officio cum Gloria, & sæpè sæpiùs cum Credo. Igitur cum noster casus de sepeliendo cadavere non fuerit in mente, neque de mente Rubricæ, aut Sacræ Congregationis; non est ad illum extendenda prohibitio.

Tertiò: Quia sicut non est prohibita observantia interpretativa in Decretis Sacri Concilii Tridentini, & Apostolicis Constitutionibus. Barbosa *de Jure*
11 *Ecclesiastico Univ. lib. 1. cap. 39. §. 3. à num. 116. & seqq.* Emin. Card. de Luca *de Jurisdict. disc. 42. num. 5.* Et Rota *part. 9 recent. decis. 400* ita est admittenda circa Rubricas Missalis. Observantia enim est optima interpres quorumcumque Decretorum.
12 Rota *part. 10. rec. decis. 59. num. 13.* & Card. de Luca *de Matrim. disc. 4. num. 16.* Sed in hac Patavina Diæcesi semper observatum fuit, ut præsente corpore defuncti recitarentur Missæ privatæ de Requiem etiam in Festis Duplicibus; interpretando Rubricam Missalis, & Decretum S. Congregationis non comprehendere hunc casum; sed prohibere celebrationes de Requiem extra hunc casum, quæ fiunt ex solo motivo brevitatis. Ergo ab hac praxi, & observantia non est recedendum.

Quartò: Certum est, quod Sancta Mater Ecclesia intendit, quod antequam Defunctus sepeliatur, celebrentur Missæ de Requiem pro suffragio animæ ipsius;
13 tùm quia in Rituali Romano *in tit. de Exequiis* ita præcipit: *Quod antiquissimi est instituti, illud, quantum fieri poterit, retineatur, ut Missa præsente corpore defuncti pro eo celebretur, antequam sepulturæ tradatur.* Tùm etiam quia in Missali instituit, & ordinavit propriam Missam de Requiem in die depositionis, seu obitus defuncti. Igitur, ut Ecclesiæ institutio locum habeat; interpretanda est Rubrica prohibitoria Missarum de Requiem in Festis Duplicibus, ut non comprehendat casum obitus defuncti, pro quo est celebrandum corpore præsente. Pasqualig. *de Sacrific. Miss. quæst. 282. num. 4.* qui hanc permissionem extendit etiam ad diem tertium, septimum, & tricesimum,

mum, tanquàm dies præcisè institutos ab Ecclesia ad celebrandum pro defuncto.

Quintò: Neque dicatur Rituale Romanum esse intelligendum de unica Missa privata de Requiem, non autem de pluribus; ut autumnat Lantusca *d. Verb. Missa num.* 7. ait enim Rubrica: *Ut Missa præsente corpore Defuncti celebretur*; utens numero singulari, non autem Missæ in numero plurali. Quandoquidem respondetur, quod in Jure singulari-
14 tas non excludit pluralitatem *l. In usu* 158. *ff. de Verb. signific. l. ult.* §. 1. *& ibi notatur ff. de leg.* 2. Fagnan. *in cap. Petentibus num.* 15 *de Privileg.* ubi dat exempla. Mantica *de Conjectur. Ult. Volunt. lib.* 8. *tit.* 12. *num.* 33. Menochius *conf.* 158. *num.* 28. & Barbosa *de Appellat. Verb. Appellat.* 169. *Verb. Numerus num.* 4. ubi concordantes cumulat. Et præcipuè in materia suffragiorum pro anima defuncti; nimis enim arctaretur, si essent restricta ad unam Missam tantùm.

Sextò: Neque replicetur non restringi suffragia ad unam Missam tantùm; quia plures Missæ possunt celebrari pro anima illius defuncti, cujus corpus est præsens in Ecclesia, sed de Officio Duplici currente, non autem de Requiem. Quia & huic dicto respondetur, quod & hoc esset cum magno detrimento animæ ipsius Defuncti: conveniunt enim omnes Theologi,
15 & Canonistæ, quod Missa Defunctorum, seu de Requiem est magis proficua defunctis, quàm Missa de Officio currenti. S. Thom. *in* 4. *dist.* 45. *q.* 2. *art.* 3. *q.* 1. *adv.* S. Antonin. *part.* 1. *tit.* 10. *cap.* 2. §. 3. Navar. *conf.* 9. *de Celebrat. Miss. num.* 5. Fagnan. *in cap. Quidam num.* 21. *eod.* Petez de Lara *de Anniversf. & Capellan. lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 33. & ratio est manifesta, quia etsi ex parte Sacrificii oblati Missa, de quocunque Sancto, seu Officio dicatur, æqualiter prosit Defunctis; tamen ex parte Orationum ab Ecclesia institutarum magis prodest Missa de Requiem. Quartus *part.* 1. *tit.* 5. *dub.* 7. *de Missa pro defunctis. Vers. Dico secundò.* Scortia *de Sacrificio Missæ lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 4. Reginaldus *lib.* 29. *num.* 208. Barbosa *de Potestate Episcopi alleg.* 24. *num.* 32. Gavant. *in Rubric. Missal. part.* 3. *tit.* 13. *num.* 20. Castald. *in Praxi Cærem. lib.* 2. *sect.* 6. *cap.* 4. *num.* 8. *&* 10. & novissimè Emin. Card. Brancatius in suo erudito opere *de Sacro Viatico pag.* 156. ubi subjungit, quod *Orationes, & preces, quas disponit, & ordinat Ecclesia Catholica in Missa de Requiem, habent vim majorem impetrandi per illam actionem sic directam ex particulari Sancti Spiritûs adsistentia, magisque excitatur devotio operantis, juxtà sibi præscriptum parendo, uti dicimus à simili de Religioso operante ex obedientia secundum præcisam Superioris jussionem.* Quibus adstipulatur Pasqualig. *de Sacrif. Missæ quæst.* 287. *ubi num.* 4. plurimos DD. ita sentientes cumulat, *& num.* 6. addit: *Itaque quod Missa de Requiem magis prosit defunctis, quàm quælibet alia Missa, ex eo manifestè constat, quod habet specialem fructum ordinatum ad suffragandum ipsis, quàm non habent cæteræ Missæ. Siquidem cum preces, quæ in ipsis recitantur, & totus ritus sit institutus ab Ecclesia pro suffragio Defunctorum, & nomine Ecclesiæ preces illæ Deo offerantur, intervenit ex parte Ecclesiæ offerentis aliquis specialis fructus, seu suffragium, qui non intervenit in aliis Missis. Et cum Ecclesia sit Sancta, & Deo accepta, non possunt non esse acceptæ preces ipsius, & suffragia exhibita pro defuncto. Et proindè Missæ de Requiem ex parte Ecclesiæ offerentis magis prosunt Defunctis.*

Septimò: Confirmatur nostra opinio ex aliis Decretis S. Congregationis, quæ permittunt celebrari Missas in una Ecclesia Ritu differenti ab Officio communi illius diei, ut Missæ conveniant solemnitati, quæ fit in illa Ecclesia particulari. Exempli Gratia: in Ecclesiis Monialium, quæ recitant Officium alicujus
16 Sancti sui particularis, de quo Ecclesia universalis non facit; debent earum Capellani, relictâ Missâ Officii currentis, etsi duplicis, celebrare Missam de Sancto ipsarum Monialium. *S. Rit. Congregatio* 10 *Nov.* 1628. referente Gavanto *in Rubr. Miss. part.* 3. *tit.* 10. *num.* 16. & Tamburin. *de Sacrificio Missæ lib.* 2. *cap.* 6. §. 2. *num.* 7. Modò in die depositionis Defuncti, præsente corpore in Ecclesia, ibi fit solemnitas suffragiorum pro anima ejusdem Defuncti, & ut plurimùm Ecclesia vestitur Paramentis Nigris, eriguntur Cænotaphia, & insignia, potissimùm pro personis qualificatis, expressiva mortis. Igitur ut Missæ conveniant solemnitati, debent omnes esse de Requiem, aliàs daretur dissonantia, quam S. Rituum Congregatio respuit, ut inter horridos, & nigros apparatus, Sacerdotes in Altaribus deferrent indumenta lætitiæ, celebrando cum coloribus, aut Rubeis, aut Albis, de Sanctis illius diei, non autem de Requiem pro Defuncto præsente.

Octavò: Accedat quod ad evitandum scandalum receditur à dispositione Juris positivi. Fagnanus in *Cap. Quia circa num.* 8. *de Consanguin. & Affin.* & ideò
17 concorditer affirmant omnes Doctores, quod multa per Sacros Canones, & Leges conceduntur ad evitanda Scandala, quæ aliàs non concederentur. Menoch. qui alios cumulat *conf.* 51. *num.* 44. Sed fideles populi, & præcipuè Parentes Defuncti scandalizarentur, si Missæ de Requiem, saltem præsente corpore, in die obitûs Defuncti pro ejus anima non possent recitari. Ergo dicendum, easdem Missas non censeri prohibitas.

Nonò: Facit, Quod Rubrica supradicta Missalis *cap.* 5. *num.* 2. secundum magis communem opinionem scribentium, non est præceptiva, sed directiva. Peyrin. *tom.* 3. *cap.* 1. *num.* 15. *pag.* 307. quamvis Gavant. *part.* 3. *tit.* 11. *num.* 6. eam dubiam appellet.
18 Porrò directiva non obligat sub pœna peccati, præsertim quando est aliqua causa honesta recedendi ab ejus præscripto, putà magna devotio petentis, vel Sacerdotis obligatio, Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 83. *sect.* 8. *concl.* 1. Fagundez *in primo Præcepto Eccl. lib.* 3. *cap.* 21. *num.* 8. Henriquez *lib.* 9. *cap.* 23. *num.* 5. ubi in *Comment. litt.* A. multos citat, & concordat Glossa *in cap. Quidam Laicorum in Verb. Peculiares. de Celebratione Missar.* Angelus *in verb. Missa* §. 33. & Rosella *eod. Verb* §. *fin.* ubi de Missis Votivis in diebus duplicibus. Sed in die Obitûs defuncti; honesta censetur causa recitandi Missas de Requiem corpore præsente. Ergo hæc absque scrupulo etiam in Duplicibus poterit celebrari. Quartus *in Rubr. Missal. part.* 1. *tit.* 4. *dub.* 2. *Vers. dico* 3.

Decimò: Neque dicatur, esto quod Rubrica ipsa Missalis esset directiva, subsequens Decretum S. Congregationis *diei* 5. *Augusti* 1662. prohibentis Missas de Requiem in duplicibus, esse præceptivum. Quia respondetur primò, quod Lex Nova confirmans
19 legem antiquam recipit limitationem, quam patitur Lex Antiqua confirmata, *l. Sciendum ubi* Glossa *ff. Qui satisdare cogan. l. Hac consultissima ubi* Glossa 3. *C. Qui testam. facer. possint.* Covaruvias *in Rubr. de Testam.* 2. *p. num.* 29. Guttierez *pract. quæst. lib.* 4. *q.* 1. *num.* 4. Ergo sicut Rubrica limitatur, ubi est honesta causa celebrandi vel Missam votivam, vel de Requiem; ita Decretum S. Rit. Congregationis. Res-
20 pondetur secundò, quod lex nova superveniens in materia disposita per leges antiquas, quamvis generaliter loquatur, tamen distinguitur, prout distinguebantur leges antiquæ. Fagnan. *in Cap. Tuæ Litteræ. num.* 25. *de Cleric. per saltum promot.* Sed Rubrica Missalis non exprimit casum nostrum de Missa pro Defunctis corpore præsente. Ergo neque Decretum S. Congregationis.

Undecimò: Finis, & intentio Rubricarum, in præscribendis Sacris Ritibus pro celebratione Missæ, est Dei cultus, & Spiritualis utilitas fidelium. *Concil. Trid. sess.* 7. *can.* 13. *& sess.* 22. *cap.* 5. Quartus *in Rubrica Missalis part.* 1. *punct.* 5. *in princip.* Sed tempore exequiarum, præsente corpore defuncti, per celebra-

Digitized by Google

lebrationem Missarum de Requiem; Deus, cujus miseratio petitur, magnoperè honoratur; & fideles, qui concurrunt ad Officium Exequiarum, efficaciter erudiuntur de Morte, & de Purgatorio, ex quibus resultat magna eorum spiritualis utilitas. Ergo consuetudo celebrandi de Requiem præsente corpore in Duplicibus Festis non est explodenda.

Duodecimò: Rubricæ Missalis circa celebrationem Missarum Votivarum, vel de Requiem, etiam
22 in Duplicibus non tollunt consuetudinem immemorabilem, ut probat Pignatell. *tom. 6. consult. 64. num. 2. & 6.* Ideò Sacra Rituum Congregatio *anno* 1594. *in una Burgensi* approbavit celebrationem Missæ votivæ B.M. Virginis, etiam in diebus Duplicibus, *& in una Vallisoletana* 19. *Novembris* 1633. etiam diebus de præcepto, exceptis nonnullis solemnioribus. *Et in una Maxisensi* 16. *Aprilis* 1644. permisit eandem cecelebrationem in primis Dominicis Maii, & Septembris ob populi concursum, & devotionem, ut refert idem Pignatell. *d. consult.* 64. Ergo idem sentiendum de consuetudine celebrandi Missas de Requiem præsente corpore, diebus Duplicibus, ob devotionem fidelium, & consanguineorum Defuncti illas expetentium; quia, ut subdit Pignatell. *ibidem num.* 7. Ubi periculum est, quod homines retrahantur à bonis operibus, & agitur de devotione popu-
23 li, indulgeri convenit, quod fieri potest: Rubricæ enim non obligant cum gravi incommodo, & in specie concludit, non censeri prohibitum celebrare de Requiem in Festis duplicibus ex gravi motivo concernente fidelium pietatem, seu devotionem.

Decimo Tertiò: His accedit praxis Vaticanæ Basilicæ in Alma Urbe, quæ habet in usu celebrandi Anniversaria cum Missis de Requiem in die, quo incidunt, etiamsi
24 tunc officium duplex concurrat: exceptis tamen Dominicis, Festis de præcepto, & Octavis duplicia excludentibus, ut testatur Magrius *in Hierolexic. Verb. Missa defunctorum col. 2. in fine:* Quare non inconveniens videtur, ita servari in die Depositionis defuncti, præsente corpore.

Decimo Quartò: Tandem hanc consuetudinem tanquam irreprehensibilem tuentur, non solùm Angelus (olim Prior S. Leonardi Paduæ Vir egregius,
25 pius ac doctus:) *in praxi Missæ privatæ part. 2. cap. 6.* Sed etiam Pasqualigus, & Bordonus; quorum verba non me piget transcribere pro conclusione hujus Discordiæ, cum reddant rationes satis Legales. Igitur Pasqualigus *de Sacrific. Missæ in cit. quæst.* 282. *sub num.* 4. ait: *Probabile est, quod in die obitus, seu depositionis, 3. 7. & 30. possint celebrari etiam Missæ privatæ Defunctorum, licèt Officium sit Duplex. Ratio est quia hujusmodi dies sunt speciali modo instituti ab Ecclesia ad suffragandum Defunctis oblatione Sacrificii, & specialibus Liturgiis.* Sic autem Bordonus *de Legatis Missar. cap. 6. num.* 109. scribit: *Missæ privatæ de Requiem, præsente Defuncti corpore exposito in Ecclesia, celebrari possunt in Festis duplicibus; tùm quia sunt partes accessoriæ solemnitati; non enim cantatur Missa in die obitus sine aliis Missis privatis; tùm quia concesso majore, censetur concessum quod minus est, cap. Ex parte 21. de Decimis cap. Per venerabilem 13. Qui filii sint legitimi. Cap. Præcipimus 12. q. 2. tùm quia minus obstat Missa privata solemnitati Festivæ, quàm cantata: sed hæc conceditur, ergo & privata.* Pro hac opinione ego steti, tanquam veriori, non obstantibus argumentis contrariæ opinionis, quæ quidem facillimè è medio tolluntur. Nam:

Primum non obstat, quod Rubrica loquatur generaliter, & in generalitate videatur comprehensus etiam noster casus; nam respondetur, regulam illam
26 procedere, nisi restringatur vel ab alia lege, vel ab aliqua particulari ratione. *l. In toto ff. de Reg. Jur. l. Labeo. ff. de Suppellect. legat.* At in casu nostro habemus contrariam consuetudinem, quæ est altera lex. *cap. 1. de consuetud.* & militant omnes rationes supra consideratæ.

Secundum non obstat, quia ut dictum est *num.* 10. Sacra Rituum Congregatio per Decretum 5. *Augusti* 1662. voluit prohibere Missas de Requiem in Dupli-
27 cibus passim recitandas à Sacerdotibus indevotis ex solo motivo brevitatis, quem usum damnat ut abusum, & Summus Pontifex Alexander VII. pariter vetavit. Sed celebratio, præsente corpore, Missæ de Requiem non fit brevitatis gratia, sed pietatis, devotionis, & majoris suffragii intuitu; ideò non est de mente Sacræ Congregationis.

Tertium pariter non officit, quia nullibi reperitur, quod Rubrica Missalis, & Rituale Romanum concedant Missam de Requiem solemnem tantùm, præsente corpore; & quamvis id statuisse S. Congregationem referat Sperellus *in sua Parænesi Teleturgica in*
28 *fin. operis ad Decreta S. Congregationis num.* 7. loquitur in Festis Duplicibus de præcepto; non autem in aliis, quæ non sunt de præcepto, ut exprimit etiam Calendarium Patavinum in Decretis. Igitur quatenùs etiam dicta restrictiva subsisteret, haberet locum tantummodò in Festis Duplicibus de præcepto.

Quartum tandem objectum parùm stringit, de Auctoritate Doctorum contrarium opinantium, cum alii sint non impares auctoritate, & rationibus, quibus
29 fulcitur opinio nostra favorabilis huic consuetudini, quam sustinendam tanquam legitimam asserimus; salvo semper judicio, & mandatis S. Rituum Congregationis, &c. Addimus tamen, quod in diebus Dominicis, & Festis de Præcepto Missa tantùm cantata de Requiem dici potest, præsente corpore, excepta die Paschatis, ut in Decretis impressis in princ. Calendarii Patavini.

DISCORDIA LXXXVII.

ARGUMEMTUM.

Beneficia vacantia per obitum illorum, qui fuerunt Familiares, & continui Commensales S. R. E. Cardinalium, semper sunt reservata Apostolicæ Sedi; adeò ut in eorum dispositione Cardinales Ordinarii collatores nunquam se ingerere possint: sed tantummodò sit requirendus consensus Cardinalis Patroni, si sit præsens in Curia, juxtà Constitutiones Gregorii XIV. & Pauli V. quarum tenores hìc transcribuntur.

SUMMARIUM.

1 *Joseph Abbas Persicus Canonicus Patavinus fuit familiaris Emin. Cardinalis Francisci Barberini.*
2 *Ejus laudes, virtus, pietas, & comitas.*
3 *Domus ejus in Parochia S. Maximi Paduæ, ac Horti descriptio.*
4 *Ejusdem ætas, inscriptio sepulturæ, & obitûs.*
5 *Canonicatus, & beneficia Familiarium alicujus Cardinalis, sunt Papæ reservata*, & num. 7.
6 *Indulta Cardinalium eis injungunt observantiam Constitutionum Gregorii XIV. & Pauli V.*
7 *Beneficia eorum, qui fuerunt Familiares Cardinalium, reservata sunt Sedi Apostolicæ à Gregor. XIV. & à Paulo V.*
8 *Consensus Cardinalis Patroni quando requiratur in dispositione beneficiorum ejus Familiaris?*
9 *Indulta Cardinalium Ordinariorum Collatorum non capiunt beneficia Familiarium alterius Cardinalis*, & num. 16. & 18.
10 *Regulæ 33. Cancell. Apostol. tenor.*
11 *Regulæ ejusdem declaratio.*
12 *Regula 4. Cancell. Apostolicæ reservat Papæ etiam beneficia Familiarium cujuscunque Cardinalis.*
13 *Regula 33. Cancell. Apostol. est Lex abrogata. Et* cur

Digitized by Google

cur ponatur inter ipsas Regulas?

14 *Cardinalis Patronus, si sit praesens in Curia, praestat consensum in collatione beneficiorum Familiaris sui defuncti.*

15 *Cardinali Patrono praedefuncto, vel absente à Curia, Papa liberè confert beneficia Familiaris ejusdem Cardinalis.*

16 *Cardinalis Ordinarius collator nunquam se ingerit in collatione beneficiorum Familiaris alterius Cardinalis*, & num. 24.

17 *Rotae Romanae decisiones contra provisos à Cardinalibus Ordinariis collatoribus de beneficiis Familiarium alterius Cardinalis.*

19 *Canonicatus Josephi Abb. Persici collatus ab Innocentio* **XII.** *tanquam sibi reservatus.*

20 *Antonius Donatus Nobilis, & Canonicus Patavinus laudatus.*

21 *Gregorii XIV. Constitutio reservans sibi beneficia Familiarium cujuscunque Cardinalis.*

22 *Pauli V. Constitutio renovans eandem reservationem.*

23 *Familiarium alicujus Cardinalis beneficia semper sunt Papae reservata.*

25 *Cardinalium in Indultis cur inseratur observantia Constitutionum Greg. XIV. & Pauli V. circà beneficia Familiarium cujuscunque Cardinalis?*

Inter Canonicos Patavinos *Anno* 1641. *die* 21. *Augusti* receptus fuit Reverendissimus Joseph Abbas Persicus Nobilis Bellunensis, provisus ab Urbano VIII. de Canonicatu tunc vacante; ut ferebant Bullae Apostolicae de eadem provisione, in quibus ita Papa loquebatur: *Dilecto filio Josepho Persico Canonico*
1 *Paduano Juris Utriusque Doctori &c. Nos Tibi Presbytero asserenti ex Civitate Bellunensi te esse oriundum, & dilecti Filii nostri Francisci S. Laurentii in Damaso Diaconi Cardinalis Barberini nuncupati S. R. E. Vice Cancellarii, ac Nostri secundum carnem ex Fratre Germano Nepotis Familiarem, & continuum Commensalem existere &c.* Enituit semper Canonicus iste inter ceteros de Capitulo; eumque R. P. M. Salomonius Ord. Praedicatorum *in Inscript. Urbis Patav. pag.* 288. jure optimo nuncupat *Virum Doctissimum, Romae olim*
2 *apud Urbanum VIII. totamque Aulam acceptissimum; & huic Paduanae Ecclesiae virtute, morumque elegantia non minùs charum, quàm spectatum; siquidem monumentorum suorum, & sapientiae heredem reliquit Capitulum, cui & honori, & gloriae fuit.* Humanioribus Litteris, ac Poesi fuit eruditus, Divi Augustini operum frequens Lector, in orando pius, ac devotus, inter amicos hilaris, ac jucundus. Domum dirutam in Parochia S. Maximi suis expensis resabri-
3 candam, & sua vita durante, absque alia pensione, fruendam à Domino conduxit, in qua multiplex fecit conclave, cuique tempore accommodatum; ac hortum, sibi, amicisque suis honestam recreationem exhibentem, floribus, ac fruticibus consitum, in cujus muri eminentia, in speciosa tabella, hos versus inscripserat.

Questa Casa, e Cultura à me gradita
Hà dopò me già certo il suo Signore;
Mà io non lo vedrò mio Successore,
Com'egli Possessor mi vede in vita.

Vixit Annorum numerum, quem haec Discordia fortita est, conditâ sibi priùs sepulturâ in Parochiali
4 S. Maximi, super quâ hanc posuit inscriptionem: *Joseph Abbas Persicus Bellunensis, Canonicus Patavinus, tenens, quod sicut in Adam omnes moriuntur; ita & in Christo omnes vivificabuntur; hic requiem interim sibi vivens statuit, Anno à Nativ. Dom.* 1676. *Aetatis suae tunc decurrente LXXI.*

Tempora mutantur, nos & mutamur in illis.

Obiit tandem Idibus Januarii Anno 1693. statimque nata est Discordia inter Ministros Curiae Episcopalis circa dispositionem Canonicatus per ejus mortem vacantis; autumantibus eorum pluribus, eam spectare ad Eminentissimum Cardinalem Episcopum Indultarium; & asserentibus ejus Indultum, tanquàm amplissimum, etiam hunc Canonicatum comprehendere, ut de ejus amplitudine apparet supra *Discord.* I. *pag.* 7. ubi *num.* 12. & 13. Papa excipit ab ipso Indulto beneficia Familiarium sui ipsius tantùm; undè aliqui Ministri deducebant, beneficia Familiarium aliorum Cardinalium esse comprehensa in hoc Indulto; quia exceptio in uno casu firmat regulam in contrarium. *l. Quaesitum. §. Denique. ff. de Fund. instruct.* Barbosa *Axiom.* 85. *num.* 4. Ego tamen constanter tenui, quod hujus Canonicatus dispositio, ac collatio spectabat ad Apostolicam Sedem, eâ ratione quia praefatus Canonicus Josephus Persicus fuit Familiaris,
5 & continuus Commensalis Eminentissimi, ac Reverendissimi q. Francisci Cardinalis Barberini, ut ex tenore Litterarum Apostolicarum collationis ejusdem Canonicatus *num.* 1. supra relato apparet, idcircò ejus Canonicatus remanet Apostolicae Sedi reservatus. Licèt enim Indultum ab Alexandro VII. concessum Eminentissimo, ac Reverendissimo Gregorio Cardinali Barbadico Episcopo priùs Bergomen. deinde Patavino sit amplissimum; & in eo non legantur exceptuata beneficia Familiarum, & continuorum Commensalium aliorum Cardinalium, praeter beneficia illorum, qui fuerunt Familiares, & Continui commensales ipsius Alexandri VII. etiam tempore, quo erat Cardinalis, ut *d. num* 12. & 13. *limit.* 3. nihilominùs idem Papa loquens de beneficiis Familiarium aliorum Cardinalium *num.* 21. *limit.* 6. restringit, & coarctat facultatem ejusdem Eminentissimi Cardinalis Barbadici Indultarii ad observantiam Constitutionum Gregorii XIV. & Pauli V. ita dicens: *Et quoad be-*
6 *neficia vacantia per obitum Familiarium S. R. E. Cardinalium juxta formam felic. record. Gregorii XIV. & Pauli V. Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum Constitutionum, moderatoriarum Indultorum eisdem Cardinalibus concessorum, quas ad unguem servari, & custodiri volumus; non obstantibus Litteris nostris in Cancellaria nostra Apostolica publicatis, videlicèt de impetran. beneficia per obitum Familiarium Cardinalium, & sequenti super eadem Familiaritate, quas ad hunc effectum, ad terminos praedictarum Constitutionum reducimus.*

Porrò Gregorius XIV. *in sua Constitutione* 19. & Paulus V. *in sua Constitutione* 58 (quarum tenores, & verba infra transcribam) statuerunt, ut vacantibus
7 beneficiis per obitum Familiarium S. R. E. Cardinalium; eorum dispositio deinceps spectare non possit ad Cardinales Ordinarios collatores, sed ad ipsam Apostolicam Sedem; ita tamen, ut si Cardinalis, qui fuit Herus, seu Patronus beneficiati defuncti, fuerit praesens in Curia, in expeditionibus Litterarum
8 eorundem beneficiorum consensus ipsius Cardinalis Patroni requiratur; prout etiam statutum est *in Reg.* 32. *Cancel. Apost.* per omnes Pontifices. Quapropter attentis iisdem Constitutionibus Gregorianâ, & Paulinâ, Indulta Cardinalium non comprehendunt beneficia vacantia per obitum illorum, qui fuerunt Familiares, & continui Commensales quorumcunque
9 Cardinalium, sivè illi moriantur in Curia, sivè extra Curiam; sunt enim semper Apostolicae Sedi reservata, & de eis nullus disponere potest, nisi Papa; ut plenè de hoc puncto disserit, ac demonstrat Loterius *De Re benefic. lib.* 2. *quaest.* 32. *à num.* 74. & *seqq.* qui sub *num.* 93. firmat, Indulta omnia de beneficiis conferendis concessa Cardinalibus hodie ita esse moderata, ut nullo modo ad ipsos pertineat collatio beneficiorum, quae possidebant tempore mortis Familiares Cardinalium; & *num.* 96. concludit, easdem Gregorianam, & Paulinam Constitutiones esse perpetuas.

Caeterùm torquet animum legentis *Regula* 33. ejusdem Cancellariae Apostolicae; quae quidem Regula disponit, quod si beneficia vacantia per obitum alicujus,

Digitized by Google

cujus, qui fuerit Familiaris S. R. E. Cardinalium, cessantibus Apostolicis reservationibus, ad alterius Car-
10 dinalis collationem pertinere deberent, in hoc casu consensus Cardinalis Patroni non sit exigendus; *Sed beneficia hujusmodi* (sunt verba d. Reg. 33.) *ad collationem, seu quamvis dispositionem Cardinalis Ordinarii collatoris, ut praefertur, liberè spectare censeantur*. Cujus *Regulae* 33. vigore videtur dicendum, quod in praesenti casu hujus Canonicatus dispositio ad Eminentissimum Cardinalem Episcopum Patavinum spectet tanquam Ordinarium collatorem.

At in contrarium est veritas; quia, ut dictum est, ejus dispositio pertinet ad Apostolicam Sedem. Primò, quia in Regula ista posita est illa clausula, *ces-*
11 *santibus Apostolicis reservationibus*; in praesenti autem casu Canonicatus est reservatus Apostolicae Sedi, tùm per dd. Constitutiones Gregorianam, & Paulinam, tùm per *Regulam* 4. *Cancellariae*, quae expresse reservat ipsi Papae beneficia obtenta à Familiaribus Cardinalium, *etiamsi ab ipsa Familiaritate per*
12 *obitum Cardinalium eorundem, vel aliàs recesserint*. Quae quidem Regula 4. ligat etiam Cardinales Indultarios, Ordinariosque collatores, nisi expresse ab ea in Indultis fint exceptuati. Loterius *d. lib.* 2. *quaest.* 32. *num.*84. & 85. Rota *part.*4. *recent. decis.*654. Gonzalez *ad Reg.*8. *Cancell. Gloss.*24. *num.*7. *Vers.* 6. nec non *Glossa* 51. *num.* 64. Garzias *de Benefic. part.* 5. *cap.* 1. *num.*630. *Vers. Et ultimus*. Novissimè Rota *part.*17. *recent. decis.*303. *sub num.*26. ubi ita loquitur: *Praeterea concurrit alia reservatio pariter exclusiva Indulti; quia, ut supra dictum est, Franciscus Dominicus de Rubeis ultimò defunctus fuit Familiaris bon. mem. Cardinalis Giberti Borromei; quapropter solus Papa de ejus Canonicatu disponere potuit, ut expressè cavetur in Reg.* 4. *Cancellariae*.

Secundò prodesse non potest Cardinali ordinario Collatori, & Indultario praedicta *Regula* 33. *Canc. Apostol.* quia, licèt ipsa ponatur ab omnibus Pontificibus inter alias Regulas ejusdem Cancellariae, attamen est lex abrogata, & ejus tenor correctus per prae-
13 dictas Constitutiones Gregorii XIV. & Pauli V. & non habet locum, nisi casu, quo Cardinalis Indultarius esset expressè exceptuatus *à Regula* 4. ut benè demonstrat ipse Loterius *d. lib.* 2. *quaest.*32. *à num.* 89. & *seqq.* ac advertit Rota *in d. part.* 4. *recent. decis.* 654. *num.*77. & 78. *tom.*3. ipsaque *Regula* 33. eatenùs renovatur, & ponitur, quatenùs demonstrat, quid agendum inter duos Cardinales, Patronum scilicèt unum, & Collatorem Ordinarium alterum, in dispositione beneficii vacantis per obitum Familiaris ejusdem Cardinalis Patroni; nam huic conceditur
14 nominatio, seu praestatio consensus, si sit vivus, & praesens in Curia, quando Papa confert dictum beneficium tanquam sibi reservatum; non autem Cardinali Collatori Ordinario, & Indultario, ad quem nunquam spectat praedicta nominatio, seu consensus
15 praestatio; sed si Cardinalis Patronus sit absens à Curia, vel praedefunctus, Papa liberè disponit de praedicto beneficio, tanquam sibi ut supra per *Regul.*4. *Cancell.* reservato; nullâ habitâ consideratione Cardinalis Ordinarii collatoris; ut fusiùs dicit eadem Rota *d. part.* 17. *recent. decis.* 303. *num.* 26. & 27. ubi ita concludit: *Quapropter nominatione cessante, quemad-*
16 *modum si Patronus viveret, Ordinarius* (*Cardinalis*) *non posset conferre; ita illo defuncto subintrat Papa, qui utendo sua reservatione confert beneficium, ut responderunt f. m. Paulo Quinto* Coccinus, & Lancellottus *in eorum Voto impresso apud* Amydenium *de Stylo Datariae lib.*1. *cap.*34. & *priùs dixerat bon. mem.* Cardinalis Pamphilius *in alio Voto edito in causa Ripana beneficiorum*, & tradit Loterius *de Re benefic. lib.*2. *q.*39. *num.*89.

Hinc quotiescunque Cardinales Indultarii, & Ordinarii collatores contulerunt beneficia priùs obtenta à Familiaribus aliorum Cardinalium, semper Rota sententiavit contra provisos ab iisdem Cardinalibus Indultariis, & ad favorem impetrantium eadem be-
17 neficia à Summo Pontifice, ut habetur inter Decisiones Rotales *part.* 3. *recent. decis.* 156. Item *in d. part.* 4. *recent. decis.* 654. *tom.* 3. nec non *in d. part.* 17. *recent. decis.* 303. prout etiam in *una Romana Canonicatuum* coram R. P. D. Albergato Decano *diei* 27. *Junii* 1672. impressa per Novarium *post Summ. Bullar. decis.* 29. & est etiam in eadem *part.* 17. *recent. decis.* 382. in qua *num.* 12. ita habet: *Ulteriùs duae aliae reservationes exclusivae Indulti concurrunt; quarum prima oritur ex Familiaritate Janini cum Cardinali della Queva, per quam, Cardinali defuncto, solus Papa, non autem Cardinalis Titularis potuit conferre Canonicatum, ut cavetur in Regul.* 4. *Cancellar.* & *probat d. decis.* 303. §. *Nec ad tollendam*.

Idcircò omnes Beneficialistae ponunt hanc irrefragabilem conclusionem, quod Indulta Cardinalium Ordinariorum collatorum non capiunt beneficia illorum,
18 qui fuerunt familiares Cardinalium quorumcunque, ut praeter Loterium, Garziam, & Gonzalez supra citatos, ac Magistrale Votum Coccini, & Lancellotti impressum per Amydenium *de Stylo Datariae d. lib.* 1. *cap.* 34. in quo plurimi DD. allegantur, legitur novissimè apud Tondut *QQ. Beneficial. tom.* 1. *part.*2 *cap.*3.§.3.*num.* 11. & apud Emin. Card. de Luca *in tract. de Beneficiis disc.*6. *num.* 2. quorum omnium auctoritate fultus ego sustinui contra alios Ministros Curiae hujus Episcopalis Patavinae, à me discordantes; Canonicatum vacantem per obitum praelaudati Reverendissimi Josephi Persici, qui fuerat Familiaris quondam Eminentissimi Francisci Cardinalis Barberini, esse reservatum Sedi Apostolicae, nec illum posse conferri ab Eminentissimo Ordinario Patavino quamvis Indultario; sed ejus dispositionem esse fa-
19 ciendam à Summo Pontifice; prout de eo disposuit Innocentius Papa XII. illum conferendo Reverendissimo Antonio Donato Nobili Patavino, Sacerdo-
20 ti piissimo, ac meritissimo, tùm vigore *Regul.* 4. *Cancell. Apostol.* tùm earum Constitutionum Gregorianae, ac Paulinae, quarum tenor est infrascriptus.

*Constitutio XIX. Gregorii Decimi Quarti existens in Bullar. Roman. tom.*2. *ad pag.* 545.

Sanctissimus in Christo Pater, & D. N. D. Gregorius Divina providentia Papa XIV. ex quibusdam, contra dispositionem juris communis S. R. E. Cardinali-
21 bus, super collatione beneficiorum Ecclesiasticorum apud Sedem Apostolicam vacantium, concessis Indultis, & facultatibus, saepè numero impeditus, quo minùs solitam Sedis hujus benignitatem erga pauperes, & benemeritos liberaliter exercere possit, ac simul volens litibus obviare, quae super illorum interpretatione oriuntur; fel. rec. Pii Papae V. sui Praedecessoris vestigiis in hac parte inhaerendo:

§. 1. Omnia, & quaecunque Indulta (Cardinalium) concessiones, facultates, & Privilegia conferendi quaecunque apud Sedem Apostolicam vacantia, aut in posterum vacatura beneficia Ecclesiastica, &c. cassavit, annullavit, viresque, & effectum de caetero non habere decrevit.

§. 2 Salva tamen remanente facultate consensus per ipsos Cardinales in provisionibus Apostolicis beneficiorum per obitum Familiarium continuorum Commensalium eorundem Cardinalium, etiam apud Sedem praedictam vacantium, praestandi, juxta formam Regulae Cancellariae Apostolicae super hoc editae; & in casibus tantùm in ipsa Regula expressis. Volens ulteriùs, quod eadem beneficia per obitum Familiarium continuorum Commensalium eorundem Cardinalium posthac tàm apud eandem Sedem, quàm extra Romanam Curiam vacantia, etiamsi ad alicujus alterius Cardinalis collationem, vel aliam dispositionem pertinere deberent, etiamsi tunc cessent aliae Apostolicae

Digitized by Google

reservationes hactenùs editæ; nihilominùs in posterum dispositioni Sanctitatis suæ reservata censeantur; itaut in provisionibus talium beneficiorum, super expeditione Litterarum illius Cardinalis, cujus Familiaris defunctus extitit, si ipse Cardinalis tunc præsens in eadem Curia fuerit, consensus requiri omninò debeat; non autem beneficia hujusmodi ad collationem, seu quamvis aliam dispositionem Cardinalis Ordinarii collatoris, etiamsi in Romana Curia præsens fuerit, consensus quoquomodo requiratur. Easdemque Constitutiones, & Regulas Cancellariæ, etiam declaratorias super beneficiis Familiarium prædictorum Cardinalium editas, tàm quoad Cardinales Indulta hujusmodi habentes, quàm non habentes, atque adeò Indulta ipsa ad terminos præsentis Constitutionis reduxit, & moderatus fuit.

§. 3. Decernens sic in iis, cæterisque omnibus præmissis per quoscunque, &c. etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & eosdem Cardinales sublata &c. Nec non irritum, & inane &c. Contrariis quibuscunque non obstantibus &c. Anno Domini 1591. &c.

Constitutio LVIII. Pauli Papæ Quinti, existens in Bullarii Romani tom. 3. ad pag. 180.

SAnctissimus in Christo Pater, & D. N. D. Paulus Divina Providentia Papa V. providè attendens, quod vacatione beneficiorum Ecclesiasticorum, Sedis Apostolicæ dispositioni reservatorum, etiam apud il-
22 lam pro tempore occurrente, ex quibusdam Indultis, & facultatibus S. R. E. Cardinalibus, super dispositione beneficiorum hujusmodi concessis, Sedes ipsa omnium parens, & alumna sæpè numero impeditur, quominùs solitam ejus benignitatem erga pauperes, & personas de se benemeritas, ac alias sibi gratas, & acceptas, liberaliter exercere possit.

§. 1. Volens propterea super his opportunæ provisionis remedium, ut par est, adhibere; simulque contentionibus, & litibus, circa facultatum, & Indultorum præfatorum interpretationem oriri solitis obviare; fel. rec. Pii etiam V. & Gregorii XIV. Romanorum Pontificum Prædecessorum suorum vestigiis in ea parte inhærendo, Motu proprio, & ex certa scientia; ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, & quæcunque Indulta, concessiones, facultates, & privilegia conferendi quæcunque apud Sedem Apostolicam præfatam vacantia, aut in posterum vacatura beneficia Ecclesiastica &c. omnibus, & singulis Cardinalibus per quoscunque Romanos Pontifices, ac Sanctitatem suam, & dictam Sedem, etiam motu, scientia, potestatisque plenitudine similibus &c. concessa &c. cassavit, annullavit, viresque, & effectum de cetero non habere decrevit. Salva tamen remanente facultate consensus per ipsos Cardinales in provisionibus Apostolicis beneficiorum per obitum Familiarium continuorum Commensalium eorundem Cardinalium, etiam apud Sedem prædictam vacantium, præstandi juxta formam Regulæ Cancellariæ Apostolicæ super hoc editæ, & in casibus tantùm in ipsa Regula expressis.

§. 2. Voluit ulteriùs, quod eadem beneficia per obitum Familiarium continuorum Commensalium eorundem Cardinalium postbac tàm apud eandem Sedem,
23 quàm extra Romanam Curiam vacantia, etiamsi ad alicujus alterius Cardinalis collationem, vel aliam dispositionem pertinere deberent, etiamsi tunc essent aliæ Apostolicæ reservationes hactenùs editæ; nihilominùs in posterum dispositioni Sanctitatis suæ reservata censeantur; itaut in provisionibus talium beneficiorum, super expeditionibus Litterarum, illius Cardinalis, cujus tunc Familiaris defunctus extitit; si ipse Cardinalis tunc præsens in eadem Curia fuerit, consensus omninò requiri debeat: non autem beneficia hujusmodi, etiam eodem Cardinale ab ipsa Curia absente, seu prædefuncto, vel aliàs conferre impedito, ad collationem, seu quamvis aliam dispositionem
24 Cardinalis Ordinarii collatoris, ullo modo pertineant; neque ejusdem Cardinalis Ordinarii collatoris, etiam in dicta Curia tunc præsentis consensus quoquomodo requiratur. Easdemque Constitutiones, & Regulas Cancellariæ, etiam declaratorias super beneficiis Familiarium prædictorum Cardinalium editas, & edendas, tàm quoad Cardinales Indulta hujusmodi habentes, quàm non habentes, atque adeò Indulta ipsa ad terminos præsentis Constitutionis reduxit, & moderatus fuit.

§. 3. Insuper statuit, & ordinavit, quod in quibuscunque Facultatibus, & Indultis, quæ deinceps singulis Cardinalibus præfatis, præsentibus, & futuris super hujusmodi beneficiorum, ut præfertur vacantium, & vacaturorum dispositione, aut de consensu ipsorum Cardinalium in provisionibus eorundem beneficiorum requirendo, per Sanctitatem suam, & quoscunque alios Romanos Pontifices Successores suos, dictamque Sedem pro tempore concedentur, eadem præ-
25 sens Constitutio ad unguem omninò observari debeat; omnesque Litteræ Apostolicæ desuper, tàm per Cancellariam præfatam, quàm Cameram Apostolicam, ac etiam via secretâ, & sub Annulo Piscatoris, absque limitationibus, & moderationibus prædictis, ac aliàs præter, & contra formam, atque tenorem præsentis Constitutionis hujusmodi, etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, etiam cum præsentium speciali, & expressa derogatione pro tempore expeditæ, nullius sint roboris, vel momenti, nec cuiquam suffragentur.

§. 4. Decernens sic in iis, cæterisque omnibus præmissis per quoscunque, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores; ac etiam ipsos Cardinales sublata eis &c. judicare, ac definiri debere; nec non irritum, & inane quicquid secùs &c.

Dat. Romæ Anno Incarnationis Dominicæ 1609. die Jovis 22. Octobris Pontificatus ejusdem Pauli V. Anno Quinto.

DISCORDIA LXXXVIII.

ARGUMENTUM.

Beneficia vacantia per obitum Officialium Curiæ Romanæ comprehenduntur in Indultis Cardinalium Ordinariorum Collatorum, qui de eis disponere possunt, si Officialis beneficiarius prædefunctus, unum tantùm habuerit Officium. At si duo, vel plura Officia separatim acquisiverit, ejus beneficia sunt exclusa ab Indultis tanquàm duplici reservatione coæquali affecta, resultante ex ipsa pluralitate Officiorum juxta Constitutione Alexandri VII. *de Anno* 1666. hìc insertam; per quam declaravit, Prothonotariatum, & Scriptoratum constituere duas reservationes personales coæquales exclusivas Indultorum Cardinalium ad præscriptum Constitutionis 288. Urbani VIII. de Anno 1642. Talis fuit Canonicatus q. Nob. Viri Petri Labiæ Canonici Patavini.

SUMMARIUM.

1 *Petrus Abbas Labia Canonicus Patavinus obiit Mense Octobri Anno* 1692.

2 *Idem fuit Cubicularius, & Scriptor Apostolicus in Rom. Curia.* Et num. 8.

3 *Urbanus VIII. Constit.* 288. *declaravit, Indulta Cardinalium non comprehendere beneficia duplici reservatione affecta.* Et num. 19.

4 *Indultum Card. Barbadici Episc. Patavini tribuebat* ei col-

Digitized by Google

et collationem beneficiorum etiam Officialium Curiæ Romanæ. Et num. 29.

5 *Papa in Indultis Cardinalium excipit beneficia Familiarium sui ipsius*.

6 *Indultarius confert omnia beneficia, quæ in suo Indulto non sunt excepta*.

7 *Induita Cardinalium latissimè interpretanda contra concedentem*.

9 *Reservationes duæ coæquales excludunt Indulta Cardinalium*.

10 *Jacobi Cobellii tractatus de Officialibus Curiæ Romanæ*.

11 *Officiales d. Curiæ si renuncient Officium, remanent Protbonotarii Apostolici*.

12 *Officia duo qui in Rom. Curia consequitur, duas contrabit reservationes*.

13 *Gratiani* Discept. Forens. cap. 982. *palinodia circa beneficia duplici reservatione affecta*.

14 *Ubaldi, & Verospii Auditorum Rotæ Votum, quod Induita Cardinalium non capiunt beneficia duabus reservationibus obstricta*.

15 *Impetrans beneficium duplici reservatione affectum, debet exprimere utramque reservationem*.

16 *Casus mixtus sub simplici non continetur*.

17 *Papa in Indultis Cardinalium cur loquatur per dictiones disjunctivas* Vel, Seu, Aut, & *similes*.

18 *DD. antiqui tenentes Indulta Cardinalium non capere beneficia duplici reservatione affecta*.

19 *Urbani VIII. Constitutio 288. quod Cardinales neque unire, neque conferre valeant beneficia affecta duabus reservationibus*.

20 *Rotæ Decisiones contra provisos ab Indultariis de Beneficiis duplici reservatione affectis*.

21 *Reservationum species quatuor. Et quæ?*

22 *Advocatorum Rom. Curiæ dissensio circa qualitates reservationum Indultorum exclusivas*.

23 *Rotæ decisio coram Priolo, quod duo Officia faciunt unam tantùm reservationem non exclusivam Indulti Cardinalium*.

24 *Congregatio quinque Prælatorum Curiæ Rom. ab Alex. VII deputata decidit, duo Officia facere duas reservationes exclusivas Indultorum*.

25 *Alexander Papa VII. banc Decisionem confirmavit*.

26 *Constitutio Alex. VII. declarans ex duobus Officiis Rom. Curiæ duas evenire reservationes coæquales exclusivas Indultorum*.

27 *Officialium Rom. Curiæ beneficia sunt reservata, ubicunque ipsi decedant*.

28 *Protbonotariatus, & Scriptoratus Officia separatim acquisita constituunt duas coæquales reservationes Indultorum exclusivas*.

29 *Officialium Rom. Curiæ beneficia conferuntur à Cardinalibus Indultariis, si Officialis defunctus extra Curiam unum tantùm babuerit Officium*.

30 *Indulta Cardinalium quomodo sint latissimè interpretanda contra Papam?*

31 *Constitutioni Pontificiæ nemini licet contradicere*.

STatim post obitum Illustrissimi Petri Abbatis Labiæ Nobilis Veneti, atque Canonici Patavini, qui ex hac vita migravit Mense Octobri, Anno 1692. Dis-
1 cordia non minor præcedente invaluit inter Ministros Curiæ hujus Episcopalis super dispositione illius Canonicatus, quorum aliqui affirmabant, Eminentissimum S. M. Gregorium Cardinalem Episcopum Patavinum posse ipsum conferre tanquam comprehensum in ejus Indulto; alii verò negabant, opinantes, Indultum Eminentiæ Suæ non capere hunc Canonicatum, qui duplici reservatione affectus erat
2 Apostolicæ Sedi; siquidem Abbas Labia prædefunctus fuit Scriptor Apostolicus, ac Cubicularius in Romana Curia; ideò intrabat duplex reservatio, quæ excludit Indulta Cardinalium Ordinariorum Col-
3 latorum ex Constitutione 288. Urbani VIII. Incipien. *Quamvis &c.* lata *die* 12. *Augusti* 1642. & ex notatis per Adden. ad Gregorium XV. *decis.* 291. *num.* 11. ac per Emin. Cardin. de Luca *de Benefic. disc.* 3. *num.* 5.

Qui negabant hanc duplicem reservationem, & asserebant hunc Canonicatum spectare ad Eminentissimi Cardinalis Ordinarii Collatoris dispositionem vigore sui Indulti, sic ratiocinabantur.

Primò: Indultum Eminentiæ Suæ concessum per Alexandrum VII. est amplissimum; tribuitque ei Facultatem conferendi beneficia etiam Scriptorum Apo-
4 stolicorum; nec non Cubiculariorum, aliorumque familiarium, & Officialium Curiæ Romanæ, exceptis tantummodò Familiaribus ipsius Papæ Alexandri VII. ut claré constat ex verbis ipsius Indulti impressi *supra Discord.* I. ubi *num.* 11. *pag.* 7. sic loquitur: *Seu etiam ex eo, quod illa obtinentes aliquorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Familiares, continui Commensales, aut Sedis Apostolicæ Notarii, Subdiaconi, Acolythi, Capellani, Litterarum Apostolicarum Scriptores, Abbreviatores, aut Cubicularii, Nuncii Apostolici, nec non proventuum, & jurium dictæ Cameræ debitorum Collectores, aut unici Subcollectores, seu quicunque alii Curiæ, & Sedis prædictæ Officiales, etiam sub diversis Constitutionibus fel. rec. Pauli Papæ III. Prædecessoris nostri, suorum, & pro tempore existentium Romanorum Pontificum Familiarium continuorum Commensalium declaratoriis comprebensi, præsentes, & futuri, quocunque nomine nuncupati; seu ex quavis alia causa dispositioni Apostolicæ specialiter, vel aliàs (præterquàm veræ, ac actualis Familiarita-*
5 *tis, continuæ Commensalitatis Familiarium continuorum nostrorum Commensalium, qui nunc sunt, seu aliàs dum Cardinalatus honore fungebamur, fuerunt, aut quamdiù militantis Ecclesiæ regimini præfuerimus, erunt ratione) generaliter reservata, seu ex generali reservatione Apostolicâ affecta existant.* Hucusque verba Indulti, ex quibus deducebant Ministri Curiæ Episcopalis, quod sivè Dominus Petrus Labia fuerit Scriptor Apostolicus, sivè Cubicularius, ac Familiaris Summorum Pontificum Prædecessorum Alexandri VII. ejus Canonicatus comprehenditur in Indulto Eminentissimi Cardinalis Ordinarii. Rota *part.* 12. *recent. decis.* 14 *num.* 5. ubi consimilia verba transcribit ex Indulto Emin. Cardinalis Antonii Barberini, ad cujus favorem judicatum fuit contra provisum Apostolicum.

Secundò considerabant, quod Cardinalis Indultarius potest conferre omnia beneficia, quæ in suo Indulto non sunt exceptuata. Ergo multò magis, quæ individualiter sunt expressa. *l. Nam quod liquidè. ff.*
6 *de Pen. Legat.* Amydenius *de Stylo Datar. lib.* 1. *cap.* 29. *quæst.* 32. *num.* 77. & Rota *part.* 17. *recent. decis.* 33. Sed beneficia Scriptorum Apostolicorum, Cubiculariorum, & aliorum Officialium Curiæ Romanæ non sunt exceptuata in Indulto Eminentissimi Cardinalis Barbadici, imò expressè concessa. Igitur esto quod Dominus Petrus Labia Canonicus fuerit Scriptor Apostolicus, vel Cubicularius, aut Familiaris Pontificum; ejus Canonicatus potest ab Eminentissimo Indultario conferri. Rota *decis.* 30 post Novar. *in Summa Bullar. in Mediolanen. beneficiorum* 13. *Martii* 1673. coram Albergato.

Tertiò addebant, quod Indultum Eminentissimi Cardinalis Barbadici concessum ei fuerat ab Alexandro VII. Motu proprio, & in eo prægnantissimæ
7 Clausulæ insertæ erant, ut ex ejus lectura apparet. Est itaque amplissimè interpretandum ad favorem Eminentiæ Suæ. Rota *part.* 15. *recent. decis.* 291. *num.* 17 etiam contra Papam, qui illud concessit.

His tamen non attentis prævaluit opinio contraria, & firmatum fuit, Indultum non capere hunc Canonicatum tanquam duplici reservatione affectum, ut dicebant Officiales Datariæ, & prætendebat Eminentissimus Cardinalis Panciaticus S. D. N. Innocentii XII. Prodatarius; siquidem in facto repertum fuit,

quod

Digitized by Google

quod ipse Dominus Petrus Labia *Anno* 1636. *die pri-*
8 *ma Februarii* obtinuit Officium Cubiculariatus; quod postea renunciavit *Anno* 1649. *die* 15. *Martii* ad favorem Dominici Mariæ Corsi. Ulteriùs idem Petrus Labia admissus fuit ad Officium Scriptoratus Apostolici *die* 10. *Julii* 1636. ex quibus duobus Officiis resultant duæ reservationes personales, & coæquales; quarum vigore Canonicatus remanet exclusus ab In-
9 dulto ob Constitutionem 288. Urbani VIII. *diei* 12. *Augusti* 1642. Incipien. *Quamvis &c.* De utriusque Officii origine, Cubiculariatus scilicèt, & Scriptora-
10 tus Apostolici fusè differit Jacobus Cohellius *in Notitia Cardinalatus cap.* 24. *& cap.* 29. ubi explicat horum Officialium Curiæ Romanæ dignitatem, munera, & emolumenta; quia sunt Officia vendibilia; quæ si obtineantur à Clericis beneficiatis, eorum beneficia remanent reservata Apostolicæ Sedi; adeòut, si quis hæc duo Officia obtinuerit, causentur in eo duæ reservationes, quæ obstant Cardinalibus Ordinariis Collatoribus, ne possint vigore Indultorum conferre prædictorum Officialium beneficia, ut declaravit ipse Alexander VII. per suam Constitutionem Incipien. *Cum noviter &c. Sextò Idus Aprilis* 1666. cujus tenor infrà transcribetur; & de qua loquitur Emin. Card. de Luca *de Benefic. disc.* 3. *num.* 8.

Nec obstat, quod Dominus Petrus Labia Canonicus resignaverit Officium Cubicularii *Anno* 1649. quia ex tali resignatione remansit in eo qualitas, & chara-
11 cter Prothonotarii Apostolici, ut advertit Cohellius *ubi supra cap.* 29. *Vers. Qui ex ipsis Cubiculariis pag.* 230. his verbis: *Qui ex ipsis Cubiculariis, & Scutiferis Clerici fuerint, Sedis Apostolicæ Notarii; qui verò Laici, Auratæ militiæ Milites efficiuntur, easdemque retinent dignitates, licèt Cubicularii, & Scutiferi esse desinant*, quod plenè comprobat Faber *de Prothonotar. cap.* 12. *num.* 19. & ideò remanent dictæ duæ reservationes personales, & coæquales exclusivæ Indulti, ut firmat Rota *part.* 18. *recent. decis.* 476. *num.* 8 ubi mentionem facit de ipsa Constitutione Alexandri VIII. de qua etiam idem Emin. Card. de Luca *de Benefic. d. disc.* 3. *sub n.* 13. ostendens duas esse reservationes,
12 quia proveniunt à duplicitate illorum Officiorum; & cum unus Clericus beneficiatus assumat duo Officia; ejus beneficia reservata remanent duplici reservatione; siquidem unumquodq; ex prædictis Officiis generat de per se, & producit hanc reservativam qualitatem.

Hinc etsi Gratianus *Discept. Forens. cap.* 278 *num.* 13. amplexus fuerit opinionem, quod Indulta Cardinalium caperent beneficia etiam duplici reservatione affecta; prout sentiebant plures Canonistæ, quos repetit *eod. tract. cap* 982. *num.* 2. attamen *ibid. num.* 10.
13 recessit ab illa opinione, & amplexus est contrariam negativam ita dicens: *Verùm cum iterùm quæreretur, quæ opinio esset admittenda occasione cujusdam Indulti concessi Cardinali per Summum Pontificem de conferendis beneficiis reservatis, allegabantur multa pro sententia negativa, quod similia Indulta non comprehendant beneficia duplici reservatione affecta; quia demptâ unâ reservatione remanet alia: itaut sublato uno impedimento, non removeatur alterum. Felinus in cap. Nuncium. num.* 1. *de Testib.* Crottus *cons.* 38. *num.* 5. Natta *cons.* 74. *num* 7. *& cons.* 194 *num.* 10. *juxta l. Si domus. ff. de Servit. urban. prædior. l. Si quando. C. De inoffic. testam.* Surdus *cons.* 118. *num.* 9. *lib.* 1. *Et omissis aliis cum super prædictis ad tollendas lites fuerit petitum Votum Rotæ, fuit conclusum negativè, prout in Voto R. P. D. Ubaldi, & R. P. D. Verospii, quod infra subiiciam; ne ampliùs contingat dubitari super prædicta quæstione.* Hæc ibi Gratianus, qui subindè transcribit ipsum Votum Ubaldi, &
14 Verospii eximiorum olim Rotæ Romanæ Auditorum; in quo ex pluribus rationibus probant, Cardinales Ordinarios collatores vigore suorum Indultorum non posse conferre beneficia duplici reservatione affecta; & præsertim quia in reservatis duplici reservatione duo adsunt vincula, ex quibus reservatio redditur fortior; ut constat, quia in impetratione facienda est mentio utriusque reservationis
15 ex Cassador. *decis.* 9. *num.* 5. *de Præben.* Caputaquen *decis.* 85. *num.* 4. *part.* 2. & aliis allegatis per Gonzalez *ad Reg.* 8. *Gloss.* 13. *num.* 91. & ex eo quia dempta per Indultum una reservatione, remanet semper alia, prout in simili videmus, quod duobus impedimentis existentibus, uno sublato remanet alterum. *cap. Pastoralis. De Privileg. cap. Ex tuarum. De Auctorit. & usu pallii.* prout etiam quia regula est generalis,
16 quod sub simplici regulariter non continetur casus mixtus. *l.* 2. *in princ.* ubi DD. *ff. de Verb. Obligat.* & principaliter quia Papa in Indultis Cardinalium semper utitur disjunctiva; concedit enim eis facultatem conferendi beneficia reservata ratione Mensium Apostolicorum, *seu* etiam ex eo, quod illa obtinentes fuerint Familiares Papæ, *aut* Sedis Apostolicæ Notarii, &c. *seu* ex quavis alia causa, &c. ex quo
17 modò loquendi Papa videtur velle comprehendere unam speciem reservationis, non autem duas, vel plures simul; aliàs potiùs locutus fuisset per copulativam E T; quæ quidem ratio mihi videtur satis stringens. Deindè quia sic censuerunt antiquitùs gravissimi DD. nempè Corneus *cons.* 67. *num.* 2. *lib.* 3. Parisius *cons.* 138. *num.* 7. *&* 8. *lib.* 4. Caputaquen *Decis.* 85. *part.* 2. Ægid. *decis.* 425. & alii, quos refert, & se-
18 quitur Mandosius *de Signatur. grat. Verb. Indultum conferendi beneficia reservata. Vers. An autem.* & Gonzalez *ad d. Regul* 8. *Cancell. gloss.* 13. *num.* 101. Postea in d. Voto resolvuntur rationes contrariæ opinionis, & concluditur veriorem esse hanc negativam; scilicèt, quod Indulta Cardinalium non comprehendunt beneficia duplici reservatione affecta.

Porrò huic opinioni in praxi cum plures Indultarii non adhererent, asserentes, se non obligatos eam sequi, tandem Urbanus VIII. *die* 15. *Julii* 1642. eandem opinionem negativam canonizavit, & ad eam sequendam tàm Indultarios, quàm Judices astrictos
19 esse voluit; siquidem in prædicta sua Constitutione 288. Incipien. *Quamvis &c.* §. 1. decrevit, non licere Cadinalibus Ordinariis Collatoribus vigore suorum Indultorum neque beneficia reservata unire; neque illa, quæ sunt duplici reservatione affecta conferre; his verbis: *Motu proprio &c. hac nostra perpetua Constitutione &c. declaramus &c. prædictos Cardinales, & quoscunque alios prædicta Indulta Apostolica conferendi prædicta beneficia reservata, seu affecta, & de eisdem disponendi habentes, non potuisse hactenùs post prædictum decretum Clementis VIII. Prædecessoris nostri, nec in posterum posse in vim illorum, nec vigore ejusdem Concilii, aut aliàs etiam auctoritate eorum ordinaria, prætextu quod ex prædictis Indultis extinctæ, & sublatæ sint reservationes, & affectiones, eadem beneficia quomodolibèt tempore unionis reservata, vel affecta unire etiam Seminariis prædictis puerorum; nec de eis per viam cujuscunque unionis, suppressionis, vel applicationis disponere; Nec etiam in vim prædictorum Indultorum reservata, & affecta conferendi, ac de eis disponendi potuisse, nec posse conferre Beneficia duplici reservatione personali reservata, vel affecta.* Hac igitur attentâ Constitutione Urbanâ incontrovertibilis remansit hæc conclusio apud omnes, quod Cardinales Indultarii non possunt conferre beneficia duplici reservatione affecta; & quotiescunque in con-
20 trarium ab aliquo attentatum fuit, Rota sententiavit contra provisos ab iisdem Cardinalibus Indultariis, ut legitur apud eandem Rotã *part.* 18. *rec. decis.* 476. *n.* 2.

Cæterùm hujus conclusionis firmitate non obstante; cum nefas esset unicuique eam directè impugnare, non defuerunt prætextus contra illam indirectè veniendi; cæperunt enim plurimi excogitare, quod dantur quatuor species reservationum, de quibus eadem Rota *in d. decis.* 476. *num.* 3. *part.* 18. *recent.* scilicèt Rea-
21 lis, Personalis, Localis, & Temporalis, idest ratione,

Digitized by Google

tione Mensium; & dixerunt, reservationes exclusivas Indultorum esse debere diversarum specierum, duplices scilicet, & coæquales; itaut si duæ sint, sed ejusdem speciei, & una consequutiva ad alteram, non
22 excludant Indultum; adeòut si quis in Romana Curia obtinuerit duo distincta Officia, exempli gratia Prothonotariatum, & Scriptoratum; quamvis utrumque Officium producat reservationem beneficiorum illius, qui illud obtinet, & ex duplici Officio sit duplex reservatio; attamen cum in una persona fuerit utrumque; una sola sit reservatio, per quam Indultum Cardinalium non excluditur; & ea non obstante possint Cardinales Ordinarii collatores conferre vigore Indultorum suorum prædicta beneficia, hac duplici personali reservatione affecta; ut hanc opinionem se-
23 quuta fuit Rota coram Priolo *in Bononien. Beneficiorum die Lunæ 24. Januarii 1661.* quæ habetur inter ejus impressas *Decis. 169.* & legitur etiam *in part. 13. recent. decis. 266.* Contra hanc Decisionem reclamavit provisus Apostolicus, & prævià appellatione, habito per eum recursu ad Summum Pontificem Alexandrum VII. repropositâ causâ in Rota, cum Auditores essent circa hanc opinionem discordes, fuit à Sanctissimo deputata Congregatio quinque Prælatorum, qui Partibus auditis, & maturo studio facto,
24 judicarunt, præter nonnullorum aliorum dubiorum decisionem, quod prædicta duo Officia ab unâ, eâdemque personâ obtenta facerent duas reservationes coæquales, exclusivas Indultorum; sicque beneficia vacantia per obitum illius, qui eadem duo Officia obtinuerit, sint duplici reservatione affecta; nec ea posse conferri per Cardinales Ordinarios Collatores vigore Indulti, & hujus Congregationis sententiam appro-
25 bavit, & confirmavit idem Sanctissimus Alexander VII. *sextò Idus Aprilis 1666.* prout ex sequenti ejus Constitutione, quæ fuit ab Officialibus Datariæ transmissa Eminentissimo meo Cardinali Barbadico Episcopo Patavino *Anno 1692.* dum disputaretur, an Canonicatus Domini Petri Labiæ, qui duo obtinuerat Officia in Curia Romana, ut dictum est, Cubiculariatum, & Scriptoratum, esset inclusus in Indulto Eminentiæ suæ? quæ statim cessit, & reliquit ejusdem Canonicatus dispositionem Summo Pontifici Innocentio XII. tanquàm duplici reservatione coæquali Sedi Apostolicæ reservati, & affecti.

Tenor supradictæ Constitutionis Alexandri VII.

ALEXANDER Episcopus servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Cum noviter in quadam lite, & causa pendente in Tribunali Auditoris Cameræ super executione Litterarum Apostolica-
26 rum in forma Brevis expeditarum inter provisum Apostolicum de quibusdam Beneficijs Diæcesis Bononien. Actorem ex una; & provisum à Cardinali Indultario reum conventum Partibus ex altera; in controversiam positum fuerit, An Constitutio fel. rec. Benedicti Papæ XII. quæ incipit *Ad Regimen*, edita tertiò Idus Januarii Anni 1335. post Summos Pontifices Prædecessores nostros innovari solita, & per Nos quoque innovata in Regula prima Cancellariæ, induxerit reservationem beneficiorum à Notariis Sedis Apostolicæ, Prothonotariis nuncupatis, & à Scriptoribus Litterarum Apostolicarum, & ab aliis Officialibus obtentorum ob Familiaritatem eis concessam à piæ mem. Paulo Papa III. in ejus Constitutione, quæ incipit *Sanctissimus*, lecta, & publicata in Cancellaria Apostolica *Die 22. Decembris* Pontificatus Anno primo; aut forsan etiam ab aliis Pontificibus Prædecessoribus, aut Successoribus; vel potiùs ratione Officii. Item an ad effectum reservationis requiratur obitus eorundem Officialium in Romana Curia, vel intra duas dietas, vel potiùs reservatio intret, ubicunque eos mori contigerit. Et insuper An Prothonotariatus adeptus ex Militia Militum Piorum, & Scriptoratus Litterarum Apostolicarum separatim acquisitus constituant duas reservationes personales exclusivas Indultorum Cardinalium ad præscriptum Constitutionis editæ à recentis mem. Urbano VIII. Incipien. *Quamvis* sub data *diei 15. Julii* Pontificatus Anno XIX. vel potiùs constituant unam tantundem Localem ex ficto obitu Officialium in Curia. Ut materia hæc adeò exemplaris maturiùs discuteretur mandavimus, in causa, & causis prædictis per dictum Auditorem Cameræ procedi de Voto Rotæ; in qua *sub die 24. Januarii 1661.* coram dilecto Magistro Priolo ejusdem Rotæ Auditore, proposito dubio super executione Brevis prædicti, fuit negativè resolutum; & subindè iterùm, atque iterùm repropositâ causâ sub diebus *prima Junii Anno 1663. & 28. Aprilis 1664.* eaque ex speciali nostro mandato discussâ per omnes Rotæ ejusdem Auditores, resolutio capi non potuit propter discrepantia Auditorum suffragia. Interim verò emanatis aliis provisionibus Apostolicis de aliis diversis beneficiis, ad retardandam earundem provisionum executionem allegata fuit Decisio prædicta, quamvis per dictam reiteratam repropositionem, sine ullius resolutionis conclusione in suspenso remanserit. Undè causarum, & litium celeri expeditioni pro posse, sicut debemus, providere volentes, cognitionem, discussionem, & resolutionem dubiorum prædictorum demandavimus quinque Romanæ Curiæ Prælatorum Congregationi; à qua collitigantibus prædictis plenè informantibus, eorumque, ac Datariæ nostræ juribus iterùm, atque iterùm sub *diebus 21. & 28. Martii* labentis *Anni 1666.* accuratè discussis, declaratum, ac resolutum fuit, Beneficia Prothonotariorum, Scriptorum, & aliorum Officialium, enumeratorum in dicta Constitutione *Ad Regimen* esse reservata ubicun-
27 que decedant, etiam extra Romanam Curiam, & extra duas Dietas. Itemque reservationem beneficiorum obtentorum per dictos Officiales intrare etiam ratione solius Officii. Et insuper Prothonotariatum ex dicta Militia Pia, sivè Militum Piorum, & Scripto-
28 ratum separatim acquisitum constituere duas reservationes personales coæquales exclusivas Indulti. Ne autem materia hæc plenè discussa, & resoluta ampliùs in dubium revocetur in prædicta, vel aliis causis; inhærentes vestigiis diversorum Prædecessorum nostrorum, qui ut litium anfractus rescinderent, dubia juris tàm pro causis pendentibus, quàm etiam pro futuris, proprio Oraculo declararunt, sicut in materia reservationis beneficiorum inter cæteros fecerunt similis mem. Paulus Papa Secundus in Constitutione, quæ incipit *Ad Romani*; & dictus Urbanus VIII. in Constitutione sua prædicta: Motu nostro proprio, non ad alicujus Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam; sed ex certa scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, Singularium Constitutionum, & Declarationum hactenùs per dictos Prædecessores nostros respectivè factarum, & ordinatarum tenores, etiam veriores, ac datas, præsentibus pro expressis habentes; omnes, & singulas resolutiones, & declarationes prædictas, emanatas à dicta Congregatione quinque Prælatorum, confirmamus, approbamus, & inviolabile firmitatis Apostolicæ robur adijcimus; sicque iterùm, & pariformiter Nos quoque Auctoritate Apostolicâ declaramus; talemque esse mentem, & intentionem nostram denunciamus; & ita pro lege declaratoria ubique inviolabiliter observari volumus, & mandamus, tàm in prædicta, quàm etiam in omnibus aliis litibus, & causis pendentibus, atque in aliis omnibus de cætero movendis; & præmissa, ut suprà, declarata, in controversiam deinceps revocari non posse, neque licere præcipimus, & jubemus; sicque, & non aliter per quoscunque Judices &c. judicari, definiri, & interpretari debere. Sublata eis &c.

Dat. Romæ apud S. Mariam majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1666. Sexto idus Aprilis, Pontificatus Nostri Anno Undecimo.

Hac

Digitized by Google

Hac igitur Constitutione visà, & lectà, Eminentissimus Cardinalis Barbadicus Episcopus Patavinus, ei obsequendo, abstinuit ab ulteriori disputatione super prædicti Canonicatus dispositione; nec opus fuit respondere rationibus supra pro favore sui Indulti consideratis, quia omnes resolvuntur in supra relato Voto Ubaldi, & Verospii apud Gratianum *Discept. Forens. d. cap.* 982. *à num* 20. *& seqq.* & in specie nihil prosunt verba amplissima Indulti Eminentiæ suæ, & quæ specificè concedunt collationem beneficiorum etiam per Officiales Romanæ Curiæ obtentorum, ut in prima ratione; quia dicta concessio locum habet, quan-
29 do beneficiatus defunctus obtinuerit in Romana Curia unum solum Officium; ut notatum est *supra num.* 17. secùs si habuisset Officia duo, vel plura, prout coemerat Dominus Petrus Labia; & ideò Papa in illis verbis Indulti utitur disjunctivis dictionibus *Aut*, *seu*, *vel*, & similibus, ad denotandum, quod eatenùs concedit Cardinali Indultario dispositionem beneficiorum, quæ aliquis ex prædictis Officialibus obtinebat, quatenùs unum tantùm habuerit Officium; quia tunc unà tantùm reservatione prædicta beneficia sunt affecta; at si duo Officia fuerit quis adeptus; tunc duæ sunt productæ reservationes coæquales, quæ excludunt Indultum, ut in præsenti casu.

Altera quoque ratio cadebat, quod beneficia Officialium Curiæ Romanæ non sint exceptuata in Indulto, imò sint in eo expressa, & concessa; quia infringebatur eodem motivo de Officio unico; non autem de duplici, vel multiplici.

Ultimam quoque rationem vigorem in hoc casu non habere cognoscebatur ex verbis ejusdem Voti Ubaldi, & Verospii apud Gratian. *d. cap.* 982. *num.* 23. quæ sunt ista: *Non obstat, quod Indultum latè sit interpretandum contra concedentem, ubi de solo ipsius concedentis interesse agitur: nam ista conclusio non est generaliter*
30 *vera, cum Indultum conferendi simpliciter beneficia, quamvis concernat solùm concedentis præjudicium, non propterea comprehendit beneficia duplici reservatione affecta. Rota de Præbend. in novis decis.* 29. *etiamsi conceptum fuerit sub verbis generalibus quæcunque beneficia vacantia conferendi*. Ferrett. *cons.* 4. *num.* 7. *Ultrà quod non agitur hîc de solo interesse Papæ concedentis Indultum, sed de interesse illorum, qui providendi sunt à Papa. Idem* Ferret. *cons.* 314. *num.* 9. *in fin.* Sed in præsenti Discordia non erat ampliùs ratiocinandum, visà supradictà Constitutione declaratorià
31 Alexandri VII. *contra quam*, ut ait Emin. Card. de Luca *de Benef. d. disc.* 3. *num.* 8. *non licet loqui, & per quam iste punctus nimis clarè deciditur*. Cessavit itaque præsens Discordia; & Summus Pontifex Innocentius Duodecimus contulit Canonicatum R. D. Antonio Manzonio Nob. Forolivien. tanquàm Sedi Apostolicæ ob antedictas duas coæquales reservationes reservatum.

DISCORDIA LXXXIX.

ARGUMENTUM.

In dismembrationibus Ecclesiarum Parochialium per Episcopos faciendis quatuor requisita concurrere debent hîc explicata, ne dismembratio subjaceat nullitati.

SUMMARIUM.

1 *Campesii Ecclesia supra Bassanum est Prioratus Monachorum Casinensium.*
2 *Merlini Coccai Poetæ sepulchrum in d. Ecclesia Campesii.*
3 *Campesii Ecclesia est Matrix aliarum in Ripa fluminis Brintæ existentium.*
4 *Cardinalis Gregorii Barbadici ad Episcopatum Paduæ accessus Anno* 1664.
5 *Campilongii suprà Bassanum Communis petitio de nova Parochiali ei concedenda.*
6 *Requisita quatuor necessaria pro dismembratione, & novæ Parochiæ erectione.*
7 *Causa justa quæ sit pro dismembratione Parochialium Ecclesiarum?*
8 *Causæ prædictæ justitia pendet ab Episcopi judicio.*
10 *Conc. Trid.* sess. 21. de ref. cap. 4. *decretum de dismembratione Ecclesiarum.*
11 *Eboracensis Urbs*, vulgò Evora, *ubi sit?*
12 *Alex. III. Constitutio circa Ecclesiarum dismembrationem.*
13 *Verba d. Concilii, & Alex. III. ibid. stant exemplificativè, non restrictivè.*
14 *Papæ juxtà judicium alii quoque debent judicare.*
15 *Animarum periculum ubi timetur, novæ Parochiæ sunt erigendæ.*
16 *Solemnitates duæ in dismembratione Ecclesiarum servandæ. Et quæ?*
17 *Dismembrationis Ecclesiæ justa causa debet constare per formationem Processus.*
18 *Viarum inspectio per Episcopum facta, pro dismembratione Ecclesiæ, an sufficiat?*
19 *Assertioni Judicis de aliqua re, nisi de ea constet, non statur.*
20 *Citatio necessaria Rectoris Ecclesiæ, à qua populi sunt dismembrandi.*
21 *Dismembratio Ecclesiæ, justa causa existente, fit etiam Rectore ejus reluctante.*
22 *Parochis dismembrationes populorum displicent ob temporale interesse.*
23 *Dismembrare populos potest Episcopus ab Ecclesiis etiam Regularibus subjectis.*
24 *Honoris signum aliquod reservandum Matrici, à qua populi dismembrantur.*
25 *Jus præsentandi Parochum ad novam Parochiam quando sit Matrici reservandum?*
26 *Juspatronatus conceditur ædificantibus, vel dotantibus Ecclesias.*
27 *Congrua portio pro novo Parocho firmanda, priusquàm fiat Ecclesiæ dismembratio.*
28 *S. Cajetani Ecclesia in Villa Terræ Nigræ extra muros Paduæ, quando, & à quibus ædificata, & dotata?*
29 *Congruæ novi Parochi tripliciter possunt Episcopi providere.*
30 *Cardinalis Barbadici Episcopi Patavini prima Ecclesiarum visitatio supra Bassanum Anno* 1664.
31 *Dismembrationis Communis Campilongii ab Ecclesia Olerii supra Bassanum Paduanæ Diœcesis relatio.*

Plurimæ sunt Parochiales in Territorio Vicentino constructæ, quæ ab immemorabili tempore subjectæ sunt Episcopo Paduano, quas alphabetico ordine nominat R. P. Mag. Jacobus Salomonius in *Inscript. Agri Patav. pag.* 418. & 419. Inter has, ultrà opidum Bassani, ascendendo à sinistris per ripam fluminis Meduaci, vulgò *la Brenta*, quatuor Ecclesiæ reperiuntur, Sancta Crux de Campesio, S. Maria de Campolongo, S. Spiritus de Olerio, & S. Antonii Ab-
1 batis de Vallestamnea. Prima Ecclesia Campesii est Prioratus Monachorum Casinensium, dependens ab insigni, ac celebri Monasterio Sancti Benedicti Podilironis de Mantua; & in ea nunc degunt nonnulli Monachi Casinates ejusdem Monasterii, sicut & in præteritis sæculis degere solebant; inter quos fuit famigeratus Poeta Merlinus Coccai in
2 carminibus maccaronicis describendis, cujus sepulchrum hîc invisitur, & super portà, per quam ingreditur ad illud, hi versus leguntur:

Hospes siste gradum: Manes venerare solutos.
Merlini corpus conditur hoc Tumulo.

In introitu autem ejusdem sepulchri hæc alia carmina pariter conspiciuntur:

Quod

Digitized by Google

Quod si fata Viri, sortem, patriamque requiris,
Saxo hosce inscriptos perlege versiculos.
Mantua me genuit: Veneti rapuere: tenet nunc
Campesium: Cecini Ludicra, Sacra, Sales.

Hæc Ecclesia S. Crucis Campesii Matrix est aliarum trium; antiquis enim temporibus ad eam confluebant omnes populi hujus sinistræ Ripæ fluminis pro
3 recipiendis Sacramentis; sed ob nimiam distantiam, & difficultatem viarum erectæ fuerunt in Parochiales tùm Ecclesia Vallistamneæ, tùm Ecclesia Olerii, sub qua existebat Ecclesia Campilongii, concessâ Parochorum electione populis earundem Villarum: confirmatione relictâ Priori Campesii; approbatione verò reservata Episcopo Patavino.

Anno 1664. vix ad Regimen hujus Patavini Episcopatus advenerat Eminentissimus, ac Reverendissimus sanctæ memoriæ Gregorius Cardinalis Barbadicus;
4 quùm ad præsentiam Eminentiæ Suæ accesserunt Homines Deputati à Communitate dicti loci Campilongii, exponentes ob distantiam Parochialis suæ Ecclesiæ Olerii, ac difficultatem viarum, præsertim hyemis tempore, plurimos esse mortuos ex infirmis sine Sacramentis, & ex pueris infantibus sine Ba-
5 ptismate; ideòque supplicarunt, erigi in Parochialem Ecclesiam Sanctæ Mariæ Carmelitarum ab eodem Communi in ejus medio ædificatam pro animarum suarum spirituali adjutorio, ac consolatione. Eminentissimus Præsul remisit eos domum, spondens in proximâ Visitatione, quam personaliter facere decreverat omnium illarum Ecclesiarum, se eos proùt de jure consolari; & interim mihi tanquam Auditori suo imposuit, ut referrem quæ, & quot essent necessaria ad petitam erectionem novæ Parochialis ritè, ac rectè faciendam?

Parendo itaque mandatis Eminentissimi Præsulis, visis, ac maturè consideratis Doctoribus infrà allegandis, Respondi, quatuor Requisita esse de Jure servanda pro dismembrandis populis loci Campilongii ab
6 eorum Parochiali Ecclesia Villæ Olerii; & pro erigenda ad ipsorum instantiam in Parochialem Ecclesiam ab eis ædificatam in eodem loco Campilongii; videlicèt, ut subsit justa causa, ut servetur solemnitas per Sacros Canones præscripta; ut aliquod honoris signum reservetur Curato Olerii; & ut Communitas Campilongii se obliget ad congruam portionem solvendam novo Parocho, per Eminentiam Suam ei concedendo.

Primum itaque Requisitum est, ut subsit justa causa. Loterius *de Re Benefic. libr. 1. quæst. 28. num. 3.* Barbosa *de Offic. & Pot. Episc. alleg. 68.* Riccius *Re-*
7 *sol.* 476. & passim omnes. Justa autem causa intelligitur distantia loci, ob quam populi commodè accedere non possunt ad Parochialem Olerii pro suscipiendis Sacramentis, audiendis divinis Officiis, & doctrinâ Christianâ ediscendâ. Lapus *alleg. 66.* & ibi Mandosius *in addit.* Garzias *de Benefic. part. 12. cap. 3. per tot.* in quo transcribit quinque Decisiones Rotæ in hac materia Magistrales. Hæc autem justa causa
8 relinquitur cognoscenda, & approbanda arbitrio Episcopi, ad cujus Officium Pastorale spectat decernere, & judicare super qualitate impedimentorum viarum; tùm super distantiâ populorum à Parochiali Ecclesia. Rebuff. *in Praxi benefic. part. 1. de Erect. in Curat. & Parochial. num. 9.* Menoch. *de Arbitr. Judic. casu 497. per tot.* & Aloysius Riccius *d. Resolut. 476. num. 5.* tùm super asperitate, & incommoditate earundem viarum, veluti si hyemali tempore ipsæ opprimantur nimio luto, nivibus, aut glaciebus; vel subjaceant inundationibus aquarum, itaut per eas populi ituri ad Parochialem Ecclesiam non absque magno incommodo, periculo, vel difficultate possint transire; prout advertit Pyrrhus Corradus *in Praxi benefic. lib. 2. cap. 2. num. 5.* ubi docet, quod
9 supradicta omnia viarum incommoda præbent justam causam Episcopis dismembrandi populos ab antiqua Parochiali Ecclesia; & eis novam commodiorem, ac viciniorem in Parochialem erigere; ea ratione, quia facultas sic faciendi Ordinariis tradita à Concilio Trid. *sess. 21. de Ref. cap. 4.* habet locum non solùm ubi agitur de nimia distantia; sed etiam ubi intercedunt antedicta incommoda, ut benè colligitur ex verbis ejusdem Concilii, quæ sunt sequentia: *In iis verò (Ecclesiis Parochialibus) in quibus ob locorum*
10 *distantiam, sivè difficultatem, Parochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, & divina Officia audienda accedere non possunt; novas Parochias, etiam invitis Rectoribus, juxta formam Constitutionis Alexandri III. quæ incipit* Ad audientiam, *constituere possint.* Concordat ipsa Constitutio Alexandri III. quæ habetur in *d. cap. Ad audientiam* 1. *De Ecclesiis Ædifican.* ubi Archiepiscopo Eboracensis Civitatis, vulgò *Evora* (quæ est Urbs ampla Lusitaniæ,
11 & in Portugalliæ regno post Ulyssiponem præcipua, Academiam habens ab Henrico Cardinali, posteà Rege, institutam) sic præcipit: *Ad audientiam nostram noveris pervenisse, quod Villa, quæ dicitur H. tantum perhibetur ab Ecclesia Parochiali distare, ut tempore hyemali, cum pluviæ inundant, non possunt*
12 *Parochiani sine magna difficultate ipsam adire; undè non valent congruo tempore Ecclesiasticis Officiis interesse. Quia igitur &c. mandamus, quatenùs si res ita se habet, Ecclesiam ibi ædifices, & in ea Sacerdotem, sublato appellationis obstaculo &c. instituas.* Idcircò viarum distantia, vel impedimenta, & aliæ difficultates in accessu ad Ecclesiam Parochialem præbent justam causam erigendæ novæ Parochiæ, ut in prædictis *text.* quorum verba, non sunt accipienda
13 restrictivè, sed exemplificativè, ut advertit Pax Jordanus *Elucubrat. Canon. tom. 2. lib. 10. tit. 21. num. 9. & 10.* itaut quæcunque alia similia impedimenta Antistitum animum movere possunt, ad dismembrandos populos ab antiqua Parochia, & novæ erigendæ adjicere; quia sicut Papa judicat, ita de-
14 bent Episcopi judicare. *cap. In causis. De Re judic.* Lapus *d. Alleg. 66. num. 2. in fine.* Et causa, quæ movisset Delegantem, movere debet etiam Delegatum. *cap. Super Litteris. De Rescript.* & hanc firmant Regulam omnes Canonistæ, quod ex quacunque causa, quæ inducere potest periculum animarum,
15 ob viarum impedimenta; & timor sit, ut infantes moriantur sine baptismo; senes, vel infirmi sine Sacramentis; puerivè accedere non valeant ad Parochialem, ut ibi ediscant doctrinam Christianam; obligatus est Episcopus procurare ædificationem alterius Ecclesiæ, quæ dicto populo sit vicinior, ac commodior, & eam erigere in Parochialem, instituendo in ipsa alium Sacerdotem, qui curam gerat illarum animarum, illasque pascat Verbo Dei, ac Sacramentis. Barbosa *in Collect. DD. ad d. sess. 21. de Ref. cap. 4. Conc. Trid. num. 11.* & Pyrrhus Corradus *in d. Praxi Benefic. lib. 2. cap. 2. num. 7.*

Secundum Requisitum est, ut servetur solemnitas per Sacros Canones præscripta. Hæc autem est duplex, scilicèt formatio processus super justâ cau-
16 sâ, de quâ supra; & citatio Rectoris antiquæ Parochiæ, ut, si quid habet in contrarium dicendum, dicat. Quoad processus formationem, hæc est necessaria pro relevanda veritate super justâ causâ, ob quam est facienda dismembratio; & novæ Parochiæ institutio. Illa enim pendere non debet à sola assertione partium ipsam petentium; neque à solo desiderio ejusdem Episcopi nimio zelo ferventis; sed oportet,
17 ut de ea constet per legitimas probationes, & juridicam formationem processus. Loterius *d. lib. 1. quæst. 28. num. 33.* Pyrrhus Corradus *d. lib. 2. cap. 2. num. 8.* & Rota apud Tamburin. *de Jure Abbatum tom. 3. decis. 34. num. 7.* quamvis concedant omnes DD. quod ista formatio processus debet intelligi sano modo, idest non rigorosa, sed quæ sufficiat ad relevandam veritatem; adeòut non sit necessarius pro-

Digitized by Google

cessus scrupulosus, vel secundum juris subtilitatem;
sed secundum simplicitatem Canonicam ad ostendendam veritatem, & justitiam causæ. Loterius *d. lib.1. quæst.* 28. *num.* 35. ubi subdit, quod sufficere potest
18 solus accessus Episcopi, & ejus inspectio, & observatio tùm distantiæ, tùm difficultatis viarum; dummodò tamen à Notario Publico, vel Cancellario ejusdem Episcopi talis accessus, & inspectio redigatur in Actis, quæ præcedunt ipsam dismembrationem; aliàs non staretur assertioni Judicis, seu Episcopi,
19 qui locum ipsum vidisset, & cum difficultatibus reperisset. *cap. Quoniam contra. De Probat.* Socin. *cons.* 47. *num.* 15. *lib.* 4. Aymon. *cons.* 171. *num.* 7. & in terminis visionis, & inspectionis Judicis censuit Rota in *una Sabinen. Aquæ* 29. *Martii* 1604. coram R.P.D. Ortembergo.

Altera solemnitas, quæ servari debet est citatio Rectoris Ecclesiæ, à qua populi dismembrandi sunt; ad hoc ut dicat, si quid in contrarium habet; & casu quo Curatus Ecclesiæ esset simplex Vicarius alterius prin-
20 cipalis Rectoris, putà si Ecclesia esset unita alicui Dignitati, vel Monasterio, citandus foret ipse principalis ultrà Curatum prædictum, ne dismembratio subiaceret vitio nullitatis. Garzias *d. part.* 12. *cap.* 3. *n.* 3. ubi innumeros DD. allegat sic docentes, unà cum Decisionibus Rotæ, quæ in hac materiales demonstrant hujus citationis necessitatem; ea ratione, quia cum agatur de præjudicio ipsius Rectoris, non est procedendum ad dismembrandos populos ab ejus cura, eo inaudito, juxtà vulgatam regulam dicentem, *Quod nostrum est, sine facto nostro à nobis auferri non potest. l. Id, quod nostrum. ff. de Reg. Jur.* Et hoc benè probat in terminis hujus materiæ Menochius *consil.* 477. *num.* 6. Quamvis verum sit, quod licèt Rector Ecclesiæ antiquæ contradicat; nihilominùs potest
21 Episcopus, qui cognoscit intervenire justam causam dismembrandi, ad eandem dismembrationem devenire, non obstante tali contradictione, ut statutum est *in d. cap. Ad audientiam. de Eccles. Ædifican.* & à Concilio Tridentino *in d. sess.* 21. *cap.* 4. *de Ref.* & ut advertit Lapus *d. Alleg.* 66. *num.* 3. adducens hanc rationem, quia scilicèt prædictus Rector cum non habeat justam causam contradicendi, potest Episcopus tanquàm Superior eum cogere ad consentiendum, & faciendum ea, quæ fieri oportet pro salute animarum. *cap. Nullus. De Jurepatron. & cap. ult. De Exceptionib. in 6.* Ut plurimùm enim, ut experientia demonstrat, Rectores dissentiunt à dismembrationibus ob
22 interesse eorum temporale; videlicèt ne amittant emolumenta, quæ ex administratione Sacramentorum, ac Exequiis, Sepulturis, & officiis funeralibus percipiunt. At Episcopus tanquam Pastor prospiciens animarum saluti præponere debet spiritualia temporalibus, non obstante quacunque contradictione, vel Rectoris Ecclesiæ antiquæ, vel aliorum Laicorum. Hostien. *in d. cap. Ad audientiam.* & Lapus *in d. Allegat.* 66. *num.* 3. & habetur etiam textus *in cap. Præcipimus.* 12. *quæst.* 1. præter supradicta jura, & alios DD. congestos à Barbosa *d. Allegat.* 68. *num.* 4. *& seqq.* & à Pace Jordano *d. tom.* 2. *lib.* 10. *tit.* 21. *num.* 7. ubi notant, hæc omnia agere posse Episcopum, quamvis Ecclesia Parochialis, à qua populi ex justa causa sunt dismem-
23 brandi, esset subjecta Regularibus; nam populi sunt subjecti Episcopo, qui tanquam eorum Pastor, & redditurus rationem Deo de animabus illorum, potest omni meliori modo providere, & decernere ea, quæ expediunt pro eorum spirituali salute; etiamsi Superiores Regulares, de quorum mensa esset Ecclesia antiqua, reclamarent, & non consentirent.

Tertium Requisitum est, ut in decreto dismembrationis aliquod honoris signum reservetur Parocho Ecclesiæ antiquæ; & hoc solet consistere vel in aliqua annua pensitatione aut ceræ, aut pecuniæ juxtà con-
24 venientiam loci, ac personarum pro arbitrio ipsius Episcopi. Barbosa *d. Alleg.* 68. *sub num.* 4. & Loterius *d. lib.* 1. *quæst.* 28. *num.* 51. Et quamvis nonnulli velint, ut eidem Ecclesiæ antiquæ, ac matrici reservetur Juspatronatus, idest facultas eligendi, ac præsentandi Parochum ad Ecclesiam novam Parochialem, quam erexerit Episcopus; eorum opinio non est recipienda,
25 nisi tunc, & quando Ecclesia antiqua, & matrix contulerit dotem de suis redditibus pro sustentatione Parochi novi. Barbosa *d. num.* 4. *Vers. Primò ut reservetur.* & Pyrrhus Corradus *d. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 4. Ut plurimùm autem quia Congrua portio pro alimentis Curati novi contribuitur à populis, quibus nova Ecclesia conceditur, & in Parochialem erigitur; idcircò iisdem relinquendum est Jus eligendi, ac præsentandi
26 proprium Parochum, juxtà Sacrorum Canonum dispositionem, permittentium tale jus ædificantibus, vel dotantibus Ecclesias, ut latè demonstravimus supra *Discord. IV. & V.*

Quartum Requisitum est, ut, antequàm Episcopus deveniat ad actum dismembrationis, concordet, & conveniat cum populis eandem petentibus, circa congruam portionem prædictam, solvendam annua-
27 tim novo Parocho pro ejus alimentis, & honestâ sustentatione. Circa hanc assignationem præcipua est difficultas; & non parvus est labor Antistitum, ut in praxi expertus sum, in diversis dismembrationibus factis ab Eminentissimo Cardinali Barbadico Episcopo Patavino, ut animarum saluti consuleret. Si communitas loci, in quo est erigenda nova Parochia, habeat sufficientes vires pro dicta congrua contribuenda; ejus obligatio recipi potest in quantitate honesta, sed sufficienti, ne novus Parochus mendicare cogatur. Anno 1672. quando prædictus Eminentissimus Pastor erexit Parochialem Ecclesiam S. Cajetani in Villa
28 Terræ Nigræ extrà portam Pontis Curvi hujus Urbis Antenoreæ; Commune, & populi illius Villæ spoponderunt solvere annuatim Parocho novo, eis concesso, staria quinquaginta frumenti; & non multò post Eminentia sua univit ei beneficium simplex. Igitur triplici modo satisfieri potest huic requisito, *Primò* per voluntariam populi contributionem. *Se-*
29 *cundò* per unionem alicujus simplicis beneficii, ut disserui supra *Discord. LXXVI. num.* 20. *& seqq.* ubi ostendi septem esse servanda, ne unio vitio nullitatis laboret. *Tertiò* per assignationem Decimarum, seu Quartesiorum, quæ in dicto loco, in quo erigitur nova Parochia, exiguntur; quam quidem assignationem facere potest Episcopus, ubi magis commodè providere non possit sustentationi novi Parochi, ut docent plures DD. ac Decisiones Rotales, quos, & quas allegat, & sequitur Loterius *d. lib.* 1. *quæst.* 28. *num.* 48. & 49. ubi subdit: *Hæc verò necessitas assignationis Decimarum non est præcisa; sed causativa, in defectum scilicèt aliorum redditMuum Ecclesiasticorum.* Mandos. *cons.* 31. *num.* 9. *ad fin. Atque ideò si aliàs congruè dotetur Ecclesia, nihil est, quin decimæ debeantur ipsi Matrici.*

His Requisitis per me relatis, & ab Eminentia Sua plenè intellectis, paulò post d. Anno 1664. per eam incæpta fuit prima visitatio Ecclesiarum supra Bassanum in sinistra Ripa fluminis Meduaci existentium,
30 inter quas illa S. Spiritus Olerii, cujus Parocho, nec non Priori Monasterii Campesii intimata fuit instantia Hominum Villæ Campilongii de eorum Ecclesia in Parochialem erigenda; ut dicerent super ea, quidquid sentirent, qui se remiserunt prudenti judicio Eminentiæ Suæ. Interim commissa mihi, tanquam Auditori in eadem visitatione ipsi Eminentissimo Præsuli deservienti, formatione processus super petita dismembratione, ac respectivè novæ Parochialis ere-
31 ctione, testes examinavi super distantia populorum Campilongii ab Ecclesia Olerii; & viarum difficultate, præcipuè hyemali tempore ob glacies, & nives ulmis copiosas, & diuturnas; & reperi non multò ante ob dictam causam novem infirmos mortuos esse sine Sacramentis, tres infantes sine baptismate, mor-

tuorum

Digitized by Google

tuorum cadavera per plures dies sine sepulturâ stetisse; & per octo circiter menses anni neque senes ad audiendam Missam in Parochiali Olerii, neque pueros, ac puellas ad ediscendam doctrinam Christianam accedere posse ob prædictam distantiam, ac difficultatem viarum. Ulteriùs easdem vias personaliter invisere idem Eminentissimus Pastor voluit; & certus effectus de veritate, citatis denuò citandis, antequam discederet à Visitatione Parochialis Olerii, ab ea dismembravit populos dicti loci de Campolongio; & in eodem loco Ecclesiam S. Mariæ, jam ædificatam, in Parochialem erexit, concessâ eidem populo, qui novo suo Parocho congruam portionem pro alimentis solvere, ac domum ad habitandum dare spoponderat, ejusdem sui Parochi nominatione, R. P. Priori confirmatione, ac Episcopo Patavino approbatione; simulque reservatâ Parocho Olerii in signum honoris annuâ quâdam pensitatione ceræ per prædictum Commune Campilongii annuatim offerendâ. Quæ omnia ad Dei gloriam, animarum solamen, ac auxilium, ipsiusque Eminentissimi Præsulis spiritualem consolationem, primo ejus Paduani Episcopatus regiminis Anno, de Mense Septembri patrata fuerunt d. Anno 1664.

DISCORDIA XC.

ARGUMENTUM.

Resolvuntur quinque Dubia. 1. Intrâ quantum tempus Beneficia Ecclesiastica sint conferenda? 2. An ea Laicis conferri possint? 3. Irregulari ex defectu lenitatis an dari possit prima Tonsura? 4. Clericus provisus de beneficio intra quantum tempus debeat capere possessionem ejus? 5. Utrùm Episcopus possit dispensare ab Irregularitate ex defectu lenitatis?

SUMMARIUM.

1 *Tempus conferendi beneficia Ecclesiastica est sex Mensium.*
2 *Capitula Ecclesiarum Collegiatarum intra sex menses debent beneficia conferre.*
3 *Cathedrales Ecclesiæ intra tres Menses sunt de Pastore providendæ.*
4 *Patroni Laici intrà quatuor Menses debent ad beneficia præsentare.*
5 *Concursus ad Parochiales intra Menses quatuor faciendus, si collatio spectet ad Papam, vel ad Collatorem inferiorem.*
6 *Terminus sex mensium ad conferenda beneficia currit à die habitæ scientiæ vacationis.*
7 *Beneficium conferri non potest non habenti primam Tonsuram.*
8 *Laicus tanquàm Procurator Clerici potest recipere collationem beneficii.*
9 *Laicus an possit præsentari ad beneficium de Jurepatronatu?*
10 *Vicarius Capitularis dare potest dimissorias pro prima Tonsura Laico præsentando ad beneficium de Jurepatronatu.*
11 *Appellatio datur à denegata prima Tonsura præsentando per Patronos.*
12 *Clericus non incedens cum habitu Clericali, & Tonsura An præsentari possit per Patronos ad beneficium?*
13 *Irregulari prima Tonsura dari non potest.*
14 *Possessio beneficii intrà quantum tempus sit à proviso capienda?*
15 *Canonicatum obtinens in Collegiata debet intra tres Menses capere possessionem.*
16 *Dispensare an possit Episcopus super Irregularitate ex defectu lenitatis?*
17 *Dispensare nùm possit Episcopus contra Canones? DD. opiniones diversæ.*
18 *Judex Maleficiorum dispensatus ab Irregularitate debet statim deserere Officium.*

N. N. Judex Maleficiorum Paduæ voluit me consulere super sequentibus dubiis, & circa eadem opinionem meam in sensu veritatis audire.

1. Quantum tempus de jure sit concessum Episcopis ad conferenda beneficia Ecclesiastica?
2. An possit Episcopus conferre Ecclesiasticum beneficium Laico non habenti primam Tonsuram?
3. An Laicus irregularis ex defectu lenitatis possit recipere primam Tonsuram absque dispensatione?
4. Clericus provisus de Canonicatu intra quantum tempus debeat apprehendere possessionem illius?
5. An Episcopus possit dispensare Judicem Laicum, qui tulit plures sententias sanguinis, ab irregularitate ex defectu lenitatis? Respondi

Ad Primum: Episcopum habere tempus sex mensium ad conferenda Beneficia Ecclesiastica suæ liberæ
1 collationis *ex cap. Nulla. 2. de Conceff. Præben.* ex *cap. Licet. 3. De Supplend. neglig. Prælat.* quamvis Episcopus esset Cardinalis, & beneficia conferret vigore Indulti. Pax Jordanus *lib.10. tit. 11. num.1. & num.12.* Garzias *de Benefic. part.10. cap. 2. per tot.* Antonellus *de Tempore Legali lib.3. cap.16. n.1.* à quibus plures alii DD. allegantur; qui hoc tempus sex mensium competere notant etiam inferioribus Collatoribus habenti-
2 bus jus eligendi ad beneficia, ut sunt Capitula Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum. Abb. *in cap. Dilectus. num.2. De Præbend.* & *in cap. Ne pro defectu.* ubi omnes DD. *De Elect.* Cucchus *lib.4. tit. 1. num. 168.* Nicolius in Flosculis *Verb. Beneficium. num.3. & 4.* Etsi, ubi ageretur de Electione facienda ad Ecclesias Cathedrales, vel Regulares, ne pro defectu Pastoris in spiritualibus, vel temporalibus dispendium patiantur, ea fieri debeat intra tres men-
3 ses. *cap. Postquam. dist.50. cap. Obeuntibus dist. 63.* Pax Jordan. *d. lib.10. tit.12. num.5.* qui posteà advertit, *num.9.* quod Patroni Laici ad præsentandum Rectorem beneficii habent tempus quatuor Mensium tantùm *ex cap. Unico. § Verùm.* ubi Glossa, & DD.
4 *de Jurepatron. in 6.* & quod Episcopi debent facere concursum ad Parochialem intra quatuor Menses, quando collatio beneficii non spectat ad ipsos, sed ad
5 inferiores; & multò magis quando Parochialis vacans est Papæ reservata; ac eidem Papæ transmittenda est nominatio dignioris ab Episcopo electi, ut ei per Papam beneficium conferatur, juxtà Constitutionem S. B. Pii V. Incipien. *In conferendis. Anno 1566. 15. Calend. Aprilis;* quam per extensum ponit idem Jordanus *d. lib.10. tit.8. num.8.* Et prædictus terminus
6 sex Mensium incipit currere non ab ipsa vacatione, sed à die habitæ scientiæ vacationis ipsius. *cap. Quia diversitatem. De Conceff. Præben. d. cap. Licet,* ubi DD. *De Supplend. neglig. Prælat.* Azorius *part. 2. lib.6. cap. 26. quæst. 10.* Garzias *d. part.10. cap.2 num. 15.* Nicolius *d. Verb. Beneficium. num.3.*

Ad Secundum dubium respondi, quod, qui non habet saltem primam Tonsuram, non potest provideri, seu nominari ad Ecclesiasticum beneficium. *cap. Cum*
7 *adeò. De Rescriptis. cap. Ex Litteris. De Transaction. cap.2. de Institut.* Gonzalez *ad Reg 8. Cancell. gloss.2. à num.60. & seqq.* Item *gloss.5. num.9.* Pax Jordanus *d. lib.10. tit.13. num.1. & seqq.* ubi ait, provisionem esse invalidam, licèt post horam sumeret primam Tonsuram; & addit *num. 14. & 16.* quod super hoc Episcopus dispensare non potest; prout etiam quod si
8 Episcopus conferat beneficium Clerico absenti, potest Laicus tanquam Procurator ejusdem Clerici collationem beneficii recipere, & ejus possessionem capere per

text. in cap. 1. *de Procurat. in* 6. Idem Jordan. *d. tom.* 2.
lib. 7. *tit.* 15. *num.* 16.

Est tamen verum, quod Laicus potest à Patronis
nominari ad beneficium Jurispatronatus sub conditio-
ne, ut durante termino quatuor Mensium, quem ha-
9 bent ad præsentandum, recipiat primam Tonsuram.
Vivianus *de Jurepatron. lib.* 6. *cap.* 3. *num.* 12. Emin.
Card. de Luca *eod. tract. disc.* 46. *num.* 4. & *disc.* 45.
num. 7. Pyrrhus Corradus *de Benefic. lib.* 4. *cap.* 6.
num. 31. & 32. Rota post Vivian. ubi *supr. decis.* 147.
num. 20. præter alios DD. quos congessi supra *Dis-
cord. XXXII. à num.* 1. *& seqq.* Ideòque in tali casu
10 etiam Vicarius Capitularis potest intrà annum dare
dimissorias pro prima Tonsura dicto Laico homina-
to, ut præsentetur. Garzias *part.* 7. *cap.* 1. *§.* 1. *num.*
30. *& seqq.* Antonellus *de Jurib. Clericor. lib* 1. *cap.*
29. *num.* 4. Quod si Episcopus eidem nominato præ-
sentando denegaret primam Tonsuram absque causa,
posset appellare ad Superiorem cum protestatione,
11 quod interim terminus Juris ad præsentandum non
currat, tanquàm legitimè impeditum. Ita idem Emin.
Card. de Luca *de Jurepatron. d. disc.* 45. *num.* 8. *in fin.*
Quod si Clericus sit habens primam Tonsuram, sed
cum ea non incedat, neque cum habitu Clericali,
12 potest ad beneficium præsentari, & illud ei validè
conferri, si ipsum habitum, & Tonsuram velit de-
ferre. Rota *part.* 4. *recent. decis.* 592. *tom.* 1.

Ad Tertium dubium dixi, nefas esse tradere pri-
mam Tonsuram cuicunque Irregulari, antequam ob-
tineat dispensationem; quia hoc est in Jure prohibi-
13 tum. *cap.* 3. *cap. Diversis. De Clericis conjug.* Gar-
zias *part.* 7. *cap.* 11. Jordanus *d. tom.* 2. *lib.* 10. *tit.* 17.
num. 14.

Ad Quartum pariter dixi, quòd Clericus habilis ad
consequendum beneficium, si de aliquo residentiam
requirente provideatur, debet quamprimùm posses-
sionem capere, ut residentiam faciat, putà si sit Ca-
nonicatus, vel Parochialis Ecclesia; quia in Jure
14 nullum est præfixum tempus ad possessionem capien-
dam, ut dixi supra *Discord.* 79. *num.* 1. & notant Ric-
cius *in Praxi for. Eccles. part.* 2. *resol.* 265. Antonell.
de Tempor. Legali d. lib. 3. *cap.* 17. *num.* 11. Cæterùm si
provisus esset Clericus de aliquo Canonicatu in Ec-
clesia Cathedrali, aut Collegiata; & intrà tres men-
15 ses non caperet possessionem, legitimo impedimento
cessante, inciperet peccare; quia ultrà tres menses
non licet Canonicis abesse à residentia ex Tridentino
Concilio *sess.* 24. *de Ref. cap.* 12. Ideò deberet Episco-
pus procedere contra eum ad pœnas, ibi à Tridenti-
no Concilio statutas.

Ad Quintum respondi, magnam esse controver-
siam inter Canonistas, & Theologos Morales, An
Episcopus possit dispensare super Irregularitate ex de-
fectu lenitatis? Negativam tenent Tamburinus *de*
16 *Triplici Jure lib.* 10 *tract.* 4. *de Irregularitate cap.* 15.
§. 17. & doctissimus Mastrius *in Theolog. Morali disp.*
13. *num.* 188. E contrà affirmativam amplectuntur
sexdecim DD. quos citat, & refert Barbosa *de Offic.
& Pot. Episc. alleg.* 39. *num.* 47. & alii plurimi, quos
cumulat Diana Coordinatus *tom.* 3. *tract.* 3. *resol.* 35.
& resol. 36. desumptæ ex ejus opere veteri *part.* 4.
tract. 2. *resol.* 69. & *ex part.* 7. *tract.* 2. *resol.* 26. In hac
Theologorum, ac Canonistarum discordia, dici po-
test, quod utramque opinionem licet amplecti; sed
securius est, petere dispensationem à Summo Pontifi-
ce, quia talis est praxis, quæ servatur ubique; ut te-
stantur ex Theologis Gobatus *in Theolog. Experim.
tract.* 8. *num.* 718. & ex Beneficialistis Pyrrhus Corra-
dus *de Dispensat. Apostol. lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 3. *&* 4.
quamvis celeberrimi Canonistæ Fagnani doctrina pro-
17 sit opinioni affirmativæ per ea, quæ scribit *in cap.
Veniens. de Filiis Presbyter. num.* 8. *tom.* 2. his Ver-
bis: *Et ex hoc collige notabilem limitationem ad con-
clusionem, quam firmavi in cap. Dilectus. supra de
Tempor. Ordinat. Quod Episcopus non possit contra
Canones dispensare, ut non procedat in articulo du-
bio propter diversas Doctorum opiniones. Tunc enim
si alteram eligat, tacitè dispensare intelligitur, saltem
quo ad hoc, ut non possit contravenire, ut hic per*
Cardin. *in prealleg. q.* 12. *Vers. Ad tertium. Quod
nunquàm obliviscaris.*

Illud in fine consulentem me admonui, quod Judex
Maleficiorum, si obtineat dispensationem super Irre-
gularitate sua vel ab Episcopo, vel à Papa, statim
18 tenetur deserere Officium suum, nec potest ampliùs
in eo continuare; aliàs incurreret in novam Irregu-
laritatem majoris ponderis, quàm primam; cum spe-
cialiter prohibitum sit Clericis se immiscere in judiciis
criminalibus, & causis capitalibus, ut advertit The-
saur. *de Pœnis Eccles. part.* 2. *Verb. Judicis officium.
cap.* 2.

DISCORDIA XCI.

ARGUMENTUM.

Canonico Coadiuto, ob infirmitatem non valenti ad Sacerdotium promoveri, debentur distributiones, & emolumenta Canonicis Sacerdotibus tantùm dari solita, si lucrentur per ejus Coadiutorem Sacerdotem; qui ex tenore Litterarum Apostolicarum suæ Coadiutoriæ nullam portionem, vel mercedem ab ipso Coadiuto petere potest.

SUMMARIUM.

1 *Coadjutores cur dentur Canonicis infirmis?*
2 *Coadjutores Canonicorum, ut plurimùm, nihil ab eis prætendere possunt.*
3 *Coadjutores si negligentes sint in residentia, tenentur resarcire Coadjutum.*
4 *Coadiutus Canonicus excommunicatus, vel justè carceratus, nihil acquirit ex distributionibus, licèt Coadjutor ejus resideat.*
5 *Canonicus Coadjutus non ordinatus juxtà Statuta nihil lucratur, etsi ejus Coadjutor sit ordinatus.*
6 *Litteræ Apostolicæ Coadjutoriæ attendendæ inter Coadjutum, & Coadjutorem.*
7 *Epilepsiâ, seu comitiali morbo laborans ad Sacerdotium non promovetur.*
8 Quæcunque *est verbum universale omnia includens, & nihil excludens.*
9 Nihil *est negativa universalis omnia excludens.*
10 *Coadjutoria continet duplicem gratiam. Et Quæ?*
11 *Canonicales fructus sine Titulo, ac possessione non lucrantur.*
12 *Coadjutor nullum jus habet in fructibus, Coadjuto vivente.*
13 *Intentio disponentis de re sua est attendenda.*
14 *Coadjutoria non debet esse frustratoria, seu nociva Coadjuto.*
15 *Lucrum proveniens ex pecunia mandantis non debetur mandatario, sed ipsi mandanti.*
16 *Coadjutor in functionibus Ecclesiæ est mandatarius Coadjuti.*
17 *Coadjuti culpa ubi intervenit, amittuntur distributiones, etsi Coadjutor resideat.*
18 *Afflicto non est addenda afflictio.*
19 *Statuto denegante distributiones Canonicis non Sacerdotibus, illæ non dantur Coadjuto non ordinato, etsi ejus Coadjutor sit Sacerdos.*
20 *Coadjutori Canonici Infirmi aliquando in Bulla Coadjutoriæ reservatur aliqua portio fructuum.*

QUidam Canonicus Cathedralis Ecclesiæ laborans morbo caduco comitiali, à quo impeditur Ordinem Presbyteratus assumere, & personaliter functiones

Digitized by Google

nes Canonicales in Ecclesia ad se spectantes exercere, obtinuit ab Apostolica Sede Coadjutorem, Ordine Sacerdotali insignitum, cum spe futuræ successionis, & cum obligationibus in Bulla Coadjutoriæ his præcisis verbis expressis. Videlicet:

Ita tamen, quod dicto Coadjutoris Officio durante, ipsoque Coadjuto absente, antedictæ Ecclesiæ deservire nolente, vel non valente, Tu vice, & loco illius tan-
1 *quàm ipsius Ecclesiæ Canonicus in divinis promptè deservire, ac Officiis diurnis, & nocturnis &c. interesse, & continuò residentiam facere ad commodum, & utilitatem d. N. N. Coadjuti; nec non omnes, & singulos fructus, reditus, & proventus, obventiones, & distributiones quotidianas, omniaque, & singula alia ipsorum Canonicatus, & Præbendæ emolumenta quæcunque, certa, & incerta, in quibusvis rebus consistentia, & quomodolibet nuncupata, quæ dictus N. N. Coadjutus si personaliter resideret, ac dictæ Ecclesiæ inserviret, & singulas functiones obiret, consequeretur, & lucraretur, pro eodem N. N. Coadjuto integraliter, & absque ulla diminutione consequi, lucrari, & stante sua absentia exigere, & de illis rationem exactam, & computa reddere tenearis. Ratione autem*
2 *Coadjutoris Officii hujusmodi nihil à prædicto Coadjuto pro tuo salario, mercede, emolumentis, recognitione, vel alio titulo, sivè causa pro servitio, residentia, vel labore prætendere, habere, lucrari, vel consequi possis.*

Et si Tu ex præmissis tuâ culpa, aut negligentia aliquid deperdideris, id totum de tuo proprio eidem Coadjuto solvere, seu reficere tenearis; & quatenùs
3 *Tu dictæ Ecclesiæ inservire, & apud eam integram residentiam facere recusaveris, aut in obeundis aliis muneribus ad Coadjutoris Officium hujusmodi spectantibus, & pertinentibus negligens fueris, tunc dictus N. N. Coadjutus alium Coadjutorem à Sede Apostolica obtinere possit.*

Hac Coadjutoriâ stante, oritur Discordia inter supradictos Coadjutum, & Coadjutorem respectu aliquorum emolumentorum, de quibus participant tantummodò Canonicis constituti in Ordine Sacro Presbyteratus, exclusis Canonicis, qui ad ipsum Sacrum Presbyteratus Ordinem non sunt promoti. Nam Canonicus Coadjutor prætendit lucrari sibi illa emolumenta tanquam Sacerdoti, non autem Coadjuto suo principali, dictum Sacrum Ordinem non habenti. E contra Canonicus Coadjutus intendit eadem emolumenta sibi deberi. Idcircò Quæritur, cui ratio, jus, & justitia assistat?

Prima facie videtur respondendum, jus, justitiam, ac rationem assistere Coadjutori. Siquidem Coadjutus non potest obtinere emolumenta, si incurrat ali-
4 quam inhabilitatem, etiamsi ejus Coadjutor sit habilis. Ventriglia *tom.* 2. *Annot.* 13. §. *Unico num.* 43. ubi sic decisum esse testatur à S. Congregatione Concilii *die* 15. *Decembris* 1618. circa Coadjutum excommunicatum, vel justè carceratum, cui Coadjutor inserviens non lucratur distributiones. Imò, quando Statutum requirit certum Ordinem in Canonicis sub
5 pœna amissionis fructuum, si Coadjutus non sit Ordinatus, non lucratur eosdem fructus, quamvis ejus Coadjutor inserviens habeat requisitum Ordinem. Barbosa *de Canon. & Dignit. cap.* 29. *num.* 38. ubi ponit aliud Decretum S. Rituum Congregationis *diei primæ Decembris* 1629. quod videtur percutere, & decidere præsentem Discordiam.

Nihilominùs eâ maturè perspectâ, & illius circumstantiis benè pensatis, dicendum censui totum contrarium, non obstantibus supradictis Decretis, quæ non adaptantur præsenti casui ex pluribus.

Primò, quia in judicandis his Discordiis recurrendum est ad tenorem Litterarum Apostolicarum, quibus datus est, ac concessus Coadjutor. Gonzalez *ad*
6 *Reg. 9. Cancell. gloss.* 5. §. 9. *num.* 94. & Moneta *de Distribut. quotid. part.* 2. *quæst.* 1. *num.* 35. Sed in Litteris Apostolicis præsentis Coadjutoriæ expositum fuit Summo Pontifici, quod N. N. Canonicus Coadjutus personaliter residere, & Ecclesiæ deservire non poterat, quia comitiali morbo laborabat; & per consequens quod ob talem infirmitatem de jure
7 promoveri non poterat ad Sacerdotium. *cap. In tuis Litteris.* 7. *q.* 2. Rota *part.* 2. *recent. decis.* 236. Zacchias in *QQ. Medicolegal. consf.* 59. *num.* 1. Quapropter Papa voluit suffragari ipsi Canonico infirmo, ac dicto morbo laboranti, dando illi in Coadjutorem unum Sacerdotem; ad effectum ut mediante servitio Coadjutoris, Ordine Sacro Presbyteratus insigniti, *lucrarentur eidem Coadjuto emolumenta quæcunque, certa, & incerta, in quibusvis rebus consistentia, & quomodolibet nuncupata, quæ dictus Coadjutus, si personaliter resideret, ac dictæ Ecclesiæ inserviret, & singulas functiones obiret, consequeretur.* Quæ verba comprehendunt etiam emolumenta illa, quæ à Capitulo dantur Coadjutori tanquam Sacerdoti; nam verbum *Quæcunque* est verbum universale omnia in-
8 cludens, & nihil excludens. Glossa *in cap. Quicunque. Verb. eodem. De Sent. Excom. in* 6. Moneta *de Commut. ult. volunt. cap.* 11. *num.* 72. & propter suam generalitatem trahitur ad casus etiam improprios. Menoch. *consf.* 435. *num.* 23. & *consf.* 1129. *num.* 29. Gratian. *decis.* 24. *num.* 7. Præcipuè attentis illis aliis verbis *Quomodolibet nuncupata*, quæ operantur etiam ultrà expressa. *Clem.* 1. & ibi Glos. *de Re judic.* Flaminius *de Resignat. lib.* 9. *q.* 25. *num.* 50. & comprehendit emolumenta omnia, de quibus sufficit, quod fuerit in genere cogitatum. Card. Seraphin. *decis.* 350. *num.* 1. Ergo debentur Canonico Coadjuto etiam illa emolumenta, quæ dantur Canonicis Sacerdotibus, quamvis Coadjutus non sit Sacerdos, eo quia provisus fuit ab Apostolica Sede de Coadjutore Sacerdote, cujus operâ, & servitio omnia, & quæcunque emolumenta sibi lucrarentur.

Secundò, idem inferunt alia verba Litterarum Apostolicarum Coadjutoriæ prædictæ, quibus præcipitur, quod ipse Coadjutor *pro suo salario, mercede, emolumentorum recognitione, vel alio titulo, sivè causa, pro servitio, residentia, vel labore nihil prætē-*
9 *dere, habere, lucrari, vel consequi posset.* Verbum enim *Nihil* est negativa universalis, omnia excludens, & nullam recipiens restrictionem. Barbosa *de Diction. Usufreq. Dict.* 214. ubi DD. & violaretur præceptum Papæ, si licitum foret Coadjutori detinere sibi prætensa emolumenta.

Tertiò facit, quod Coadjutoria continet duplicem gratiam, Unam ad favorem Coadjutoris, ut succedat in beneficio; Alteram in adjutorium Coadjuti, ut ei
10 omnia emolumenta Canonicatus lucrentur, mediante Coadjutoris servitio. Loter. *lib.* 2. *q.* 25. *num.* 29. Fagnanus *in cap. Nulla. num.* 62. *de Concess. Præben. tom.* 4. Igitur Coadjutor debet esse contentus suæ gratiæ portione, constitutâ in spe futuræ Successionis, quæ cedit in recompensam suorum laborum. Loter. *d. lib.* 2. *q.* 25. *num.* 15. & non debet manum extendere in portionem gratiæ, quæ respicit Coadjutum, videlicet in ejus emolumenta; tantò minùs quia Coadjutoria principaliter est in gratiam Coadjuti, non autem Coadjutoris. Rota *part.* 1. *recent. decis.* 456. *num.* 3.

Quartò est fortissima ratio ad favorem Coadjuti, & contraria Coadjutori in hac Discordia, quod nemo potest appropriare sibi fructus, vel emolumenta ali-
11 cujus Canonicatus, nisi habeat titulum, & possessionem ejusdem. *cap. Beneficium*, & ibi Glossa, & DD. *De Reg. Jur. in* 6. Sed Canonicus Coadjutor, donec Coadjutus vivit, nullum titulum, nullumque Jus habet in Canonicatu, neque in fructibus, & emolumentis ejus. Garzias *de Benefic. part.* 4. *cap.* 4.
12 *num.* 140. Barbosa *in Votis Decisiv. lib.* 1. *Vot.* 46. *n.* 4. Et eò minùs possessionem, quam apprehendit tantummodò post mortem Coadjuti. Rota *part.* 4. *recent.*

Digitized by Google

cent. tom. 1. *decis.* 410. *num.* 3. & *part.* 18. *tom.* 1. *decis.* 198. *num.* 2. Ergo non potest sibi appropriare fructus ejusdem Canonicatus; quales sunt illæ distributiones, quæ dantur Canonicis Sacerdotibus; licèt enim ei dentur, quia est Sacerdos, tamen ei dantur, quia est Coadjutor; & nisi esset talis, quamvis Sacerdos nihil haberet, cumque qualitas principalis lucrandi dicta emolumenta insit Coadjutoriæ, cujus respectu omnia debentur Canonico Coadjuto, etiam prædicta ad eundem Coadjutum de Jure spectant.

Quintò, Accedit & hæc ratio, quod scilicèt in re voluntaria attendenda est intentio eligentis, & disponentis, quæ intentio etiam conjecturis probatur.
13 Rota *part.* 4. *recent. decis.* 332. *num.* 1. ubi DD. *tom.* 2. Modò intentio Domini Canonici Coadjuti fuit, in constituendo sibi Coadjutore Sacerdote, ut sibi ipsi Coadjuto lucrarentur etiam emolumenta, quæ à Capitulo dantur Canonicis Sacerdotibus; quod manifestè resultat ex eo, quia elegit in Coadjutorem sibi personam in Sacerdotali Ordine constitutam, qualis erat ipse Coadjutor etiam ante Coadjutoriam; aliàs potuisset eligere sibi aliam personam vel affinitate, vel amicitia magis charam, non habentem Sacerdotalem Ordinem in Officium Coadjutoris, si noluisset sibi lucrari prædicta emolumenta; non enim tenebatur eligere Coadjutorem, qui esset Sacerdos, quia Ordo Presbyteratus non est suæ Præbendæ affixus. Igitur cum constet de intentione Coadjuti, ac ipsa sit attendenda, & observanda; sequitur dicendum, emolumenta, quæ Coadjutor vult sibi retinere, esse eidem Canonico Coadjuto judicanda, & tradenda.

Sextò, facit etiam, quod si aliter diceremus, electio, & deputatio Coadjutoris esset frustratoria; quandoquidem si Coadjutus voluisset perdere emolumenta dari solita Canonicis Sacerdotibus, non habuisset necessitatem eligendi sibi Coadjutorem; erat enim à Sede Apostolica dispensatus à residentia ob morbum prædictum Comitialem, quo laborat; & vigore suæ dispensationis poterat percipere distributiones, ac emolumenta omnia, exceptis illis, quæ nunc Coadjutor vult sibi appropriare. Concessio autem ipsius Coadjutoris non debet esse frustratoria, & inutilis Coadju-
14 to. Gratian. *Discept. forens. cap.* 572. *num.* 52. neque converti in ejus damnum, ac nocumentum. *cap. Quod ob gratiam. De Reg. Jur. in* 6. Moneta *de Distribut. quotid. part.* 2. *q.* 1. *num.* 32. & Lotesius *lib.* 2. *q.* 25. *num.* 59.

Septimò tandem facit ad favorem Domini Canonici Coadjuti, quod quidquid lucratur mandatarius ex peculio mandantis, vel Filius ex pecunia Patris, totum
15 debetur iisdem mandanti, atque Patri, etsi lucrum processerit ob industriam ipsius mandatarii, vel Filii. Salgadus *in Laberynth. creditor. part.* 2. *cap.* 20. *per tot.* Menoch. *cons.* 213. *à num.* 9. *& seqq.* Peregrinus *cons.* 31. *num.* 11. *lib.* 4. & Surdus *Decis.* 15. Applicando autem hanc doctrinam casui nostro, certum est, quod Coadjutor in omnibus functionibus Ecclesiæ operatur non nomine suo, sed nomine Canonici Coadjuti, tanquam ejus mandatarius, & commissarius, ad hoc
16 expressè electus, & auctoritate Sedis Apostolicæ deputatus; ut ex peculio ipsius Coadjuti, idest Canonicalis characteris, ac facultatis, & ejus vice, ac nomine inserviat Ecclesiæ, resideat, ac emolumenta Ecclesiastica percipiat. Igitur omne lucrum debetur Coadjuto tanquam principali; sine cujus facultate Coadjutor neque obolum sibi ipsi lucraretur; quia pro nihilo ipse reputatur à Capitulo, nisi in quantum repræsentat Canonicum Coadjutum. Garzias *de Benefic. part.* 4. *cap.* 4. *num.* 140. *& num.* 143. & per consequens cum prædictus Coadjutor sit tanquam mandatarius, & filius Coadjuti in functionibus Ecclesiæ exercendis, emolumenta spectare debent ad ipsum Coadjutum, qui est principalis, & cujus nomine functiones omnes exercentur.

Nec suffragantur ipsi Coadjutori fundamenta superiùs ad ejus favorem deducta ex Decretis S. Congregationis; illa enim (quatenùs etiam sint vera) non conveniunt, nec sunt applicabilia præsenti casui: nam quæ lata sunt circa Canonicum Coadjutum vel excommunicatum, vel justè carceratum, fundantur in cul-
17 pa ipsius Coadjuti, propter quam meruit privari distributionibus, ac emolumentis, aliàs ejus Canonicatui debitis. At in casu nostro nulla est culpa in Coadjuto, qui non ob aliquod delictum arcetur à Sacerdotio; sed à molestissima infirmitate, & morbo comitiali, quæ procedit ex sola Dei dispositione, non autem ex culpa ipsius infirmi, ut considerat celeberrimus Medicus Zacchias in *QQ. Medicolegal. lib.* 8. *tit.* 1. *quæst.* 5. cujus morbi afflictione attentâ, est ei potiùs succurrendum, quàm emolumentis Præbendæ suæ privandus; nefas enim est, afflictionem addere
18 afflicto. *l. Divus Marcus. ff. De Offic. Præsid. cap. Cum percussio.* 7. *q.* 1. Similiter aliæ Decisiones denegantes emolumenta quotidianarum distributionum Canonico Coadjuto non habenti Sacerdotalem Ordinem, etsi ejus Coadjutor sit Sacerdos, procedunt, ubi statu-
19 ta mandant ita fieri: nam eadem emolumenta nulli dantur, sed remanent apud Capitulum; quo casu neque Coadjutor aliquid consequitur. At in præsenti Discordia totum diversum practicatur; quia Capitulum spontè tribuit, & solvit emolumenta, de quibus nunc est disputatio, quando Coadjutor est Sacerdos, quamvis Coadjutus careat Ordine Sacerdotali. Quapropter cum in præsenti casu quidquid lucratur Coadjutor in functionibus Ecclesiasticis, nomine Coadjuti lucretur; & omne lucrum, & quodcunque emolumentum ex iisdem functionibus proveniens, nullo excepto, spectet ad Canonicum Coadjutum vigore Litterarum Apostolicarum Coadjutoriæ, non potest Coadjutor aliquid etsi minimum sibi retinere; sed totum debet cedere Canonico suo principali ex doctrina Ventrigliæ *d. tom.* 2. *Annot.* 3. §. *Unico num.* 43. & ex Decisione Rotæ coram Penia *decis.* 354. quibus in lo-
20 cis permittitur retentio emolumentorum ipsi Coadjutori, quando in Litteris Coadjutoriæ fuit ei reservata aliqua portio eorundem; totum autem contrarium dispositum legitur à Papa in creatione hujus Coadjutoris; quem (ut notatum est in principio) voluit, *ut nihil pro salario, mercede, emolumentis, recognitione, vel alio titulo, sivè causa pro servitio, residentia, vel labore, prætendere, habere, lucrari, vel consequi possit*; & ideò ita est in praxi servandum; vel Coadjutoriæ officio cedendum.

DISCORDIA XCII.

ARGUMENTUM.

Filius Clericus non tenetur solvere debita Patris ex fructibus sui beneficii; etsi ejusdem Patris se fecerit heredem.

SUMMARIUM.

1 *Privilegia Militum armatæ Militiæ competunt etiam Clericis.*
2 *Fructus beneficii à Filio possessi non sunt obnoxii creditoribus Patris.*
3 *Feudi fructus non sunt obligati pro debitis à Patre Feudatarii relictis.*
4 *Heres de Jure Canonico non tenetur ultrà vires hereditatis.*
5 *Fructus beneficii quando capi possint pro debitis ipsius beneficiarii?*
6 *Filius Clericus non tenetur solvere debita Patris ex fructibus sui beneficii.*

Defuncto Patre Archidiaconi Ecclesiæ Cathedralis N. fuit factum inventarium bonorum paternorum ab

ab ipso Filio Archidiacono, à quo deindè eadem bona paterna consumpta sunt in solvendis debitis per Patrem relictis; at cum ea non sufficerent; & adhuc superessent alii creditores, hi fecerunt sequestrare fructus Archidiaconatus, petentes, ac prætendentes ex eis sibi satisfieri. Consultus fui, An prædicti fructus sint obnoxii pro solutione paternorum debitorum, & An creditores habeant actionem in illos? Respondi Negativè.

Primò, quia omnia privilegia concessa Militibus armatæ militiæ conceduntur etiam Clericis; qui dicuntur Milites militiæ cœlestis. Gratian. *discept. fo-*
1 *rens. cap.* 706. *num.* 55. ubi DD. Sed sic est, quod militum stipendia non sunt sequestranda, neque capienda pro executione sententiæ. Glossa *in l. Stipendia. C. De Execut. rei judic.* & *in l. Nepos Proculo ff. de Verb. Signific.* ac etiam in *l. Commodis. ff. de Re judic.* Ergo neque fructus Archidiaconatus sunt seque-
2 strandi, & capiendi pro solutione debitorum paternorum; fructus enim Præbendarum sunt stipendia Clericorum. Matthesilaus *Singul.* 61. *in addit. num.* 5. & Genuensis *in Practicabil lib. Ecclesiast. Quæst.* 634. *num.* 6.

Secundò, quia valet argumentum à Feudo ad Beneficium. Barbosa *in Loc. commun. argum. loco* 47. Sed in feudo non hereditario, quod appellatur ex pacto,
3 & providentia, Filius non tenetur solvere debita Patris defuncti ex fructibus ipsius feudi. Cacheran. *Decis. Pedemont.* 162. *per totam*. Rolandus à Valle *cons.* 28. *vol.* 3. Surdus *de Aliment. tit.* 4. *quæst.* 10. *num.* 20. Ergo idem servandum venit in beneficio Ecclesiastico, quod non confertur filio ex jure hereditario; sed ex mera gratia, ac benignitate Ecclesiæ.

Tertiò, quia de Jure Canonico heres non tenetur ultrà vires hereditarias, etiam quando adivit hereditatem non confecto inventario, juxtà doctrinam Baldi *in l. Cum à matre num.* 11. *C. De Rei vindicat.* & consuluit ipsemet Baldus *lib.* 5. *cons.* 65. Incipien. *Super*
4 *præmisso*. cujus doctrinam, & consultationem esse omninò servandam docent Marta *de Jurisd. part.* 4. *centur.* 1. *conclus.* 75. *num.* 5. Duard. *ad Bullam Cœnæ Dom. lib.* 2. *can.* 15. *q.* 17. *num.* 8. Diana *part.* 1. *De Immunit. Eccles. resol.* 70. & alii relati per Capycium Latr. *decis.* 15. *num.* 11. Ergo multò minùs molestandus est Archidiaconus supradictus, qui inventarium confecit bonorum paternorum; & ea omnia expendisse ostendit in solvendis debitis à Patre suo relictis.

Quartò, quia fructus beneficiorum obnoxii sunt creditoribus Clerici in uno tantùm casu, videlicèt quando Clericus contraxit debita pro sui ipsius susten-
5 tatione; ut notant Canonistæ, inter quos Archidiac. *in cap. Statutum. De Rescript. lib.* 6. & latè disputat, & tenet Abbas Panormit. *in cap. Cum esses. num.* 27. *De Testam.* Sed in præsenti casu debita fuerunt contracta à Patre non ob sustentationem Filii sui Clerici; sed ob prophanas negotiationes. Ergo ad ea solvenda non subjacent fructus Archidiaconatus.

Quintò & in puncto præsentis Discordiæ, quod Filius non teneatur solvere debita Patris ex fructibus sui beneficii ex plurium DD. auctoritate firmat Bellettus
6 *Disquisit. Clerical. part.* 1. *de Clerico debitore* §. 3. *num.* 46. ubi ità concludit: *Idem dicendum venit de Clerico habente debita Patrimonialia, quæ solvere non tenetur ex redditibus beneficii*. Quare idem dicendum de supradicto Archidiacono.

DISCORDIA XCIII.

ARGUMENTUM.

Manutentio in exigendis Decimis, seu Quartesiis nemini datur contra Parochum, in cujus Parochia sunt terræ, de quarum fructibus colliguntur, quando adversùs eum non docetur de quadragenaria præscriptione, & justo Titulo: præsertim si Decimæ, seu Quartesia sint novalia; ac si earum præterita exactio facta fuerit pendente lite cum ipso Parocho.

SUMMARIUM.

1 *Possessio acquisita lite pendente non est manutenibilis.*
2 *Manutentio in exactione Decimarum non datur contra Parochum, ubi non constat de justo titulo.*
3 *Decimæ non præscribuntur contra Parochum, nisi quadragenariâ cum titulo.*
4 *Manutentio non datur, ubi constat de non jure in petitorio.*
5 *Possessoriis remediis utentes, & scientes non habere Jus in meritis causæ, peccant, & tenentur ad restitutionem.*
6 *Quartesia ex fructibus terrarum, quæ sunt intra limites Parochiæ, spectant ad illius Parochum,* & num. 13.
7 *Decimæ novales soli Parocho illius loci debentur.*
8 *Manutentio non datur Parocho pro Decimis super terris, quarum existentia intrà limites Parochiæ est dubia.*
9 *Decimæ illi Parocho debentur, qui ministrat Sacramenta habitantibus super terris, à quibus colliguntur.*
10 *Sententia Arbitri circa Decimas, & Quartesia non emologata ab Episcopo nihil valet.*
11 *Sententia notoriè injusta subjacet perpetuæ nullitati.*
12 *Illatio non valet à situatione temporali ad situationem spiritualem.*

ANno 1684. judicaturus causam, & terminaturus Discordiam diù vertentem inter Archipresbyterum Carradii ex unà, & Parochum Clupani hujus Diœcesis Patavinæ Partibus ex altera; super jure exigendi Quartesium è fructibus quarundam Terrarum existentium sub Parochia Ecclesiæ Clupani in contracta *Petræ Fuscæ*, & *Vallis de Valdaro*; censui, denegandam esse manutentionem exactionis prædicti Quartesii petitam à præfato Archipresbytero Carradii; & eam esse concedendam Parocho Clupani ex sequentibus rationibus.

Primò, quia probationes pro prætensa possessione per Archipresbyterum Carradii adductæ sunt valdè turbidæ; siquidem se fundat in exactionibus præsentis
1 Quartesii factis lite pendente; & adducit attestationes extrajudiciales diversorum hominum, quæ patiuntur plures exceptiones; & conquassantur aliis attestationibus ex directò contrariis per Parochum Clupani productis; quapropter ipse Archipresbyter remittendus est ad judicium petitorium, nec est exaudiendus in hoc possessorio, ut docent Scaccia *de Sent. & Re judic. Gloss.* 14. *quæst.* 19. *num.* 98. *& seqq.* Tondut *Resol. Benefic. part.* 1. *cap.* 104. *num.* 10. Gratian. *Discept. Forens. cap.* 450. *num.* 41. *& cap.* 870. *num.* 19. Rota coram Verall. *part.* 2. *decis.* 200. & coram Mantica *decis.* 95. *à num.* 10. quod latè prosequitur Postius *de Manutent. Observ.* 49. *à num* 1. *& seqq.*

Secundò, tantò magis, quia etsi Archipresbyter Carradii concludenter probaret, se esse in possessione exigendi Quartesium super campis antedictis, non docet de
2 Titulo; quo deficiente, cum agatur de Decimis, & Quartesiis Terrarum alienæ Parochiæ, & contra proprium Parochum, non conceditur manutentio. Postius *Observat.* 44. *num.* 48. Menochius *de Retinen. possess. remed. ult. num.* 24. Card. Seraphin. *decis.* 1047. *num.* 9. Rota post Postium *in tom.* 2. *decis.* 187. *num.* 8. ubi DD. eadem Rota *part.* 2. *recent. decis.* 752. *num.* 44. & *part.* 7. *decis.* 304. *num.* 7. novissimè Marescottus *Var. resol. lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 40. Ratio autem est manifesta, quia Decimæ non præscribuntur adversus Parochum

rochum

Digitized by Google

3 rochum nisi quadragenaria cum titulo; vel si sine titulo ex praescriptione immemorabili. Rota coram Card. Cerro *decis.* 469. *à num.*6. *& seqq.*

Tertiò, quia Manutentio non datur in possessorio judicio, ubi notoriè constat de non jure in petitorio. Ferret. *cons.*69. *num.*9. Postius, plurimos DD. cumu-
4 lans *Observ.*42. *num.* 149. adeòut peccent mortaliter, & ad restitutionem damnorum, & expensarum teneantur illi omnes, qui remedia possessoria intentant,
5 & sciunt bonum Jus non habere in proprietate. Pax Jordanus *tom.* 3. *lib.* 14. *tit.* 12. *num.* 56. Pellegrinus *in Praxi Vicarior. part.* 2. *sect.* 3. *Subsect.*3. *Intersect.* 21. *num.* 55. At in praesenti Discordia manifestum est, Archipresbyterum Carradii bonum jus non fovere in proprietate, nec in meritis causae propter tres irrefragabiles rationes. *Una* est, quod terrae, & campi, super quibus controvertitur Quartesium, sunt intra limites Parochiae Clupani; siquidem super ipsis extant domus duae in contracta *Petrae Fuscae*, & *Vallisdarii*, quarum habitatores ab immemorabili tempore, tanquam Parochiani Ecclesiae Clupani, ab ea recipiunt Sanctissima Sacramenta, ut constat ex Libris status animarum, Baptismatum, atque Matrimoniorum ejusdem Ecclesiae Clupani; ideò ex iisdem terris non potest Archi presbyter Carradii exigere Quartesium, quod
6 de Jure spectat ad Parochum praedictae Ecclesiae. *cap. Super eo. de Parochiis.* Glossa *in cap. Cum sint. in fin. de Decimis.* & Moneta *eod. tractatu cap.*5. *à num.*97. *& seqq. Altera* ratio est, quia praedicti campi, & terrae sunt novales, idest redacti ad culturam post erectionem Parochiae ejusdem Ecclesiae Clupani; quo tempore erant buschivi, & inculti, ut ex Æstimis publicis, ac Instrumentis Emphyteoticis in judicio productis. Idcircò eorum Quartesia, postquam redacti
7 sunt ad culturam, non debentur alii, quàm propriae Ecclesiae Parochiali ex *cit. texx.* & ex *cap. Cum contingat*, ubi Gloss. & DD. *de Decimis.* atque *cap. Quoniam.* ubi Fagnanus *num.* 1. *&* 3. *eod. tit.* Barbosa *de Parocho cap.*28. §.2. *num.*21. Moneta *de Decim. cap.* 4. *num.* 53. *& num.* 79. Rebuff. *eod. tract. quaest.* 14. *num.*16. concordat Antonius de Possentibus *Singular.* 104. *Tertia* ratio est, quia Communitas Clupani specificè se obligavit solvere Quartesium de omnibus bonis novalibus, & quae reducerentur ad culturam intra Parochiam Clupani, Parocho suo pro tempore existenti, ut legitur in Instrumento ejusdem Parochialis de *Anno* 1419. in actis hujus causae producto.

Neque alicujus ponderis visae sunt rationes pro asserta manutentione allegatae per Archipresbyterum Carradii.

Non Prima, quod Terrae, de quarum Quartesio est discordia, cum sint penès limites Parochiae Carradii, praesumuntur de sua Parochia, & sic Quartesium ad ipsum Archipresbyterum spectat. Quia cùm jus Quartesii pendeat à terminatione, sub quâ Parochiâ Campi, & Terrae existant, cum haec existentia non sit
8 certa pro Parochiâ Carradii, & veniat probanda in judicio petitorio, interim dari non potest ex ea praedicto Archipresbytero manutentio pro exigendo Quartesio. Card. Seraphin. *decis.* 1278. *num.* 4. Beltramin. *in addit. ad Ludovis. Decis.* 283. *num.* 8. & Rota post Postium *de Manut. decis.*187. *num.*9.

Non Secunda; quod ipsae Terrae controversi Quartesii censeantur existere sub Parochia Carradii ex Sententiâ arbitrariâ Rev. Joannis Baptistae Georgii Rectoris Grumuli *de Anno* 1618. in qua pro divisione limitum utriusque Parochiae Carradii, & Clupani dixit, ducendam esse lineam ad campum Lucae de Tertiis: quia cum talis Lucas duos haberet diversos campos, unum in contracta *Petrae Fuscae*, alium in contracta *Vallisdarii*, dubium est, de quo campo dicta Sententia loquatur; & in dubio tenendum est circa
9 Quartesium pro Parochia Clupani; ne sequatur absurdum, quod iste Parochus in iisdem Terris administret Sacramenta; & ille Carradii exigat Quartesium. Glossa *in cap. Dudum. in Verb. absurdum de Praebend. in* 6. & Everard. *Loco argum.* 23. *ab Absurdo num.* 1. Praeterquamquod dicta Sententia arbitraria cum non sit emologata, & ab Episcopo Patavino approbata, in
10 hac materia Quartesii nihil valet. *cap.*2. ubi Abb. *de Transact.* Rebuff. *de Decimis cap.* 13. *num.*19. Moneta *eod. tract. cap.*5. *num.*120. & 121. Barbosa *de Parocho cap.*28. §.4. *num.*24. & 25. Antonellus *de Regim. Eccl. lib.*5. *cap.*15. *num.*25. Rota post Murgam *de Parocho decis.*27. *num.*6. & post Tamburin. *de Jure Abb. tom.*3. *decis.*102. Ulteriùs etiamsi emologata, & approbata fuisset, ob notoriam injustitiam nullitati perpetuae sub-
11 jaceret. Rota coram Priolo *decis.* 233 *num.* 4. quia Quartesia ex Terris intra Parochiam Clupani existentibus, & ad culturam redactis soli Parocho ejusdem Ecclesiae sunt assignanda; & Sententia aliter disponens, tanquam ipso jure nulla, retractanda omninò venit, quia nunquam transit in rem judicatam. Eadem Rota coram Priolo *Decis.*377. *num.* 20.

Non Tertia; quod praedictae Terrae in temporali subjaceant Communitati Carradii, & ei collectas solvant juxta Sententiam Vicarii Praetorii Vicentini *de Anno* 1600. Quia illatio non valet à situatione temporali ad
12 situationem spiritualem; neque à solutione collectarum, quae imponuntur ab hominibus ob expensas temporales, ad solutionem Decimarum, & Quartesii, quae constitutae sunt à Deo, & ordinatae ab Ecclesia ad sustentationem Sacerdotis curam gerentis animarum habitantium in ea Parochia, intra cujus limites existunt praedictae Terrae. Menoch. *cons.*859. *num.*3. *&* 4. & Loterius *lib.*1. *quaest.*10 *num.*15. Praesertim attentâ Sententiâ Molinâ *de Anno* 1613. 22. *Aprilis*, per quam declaratum fuit, easdem Terras, de quarum Quartesio nunc disputatur, esse de Parochia Clupani; & per consequens ea spectare ad Parochum Clupani constat tùm de jure communi ex *cit. texx. in cap.*
13 *ult. de Paroch. & in cap. Cum contingat. & cap. Cum tua. de Decimis.* Barbosa *de Parocho cap.* 28. §. 2. *num.*7. & 8. tùm ex natura eorundem Quartesiorum, quae sunt novalia, ex Terris buschivis ad culturam redactis, & soli Parocho de Jure debitis. *d. cap. Quoniam.* ubi Fagnan. *num.*1. *&* 3. *de Decim.* & *d. cap. Cum contingat.* & ibi Gloss. & DD. *eod. tit.* tùm etiam ex speciali promissione factâ per Homines Communis Clupani in erectione illius Parochiae *Anno* 1419. 18. *Maii.* Ex quibus omnibus eadem Quartesia adjudicavi ipsi Parocho Clupani in mea Sententia, *die* 28 *Novembris* 1684. promulgata; cum rejectione petitae Manutentionis ab Archipresbytero Carradii.

DISCORDIA XCIV.

ARGUMENTUM.

Quindennia, pro beneficiis perpetuò unitis, singulis annis quindecim, Camerae Apostolicae sunt solvenda. Exiguntur ipsa Quindennia loco Annatarum, quae in vacatione beneficiorum ab antiquissimo tempore Summo Pontifici solvuntur, ad exemplum Redecimae, quam in Lege veteri, Dei jussu, omnes Levitae solvebant Summo Sacerdoti. Notatur modus affrancandi dicta Quindennia, & se liberandi ab eorum solutione.

SUMMARIUM.

1 *Beneficia unita per Summos Pontifices Mensae Capituli Paduani.*
2 *Quindennia pro beneficiis perpetuò unitis omninò solvenda.*
3 *Quindenniorum causa, & justitia undè proveniat?*
4 *Annatae solutio in provisione beneficii cur Sedi Apostolicae fiat?*

5 Quin-

Digitized by Google

5 *Quindennia solvuntur pro compensatione Annatarum.* & num.14.

6 *Paulus II. instituit Quindenniorum solutionem pro beneficiis unitis.*

7 *Annatarum solutio in provisione beneficiorum quando incœperit?*

8 *Regulæ Cancellariæ Apostolicæ reservatoriæ Mensium principium.*

9 *Joannes XXII. cœpit sibi reservare Menses pro vacatione beneficiorum.*

10 *Annatarum solutio antiquissima, etiam sub Innocent. IV. & Alex. IV. usitata.*

11 *Hostiensis Canonista creatus Cardinalis ab Urbano IV. Anno 1261. obiit An. 1281.*

12 *Quindennia per Capitulum Paduanum soluta Cameræ Apostolicæ Anno 1559.*

13 *Præscriptionem adversùs Centenariam audientia non datur.*

15 *Levitæ de omnibus suis Decimis solvebant Redecimam Summo Sacerdoti.*

16 *Cardinalis Barbadici Episcopi Patavini Heroica Pietas in resignanda, & unienda una ejus Abbatia Seminario puerorum.*

17 *Quindenniorum affrancatio nomine ipsius Seminarii facta à Cardinali Barbadico Episcopo per tot locorum Montium Romæ consignationem.*

ATtentâ Unione beneficii nuncupati Monasterii,
seu Prioratus de Farra, Mensæ Reverendissimi hu-
jus Capituli Paduani, Cunipettæ vocatæ, per Sum-
mum Pontificem Eugenium IV. factâ Anno 1439.
1 & alterius Clericatus in Ecclesia Villæ Saponariæ ei-
dem Mensæ, seu Canipettæ uniti per Sixtum Papam
V. Anno 1587. pro augmento Quotidianarum Distri-
butionum, quæ dantur interessentibus Choro; petita
fuit à Ministris Cameræ Apostolicæ solutio Quinden-
niorum, à qua prædictum Capitulum à multo tem-
pore cessaverat; quapropter voluit me consulere, An
posset se eximere à solutione vel ex præscriptione lon-
gi temporis, in quo non solvit, vel ex alio honesto,
ac legali motivo?

Respondi, superfluum esse disputare, an sint sol-
venda Quindennia per ipsum Capitulum? quia evi-
dens est ejus obligatio, cum manifestè constet de præ-
dictorum beneficiorum unionibus, quarum causa
2 Quindennia solvuntur ex *Constit.6. Pauli II.* ex *Con-
stit. 17. Pauli IV.* & ex aliis *Constitutionibus B. Pii V.
& supradicti Sixti V.* de quibus Novarius *in Summ.
Bullarii part.1. Comment. 145.* Barbosa *Apostolic. De-
cis. collect.628.* Loterius *de Re benefic. lib. 1. quæst.29.
à num.1. & seqq.* Amyden. *de Stylo Datar. cap. 18.
§. 4.* Tondut *de Pensionib. cap.10. num.20.* & alii plu-
res, quos allegat Emin. Card. de Luca *in tract. de Be-
nefic. disc.89. per tot.* ubi ad ostendendam justitiam
horum Quindenniorum hæc scribit *num. 2. Ut clariùs
3 hujusmodi Quindenniorum causa, nec non natura, &
qualitas dignoscantur, ex quibus pendet cognitio mo-
di, ac loci eorum solutionis; illud præcognoscendum
venit, quod ex antiquissimo, & immemorabili Eccle-
siæ Catholicæ, Sedisque Apostolicæ usu, introducta
fuit in beneficiis Ecclesiasticis exactio communium ser-
vitiorum, ac Annatarum, in recognitionem universa-
4 lis dominii, quod Pontifex, & Ecclesia Romana habet
omnium Ecclesiarum, Monasteriorum, ac beneficiorum;
ideòque etiam ante tempora Conciliorum Viennensis, &
Constantiensis hic Annatarum usus habetur, ut ex te-
stimonio* Antonii Masiæ *aliàs* Galesii *in Opusculo di-
recto ad S. Carolum Borromeum, & ex d. Constit. 17.
Pauli IV. §. 1.* Et paulò post *num. 3.* subdit: *Quia ve-
rò pariter antiquissimus inolevit usus Apostolicæ Sedis,
faciendi Ecclesiarum, Monasteriorum, ac beneficiorum
uniones, ita impedientes vacationes, ac personales,
seu vitalitias provisiones, præjudicantes Papæ, ac sa-
cro Collegio Cardinalium, aliisque Officialibus circa
solutionem dictorum servitiorum, & Annatarum, quæ
occasione novarum provisionum facienda esset. Hinc pro
5 hujusmodi damni, ac præjudicii refectione, inolevit
etiam antiquus usus solvendi dicta onera, & Annatas
pro Ecclesiis, ac beneficiis unitis, singulis quibusque
temporibus, cum aliqua varietate, juxta regionum,
vel beneficiorum, & Ecclesiarum usum. Cum autem ex
hac varietate plura resultarent litigia, & inconvenien-
tia; idcircò ut his consuleretur, prudenter Paulus II.
6 per ejus Constit. 6. juxta ordinem Bullarii novi, uni-
formem regulam desuper statuit, atque cum regula, for-
tè desumpta ex dispositione textus in l. Hereditatum.
ff. Ad leg. Falcid. ita quandam mediam viam eligendo
præfinivit uniforme tempus XV. annorum; atque ex
hoc prodiit istud Quindenniorum vocabulum.* Hucus-
que Emin. Card. de Luca, alios DD. citans, & ex his
verbis fit manifesta ratio, & justitia, propter quam
Camera Apostolica exigit Quindennia ab habentibus
beneficia unita.

Neque subsistit objectum, quod aliqui facere possent
circa Prioratum de Farra; videlicet Annatas habuisse
originem à tempore reservationis beneficiorum, per
7 Sedem Apostolicam factæ in Regulis Cancellariæ;
quia in expeditione Litterarum Apostolicarum super
provisione beneficiorum reservatorum provisi solvunt
Annatas. At ipsæ Regulæ reservatoriæ Mensium
cœperunt *Anno* 1447. ex Bursato *cons. 126. num.* 101.
8 & 102. ac ex Loterio *lib. 2. quæst. 37. num. 2.* Bene-
ficium autem de Farra unitum fuit Mensæ Reveren-
dissimi Capituli Paduani, ut dictum est; *Anno* 1439.
& sic antequam inciperet obligatio solvendarum An-
natarum, à quarum solutione etiam nunc videtur
exemptum. Nam respondetur, suppositum esse fal-
sum, tùm quia Regulæ Cancellariæ Apostolicæ re-
servatoriæ Mensium ortum habuerunt sub Papa Joan-
9 ne XXII. *Anno* 1316. ut scribit Sarnen. *in Proemio
Regular. q. 1.* & Reta *part. 4. diversor. decis.* 359.
num. 2. tùm etiam quia Annatæ pro Monasteriis, &
beneficiis solvebantur etiam ante ortum Regularum
Cancellariæ, & ab antiquissimo tempore, ut ex
Azorio *in Institut. Moral. part. 2. lib. 7. cap. 11. & 12.*
ex Amydenio *d. cap. 18. §. 4.* & multò clariùs ex
Jacobo Cohellio *in Notitia Cardinal. cap. 20. Litt. C.*
ubi ex Polydoro Virgilio *De Rer. Inventor. lib. 8. cap. 2.*
10 ita subdit: *Nec admittit Virgilius opinionem Gomesii,
& aliorum, quos recentiores vocat, dicentium An-
natas istas à Joanne XXII. introductas, siquidem bene-
ficiorum Annatas sub Innocentio IV. & Alexandro IV.
solutas fuisse Hostiensem (qui Pontificibus illis valdè
11 gratus, & ab Urbano IV. Successore Anno 1261.
Mense Decembri Sacra Purpura decoratus, octavò
Idus Novembri 1281. hominem exuit, teste Ciaconio in
Vita Urbani IV. num. 1.) suis scriptis tradidisse idem
Polydorus Virgilius probat, ubi suprà.* En igitur quan-
tò antiquiores sint Annatæ beneficiorum iisdem Re-
gulis Cancellariæ Apostolicæ, reservantibus octo Men-
ses Papæ pro vacatione beneficiorum.

Et eò minùs Capitulum posse se eximere ab hac
Quindenniorum solutione ex pretextu Præscriptio-
nis constat, quia cum jam ab ipso Quindennia fuerint
12 soluta *de Anno* 1559. ut ex Instrumento receptionis
diei 22. Maii ejusdem Anni existente in Archivio ipsius
Reverendissimi Capituli, in quo Instrumento DD.
Franciscus Bavodius Episcopus Gebenen. & Papæ
Datarius, nec non Christophorus Cincius Cameræ
Apostolicæ Thesaurarius, & ad exigenda Quinden-
nia tunc specialiter deputati, fatentur recepisse à præ-
dicto Capitulo Quindennia octo pro Monasterio S.
Bartholomæi de Farra perpetuò ei unito; & conti-
nuaverit illa solvere tùm pro hoc Monasterio, seu
Prioratu Farræ, tùm pro beneficio simplici, Clerica-
tu nuncupato, Villæ Saponariæ usque *ad Annum* 1636.
quamvis ab eo tempore citrà usque in præsens am-
pliùs Quindennia non solverit, tantùm abest, quod
possit à solutione se eximere ex præscriptione, seu
cursu temporis *Annorum* 60. *vel.* 70. ob defectum

Digitized by Google

bonæ fidei; quod imò ipsa Camera Apostolica habet pro se præscriptionem centenariam exigendi ab ipso-
13 met Capitulo prædicta Quindennia; contra quam non datur audientia, ut ait Sperell. *decis.* 57. Rota coràm Buratto *decis.* 435. & *decis.* 673. ac Emin. Card. de Luca *de Benefic. disc.* 32. *num.* 4.

Quare cum ex Unionibus prædictorum beneficiorum Capitulum colligat annuatim eorum fructus, pro quibus Annatæ solvi non possunt, quia beneficia ipsa ampliùs non vacant, sunt de Jure solvenda Quinden-
14 nia, in compensationem dictarum Annatarum, ut docent omnes Beneficialistæ suprà allegati, ac præter illos præcitatus Jacobus Cohellius notans *d. cap.* 20. *Litt.* E *Annatas, (& sic earum loco Quindennia in beneficiis unitis) subrogatas esse in locum illius redeci-*
15 *mæ, quam olim Levitæ de omnibus Decimis Summo Sacerdoti solvebant; undè minùs gravantur Clerici hujus temporis, quàm antiquitùs, ut docet Thomas Campegius in tract. de Annat. Instit. cap.* 1. *in princ. Et habetur inter Tractatus DD. tom.* 15. *part.* 2. De hac Decima cujuscunque decimæ, quam Summo Sacerdoti annuatim persolvebant Levitæ in Lege Hebraica, etiam Cornelius à Lapide *in Comment. libri Numeror. cap.* 18. *Vers.* 27. hæc pariter scribit: *Putant aliqui, ut Lyranus, & Abulensis, hanc Decimam decimæ, idest centesimam omnium fructuum totius Israelis, à Levitis datam fuisse Summo Pontifici; hoc enim videtur dici Vers.* 28. Date ea Aaroni Pontifici. *Quod si ita est, fuit sanè Pontifex ditissimus, utpotè quotannis recipiens centesimam partem frugum totius Judeæ. Atque hinc* D. Thomas 2. 2. *q.* 87. *art.* 4. *ad* 3. *& alii docent, par esse, ut Clerici omnes, etiam Episcopi, decimas bonorum suorum dent Romano Pontifici. Pontifex verò eas non exigit, sed loco earum in majoribus beneficiis Annatas, idest fructus primi Anni cum illud alicui confert, exposcit.* Quæ verba transcribere volui pro evidentiori justitia Annatarum, & per consequens Quindenniorum.

Remedium unum suggessi Reverendissimis Canonicis, ut se ab oneribus solvendi Quindennia eximerent, quo usus fuit Eminentissimus S. M. Gregorius Cardinalis Barbadicus Episcopus Patavinus Herus meus Anno 1670., quo tempore secum tanquam ejus Auditor Romæ eram. Cùm enim tunc ejus Emi-
16 nentiæ Heroica Pietas obtinuisset gratiam à Summo Pontifice Clemente Decimo resignandi Abbatiam Montis Crucium, cum Prioratu Cortoroduli, quam possidebat, in favorem sui Seminarii Patavini, ad effectum ut eidem perpetuò uniretur, & ex ejus fructibus Alumni pauperes ejusdem Seminarii, ac ad ipsius titulum ad Sacros Ordines possent promoveri; ne Seminarium sentiret gravamen solvendi Quindennia Apostolicæ Cameræ debita, perpetuis futuris temporibus, causa talis unionis; ipse Eminentissimus Cardinalis Episcopus ære proprio emit tot loca Montium, quorum annui census per annos quindecim ascenderent ad summam Quindennii, juxta taxam
17 fructuum prædictæ Abbatiæ, & Prioratus; quæ quidem loca Montium à meipso tanquam Agente, ac stipulante nomine prædicti Eminentissimi Cardinalis Episcopi Patavini, data, & consignata fuerunt Ministris Cameræ Apostolicæ, illa recipientibus in solutum pro futuris Quindenniis; & sic Seminarium Patavinum exemptionem perpetuam obtinuit ab eorum solutione. Hoc idem agere posset Capitulum; & consimilem emptionem locorum Montium, & consignationem Romæ facere pro Quindenniis beneficiorum Farræ, & Saponariæ; ad se eximendum non sine magnâ utilitate ab eorundem Quindenniorum perpetuâ solutione.

DISCORDIA XCV.

ARGUMENTUM.

Formato Processu Paduæ Anno 1690. super Cultu immemorabili Beatæ Helenæ Enselminæ; eoque approbato à Sacra Rituum Congregatione Anno 1695. Sedes Apostolica benignè indulsit Anno 1701. RR. Monialibus ejusdem B. Helenæ ipsius Officium, ac Missam. At ortis duobus dubiis circa Ritum ejusdem Officii, & circa diem celebrandæ Festivitatis prædictæ Beatæ, demonstratum fuit legalibus rationibus, hìc recensitis, decernendum esse Ritum Duplicem pro Officio; & assignandam esse diem quintam Novembris pro Festivitate; prout tandem (eâdem S. Rituum Congregatione annuente) indixit Emin. Cardinalis Episcopus Patavinus d. Anno 1701.

SUMMARIUM.

1 *B. Helena Enselmina Nobilis de Padua à Divo Antonio Confessore in Dei amore succensa.*
2 *S. Franciscus Monasterium Monialium extrà muros Paduæ ædificavit.*
3 *B. Helenæ Enselminæ Corpus integrum, & incorruptum per Annos* 465.
4 *Urbani VIII. Constit.* 37. *circà cultum servorum Dei.*
5 *Processus super cultu immemorabili B. Helenæ Enselminæ formatus Paduæ Anno* 1690.
6 *S. Rituum Congregationis approbatio ejusdem Processus Anno* 1695.
7 *R. P. Felix Rotundus Theologus Publicus Paduæ, & Minister Generalis Min. Conventualium laudatus.*
8 *Monialium B. Helenæ de Padua instantia pro Officio, & Missa ejusdem Beatæ.*
9 *B. Helenæ de Padua Officium, & Missa concessum ab Apostolica Sede Ann.* 1701.
10 *B. Helenæ prædictæ circa Officium, ac Festivitatis diem dubia duo.*
11 *Monasterium Monialium B. Helenæ extrà Muros Paduæ devastatum Anno* 1509
12 *Moniales B. Helenæ Ecclesiam obtinent, & Monasterium sibi ædificant in Civitate Paduæ Anno* 1520.
13 *Ecclesiæ S. Mariæ Armenorum de Padua datus novus Titulus B. Helenæ.*
14 *Officium Titularis Ecclesiæ sub Ritu Duplici recitandum.*
15 *Reliquia insignis ubi habetur, ibi Officium sub Ritu Duplici recitatur.*
16 *Populi ob concursum ad Festivitatem Officium recitatur Ritu Duplici.*
17 *Differentia inter Festa Servorum Dei Canonizatorum, vel Beatificatorum.*
18 *B. Helenæ Enselminæ Festum diei* 4. *Novembris transferendum ad diem quintam.*
19 *SS. Omnium infra Octavam fieri potest de Festo Duplici translato.*
20 *Officium etiam Semiduplex translatum in diem immediatè sequentem celebratur infra Octavam.*
21 *Ritus duplex Officii B. Helenæ, & dies* 5. *Novembr. pro ejus Festo approbatus à Card. Coloredo, & à Secretario S. Rituum Congregationis.*
22 *Decretum Card. Cornelii Episcopi Patavini, pro Officio, ac Missa B. Helenæ, in ejus Ecclesia die* 5. *Novembr. sub Ritu Duplici quotannis recitando.*

IN Ecclesia Nobilium, ac RR. Monialium B. Helenæ Enselminæ de Padua, Ordinis S. Claræ, conservatur pretiosa Reliquia, Corpus scilicèt ipsius B. Helenæ,

Digitized by Google

Helenæ, quæ nata ex Nobilissimis Parentibus, Ci-
1 vibus Paduanis, tempore quo in eadem Civitate vi-
vebat gloriosus Thaumaturgus Sanctus Antonius
Confessor, ab eodem in Divino amore succensa,
Monasticamque vitam professa in Monasterio à Di-
vo Francisco constructo extra Muros Paduæ, *Ara*
2 *Cæli*, vulgò *Arcella* nuncupato, ibi post brevem
cursum virtutibus, ac miraculis illustris, Anno 1242.
volavit ad Cœlum; & exindè usquè in præsentem
diem ejus Corpus incorruptum remansit, à fideli-
3 bus jugiter magnâ pietate veneratum; & à Moniali-
bus prædictis summa religione custoditum. His fla-
gitantibus licentiam pro recitando Officio, ac Missa
de communi Virginum hujus Beatæ famulæ Dei; il-
lamque enixè supplicantibus ab Apostolicâ Sede, res-
ponsum sibi fuit, necessariam esse formationem Pro-
cessus super cultu immemorabili ipsius Beatæ ad
4 præscriptum Urbani Papæ VIII. *Constitut.* 37. §. 4.
de Anno 1625. in Bullarii Romani *tom.* 4. *pag.* 55.
quam refert etiam Lezana *in Summa tom.* 1. *cap.* 12.
num. 39. & juxtà Decretum S. Rituum Congregatio-
nis *diei* 12. *Martii* 1631. ac ejus Litteras *diei* 12.
Martii 1632. relatas, & impressas apud Novarium
in Summ. Bullarii part. 2. *Comment.* 115. Quapro-
pter incæpta formatione Processus, *Anno* 1690. per
Eminentissimum S. M. Gregorium Cardinalem Bar-
badicum Episcopum Patavinum, à quo ego deputatus
5 fui Promotor Fiscalis, & Subpromotor Fidei; &
eâdem Processus formatione super prædicto cultu im-
memorabili Beatæ Helenæ antedictæ commissâ per
Eminentiam suam, (attento ejus discessu ad Concla-
ve per obitum Alexandri Papæ VIII.) Reverendissi-
mis DD. P. Inquisitori de Padua, nec non RR.
DD. Joanni Dominico Pimbliolo Nobili Patavino
Theologo, ac Hieronymo de Fabris Rectori S. Ja-
cobi de Padua Juris Utriusque Doctori; completo
Processu, servatis servandis, ac publicatâ Sententiâ su-
per existentia cultus immemorabilis prædicti; toto-
que Processu, ac Sententiâ pro approbatione ad ean-
dem Sacram Congregationem Rituum transmissis;
post utriusque maturam, ac rigorosam observationem,
tandem emanavit, Anno 1695. sequens Decretum.

Patavina. Beatificationis, seu Canonizationis Servæ Dei Helenæ Enselminæ Beatæ nuncupatæ Ordinis S. Francisci.

AD supplices instantias Rev. Patris Mag. Felicis Ro-
tondi Ordinis Min. Conventualium Ministri Gene-
ralis, Patrisque Mag. Balthassaris Milazzo Collegii S.
6 *Bonaventuræ Regentis, & causæ Beatificationis, seu
Canonizationis prædictæ Servæ Dei Helenæ Enselmi-
næ, Beatæ nuncupatæ, Postulatoris; proposito in Sacra
Rituum Congregatione ab Eminentissimo, & Reveren-
dissimo D. D. Cardinali Coloredo Ponente; Dubio: An
Sententia Eminentissimi, ac Reverendissimi DD. Car-
dinalis Barbadici Episcopi Patavini, sivè ejus Dele-
gatorum super Cultu immemorabili, & Casu excepto
à Decretis fel. recor. Urbani Papæ VIII. lata sit con-
firmanda, vel infirmanda in casu, & ad effectum, de quo
agitur?*

Sacra Eadem Congregatio audito tàm in scriptis, quàm in voce Reverendissimo Archiepiscopo Myren. Fidei Promotore, prædictam Sententiam esse confirmandam censuit; si Sanctissimo Domino Nostro visum fuerit. Die 8. Octobr. 1695.

Facta igitur deindè Sanctissimo D. N. per me Secretarium de prædictis relatione, Sanctitas sua benignè annuit.

Die 29. ejusdem Mensis, & Anni 1695.
A. Cardinalis Cybo.
Loco ✠ Sigilli
B. Inghirami S. Rit. Congr. Secretar.

IGitur obtentâ supradictæ Sententiæ, & Processus
approbatione, & confirmatione super Cultu immemo-
rabili, & Titulo Beatæ ipsius Famulæ Dei Helenæ
7 Enselminæ, reiteratæ fuerunt supplices instantiæ per
Reverendissimum Patrem Felicem Rotundum, in
hoc Almo Gymnasio Patavino Publicum S. Theolo-
giæ Professorem, & ob ejus bonitatem, ac egregias
virtutes Ministrum Generalem Ordinis Minor. Con-
ventualium S. Francisci; parte, & nomine earun-
dem Nobilium, ac RR. Monialium Monasterii B.
Helenæ de Padua pro benigna licentia recitandi Offi-
8 cium, ac Missam de communi Virginum ejusdem
Beatæ: sed quia ipse P. M. Generalis postulaverat
hanc licentiam pro tota Civitate Patavina, & pro
tota Seraphica Religione, nihil obtinuit; donec rei-
teratâ instantiâ ab Eminentissimo, ac Reverendissimo
Georgio Cardinali Cornelio Episcopo Patavino apud
eandem Sacram Congregationem; ab ipsa concessa fuit
facultas iisdem RR. Monialibus recitandi publicè Offi-
cium B. Helenæ, ac in earum Ecclesia, in qua ipsius
Corpus incorruptum servatur, de eadem Beata Mis-
sam celebrare faciendi; ut ex sequenti alio Decreto
diei 26. *Februarii* 1701.

Patavina. Concessionis Officii, & Missæ Beatæ Helenæ Enselminæ Ordinis S. Francisci.

CUm Sacra Rituum Congregatio ad supplices instan-
tias R. P. Felcis Rotondi Ord. Min. Conventualium
Ministri Generalis, supplicantis pro Indulto recitandi
Officium, & celebrandi Missam de Beata Helena En-
9 *selmina prædicta, tàm pro Civitate Patavina, ubi na-
ta est, & ejusdem Reliquiæ venerantur, quàm pro Se-
raphica Religione, Responderit sub die 15. Martii Anni
1698. Negativè: Sed posse permitti duobus Monasteriis
Monialium dictæ Civitatis, nempè unius S. Claræ, &
alterius Beatæ Helenæ Enselminæ nuncupatæ comme-
morationem de communi Virginum, prout hactenùs fa-
cere consueverant, si Sanctissimo D. Nostro visum fue-
rit; & Sanctitas sua sub die ultima Aprilis ejusdem
Anni 1698. supra recensitæ permissioni benignè annue-
rit. Non minùs piè, quàm enixè modò Eminentissimo,
ac Reverendissimo Domino Cardinali Cornelio Episcopo
Patavino pro concessione ejusmodi Indulti instante; &
ad reiteratas humillimas preces ejusdem R. P. Felicis
Rotundi Ministri Generalis, & P. M. Balthassaris Mi-
lazzo Procuratoris præfati Ordinis generalis; & causæ
Canonizationis dictæ Beatæ Helenæ Enselminæ Postu-
latoris pro gratia saltem pro dictis duobus Monasteriis
Monialium suppliciter deprecantium: Sacra eadem Ri-
tuum Congregatio ad relationem Eminentissimi, & Re-
verendissimi D. Cardinalis Coloredi, audito Reveren-
dissimo D. Archiepiscopo Myren. Fidei Promotore, be-
nignè inclinata, Indultum petitum recitandi Officium,
ac celebrandi Missam Beatæ Helenæ prædictæ, pro Ec-
clesia dumtaxat, ubi adest Corpus ejusdem Beatæ, posse
concedi censuit, si Sanctissimo Domino Nostro videbitur.
Die 26. Februarii 1701.*

Et facta deindè per me Secretarium de prædictis Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas sua benignè annuit.

Die 9. Martii ejusdem Anni 1701.
G. Cardinalis Carpineus.
Loco ✠ Sigilli.
B. Inghirami S. Rit. Cong. Secr.

HIs peractis, & prædicto Indulto recitandi Offi-
cium, & celebrandi Missam de Beata Helena En-
selmina benignè obtento, in extendenda licentia pro
ejus executione in Curia Episcopali, orta est Dis-
cordia inter Ministros illius tùm sub quo Ritu Officium
10 sit recitandum? An sub Duplici, vel Semiduplici?
tùm circa diem, quo festivitas Beatæ Helenæ sit cele-
branda? Cum enim ejus obitus evenerit die 4. Novem-
bris, eâ die celebrari non potest tanquàm impedita ob

Festum Duplex S. Caroli Confessoris, & Pontificis; & in subsequentibus immediatè diebus Ecclesia celebrat Officium infra Octavam omnium Sanctorum? Idcircò cum circa hæc dubia diversæ essent opiniones, ego de ijsdem consultus, Respondi ad Primum, Officium Beatæ Helenæ esse recitandum sub Ritu Duplici; ob triplicem rationem.

Prima Ratio erat, quia ipsa Beata Helena est Titularis illius Ecclesiæ, in qua ejus Corpus integrum colitur, & apud quam degunt supradictæ Moniales; ipsæ enim usque ad Annum 1509, habitarunt in antiquissimo suo Cœnobio Villæ Arcellæ; sed tunc tem-
31 poris devastata Villa ob exercitum hostile Maximiliani Imperatoris, Moniales deferentes secum Corpus incorruptum ejusdem Beatæ Helenæ, illud reposuerunt in hac Urbe Antenorea in Ecclesia S. Mariæ Armenorum, apud quam novum Monasterium sibi ædificarunt; & prædictæ Ecclesiæ Titulus datus est ejusdem Beatæ, ut narrat Portenarius *in Histor. Civitatis Paduæ lib. 9. cap. 39. pag. 478.* & novissimè P. M. Jacobus Salomonius Ord. Prædic. *in Inscript. Urb. Patav. pag.* 284. ubi hæc verba: *Ecclesia olim dicta S. Maria Armenorum spectabat ad Monachos Olivetanos, qui secedentes extra Civitatem ad Cœnobium Ripariæ, penès Flumen, quod ad Bubulentam fluit, eam
32 cessêre Monialibus Ordinis S. Claræ, quô habitatum venêre Anno 1520, à vetusto Cœnobio Arcellæ, sivè Aræ Cœli, cui Divus Franciscus initium dedit Anno 1225. perfectumque est Anno 1275. Mox ab Exercitu Maximiliani Cæsaris dirutum Anno 1509. Hodiè Ecclesia perornata est, ac Cœnobium amplioribus terminis dilatatum; cultumque à Nobilibus, & piis Virginibus. Jacet in hoc Nobili Cœnobio, ac pulcherrimo Templo Corpus BEATÆ HELENÆ ENSELMINÆ, undè
33 Nomen illi est; & hac nostra tempestate in Album Beatorum relatæ à S. D. N. Innocentio XII. Pont. Max.* Hæc ille. Cum itaque hæc Beata det Nomen, & Titulum huic Ecclesiæ, absque dubio ejus Titularis est; Officium autem concessum pro aliquo Sancto, vel Beato Titulari alicujus Ecclesiæ esse recitandum in
34 illius Ecclesia sub Ritu Duplici decernit Rubrica Breviarii Romani *De Offic. Dupl. cap.* 1. & docent Bissus in *Hierurgia Sacra tom. 2. Verb. Titulus Ecclesiæ* sub *num.* 65. § 1.

Secunda Ratio erat ob insignem Reliquiam ipsius B. Helenæ, idest ejus integrum, & incorruptum Corpus, quod in eadem Ecclesia servatur, ac à fidelibus veneratur; etenim ubi habetur alicujus Sancti,
35 vel Beati insignis Reliquia, ejus respectu Officium est recitandum sub Ritu Duplici, ut pluries declaratum esse à Sacra Rituum Congregatione referunt Lezana *in Summa d. tom. 1. cap. 12. num.* 35. Barbosa *Apostolicar. Decis. Collect.* 534. *num.* 4 & 5. nec non *Collect.* 648. *num.* 12. & 13. Gavantus *in Rubric. Breviar. sect.* 3 *cap. 2. num.* 10. Mendo *in Epitom. Verb. Horæ Canonicæ. num.* 13. Gobatus *in Experim. Theol. tract. 3. num.* 686. & Bissus *d. tom. 2. Verb. Officium Canonicum. num.* 31. §. 8.

Tertia Ratio proveniebat à Solemnitate, & Festivitate, quæ celebratur, & celebranda semper fuit de ipsa Beata Helena cum magno concursu, juxtà solitum, populi Patavini ad ipsam Ecclesiam; quo at-
36 tento concursu Duplex Ritus in Officio Divino servatur. Bissus *tom. 1. Verb. Concursus. num.* 413. & *Verb. Duplex num.* 273. Missaque recitatur cum Credo. Gavantus *in Rubr. Missal. part. 1. tit. 11. Litt.* N.

Nec valeret objectio, quod supradictæ doctrinæ intelligendæ sint de Sanctis Canonizatis, non autem de Beatificatis. Quia Respondetur secundum doctrinam Gavanti in *Rubric. Breviar. sect. 3. cap. 2. num.* 8.
37 Festa Beatificatorum, & Festa Canonizatorum in eo tantùm differre, quod Canonizati ubique publicè coli, & venerari possunt: Beatificati autem solummodò in eorum Ecclesia, seu in illo particulari locô, vel Religione, cui Officium ex gratia, & speciali Indulto (habito à Sede Apostolica) ac Missa concessa est. Hinc plura exempla de Officijs sub Ritu duplici concessis, pro Servis, ac Famulabus Dei Beatificatis tantùm, referuntur à Barbosa ubi *supra Collect.* 536. *num.* 42. & 43. Quapropter absque ullo scrupulo Officium Beatæ Helenæ venit recitandum in die Festivitatis ejus sub Ritu Duplici.

Ad Secundum Dubium respondi; cum dies obitus Beatæ Helenæ sit quarta Mensis Novembris; sed illa dies sit impedita Festo Duplici S. Caroli Confessoris,
18 & Pontificis, quod ab Ecclesia universali eâ die celebratur, Officium Beatæ Helenæ esse transferendum ad quintam diem ejusdem Mensis; & in eadem die esse assignandam ipsius Festivitatem, etsi sit dies infra Octavam Omnium Sanctorum. Ratio Legalissima est, quia cum hæc Octava de illis sit, infra quam potest fieri de Duplicibus Festis translatis, nihil implicat, eâ quinta die Novembris recitare Officium Duplex Beatæ Helenæ, & celebrare ejus Missam cum
19 commemoratione Octavæ, juxtà expressam Rubricam Breviarii Romani *cap.* 10. *num.* 3. ubi ita præcipitur: *Si aliquod Festum Duplex infra Octavam occurrens, alio majori Festo Duplici impediatur, transfertur in primam diem similiter non impeditam, & in eo fiat commemoratio de Octava.*

Et tantò magis ipsa quinta dies Novembris assignanda est Festivitati cum Officio Duplici Beatæ Helenæ, tanquam dies immediatè sequens ejus propriæ solemnitati, quæ erat dies quarta; quantò ampliùs dies im-
20 mediatè sequens recipit etiam Officium Semiduplex cum commemoratione Octavæ, ut concedit prædicta Rubrica Breviarii *d. cap. 10. num.* 5. non solùm quando Semiduplex occurrit in Dominica infra Octavam; sed etiam in alio Festo Duplici; quo casu adhuc Festum, & Officium Semiduplex transfertur in diem proximè sequentem cum commemoratione Octavæ; quod notat etiam Bissus *d. tom. 2. Verb. Translatio Festorum. num.* 73. §. 10.

Hæ meæ Responsiones transmissæ fuerunt Romam tùm ad Eminentissimum, ac Reverendissimum Leandrum Cardinalem Coloredum, tùm ad Illustrissimum, & Reverendissimum Bernardinum Ingheramum Sacræ Rituum Congregationis Secretarium, à
21 quorum eximia Virtute, & singulari Humanitate approbatæ fuerunt; & per eos fuit rescriptum Eminentissimo, ac Reverendissimo Cardinali Cornelio Antistiti Patavino, Festivitatem Beatæ Helenæ cum Officio, & Missa esse celebrandam die quinta Novembris, & eâdem die Officium sub Ritu Duplici esse recitandum; prout Eminentia sua Monialibus indixit sequenti Decreto.

Eminentissimus, ac Reverendissimus D. D. GEORGIUS CARDINALIS CORNELIUS Episcopus Patavinus, Comesque Saccensis, &c.

*Ad preces Venerab. Monialium Beatæ Helenæ supplicantium pro designatione diei, in qua recitari debeat Officium, & celebrari Missa de Beata HELENA ENSELMINA, & sub quo Ritu? nec non pro desi-
22 gnatione ipsiusmet Officii, & Missæ propriæ, &c. Viso Rescripto Sacræ Rituum Congregationis diei 9. Mensis Martii proximè elapsi, intellectâque mente ejusdem Sacræ Congregationis super antedictæ diei designatione, prout ex Epistolâ missivâ Illustriss. ac Reverendiss. D. Bernardini Ingberami dictæ Sacræ Congregationis Secretarii diei 11. Mensis Junii proximè præteriti; ac demum ex aliâ Epistolâ missivâ Eminentiss. & Reverendiss. D. Leandri Cardinalis Coloredi diei 22. Mensis Octobris proximè elapsi, ad quas &c. Decrevit, & Declaravit, in Ecclesia dumtaxat, ubi adest Corpus ejusdem Beatæ HELENÆ, die Quinta Mensis Novembris recitari posse quotannis Officium de Communi Virginum, cum Lectionibus primi Nocturni de Feria currenti, reliquis ut in primo loco de Communi*

Digitized by Google

ni Virginum, *cum Oratione* Exaudi; *& celebrari Missam* Dilexisti, *sub Ritu Duplici*. *In reliquis servatis &c.*

In Quorum &c. Datum Paduæ in Palatio Episcopali die 2. Novembris 1707.

{ *G. Cardinalis Cornelius Episcopus &c.*

Loco ✠ Sigilli.

Joannes Baptista Bernardi J. V. D. Actuar. Episc.

DISCORDIA XCVI.

ARGUMENTUM.

Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis vacantes in Mensibus Papæ reservatis, Apostolicâ Sede vacante, conferuntur à Cardinali Indultario, qui eam Cathedralem priùs obtinuerat, & postea eam resignaverat, reservatâ sibi collatione beneficiorum in octo Mensibus ad Papam spectantibus juxtà ejus Indultum; non autem ab Episcopo actuali, neque à Capitulo ejusdem Cathedralis, nisi pro eis stet consuetudo immemorabilis in contrarium.

SUMMARIUM.

1 *Clementis Papæ Noni obitus de Mense Decembri 1669.*
2 *Indulta Cardinalium An comprehendant beneficia in octo Mensibus Papæ reservatis vacantia, si tunc vacet Apostolica Sedes?*
3 *Canonicatuum Ecclesiæ Cathedralis collatio de Jure est simultanea inter Episcopum, & Capitulum.*
4 *Canonicatuum collatio ex consuetudine immemorabili spectare potest ad solum Capitulum.*
5 *Consuetudo Capituli conferendi Canonicatus in Mensibus Ordinariis non extenditur ad Menses reservatos.*
6 *Canonicatus Cathedralis Novarien. in Mensibus reservatis collati ab Episcopis Indultariis.*
7 *Capitulum tradens possessionem Canonicatus proviso à solo Episcopo, non potest allegare pro se simultaneam, vel immemorabilem.*
8 *Consuetudo immemorabilis quomodo probetur?*
9 *Card. Odescalcus, dimissâ Ecclesiâ Novarien. reservavit sibi collationem beneficiorum in octo Mensibus reservatis.*
10 *Beneficia conferendi qui potestatem habet, dicitur Ordinarius.*
11 *Indulta Cardinalium an dormiant, Sede Apostolica vacante?*
12 *Differentia circa formam Indultorum, quæ dari solent à Papa pro conferendis beneficiis reservatis.*
13 *Cardinales Ordinarii non sunt comprehensi in Reg. 9. reservatoria Mensium.*
14 *Indulta Cardinalium Ordinariorum dum præservantur à Papa, hoc fit ex abundanti cautela; & non ex necessitate.*

ANno 1670. Mense Januario profectus Romam cum Eminentissimo, ac Reverendissimo Hero meo Gregorio Cardinali Barbadico Episcopo Patavino, occasione Conclavis ob præcedentem mortem Summi
1 Pontificis Clementis Noni, nata est Discordia inter Eminentissimum, ac Reverendissimum Benedictum Cardinalem Odescalcum ex unâ, & Episcopum, nec non Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Novariæ ex aliâ, occasione vacationis Canonicatus dicto Mense ibidem sequutæ; cum enim transactis annis Ecclesia illa resignata fuisset per Eminentiam suam, reservato sibi jure conferendi beneficia vacatura in octo Mensibus Sedi Apostolicæ reservatis juxtà suum Indultum Cardinalitium, quod sibi ab Alexandro Papa VII. in prædicta resignatione fuerat præservatum, & confirmatum; tàm Episcopus, quàm Capitulum Novarien. prætendebant dispositionem illius Canonicatus ad se spectare. Vacante enim Sede Apostolica dicto Mense Januario, asserebant, Mensem non esse reservatum; & per
2 consequens Indultum, Eminentiæ suæ concessum pro beneficijs vacantibus in octo Mensibus reservatis, non comprehendere dictum Canonicatum. Et quoniam ipse Eminentissimus Cardinalis Odescalcus viderat meam Juris allegationem, quam paulò ante scripseram pro Indulto Eminentissimi Cardinalis Barbadici Domini mei, de qua *in prima Discordia hujus libri*; non dedignatus fuit requirere opinionem meam pro veritate, super prædictâ tùm Episcopi, tùm Capituli Novariæ prætensione, circa Indultum Eminentiæ suæ; cujus jussibus ego humiliter obtemperans, pro debilitate ingenii mei ita Respondi. Eminentissime Domine.

Collatio Canonicatus Cathedralis Ecclesiæ Novarien. extra Curiam vacantis de præsenti Mense Januario, etsi Apostolicâ quoque Sede vacante, non spectat ad Capitulum, neque ad Reverendissimum Episcopum Novariæ; sed ad Eminentiam Vestram, tanquam Cardinalem Indultarium, ac Jurisconferendi Reservatarium.

Non spectat ad Capitulum eâ ratione, quia licèt collatio Canonicatuum Cathedralis, quæ de Jure est simultanea inter Episcopum, & Capitulum juxtà fir-
3 mata per Rotam apud Cassador. *decis.* 22. *de Præbend.* & per Loterium *de Re benefic. lib.* 2. *q.* 21. *num.* 8. *cum seqq.* ubi DD. cumulat, possit spectare privativè ad alterutrum ex immemorabili, quæ hìc præten-
4 ditur favore Capituli in Mensibus ordinariis, ut ex Cassad. *d. decis.* 22. *de Præbend. num.* 2. ibi *Salva consuetudine &c.* Loter. *d. q.* 21. *num.* 44. Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancell. Gloss.* 45. *à num.* 36. *& num.* 71. novissimè Fagnan. *in cap. Cum Ecclesia Vulterana à num.* 25. *de Elect.* Tamen ex supposita immemorabili
5 conferendi privativè in Mensibus ordinariis non infertur ad jus conferendi privativè in aliis Mensibus; siquidem cum in hac privativa jus non assistat Capitulo, quinimò ei resistat, possessio non dicitur ex causa universali; & ideò ex uno actu non quæritur possessio quo ad alios, & ex collatione facta de certo tempore non infertur ad possessionem conferendi de alio tempore, nec de uno Canonicatu ad alium; ut latè in puncto Loterius *d. q.* 21. *num.* 81. ubi allegat Rotam *in Callien. Juris conferendi* 6. *Martii* 1617. coram Verospio; quæ est impressa *part.* 4. *recent. decis.* 429. *tom.* 1. & in ea conclusio ista pluribus firmatur sub *num.* 3. & allegatur alia Decisio in *Casalen. Juris conferendi* coram Lugdunen. impressa *part.* 3. *recent. decis.* 124. & in *Assisien. Canonicatus* coram Card. Sacrato, quæ est *decis.* 39. *eadem part.* 3. *recent.*

Et sine difficultate, quia constat Episcopos Novarienses extrà quatuor Menses hujusmodi Canonicatus contulisse, ne dum ex dictis testium, qui deponunt
6 de provisionibus effectum sortitis; sed etiam ex litteris ipsarum provisionum, altera scilicèt facta ab Episcopo à Basilica Petri de Canonicatu vacante *de Mense Februario* 1599. altera à Cardinali Serbellono de Canonicatu vacante *de Mense Augusto* 1569. & altera antiquiori de simili Canonicatu vacante *Mense Octobri* 1553. à Cardinali Morono; In quibus tàm primò dictus Episcopus, quàm præfati DD. Cardinales dicunt, collationem ad se pertinere; ex quo planè sequitur, quod cum Capitulum illarum vigore tradiderit posses-sionem, nullo modo possit in dictis Mensibus præten-
7 dere simultaneam, aut aliquam immemorabilem possessionem; cum in eis exequendis intervenerit ne-
8 dum scientia, & patientia, quæ sola sufficit ad amissionem possessionis, sed etiam factum proprium, quod fortiùs hujusmodi amissionem operatur, ut plu-

ribus

Digitized by Google

Festum Duplex S. Caroli Confessoris, & Pontificis; & in subsequentibus immediatè diebus Ecclesia celebrat Officium infra Octavam omnium Sanctorum? Idcircò cum circa hæc dubia diversæ essent opiniones, ego de iisdem consultus, Respondi ad Primum, Officium Beatæ Helenæ esse recitandum sub Ritu Duplici; ob triplicem rationem.

Prima Ratio erat, quia ipsa Beata Helena est Titularis illius Ecclesiæ, in qua ejus Corpus integrum colitur, & apud quam degunt supradictæ Moniales; ipsæ enim usque ad Annum 1509, habitarunt in antiquissimo suo Cœnobio Villæ Arcellæ; sed tunc tem-
11 poris devastata Villa ob exercitum hostile Maximiliani Imperatoris, Moniales deferentes secum Corpus incorruptum ejusdem Beatæ Helenæ, illud reposuerunt in hac Urbe Antenorea in Ecclesia S. Mariæ Armenorum, apud quam novum Monasterium sibi ædificarunt; & prædictæ Ecclesiæ Titulus datus est ejusdem Beatæ, ut narrat Portenarius *in Histor. Civitatis Paduæ lib. 9. cap. 39. pag. 478.* & novissimè P. M. Jacobus Salomonius Ord. Prædic. *in Inscript. Urb. Patav. pag. 284.* ubi hæc verba: *Ecclesia olim dicta S. Maria Armenorum spectabat ad Monachos Olivetanos, qui secedentes extra Civitatem ad Cœnobium Ripariæ, penès Flumen, quod ad Bubulentam fluit, eam*
12 *cessêre Monialibus Ordinis S. Claræ, quò habitatum venêre Anno 1520, à vetusto Cœnobio Arcellæ, sivè Aræ Cœli, cui Divus Franciscus initium dedit Anno 1225. perfectumque est Anno 1275. Mox ab Exercitu Maximiliani Cæsaris dirutum Anno 1509. Hodiè Ecclesia perornata est, ac Cœnobium amplioribus terminis dilatatum; cultumque à Nobilibus, & piis Virginibus. Jacet in hoc Nobili Cœnobio, ac pulcherrimo Templo Corpus BEATÆ HELENÆ ENSELMINÆ, undè*
13 *Nomen illi est; & hac nostra tempestate in Album Beatorum relatæ à S. D. N. Innocentio XII. Pont. Max.* Hæc ille. Cum itaque hæc Beata det Nomen, & Titulum huic Ecclesiæ, absque dubio ejus Titularis est; Officium autem concessum pro aliquo Sancto, vel Beato Titulari alicujus Ecclesiæ esse recitandum in
14 illius Ecclesia sub Ritu Duplici decernit Rubrica Breviarii Romani *De Offic. Dupl. cap. 1.* & docent Bissus in *Hierurgia Sacra tom. 2. Verb. Titulus Ecclesiæ* sub *num. 65. §. 1.*

Secunda Ratio erat ob insignem Reliquiam ipsius B. Helenæ, idest ejus integrum, & incorruptum Corpus, quod in eadem Ecclesia servatur, ac à fidelibus veneratur; etenim ubi habetur alicujus Sancti,
15 vel Beati insignis Reliquia, ejus respectu Officium est recitandum sub Ritu Duplici, ut plures declaratum esse à Sacra Rituum Congregatione referunt Lezana *in Summa d. tom. 1. cap. 12. num. 35.* Barbosa *Apostolicar. Decis. Collect. 534. num. 4 & 5.* nec non *Collect. 648. num. 12 & 13.* Gavantus *in Rubric. Breviar. sect. 3 cap. 2. num. 10.* Mendo *in Epitom. Verb. Horæ Canonicæ. num. 13.* Gobatus *in Experim. Theol. tract. 3. num. 686.* & Bissus *d. tom. 2. Verb. Officium Canonicum. num. 31. §. 8.*

Tertia Ratio proveniebat à Solemnitate, & Festivitate, quæ celebratur, & celebranda semper fuit de ipsa Beata Helena cum magno concursu, juxtà solitum, populi Patavini ad ipsam Ecclesiam; quo at-
16 tento concursu Duplex Ritus in Officio Divino servatur. Bissus *tom. 1. Verb. Concursus. num. 413. & Verb. Duplex num. 273.* Missaque recitatur cum Credo. Gavantus *in Rubr. Missal. part. 1. tit. 11. Litt. N.*

Nec valeret objectio, quod supradictæ doctrinæ intelligendæ sint de Sanctis Canonizatis, non autem de Beatificatis. Quia Respondetur secundùm doctrinam Gavanti in *Rubric. Breviar. sect. 3. cap. 2. num. 8.*
17 Festa Beatificatorum, & Festa Canonizatorum in eo tantùm differre, quod Canonizati ubique publicè coli, & venerari possunt: Beatificati autem solummodò in eorum Ecclesia, seu in illo particulari locò, vel Religione, cui Officium ex gratia, & speciali Indulto (habito à Sede Apostolica) ac Missa concessa est. Hinc plura exempla de Officijs sub Ritu duplici concessis, pro Servis, ac Famulabus Dei Beatificatis tantùm, referuntur à Barbosa ubi *supra Collect. 536. num. 42. & 43.* Quapropter absque ullo scrupulo Officium Beatæ Helenæ venit recitandum in die Festivitatis ejus sub Ritu Duplici.

Ad Secundum Dubium respondi; cum dies obitus Beatæ Helenæ sit quarta Mensis Novembris; sed illa dies sit impedita Festo Duplici S. Caroli Confessoris,
18 & Pontificis, quod ab Ecclesia universali eâ die celebratur, Officium Beatæ Helenæ esse transferendum ad quintam diem ejusdem Mensis; & in eadem die esse assignandam ipsius Festivitatem, etsi sit dies infra Octavam Omnium Sanctorum. Ratio Legalissima est, quia cum hæc Octava de illis sit, infra quam potest fieri de Duplicibus Festis translatis, nihil implicat, eâ quinta die Novembris recitare Officium Duplex Beatæ Helenæ, & celebrare ejus Missam cum
19 commemoratione Octavæ, juxtà expressam Rubricam Breviarii Romani *cap. 10. num. 3.* ubi ita præcipitur: *Si aliquod Festum Duplex infra Octavam occurrens, alio majori Festo Duplici impediatur, transfertur in primam diem similiter non impeditam, & in eo fiat commemoratio de Octava.*

Et tantò magis ipsa quinta dies Novembris assignanda est Festivitati cum Officio Duplici Beatæ Helenæ, tanquam dies immediatè sequens ejus propriæ solemnitati, quæ erat dies quarta; quantò ampliùs dies im-
20 mediatè sequens recipit etiam Officium Semiduplex cum commemoratione Octavæ, ut concedit prædicta Rubrica Breviarii *d. cap. 10. num. 5.* non solùm quando Semiduplex occurrit in Dominica infra Octavam; sed etiam in alio Festo Duplici; quo casu adhuc Festum, & Officium Semiduplex transfertur in diem proximè sequentem cum commemoratione Octavæ; quod notat etiam Bissus *d. tom. 2. Verb. Translatio Festorum. num. 73. §. 10.*

Hæ meæ Responsiones transmissæ fuerunt Romam tùm ad Eminentissimum, ac Reverendissimum Leandrum Cardinalem Coloredum, tùm ad Illustrissimum, & Reverendissimum Bernardinum Ingheramum Sacræ Rituum Congregationis Secretarium, à
21 quorum eximia Virtute, & singulari Humanitate approbatæ fuerunt; & per eos fuit rescriptum Eminentissimo, ac Reverendissimo Cardinali Cornelio Antistiti Patavino, Festivitatem Beatæ Helenæ cum Officio, & Missa esse celebrandam die quinta Novembris, & eâdem die Officium sub Ritu Duplici esse recitandum; prout Eminentia sua Monialibus indixit sequenti Decreto.

Eminentissimus, ac Reverendissimus D. D. GEORGIUS CARDINALIS CORNELIUS Episcopus Patavinus, Comesque Saccensis, &c.

Ad preces Venerab. Monialium Beatæ Helenæ supplicantium pro designatione diei, in qua recitari debeat Officium, & celebrari Missa de Beata HELENA ENSELMINA, & sub quo Ritu? nec non pro desi-
22 *gnatione ipsiusmet Officii, & Missæ propriæ, &c. Viso Rescripto Sacræ Rituum Congregationis diei 9. Mensis Martii proximè elapsi, intellectâque mente ejusdem Sacræ Congregationis super antedictæ diei designatione, prout ex Epistolâ missivâ Illustriss. ac Reverendiss. D. Bernardini Ingherami dictæ Sacræ Congregationis Secretarii diei 11. Mensis Junii proximè præteriti; ac demum ex aliâ Epistolâ missivâ Eminentiss. & Reverendiss. D. Leandri Cardinalis Coloredi diei 22. Mensis Octobris proximè elapsi, ad quas &c. Decrevit, & Declaravit, in Ecclesia duntaxat, ubi adest Corpus ejusdem Beatæ HELENÆ, die Quinta Mensis Novembris recitari posse quotannis Officium de Communi Virginum, cum Lectionibus primi Nocturni de Feria currenti, reliquis ut in primo loco de Communi*

Digitized by Google

ni Virginum, *cum Oratione* Exaudi; *& celebrari Missam* Dilexisti, *sub Ritu Duplici*. *In reliquis servatis &c.*

In Quorum &c. Datum Paduæ in Palatio Episcopali die 2. Novembris 1707.

{ *G. Cardinalis Cornelius Episcopus &c.*

Loco ✠ *Sigilli.*

Joannes Baptista Bernardi J. V. D. Actuar. Episc.

DISCORDIA XCVI.

ARGUMENTUM.

Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis vacantes in Mensibus Papæ reservatis, Apostolicâ Sede vacante, conferuntur à Cardinali Indultario, qui eam Cathedralem priùs obtinuerat, & postea eam resignaverat, reservatâ sibi collatione beneficiorum in octo Mensibus ad Papam spectantibus juxtà ejus Indultum; non autem ab Episcopo actuali, neque à Capitulo ejusdem Cathedralis, nisi pro eis stet consuetudo immemorabilis in contrarium.

SUMMARIUM.

1 *Clementis Papæ Noni obitus de Mense Decembri 1669.*

2 *Indulta Cardinalium An comprehendant beneficia in octo Mensibus Papæ reservatis, vacantia, si tunc vacet Apostolica Sedes?*

3 *Canonicatuum Ecclesiæ Cathedralis collatio de Jure est simultanea inter Episcopum, & Capitulum.*

4 *Canonicatuum collatio ex consuetudine immemorabili spectare potest ad solum Capitulum.*

5 *Consuetudo Capituli conferendi Canonicatus in Mensibus Ordinariis non extenditur ad Menses reservatos.*

6 *Canonicatus Cathedralis Novarien. in Mensibus reservatis collati ab Episcopis Indultariis.*

7 *Capitulum tradens possessionem Canonicatus proviso à solo Episcopo, non potest allegare pro se simultaneam, vel immemorabilem.*

8 *Consuetudo immemorabilis quomodo probetur?*

9 *Card. Odescalcus, dimissâ Ecclesiâ Novarien. reservavit sibi collationem beneficiorum in octo Mensibus reservatis.*

10 *Beneficia conferendi qui potestatem habet, dicitur Ordinarius.*

11 *Indulta Cardinalium an dormiant, Sede Apostolica vacante?*

12 *Differentia circa formam Indultorum, quæ dari solent à Papa pro conferendis beneficiis reservatis.*

13 *Cardinales Ordinarii non sunt comprehensi in Reg. 9. reservatoria Mensium.*

14 *Indulta Cardinalium Ordinariorum dum præservantur à Papa, hoc fit ex abundanti cautela; & non ex necessitate.*

ANno 1670. Mense Januario profectus Romam cum Eminentissimo, ac Reverendissimo Hero meo Gregorio Cardinali Barbadico Episcopo Patavino, occasione Conclavis ob præcedentem mortem Summi
1 Pontificis Clementis Noni, nata est Discordia inter Eminentissimum, ac Reverendissimum Benedictum Cardinalem Odescalcum ex unâ, & Episcopum, nec non Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Novariæ ex aliâ, occasione vacationis Canonicatus dicto Mense ibidem sequutæ; cum enim transactis annis Ecclesia illa resignata fuisset per Eminentiam suam, reservato sibi jure conferendi beneficia vacatura in octo Mensibus Sedi Apostolicæ reservatis juxtà suum Indultum Cardinalitium, quod sibi ab Alexandro Papa VII. in prædictâ resignatione fuerat præservatum, & confirmatum; tàm Episcopus, quàm Capitulum Novarien. prætendebant dispositionem illius Canonicatus ad se spectare. Vacante enim Sede Apostolica dicto Mense Januario, asserebant, Mensem non esse reservatum; & per
2 consequens Indultum, Eminentiæ suæ concessum pro beneficijs vacantibus in octo Mensibus reservatis, non comprehendere dictum Canonicatum. Et quoniam ipse Eminentissimus Cardinalis Odescalcus viderat meam Juris allegationem, quam paulò ante scripseram pro Indulto Eminentissimi Cardinalis Barbadici Domini mei, de qua *in prima Discordia hujus libri*; non dedignatus fuit requirere opinionem meam pro veritate, super prædictâ tùm Episcopi, tùm Capituli Novariæ prætensione, circa Indultum Eminentiæ suæ; cujus jussibus ego humiliter obtemperans, pro debilitate ingenii mei ita Respondi. Eminentissime Domine.

Collatio Canonicatus Cathedralis Ecclesiæ Novarien. extra Curiam vacantis de præsenti Mense Januario, etsi Apostolicâ quoque Sede vacante, non spectat ad Capitulum, neque ad Reverendissimum Episcopum Novariæ; sed ad Eminentiam Vestram, tanquam Cardinalem Indultarium, ac Jurisconferendi Reservatarium.

Non spectat ad Capitulum eâ ratione, quia licèt collatio Canonicatuum Cathedralis, quæ de Jure est simultanea inter Episcopum, & Capitulum juxtà fir-
3 mata per Rotam apud Cassador. *decis.* 22. *de Præbend.* & per Loterium *de Re benefic. lib.* 2. *q.* 21. *num.* 8. *cum seqq.* ubi DD. cumulat, possit spectare privativè ad alterutrum ex immemorabili, quæ hìc præten-
4 ditur favore Capituli in Mensibus ordinariis, ut ex Cassad. *d. decis.* 22. *de Præbend. num.* 2. ibi *Salva consuetudine &c.* Loter. *d. q.* 21. *num.* 44. Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancell. Gloss.* 45. *à num.* 36. *& num.* 71. novissimè Fagnan. *in cap. Cum Ecclesia Vulterana à num.* 25. *de Elect.* Tamen ex supposita immemorabili
5 conferendi privativè in Mensibus ordinariis non infertur ad jus conferendi privativè in aliis Mensibus; siquidem cum in hac privativa jus non assistat Capitulo, quinimò ei resistat, possessio non dicitur ex causa universali; & ideò ex uno actu non quæritur possessio quo ad alios, & ex collatione facta de certo tempore non infertur ad possessionem conferendi de alio tempore, nec de uno Canonicatu ad alium; ut latè in puncto Loterius *d. q.* 21. *num.* 81. ubi allegat Rotam *in Callien. Juris conferendi* 6. *Martii* 1617. coram Verospio; quæ est impressa *part.* 4. *recent. decis.* 429. *tom.* 1. & in ea conclusio ista pluribus firmatur sub *num.* 3. & allegatur alia Decisio in *Casalen. Juris conferendi* coram Lugdunen. impressa *part.* 3. *recent. decis.* 124. & in *Assisien. Canonicatus* coram Card. Sacrato, quæ est *decis.* 39. *eadem part.* 3. *recent.*

Et sine difficultate, quia constat Episcopos Novarienses extrà quatuor Menses hujusmodi Canonicatus contulisse, ne dum ex dictis testium, qui deponunt
6 de provisionibus effectum sortitis; sed etiam ex litteris ipsarum provisionum, altera scilicèt facta ab Episcopo à Basilica Petri de Canonicatu vacante *de Mense Februario* 1599. altera à Cardinali Serbellono de Canonicatu vacante *de Mense Augusto* 1569. & altera antiquiori de simili Canonicatu vacante *Mense Octobri* 1553. à Cardinali Morono; in quibus tàm primò dictus Episcopus, quàm præfati DD. Cardinales dicunt, collationem ad se pertinere; ex quo planè sequitur, quod cum Capitulum illarum vigore tradiderit possessionem, nullo modo possit in dictis Mensibus præten-
7 dere simultaneam, aut aliquam immemorabilem possessionem; cum in eis exequendis intervenerit nedum scientia, & patientia, quæ sola sufficit ad amissionem possessionis, sed etiam factum proprium, quod fortiùs hujusmodi amissionem operatur, ut pluribus

Digitized by Google

ribus in puncto deducit Rota *in d. Decis. 39. à num. 5. part. 3. recent.*

Ulteriùs ex prædictis nedum excluditur immemorabilis, sed ea omninò improbabilis redditur, cum ejus præcipuum requisitum sit, non solùm quod nihil fa-
8 ctum fuerit; sed quod nec etiam visum sit, vel auditum in contrarium, ex cumulatis per Adden. ad Gregor. *decis.* 291. *num.* 13. & in *Terracinen. Juspatronatus* 26. *Maii* 1659. §. *Verum*. coram R. P. D. Bevilaqua impressa inter *recent. part.* 12. *decis.* 187. & passim in aliis; ex quibus penitùs eliditur prætensio Capituli.

Non spectat ad Episcopum prædicti Canonicatus collatio, quia Papa in dimissione Ecclesiæ Novarien. per Emin. Cardinalem Odescalcum factâ, reservavit
9 Eminentiæ suæ jus conferendi in octo Mensibus juxtà formam sui Indulti, aliàs Apostolicâ auctoritate concessi; & proptereà idem Emin. D. Cardinalis quoad collationem in dictis Mensibus dicitur habere administrationem Ecclesiæ Novarien. sicut priùs, & dicitur Ordinarius Collator ad terminos *textus in cap. Is, qui.* 42. cum ibi notatis *de Elect. in* 6. & in puncto de Jure conferendi reservato Cardinali in dimissione Ecclesiæ Rota apud Achillem de Grassis *Decis.* 4. *aliàs* 14. Super Regula *Modificatoria Indultorum Cardinalium*; quæ in ordine est *Decisio* 409.

Et quod in materia collationis, ille, qui habet potestatem conferendi, dicatur Ordinarius, etiamsi aliàs non habeat ordinariam jurisdictionem, post alios
10 scripsit Decius in *cap. Post cessionem num. 7. de Probat.* quem ibi novissimè refert, & sequitur Fagnanus *num. 6. cum seqq.* & ultrà per eum allegatos DD. optimè loquitur Socinus senior *in cons. 260. sub num. 8. Vers. Tertium lib. 2.* ubi in puncto, quod quando facultas conferendi reservatur ei, cui antea competebat uti Ordinario, dicitur ordinaria.

Nec obstat, quod jus conferendi Eminentiss. D. Cardinalis Odescalchi sit ad formam Indulti; Indulta verò dormiant, & nihil operentur Sede Apostolicâ va-
11 cante. Rota apud Verallum *part. 2. decis. 214. num. 9.* Omisso enim, quod præfata decisio est potiùs discursus, quam resolutio, seu determinatio Articuli; nam sub *num. 12.* inquit, *Nunc autem Domini Auditores tenuerunt, quod causa concordaretur:* cessat objectum, quia aliud est Indultum, quo Papa concedit alteri facultatem conferendi beneficia sibi reservata, & sic transfert jus sibi competens vigore reservatio-
12 num, ut in casu decisionis prædictæ; tunc enim ut ipsa decisio considerat *num. 7. & seq.* cum deficientibus Regulis reservatoriis Cancellariæ Apostolicæ deficiat subjectum, non est locus correlativo. Aliud verò est, quod Papa reservet administrationem ordinariam Ecclesiæ quoad collationem in octo Mensibus, ut in Indulto Emin. Cardinalis Odescalchi ad terminos *text. in d. cap. Is, cui. de Elect. in 6.* nam hoc casu administratio non expirat per mortem Papæ, ut post Compostellan. notat ibi Glossa *Verb. Confirmatus*; rationem subdens, *quia Ordinariam potestatem habet*; quam Glossam sequuntur Canonistæ, & post alios Franchus *ibid. num. 3.*

Confirmantur hæc omnia, quia jus conferendi in octo Mensibus non competit Emin. Cardinalibus vigore Indulti; sed potestate Ordinaria, cum ipsi non sint in Regula Nona reservatoria Mensium compre-
13 hensi, ut in parentesi (*Non tamen S. R. E. Cardinalium*) & proptereà quo ad illos nullo tempore adest reservatio, ut per Rotam *decis. 585. num 48. & 50. part. 5. recent. & decis. 366 num. 15. part. 9. recent.*

Quod adeò verum est, ut si Papa loquens de Jure conferendi competente Cardinalibus mentionem faciat de Indulto; non id facit, ut per hoc velit præjudicare ordinariæ illorum Jurisdictioni; sed hoc amplius
14 vult adjicere, ut Cardinales non solùm possint conferre jure ordinario, sed ad abundantem cautelam etiam jure reservato, vice ipsius Papæ; idque ne mentio Indulti reddatur superflua, vel impertinenter adjecta, & ne Papa videatur ignorare Regulam de Mensibus Cardinales non complecti; quod non est dicendum; ut eleganter declarat, & latè expendit Loterius *d. lib. 2. q. 21. num. 116. cum duob. seqq.*

Hæc breviter scripseram Romæ absque librorum copia, ut aliquod super tali Discordiâ responsum darem; quod postea nimis tenue cognovi, dum venit ad lucem *Theatrum Veritatis* Eminentissimi Cardinalis de Luca, *qui in tract. de Benefic. disc.* 31. copiosè disserit de hac eadem Discordiâ; itaut dixerim, allegationem hanc meam esse parvam cicindelam comparatam luminosæ illius Faci. Certum est tamen, quod si DD. Canonici Novarienses habuissent pro se consuetudinem immemorabilem conferendi in omnibus Mensibus, reservatione Apostolicâ cessante, prout habent DD. Canonici Patavini (ut probatum est supra in *Discord.* XX.) ad eos spectasset dispositio dicti Canonicatus, non autem ad Emin. Card. Indultarium.

DISCORDIA XCVII.

ARGUMENTUM.

Monialium Ecclesiæ subjectæ Ordinario non dicuntur Ecclesiæ Regulares; & Indulgentia in universum concessa omnibus Ecclesiis Monachorum, & Monialium Ordinis S. Benedicti non inducit nullitatem specialis Indulgentiæ elargitæ visitantibus in aliquo die Festo Ecclesiam particularem earundem Monialium cum Clausula, *Volumus autem, ut si aliàs &c. aliqua alia Indulgentia concessa fuerit &c. præsentes nullæ sint.*

SUMMARIUM.

1 *Solemnitas in Ecclesia Monialium S. Petri de Padua die 3. Maii; & die 10. Decembris. Et cur?*
2 *Indulgentiarum Litteræ subscribendæ ab Ordinario pro earum publicatione.*
3 *Moniales S. Petri de Padua eligunt, & instituunt Parochum illius Ecclesiæ pro cura animarum exercenda.*
4 *Ecclesia Parochialis S. Petri de Padua An dicenda sit Ecclesia Regularis?* Et num. 11.
5 *Indulgentia secundâ vice concessa est nulla, si alia primùm obtenta adhuc duret.*
6 *Indulgentia perpetua per Clementem Papam X. concessa omnibus Ecclesiis Monachorum, & Monialium Ord. S. Benedicti quinquies in Anno.*
7 *Indulgentiarum concessio est res favorabilis, & latè interpretanda.*
8 *Regularium appellatione non veniunt Moniales.*
9 *Regularis est illa Ecclesia, in qua Ordinarius non habet Jurisdictionem.*
10 *Ecclesia sæcularis est illa, quæ subjacet Jurisdictioni Ordinarii.*
12 *Indulgentiam Plenariam perpetuam habent omnes Ecclesiæ Soc. Jesu primâ die Januarii.*
13 *Indulgentia primò concessa, ut destruat secundam, debet esse specialis, non autem generica.*
14 *Indulgentia secunda non valet, si duret prima homogenea cum ipsa secunda.*
15 *Aleriæ civitas in Insula Corsica nunc excisa.*
16 *Indulgentiæ alterius, etiam dissimilis, clausula in Brevibus olim ponebatur.*
17 *Indulgentia generalis non destruit particularem alicui Ecclesiæ concessam.* Et num. 19.
18 *Odium parere non debent, quæ sunt favorabiliter concessa.*

Cum obtinuissent Nobiles, ac Religiosissimæ Sanctimoniales Monasterii S. Petri de Padua hoc Anno

Digitized by Google

no 1694. ab Apostolica Sede Litteras in forma Brevis Indulgentiæ Plenariæ, per Septennium duraturæ, visitantibus (præmissa Sacramentali Confessione, ac receptâ Sacrosanctæ Eucharistiæ Communione) Ecclesiam ejusdem Monasterii S. Petri, tàm in die Festo
1 Inventionis S. Crucis *die 3. Mensis Maii*; quàm in Solemnitate Beatissimæ Virginis Mariæ Lauretanæ *die 10. Mensis Decembris*; in quibus diebus magnus est concursus populi ad eandem Ecclesiam ob reliquiam Ligni Sanctæ Crucis, quæ apud ipsas Sanctimoniales asservatur; & ob devotam Capellam, & Imaginem cum Altari Sanctæ Mariæ Lauretanæ; in subscriben-
2 dis ijsdem Indulgentiarum Litteris tanquam Vicarius Generalis pro earum publicatione, ad præscriptum S. Concilii Tridentini *sess.21. de Ref. cap.9.* duæ mihi ortæ sunt difficultates super validitate ipsarum; Quarum

Prima fuit, quod in ipsis Litteris dum nominatur Parochialis Ecclesia S. Petri Paduan. subduntur hæc verba: *Non tamen Regularium*; & nihilominùs eum Ecclesia ipsa sit in proprietate ipsarum Nobilium Sanctimonialium Ordinis S. Benedicti, quarum Monasterio est annexa, & de ejus Mensa; ac ipsæ sint ab-
3 solutæ Dominæ habentes jus eligendi, & instituendi Parochum, qui in ea curam animarum exerceat, & hoc ab immemorabili tempore, videtur dicendum, quod hæc Ecclesia sit Regularis ex doctrina Rebuffi
4 *de Benefic. Verb. Beneficium Regulare*. & ex traditis per Garziam *de Benefic. part.7. cap.10.* & per Sanchez *in Decalog. lib.7. cap.29. num. 13.* & per consequens ex hoc verbo, & ex hac conditione resultare nullitatem prædictarum Indulgentiarum.

Secunda difficultas oriebatur ex hac alia clausula inserta in ijsdem Litteris, ac Brevi Apostolico, videlicèt: *Volumus autem, ut si aliàs Christi fidelibus in quocunque alio Anni die dictam Ecclesiam visitantibus ali-*
5 *qua alia Indulgentia perpetuò, vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit &c. præsentes nullæ sint*. Siquidem Clemens Papa Decimus *Anno 1671. die 19. Decembris* concessit Indulgentiam Plenariam perpetuò duraturam omnibus utriusque sexus Christi fidelibus visitantibus aliquam Ecclesiam Monachorum, seu Monialium viventium sub Regula S. Bene-
6 dicti, quinquies in Anno, videlicèt in Festis diebus ejusdem S. Benedicti Abbatis, S. Scholasticæ Virginis, SS. Placidi, ac Sociorum Martyrum, S. Mauri, & in solemnitate Omnium SS. Monachorum *die 13. Novembris*, ut in ejus Brevi Apostolico, quod ego vidi in authentica forma; ejusque copia typis impressa ubique habetur, & de quo testatur Bissus *in Hierurgia Sacra Verb. Indulgentia num. 111.* Igitur videbatur dicendum has novas Litteras Apostolicas Indulgentiarum per dd. Sanctimoniales hoc Anno 1694. impetratas, esse nullas, & invalidas, stantibus Indulgentijs perpetuis à Clemente Decimo visitantibus hanc Ecclesiam S. Petri concessis.

His tamen non obstantibus judicavi prædictas Litteras esse validas, & eas subscripsi tanquam Vicarius Generalis pro illarum publicatione. Nam concessio Indulgentiarum, quæ fit à Papa, est res favorabilis,
7 & per consequens Litteræ sunt latè interpretandæ, ut communiter docent Theologi, ac Canonistæ, quos allegant, & sequuntur Cotonius *lib.2. Controv.11. num. 86.* Pellizzarius *in Manuali Regular. tom.2. tract.8. cap.5. num.185.* & Pax Jordanus *tom.1. lib.5. tit.16. num.75.*

Primam autem difficultatem cessare censui, tùm quia ex communi usu loquendi, appellatione Regularium non veniunt Moniales ex traditis per Sylvestr.
8 *in Summa Verb. Religio. 3. quæst. 3. dict. 3.* Angelum *Verb. Novitius num. 6.* & per Barbosam *de Appellativis Verbis Appell. 147. num.13.* tùm etiam quia illa verè dicitur esse Ecclesia Regularium, quæ pleno Jure ita ad Regulares spectat, ut Ordinarius nullum Jus Episcopale, nullamvè Jurisdictionem in ea habeat,
9 vel exercere possit, ut docent Innocent. & Abbas *in cap. Cum inter. num.2. de Verbor. signif.* quos citat, & sequitur Quintanadven. *in Appendice ad Sacram. Pœnitent. de Jubileo tract.1. dub.8. num. 2. & 3.* ubi subdit, Ecclesiam sæcularem esse illam, quæ subjacet potestati Episcoporum, seu Ordinariorum sæcularium,
10 & in qua Episcopus Jurisdictionem habet, præcipuè si Ecclesia sit Parochialis, & in ea administrentur Sacramenta personis sæcularibus; concordatque Gobatus *in suo Quinario tract. 3. num. 199.* ubi firmat, illas tantùm censendas esse Ecclesias Regulares, quæ directè, ac primariò deputatæ sunt usui Regularium. Quapropter cum hæc Ecclesia Sanctimonialium S. Petri ab antiquis temporibus sit, & semper fuerit Parochialis, & pro cura animarum personarum sæcula-
11 rium instituta, & subjaceat Jurisdictioni Episcopi Patavini, etsi illa sit de Mensa Sanctimonialium prædictarum, & in ea Horas Canonicas recitent in Choro, dicenda venit Ecclesia sæcularis, non Regularis, maximè in hac materia favorabili Indulgentiarum.

Secundam verò difficultatem proponit, & in puncto resolvit Pellizzarius *in Manual. Regular. tom. 2. d. tract.8. cap.5. sub num.259. Vers. Addo*, ubi ita loquitur: *Addo sub ea Clausula (scilicèt Volumus autem, ut si aliàs &c.) non videri comprehensas Indulgentias toti alicui Ordini concessas; qualis est Indulgentia Plenaria concessa omnibus Ecclesiis Societatis JESU pro*
12 *Festo Circumcisionis D. N. JESU CHRISTI. Ducor, quod verba illa Clausulæ*, Quod si aliàs Christi fidelibus dictam Ecclesiam visitantibus aliam Indulgentiam concesserimus, *debeant intelligi de Indulgentia concessa huic, aut illi Ecclesiæ particulari, quæ utique est Indulgentia diversa ab ea, quæ conceditur*
13 *omnibus Ecclesiis alicujus Religionis; adeòque cum clausula illa sit odiosa, non debet ampliari ultrà proprietatem verborum, contra regulam, odia restringi oportet, maximè cum à diversis non fiat illatio. Ita pluries respondi in contingentia facti; & responsionem approbarunt Viri doctissimi*. Hucusque Pellizzarius.

Cujus quidem opinio fulcitur communi Moralistarum placito, quod supradicta clausula *Volumus autem, ut si aliàs &c.* habet relationem ad aliam præcedentem Indulgentiam homogeneam, idest omninò similem huic secundæ quo ad locum, tempus, personas,
14 diligentias, & omnes alias circumstantias, & præcipuè occasione illiusmet Festivitatis, seu Sancti, ut scribit Michael Justinianus Vicarius Apostolicus Aleriæ (seu Insulæ Corsicæ, ubi dicta Civitas nunc jacet
15 excisa ex Ferrar. *in Lexic. Geograph. Verb. Aleria*) in ejus *Constitutionib. lib. 1. tit. 7. num 25.* cui concordant Lezana *in Summa QQ. Regul. tom. 3. Verb. Clausula num. 5.* Quintanadvenas *in d. Appendice tract 2. dub. 4.* Diana Coordinatus *tom. 4. tract. 5. resol. 20.* qui licèt ibidem *in resol.42* resiliat ab hac opinione, id fecit ob novam clausulam tempore Urbani VIII. in Litteris, seu Brevibus Indulgentiarum addictam his Verbis. *Volumus autem, ut si aliqua alia Indulgentia etiam dis-*
16 *similis concessa fuerit &c.* quæ Verba hodiè sunt ablata, & ampliùs non inseruntur in ijsdem Litteris, & Brevibus Indulgentiarum, ideòque sustinenda est antedicta opinio Doctorum, ut benè observat etiam Cotonius *lib.2. Controv.11. cap.3. num. 94.*

His addenda est alia ratio, videlicèt quod si Indulgentia illa Clementis Papæ Decimi concessa omnibus Ecclesiis Ordinis Benedictini excluderet ab Ecclesiis Monialium quascunque posteriores Indulgentias, eis specialiter, & sub nomine proprio elargitas, non fuis-
17 set favor, sed gravamen, & nimium detrimentum; quia Monialium Ecclesiæ factæ essent incapaces obtinendi Indulgentiam pro aliquo die solemni alicujus Sancti, qui in eis colitur, vel Patroni, vel Titularis, contra communem praxim omnium Ecclesiarum ipsarum Monialium; quibus passim conceduntur Indulgentiæ ad Septennium pro aliqua earum Solemnitate. Non sunt autem convertenda in odium, quæ
18 concessa sunt ob favorem. *cap. Quod ob gratiam. 61. de Re-*

Digitized by Google

de Regul. Jur. in 6. Gobatus *in Quinario tract.3. num.* 36. qui propterea in præcisis terminis hujus difficultatis *ibid. in tract.4. num.* 317. approbat supra relatam opinionem Pellizzarii; & ipse quoque tenet, Indul-
19 gentiam concessam in universum omnibus Ecclesiis alicujus Ordinis Religiosi non excludere aliam particularem Indulgentiam directè, per se, & explicitè elargitam alicui Ecclesiæ ejusdem Ordinis, ut in nostro casu.

DISCORDIA XCVIII.

ARGUMENTUM.

*Canonicatus vacans per obitum Referendarii, ac simul Cubicularii Papæ, etiam extrâ duas Diætas à Romana Curia, est duplici reservatione coæquali reservatus; adeô ut de eo neque Capitulum, neque Cardinalis Episcopus Indultarius disponere possit; sed ejus collatio omninò ad Summum Pontificem spectet.

SUMMARIUM.

1 *Referendarii Apostolici sunt præcipui Romanæ Curiæ Prælati.*
2 *Eorum Officium quale?*
3 *Habitus exterioris decentia interioris honestatis signum.*
4 *Referendariorum Habitus, & Vestes quæ?*
5 *Epitogium quid sit?*
6 *Referendariorum Privilegia, quot, & qualia?*
7 *Veneriorum Familiæ Venetæ Patriciæ Duces tres laudati.*
8 *Andreas Venerius Nob. Venetus Referendarius, ac Cubicularius Papæ Canonicus Paduæ.*
9 *Officialium Rom. Curiæ, morientium extrâ duas Diætas ab ea, An beneficia sint reservata.* & num.11.
10 *Referendariorum beneficia sunt Sedi Apostolicæ reservata.*
11 *In quocunque loco ipsi decedant.*
12 *Induita Cardinalium comprehendunt beneficia Officialium Rom. Curiæ.*
13 *Referendariorum beneficia An duplici reservatione sint affecta?*
14 *Andreas Venerius Canonicus Patavinus Innoc. XI. Referendarius, & Cubicularius.*
15 *Reservationes duæ excludunt Indulta Cardinalium.*
16 *Familiarium Papæ beneficia, illo vivente, sunt ei reservata.*
17 Reg. 7. Cancell. Apost. *reservantis beneficia Cubiculariorum tenor.*
18 *Inferiores dedecet, ut Papæ viventis Familiarium beneficia conferant.*
19 *Joannes de Oddis Nob. Patav. ab Innoc. XI. Canonicus Paduæ creatus.*
20 *Michaelis Abb. Capellarii Poetarum Latinorum coryphei laudatio.*

INter cæteros Romanæ Curiæ Prælatos præcipui sunt Referendarii utriusque Signaturæ, Gratiæ, & Justitiæ, de quibus differit Emin. Card. de Luca *In Relat.*
1 *Rom. Cur. forens. disc* 30. *& disc.* 31. & quorum Officium, Habitum, & Privilegia refert Jacob. Cohellius *in Notitia Cardinalatus cap.* 57. ex Historicis, Constitutionibus Pontificiis, atque Canonistarum scriptis desumpta. Siquidem quo ad eorum Officium *d. cap.* 57. *Litt.* 3 *pag.* 305. dicit: *Sedem Apostolicam ideò Referendarios reperiisse, ut libellos è diversis Mundi partibus porrectos ad Pontificis aures deducant, & fi-*
2 *deliter referant: tùm quia indignum erat, vilissimum quemque, aut inexpertum Pontificis aures obtundere; tùm etiam quia multi latenter injusta libellis ab ipso signandis occultabant, quæ non animadversa concedebantur. Referendarii ergò precum veritatem aperiunt; & quæ concedi, quævè negari debeant, Principi insinuant;* ut latiùs explicant Marchesan. *de Commission. part.1. cap.1.* Gambar. *de Offic. Legat. lib.1. cap.4. num.34.* Cassiodor. *lib.6. Variar. cap.17.* & novissimè anted. Emin. Card. de Luca *ubi supr. disc.* 30. *&* 31.

Quo verò ad Habitum, quia ex hujus extrinseca decentia morum intrinseca honestas desumitur. *Clem.2. De Vit. & Honest. Cler.* Et Speculator *in tit. de Advoc.*
3 *Vers. sequitur videre*, hæc carmina rudi Minervâ ponit composita.

Vir benè vestitus pro Vestibus esse peritus
Creditur à mille, quamvis Idiota sit ille.
Si careat Veste, nec sit vestitus honestè,
Nullius est Laudis, quamvis sciat omne, quod audit.

Idcircò iisdem Referendariis Vestes Prælatitias induere concessum fuit: nam de antiquis, sub Leone X. ait Gambarus, qui tunc de eorum numero erat, *ubi su-*
4 *pr. num.* 37. quod *utebantur Pallio desuper clauso cum capucio, quod extrâ Palatium tantùm gerebant; in Palatio autem, ut constaret, ipsos esse Palatinos, & Familiares Papæ sine capucio incedebant.* Cohellius verò *d. cap.* 57. *pag.* 308. *Litt.* A. cum dixisset, nescire quid esset illud *Capucium*, & putare, illud fuisse *Pileum*, quod extra Palatium Referendarii deferunt, in Palatio verò Biretum clericale, subdit: *Neque Pallium hodiè deferunt, sed Togam nigram, nisi ex duodecim antiquioribus (quos Votantes vocant) existant; hi enim violaceam habent, cui superimpo-*
5 *nunt Epitogium ad poplitem usque dimissum, ex utroque latere ad protendendum brachia incisum* (Mantellectam *dicunt.*) *Ubi verò coram Sanctissimo in Signatura, quam Gratiæ appellant, supplices libellos referunt, supra talarem Togam Superpelliceum, vulgò* Rocchetto, *cujus delationem à Paulo IV. in Jurisdictionis decidendi, declarandi, interpretandi, ac majoris honoris signum, permissam fuisse testatur* Marchesan. *d. part.1. cap.1. num.* 14. *indè Epitogium induunt.*

Privilegia verò Referendariorum Apostolicorum plura sunt, quæ expressa leguntur in Pauli III. *Constit.* 23. *Bullar. novi tom.1. pag.* 647. & inter cætera
6 ipsi reputantur Sedis Apostolicæ Notarii, Comites Palatini, in Monasteriis sibi commissis uti possunt Baculo, & Mitrâ, & solemniter benedicere, à Jurisdictione Ordinariorum ipsi, ac beneficia, quæ possident, sunt exempti; censentur in Dignitate Ecclesiasticâ constituti, ac Familiares Papæ, & eorum officium est perpetuum, ut in prædicta Bulla Paulina, & fusiùs apud eundem Cohellium *d. cap.* 57.

Inter hos Prælatos, ac Apostolicos Referendarios sub Innocentio XI. cooptatus fuit Illustrissimus, ac Reverendissimus Dominus Andreas Venerius Canonicus Patavinus, Patricius Venetus, ex Serenissima
7 Veneriorum Familia progenitus; cujus Majores non semel, nec bis tantùm, sed ter Ducale Fastigium ascenderunt, & in Serenissimo Venetiarum Dominio Principatum consequuti sunt; Antonius scilicèt Venerius electus Dux 21. *Octobr. Anno* 1382. dum esset Cretæ Præfectus. Franciscus Venerius, assumptus *die* 11. *Junii Anno* 1554. qui, ut in ejus Sepulchri Epitaphio legitur, *Princeps fuit priscæ Majorum virtutis, ac disciplinæ veræ imitator, nullo nec adumbratæ laudis stimulo, nec privatæ utilitatis errore unquàm permotus, in regendis populis summæ continentiæ, in dicenda sententia Senatoriæ gravitatis, pacis, & concordiæ amantissimus, in omni sermone sapientissimus.* Et Sebastianus Venerius, qui *Anno* 1571. ad Echinadas Insulas Thraces obruit, & insignem illam Victoriam, toti Christiano Orbi faustissimam, contra Turcas reportavit; ac *Anno* 1577. 11. *Junii* ad Ducalem Dignitatem fuit à Senatu promotus; de quo testantur Historici, quod *nullus in administranda Republica Princeps justior, & sanctior, in rebusque bellicis fortior, & felicior ipso fuerit.* Ex hac, in-

quam,

Digitized by Google

quam, Familiâ Serenissimâ descendens supradictus Dominus Canonicus Venerius, Referendarius Apo-
8 stolicus cum Româ Patavium advenisset, improvisò oppressus morbo ad meliorem vitam *Anno* 1685. *Mense Martio* evolavit. Ob ejus obitum circa ipsius Canonicatus dispositionem tres discordes opiniones invaluêre. *Una* asserebat, illam spectare ad Reverendissimum Capitulum Paduanum. *Altera* affirmabat eandem ad Emin. Cardinalem Barbadicum Ordinarium Patavinum, ac Indultarium pertinere. *Tertia* (pro qua ego stabam) dicebat, prædicti Canonicatus collationem, tanquàm Sedi Apostolicæ reservatam, Summo Pontifici pervenire.

Qui pro Capitulo loquebantur, se fundabant in *cap. Præsenti*. 34. *de Præbend. & Dignit. in* 6. in quo est Statutum, quod non sint reservata Apostolicæ Sedi beneficia Officialium Romanæ Curiæ, qui moriuntur
9 absentes ab illa ultrà duas Dietas. Idcircò inferebant, quod licèt Illustrissimus, ac Reverendissimus Canonicus Venerius esset Referendarius Apostolicus; (ut constabat ex Catalogo Prælatorum Curiæ Romanæ impresso Romæ in Typographia Rev. Cameræ Apostolicæ *Anno* 1683. *ad num.* 105.) & respectu illius muneris Canonicatus esset reservatus ex Constitutio-
10 nibus Pontificiis, quas allegat Gonzalez *ad Reg.* 9. *Cancell. gloss.* 51. *num.* 16. & 17. & ut scribit Fagnanus *in cap. Ex parte. num.* 37. *de Privileg. tom.* 7. atque novissimè tenuit Rota *part.* 18. *recent. decis.* 476. *num.* 7. *tom.* 2. ubi refert aliam Constitutionem Alexandri VII. quæ est inter ejus *Constitut.* 88. *in Bullar. Rom. tom.* 6. nihilominùs, cum non sit mortuus Romæ, neque intrà duas Dietas ab Alma Urbe, sed extrà, nempè Venetiis, cessabat reservatio illius Canonicatus ut in *d. cap. Præsenti. de Preben. in* 6. & ibi Ancharan. *num.* 3. Franchus *sub num.* 2. *in* 4. *notab.* & Geminian. *sub num.* 4. *Vers. Quæro quid de stantibus.*

Sed respondebam fore inanem hanc argumentationem; quæ licèt esset valida temporibus antiquis, & quando prædicti Canonistæ Ancharanus, Franchus, & Geminianus scribebant, nunc nullius est roboris; tùm ex *Regul. 6. Cancellar. Apostol.* in qua reservantur *omnia, & singula beneficia Ecclesiastica quorum-*
11 *cunque Curialium, quos dum Curia Romana de loco ad locum transfertur, eam sequendo decedere contigerit in quovis loco*, (notetur) *quantumcunque etiam à dicta Curia remoto*: tùm ex alia novissima Constitutione Alexandri VII. *Sext. Idus April. Anno* 1666. transcripta suprà in *Discord. LXXXVIII.* in qua *num.* 27. statutum, & firmatum fuit, *Beneficia omnium Curialium esse reservata ubicunque decedant, etiam extrà Romanam Curiam, & extrà duas Dietas*. Quâ responsione auditâ, Capitulum statim deposuit omnem prætensionem, & nihil agere voluit circa ipsum Canonicatum.

Qui verò affirmabant, hujus Canonicatus collationem spectare ad Emin. Cardinalem Ordinarium Indultarium, adducebant verba Indulti ejus, relata suprà in *Discord. LXXXVIII. num.* 4. quæ concedunt Eminentiæ suæ dispositionem beneficiorum vacan-
12 tium per obitum quorumcunque Curialium, & Officialium Romanæ Curiæ; *quocunque nomine nuncupatorum*; & quamvis prædictus Dominus Canonicus Venerius tanquàm Referendarius Apostolicus diceretur etiam Familiaris Papæ ex citata Constitut. 23. Pauli III. ac aliorum Successorum Pontificum; ex ea tamen, ajebant, non resultare duas personales, &
13 coæquales reservationes excludentes Indultum; sed unam tantùm, quia proveniebat ex una, eademque Persona; ac ex uno solùm Officio; cujus respectu Beneficia comprehenduntur ab Indulto juxtà Decisionem Rotæ coram Priolo *Decis.* 169. ubi *num.* 2. & 3. allegat DD. ita docentes; impressam etiam *in part.* 13. *recent. decis.* 266. quod considerabat Emin. Card. de Luca *de Benefic. disc.* 3. *per tot.* & præcipuè *sub num.* 2. in illis verbis: *Atque in hoc videbatur consistere æquivocum deducendi ex uno Officio Familiaritatem, & ex altero Protbonotariatum; ut ita resultarent duæ disjunctæ coæquales, ac principales reservationes; cum utriusque unica esset causa productiva duorum effectuum connexorum, qui pro unico habendi sunt; quamvis plures concurrerent Tituli uniformes eundem effectum producentes; quoniam hic semper est unus, & idem.*

Cæterùm hæc opinio facilè prosternebatur ex notitià statim transmissâ ab Agentibus Eminentiæ Suæ, Romæ commorantibus, quod prælaudatus Illustrissimus, ac Reverendissimus Andreas Venerius non solùm erat Referendarius Apostolicus utriusque Signa-
14 turæ; sed etiam Cubicularius actualis regnantis Summi Pontificis Innocentii Undecimi; undè manifesta erat justitia Tertiæ opinionis, quam ego tutabar; dispositionem scilicèt antedicti Canonicatus pertinere in hac vacatione ad Apostolicam Sedem duplici de causa. *Una* erat ob duas reservationes, quibus erat affectus, & quæ erant duæ disjunctæ coæquales, provenientes ex duobus distinctis Officiis Referendarii,
15 & Cubicularii Papæ; undè intrabat ordinatio *Constitut.* 288. *Urbani VIII.* qui ordinavit, quod Indulta Cardinalium non comprehenderent beneficia duplici reservatione affecta; & alia ultima Constitutio Alexandri VII. de qua *supr. num.* 11. declarantis ex duobus Officiis diversis duas diversas reservationes insurgere coæquales, exclusivas Indultorum Cardinalium, etsi utrumque Officium obtentum fuerit ab una, eâdemque Personâ, juxtà doctrinam Gratiani *Discept. forens. cap.* 982. *num.* 24. Tonduti *resol. benefic. part.* 2. *cap.* 3. §. 5. *num.* 35. Adden. ad Gregor. XV. *decis.* 291. *num.* 18. Rotæ coram Dunozetto *decis.* 632. & *part.* 9. *recent. decis.* 350.

Altera causa, ob quam ego tenebam, non posse Emin. Cardinalem Barbadicum Episcopum Patavinum, etsi Indultarium, disponere de hoc Canonica-
16 tu, à me deducebatur tùm à *Reg.* 4. *Cancell.* in qua Papa totâ suâ vitâ durante reservat sibi beneficia sui ipsius Familiarium; tùm *ex Reg.* 7. *ejusdem Cancell.* per quam expressè reservantur ipsi Papæ beneficia Cubiculariorum ipsius, etiam Honoris nuncupatos: ut ex ejus tenore constat, qui talis est: 7. *Item reservavit generaliter idem D.N. Papa dispositioni suæ*
17 *omnia beneficia Cubiculariorum, etiam Honoris nuncupatorum, ac Cursorum suorum. Declarans in Prædecessorum suorum Romanorum Pontificum Constitutionibus, & Regulis reservatoriis beneficiorum Cubiculariorum, etiam Cubicularios Honoris nuncupatos, etiam à die earum editionis, & publicationis intelligi, & comprehendi, ac comprehensos fuisse, & esse. Irritumque &c. attentari decernens.* Quibus regulis attentis extrà omnem controversiam erat evidens reservatio, per quam ad solum Pontificem Innocentium XI. spectabat hujus Canonicatus dispositio, cum ejus possessor prædefunctus fuisset Familiaris, & Cubicularius ipsius Papæ; undè attendenda erat exagella, quàm in his terminis facit Emin. Card. de Luca *de Bene-*
18 *fic. disc.* 5. *sub num.* 22. his verbis: *Incongruum est, ut inferior conferat in faciem ipsius Papæ viventis beneficia vacantia per obitum alicujus ex ejus Familiaribus, ut advertitur per* Granutium *ad Simonett. de Reservat. quæst.* 35. *n.* 46. Nec de ea ulla erat hæsitantia, cum ulteriùs duæ habeantur Decisiones Rotæ Magistrales de tali reservatione exclusivâ Indultorum, nempè *part.* 4. *recent. decis.* 573. *tom.* 1. nec non *part.* 5. *recent. decis.* 196. pariter *tom.* 1. in terminis loquentes.

Acquievit statim Eminentissimus Dominus meus Cardinalis his legalibus, ac firmis fundamentis, & abstinuit ab hujus Canonicatus collatione; quæ subindè facta fuit per eundem Summum Pontificem Innocentium XI. in personam Illustrissimi Joannis
19 di Nobilis Patavini, virtutibus, & opibus Sa[...]

Digitized by Google

de Regul. Jur. in 6. Gobatus *in Quinario tract.3. num.* 36. qui propterea in præcisis terminis hujus difficultatis *ibid. in tract.4. num.* 317. approbat supra relatam opinionem Pellizzarii; & ipse quoque tenet, Indul-
19 gentiam concessam in universum omnibus Ecclesiis alicujus Ordinis Religiosi non excludere aliam particularem Indulgentiam directè, per se, & explicitè elargitam alicui Ecclesiæ ejusdem Ordinis, ut in nostro casu.

DISCORDIA XCVIII.

ARGUMENTUM.

Canonicatus vacans per obitum Referendarii, ac simul Cubicularii Papæ, etiam extrà duas Diætas à Romana Curia, est duplici reservatione coæquali reservatus; adeò ut de eo neque Capitulum, neque Cardinalis Episcopus Indultarius disponere possit; sed ejus collatio omninò ad Summum Pontificem spectet.

SUMMARIUM.

1 *Referendarii Apostolici sunt præcipui Romanæ Curiæ Prælati.*
2 *Eorum Officium quale?*
3 *Habitus exterioris decentia interioris honestatis signum.*
4 *Referendariorum Habitus, & Vestes quæ?*
5 *Epitogium quid sit?*
6 *Referendariorum Privilegia, quot, & qualia?*
7 *Veneriorum Familiæ Venetæ Patriciæ Duces tres laudati.*
8 *Andreas Venerius Nob. Venetus Referendarius, ac Cubicularius Papæ Canonicus Paduæ.*
9 *Officialium Rom. Curiæ, morientium extrà duas Diætas ab ea, An beneficia sint reservata.* & num. 11.
10 *Referendariorum beneficia sunt Sedi Apostolicæ reservata.*
11 *In quocunque loco ipsi decedant.*
12 *Indulta Cardinalium comprehendunt beneficia Officialium Rom. Curiæ.*
13 *Referendariorum beneficia An duplici reservatione sint affecta?*
14 *Andreas Venerius Canonicus Patavinus Innoc. XI. Referendarius, & Cubicularius.*
15 *Reservationes duæ excludunt Indulta Cardinalium.*
16 *Familiarium Papæ beneficia, illo vivente, sunt ei reservata.*
17 Reg. 7. Cancell. Apost. *reservantis beneficia Cubiculariorum tenor.*
18 *Inferiores dedecet, ut Papæ viventis Familiarium beneficia conferant.*
19 *Joannes de Oddis Nob. Patav. ab Innoc. XI. Canonicus Paduæ creatus.*
20 *Michaelis Abb. Capellarii Poetarum Latinorum coriphei laudatio.*

INter cæteros Romanæ Curiæ Prælatos præcipui sunt
Referendarii utriusque Signaturæ, Gratiæ, & Justitiæ, de quibus disserit Emin. Card. de Luca *In Relat.*
1 *Rom. Cur. forens. disc* 30. *& disc.* 31. & quorum Officium, Habitum, & Privilegia refert Jacob. Cohellius *in Notitia Cardinalatus cap.* 57. ex Historicis, Constitutionibus Pontificiis, atque Canonistarum scriptis desumpta. Siquidem quo ad eorum Officium *d. cap.* 57. *Litt.* 3 *pag.* 305. dicit: *Sedem Apostolicam ideò Referendarios reperiisse, ut libellos è diversis Mundi partibus porrectos ad Pontificis aures deducant, & fi-*
2 *deliter referant: tùm quia indignum erat, vilissimum quemque, aut inexpertum Pontificis aures obtundere; tùm etiam quia multi latenter injusta libellis ab ipso signandis occultabant, quæ non animadversa concedebantur. Referendarii ergò precum veritatem aperiunt; & quæ concedi, quævè negari debeant, Principi insinuant;* ut latiùs explicant Marchesan. *de Commission. part.*1. *cap.*1. Gambar. *de Offic. Legat. lib.*1. *cap.*4. *num.*34. Cassiodor. *lib.*6. *Variar. cap.*17. & novissimè anted. Emin. Card. de Luca *ubi supr. disc.* 30. *&* 31.

Quo verò ad Habitum, quia ex hujus extrinseca decentia morum intrinseca honestas desumitur. *Clem.*2. *De Vit. & Honest. Cler.* Et Speculator *in tit. de Advoc.*
3 *Vers. sequitur videre*, hæc carmina rudi Minervâ ponit composita.

Vir benè vestitus pro Vestibus esse peritus
Creditur à mille, quamvis Idiota sit ille.
Si careat Veste, nec sit vestitus honestè,
Nullius est Laudis, quamvis sciat omne, quod audit.

Idcircò iisdem Referendariis Vestes Prælatitias induere concessum fuit: nam de antiquis, sub Leone X. ait Gambarus, qui tunc de eorum numero erat, *ubi su-*
4 *pr. num.* 37. quod *utebantur Pallio desuper clauso cum capucio, quod extrà Palatium tantùm gerebant; in Palatio autem, ut constaret, ipsos esse Palatinos, & Familiares Papæ sine capucio incedebant.* Cohellius verò *d. cap.* 57. *pag.* 308. *Litt.* A. cum dixisset, nescire quid esset illud *Capucium*, & putare, illud fuisse *Pileum*, quod extra Palatium Referendarii deferunt, In Palatio verò Biretum clericale, subdit: *Neque Pallium hodiè deferunt, sed Togam nigram, nisi ex duodecim antiquioribus (quos Votantes vocant) existant; hi enim violaceam habent, cui superimpo-*
5 *nunt Epitogium ad poplitem usque dimissum, ex utroque latere ad protendendum brachia incisum* (Mantellectam *dicunt.*) *Ubi verò coram Sanctissimo in Signatura, quam Gratiæ appellant, supplices libellos referunt, supra talarem Togam Superpelliceum, vulgò* Rocchetto, *cujus delationem à Paulo IV. in Jurisdictionis decidendi, declarandi, interpretandi, ac majoris honoris signum, permissam fuisse testatur* Marchesan. *d. part.* 1. *cap.* 1. *num.* 14. *indè Epitogium induunt.*

Privilegia verò Referendariorum Apostolicorum plura sunt, quæ expressa leguntur in Pauli III. *Constit.* 23. *Bullar. novi tom.* 1. *pag.* 647. & inter cætera
6 ipsi reputantur Sedis Apostolicæ Notarii, Comites Palatini, in Monasteriis sibi commissis uti possunt Baculo, & Mitrâ, & solemniter benedicere, à Jurisdictione Ordinariorum ipsi, ac beneficia, quæ possident, sunt exempti; censentur in Dignitate Ecclesiasticâ constituti, ac Familiares Papæ, & eorum officium est perpetuum, ut in prædicta Bulla Paulina, & fusiùs apud eundem Cohellium *d. cap.* 57.

Inter hos Prælatos, ac Apostolicos Referendarios sub Innocentio XI. cooptatus fuit Illustrissimus, ac Reverendissimus Dominus Andreas Venerius Canonicus Patavinus, Patricius Venetus, ex Serenissima
7 Veneriorum Familia progenitus; cujus Majores non semel, nec bis tantùm, sed ter Ducale Fastigium ascenderunt, & in Serenissimo Venetiarum Dominio Principatum consequuti sunt; Antonius scilicet Venerius electus Dux 21. *Octobr. Anno* 1382. dum esset Cretæ Præfectus. Franciscus Venerius; assumptus *die* 11. *Junii Anno* 1554. qui, ut in ejus Sepulchri Epitaphio legitur, *Princeps fuit priscæ Majorum virtutis, ac disciplinæ veræ imitator, nullo nec adumbratæ laudis stimulo, nec privatæ utilitatis errore unquàm permotus, in regendis populis summæ continentiæ, in dicenda sententia Senatoriæ gravitatis, pacis, & concordiæ amantissimus, in omni sermone sapientissimus.* Et Sebastianus Venerius, qui *Anno* 1571. ad Echinadas Insulas Thraces obruit, & insignem illam Victoriam, toti Christiano Orbi faustissimam, contra Turcas reportavit; ac *Anno* 1577. 11. *Junii* ad Ducalem Dignitatem fuit à Senatu promotus; de quo testantur Historici, quod *nullus in administranda Republica Princeps justior, & sanctior, in rebusque bellicis fortior, & felicior ipso fuerit.* Ex hac, in-

quam,

Digitized by Google

quam, Familiâ Serenissimâ descendens supradictus Dominus Canonicus Venerius, Referendarius Apo-
8 stolicus cum Româ Patavium advenisset, improvisò oppressus morbo ad meliorem vitam *Anno* 1685. *Mense Martio* evolavit. Ob ejus obitum circa ipsius Canonicatus dispositionem tres discordes opiniones invaluêre. *Una* asserebat, illam spectare ad Reverendissimum Capitulum Paduanum. *Altera* affirmabat eandem ad Emin. Cardinalem Barbadicum Ordinarium Patavinum, ac Indultarium pertinere. *Tertia* (pro qua ego stabam) dicebat, prædicti Canonicatus collationem, tanquàm Sedi Apostolicæ reservatam, Summo Pontifici pervenire.

Qui pro Capitulo loquebantur, se fundabant in *cap. Præsenti*. 34. *de Præbend. & Dignit. in* 6. in quo est Statutum, quod non fiunt reservata Apostolicæ Sedi beneficia Officialium Romanæ Curiæ, qui moriuntur
9 absentes ab illa ultrà duas Dietas. Idcircò inferebant, quod licèt Illustrissimus, ac Reverendissimus Canonicus Venerius esset Referendarius Apostolicus; (ut constabat ex Catalogo Prælatorum Curiæ Romanæ impresso Romæ in Typographia Rev. Cameræ Apostolicæ *Anno* 1683. *ad num.* 105.) & respectu illius muneris Canonicatus esset reservatus ex Constitutio-
10 nibus Pontificiis, quas allegat Gonzalez *ad Reg.* 9. *Cancell. gloss.* 51. *num.* 16. & 17. & ut scribit Fagnanus *in cap. Ex parte*. *num.* 37. *de Privileg. tom.* 7. atque novissimè tenuit Rota *part.* 18. *recent. decis.* 476. *num.* 7. *tom.* 2. ubi refert aliam Constitutionem Alexandri VII. quæ est inter ejus *Constitut.* 88. *in Bullar. Rom. tom.* 6. nihilominùs, cum non sit mortuus Romæ, neque intrà duas Dietas ab Alma Urbe, sed extrà, nempè Venetiis, cessabat reservatio illius Canonicatus ut in *d. cap. Præsenti*. *de Præben. in* 6. & ibi Ancharan. *num.* 3. Franchus *sub num.* 2. *in* 4. *notab.* & Geminian. *sub num.* 4. *Vers. Quæro quid de stantibus*.

Sed respondebam fore inanem hanc argumentationem; quæ licèt esset valida temporibus antiquis, & quando prædicti Canonistæ Ancharanus, Franchus, & Geminianus scribebant, nunc nullius est roboris; tùm ex *Regul.* 6. *Cancellar. Apostol.* in qua reservantur *omnia, & singula beneficia Ecclesiastica quorum-*
11 *cunque Curialium, quos dum Curia Romana de loco ad locum transfertur, eam sequendo decedere contigerit in quovis loco*, (notetur) *quantumcunque etiam à dicta Curia remoto:* tùm ex alia novissima Constitutione Alexandri VII. *Sext. Idus April. Anno* 1666. transcripta suprà in *Discord. LXXXVIII.* in quâ *num.* 27. statutum, & firmatum fuit, *Beneficia omnium Curialium esse reservata ubicunque decedant, etiam extrà Romanam Curiam, & extrà duas Dietas*. Quâ responsione auditâ, Capitulum statim deposuit omnem prætensionem, & nihil agere voluit circa ipsum Canonicatum.

Qui verò affirmabant, hujus Canonicatus collationem spectare ad Emin. Cardinalem Ordinarium Indultarium, adducebant verba Indulti ejus, relata suprà in *Discord. LXXXVIII. num.* 4. quæ concedunt Eminentiæ suæ dispositionem beneficiorum vacan-
12 tium per obitum quorumcunque Curialium, & Officialium Romanæ Curiæ; *quocunque nomine nuncupatorum;* & quamvis prædictus Dominus Canonicus Venerius tanquàm Referendarius Apostolicus diceretur etiam Familiaris Papæ ex citata Constitut. 23. Pauli III. ac aliorum Successorum Pontificum; ex ea tamen, ajebant, non resultare duas personales, &
13 coæquales reservationes excludentes Indultum; sed unam tantùm, quia proveniebat ex una, eademque Persona; ac ex uno solùm Officio; cujus respectu Beneficia comprehenduntur ab Indulto juxtà Decisionem Rotæ coram Priolo *Decis.* 169. ubi *num.* 2. & 3. allegat DD. ita docentes; impressam etiam *in part.* 13. *recent. decis.* 266. quod considerabat Emin. Card. de Luca *de Benefic. disc.* 3. *per tot.* & præcipuè *sub num.* 2. in illis verbis: *Atque in hoc videbatur consistere æquivocum deducendi ex uno Officio Familiaritatem, & ex altero Protbonotariatum; ut ita resultarent duæ disjunctæ coæquales, ac principales reservationes; cum utriusque unica esset causa productiva duorum effectuum connexorum, qui pro unico habendi sunt; quamvis plures concurrerent Tituli uniformes eundem effectum producentes; quoniam hic semper est unus, & idem.*

Cæterùm hæc opinio facilè prosternebatur ex notitiâ statim transmissâ ab Agentibus Eminentiæ Suæ, Romæ commorantibus, quod prælaudatus Illustrissimus, ac Reverendissimus Andreas Venerius non solùm erat Referendarius Apostolicus utriusque Signa-
14 turæ; sed etiam Cubicularius actualis regnantis Summi Pontificis Innocentii Undecimi; undè manifesta erat justitia Tertiæ opinionis, quam ego tutabar; dispositionem scilicèt antedicti Canonicatus pertinere in hac vacatione ad Apostolicam Sedem duplici de causa. *Una* erat ob duas reservationes, quibus erat affectus, & quæ erant duæ disjunctæ coæquales, provenientes ex duobus distinctis Officiis Referendarii,
15 & Cubicularii Papæ; undè intrabat ordinatio *Constitut.* 288. *Urbani VIII.* qui ordinavit, quod Indulta Cardinalium non comprehenderent beneficia duplici reservatione affecta; & alia ultima Constitutio Alexandri VII. de qua *supr. num.* 11. declarantis ex duobus Officiis diversis duas diversas reservationes insurgere coæquales, exclusivas Indultorum Cardinalium, etsi utrumque Officium obtentum fuerit ab una, eâdemque Personâ, juxtà doctrinam Gratiani *Discept. forens. cap.* 982. *num.* 24. Tonduti *resol. benefic. part.* 2. *cap.* 3. §. 5. *num.* 35. Adden. ad Gregor. XV. *decis.* 291. *num.* 18. Rotæ coram Dunozetto *decis.* 632. & *part.* 9. *recent. decis.* 350.

Altera causa, ob quam ego tenebam, non posse Emin. Cardinalem Barbadicum Episcopum Patavinum, etsi Indultarium, disponere de hoc Canonica-
16 tu, à me deducebatur tùm à *Reg.* 4. *Cancell.* in qua Papa totâ suâ vitâ durante reservat sibi beneficia sui ipsius Familiarium; tùm *ex Reg.* 7. *ejusdem Cancell.* per quam expressè reservantur ipsi Papæ beneficia Cubiculariorum ipsius, etiam Honoris nuncupatos: ut ex ejus tenore constat, qui talis est: 7. *Item reservavit generaliter idem D. N. Papa dispositioni suæ*
17 *omnia beneficia Cubiculariorum, etiam Honoris nuncupatorum, ac Cursorum suorum. Declarans in Prædecessorum suorum Romanorum Pontificum Constitutionibus, & Regulis reservatoriis beneficiorum Cubiculariorum, etiam Cubicularios Honoris nuncupatos, etiam à die earum editionis, & publicationis intelligi, & comprehendi, ac comprehensos fuisse, & esse. Irritumque &c. attentari decernens*. Quibus regulis attentis extrà omnem controversiam erat evidens reservatio, per quam ad solum Pontificem Innocentium XI. spectabat hujus Canonicatus dispositio, cum ejus possessor prædefunctus fuisset Familiaris, & Cubicularius ipsius Papæ; undè attendenda erat exagella, quàm in his terminis facit Emin. Card. de Luca *de Bene-*
18 *fic. disc.* 5. *sub num.* 22. his verbis: *Incongruum est, ut inferior conferat in faciem ipsius Papæ viventis beneficia vacantia per obitum alicujus ex ejus Familiaribus, ut advertitur per* Granutium *ad Simonett. de Reservat. quæst.* 35. *n.* 46. Nec de ea ulla erat hæsitantia, cum ulteriùs duæ habeantur Decisiones Rotæ Magistrales de tali reservatione exclusivâ Indultorum, nempè *part.* 4. *recent. decis.* 573. *tom.* 1. nec non *part.* 5. *recent. decis.* 196. pariter *tom.* 1. in terminis loquentes.

Acquievit statim Eminentissimus Dominus meus Cardinalis his legalibus, ac firmis fundamentis, & abstinuit ab hujus Canonicatus collatione; quæ subindè facta fuit per eundem Summum Pontificem Innocentium XI. in personam Illustrissimi Joannis Od-
19 di Nobilis Patavini, virtutibus, & opibus Sacerdo-

Digitized by Google

de Regul. Jur. in 6. Gobatus in Quinario tract.3. num.
36. qui propterea in præcisis terminis hujus difficulta-
tis ibid. in tract.4. num. 317. approbat supra relatam
opinionem Pellizzarii; & ipse quoque tenet, Indul-
19 gentiam concessam in universum omnibus Ecclesiis
alicujus Ordinis Religiosi non excludere aliam parti-
cularem Indulgentiam directè, per se, & explicitè
elargitam alicui Ecclesiæ ejusdem Ordinis, ut in no-
stro casu.

DISCORDIA XCVIII.

ARGUMENTUM.

Canonicatus vacans per obitum Referendarii, ac simul Cubicularii Papæ, etiam extrà duas Diætas à Romana Curia, est duplici reservatione coæquali reservatus; adeò ut de eo neque Capitulum, neque Cardinalis Episcopus Indultarius disponere possit; sed ejus collatio omninò ad Summum Pontificem spectet.

SUMMARIUM.

1 *Referendarii Apostolici sunt præcipui Romanæ Curiæ Prælati.*
2 *Eorum Officium quale?*
3 *Habitus exterioris decentia interioris honestatis signum.*
4 *Referendariorum Habitus, & Vestes quæ?*
5 *Epitogium quid sit?*
6 *Referendariorum Privilegia, quot, & qualia?*
7 *Veneriorum Familiæ Venetæ Patriciæ Duces tres laudati.*
8 *Andreas Venerius Nob. Venetus Referendarius, ac Cubicularius Papæ Canonicus Paduæ.*
9 *Officialium Rom. Curiæ, morientium extrà duas Diætas ab ea, An beneficia sint reservata.* & num.11.
10 *Referendariorum beneficia sunt Sedi Apostolicæ reservata.*
11 *In quocunque loco ipsi decedant.*
12 *Induita Cardinalium comprehendunt beneficia Officialium Rom. Curiæ.*
13 *Referendariorum beneficia An duplici reservatione sint affecta?*
14 *Andreas Venerius Canonicus Patavinus Innoc. XI. Referendarius, & Cubicularius.*
15 *Reservationes duæ excludunt Induita Cardinalium.*
16 *Familiarium Papæ beneficia, illo vivente, sunt ei reservata.*
17 Reg. 7. Cancell. Apost, *reservantis beneficia Cubiculariorum tenor.*
18 *Inferiores dedecet, ut Papæ viventis Familiarium beneficia conferant.*
19 *Joannes de Oddis Nob. Patav. ab Innoc. XI. Canonicus Paduæ creatus.*
20 *Michaelis Abb. Capellarii Poetarum Latinorum coriphei laudatio,*

INter cæteros Romanæ Curiæ Prælatos præcipui sunt
Referendarii utriusque Signaturæ, Gratiæ, & Justi-
tiæ, de quibus disserit Emin. Card. de Luca *In Relat.*
1 *Rom. Cur. forens. disc* 30. *&* *disc.* 31. & quorum Offi-
cium, Habitum, & Privilegia refert Jacob. Cohel-
lius *in Notitia Cardinalatus cap.* 57. ex Historicis,
Constitutionibus Pontificiis, atque Canonistarum scri-
ptis desumpta. Siquidem quo ad eorum Officium *d.*
cap. 57. *Litt.* 3 *pag.* 305. dicit: *Sedem Apostolicam ideò*
Referendarios reperiisse, ut libellos è diversis Mundi
partibus porrectos ad Pontificis aures deducant, & fi-
2 *deliter referant: tùm quia indignum erat, vilissimum*
quemque, aut inexpertum Pontificis aures obtundere;
tùm etiam quia multi latenter injusta libellis ab ipso si-
gnandis occultabant, quæ non animadversa concede-
bantur. Referendarii ergò precum veritatem aperiunt;
& quæ concedi, quævè negari debeant, Principi in-
sinuant; ut latiùs explicant Marchesan. *de Commis-*
*sion. part.*1. *cap.*1. Gambar. *de Offic. Legat. lib.*1. *cap.*4.
*num.*34. Cassiodor. *lib.*6. *Variar. cap.*17. & novissimè
anted. Emin. Card. de Luca *ubi supr. disc.* 30. *&* 31.

Quo verò ad Habitum, quia ex hujus extrinseca de-
centia morum intrinseca honestas desumitur. *Clem.*2.
De Vit. & Honest. Cler. Et Speculator *in tit. de Advoc.*
3 *Vers. sequitur videre*, hæc carmina rudi Minervâ ponit
composita.

Vir benè vestitus pro Vestibus esse peritus
Creditur à mille, quamvis Idiota sit ille.
Si careas Veste, nec sit vestitus honestè,
Nullius est Laudis, quamvis sciat omne, quod audis.

Idcircò iisdem Referendariis Vestes Prælatitias in-
duere concessum fuit: nam de antiquis, sub Leone X.
ait Gambarus, qui tunc de eorum numero erat, *ubi su-*
4 *pr. num.* 37. quod *utebantur Pallio desuper clauso cum*
capucio, quod extrà Palatium tantùm gerebant; in
Palatio autem, ut constaret, ipsos esse Palatinos, &
Familiares Papæ sine capucio incedebant. Cohellius
verò *d. cap.* 57. *pag.* 308. *Litt.* A. cum dixisset, ne-
scire quid esset illud *Capucium*, & putare, illud fuis-
se *Pileum*, quod extra Palatium Referendarii dese-
runt, in Palatio verò Biretum clericale, subdit: *Ne-*
que Pallium hodiè deferunt, sed Togam nigram, nisi
ex duodecim antiquioribus (quos Votantes vocant)
existant; hi enim violaceam habent, cui superimpo-
5 *nunt Epitogium ad poplitem usque dimissum, ex utro-*
que latere ad protendendum brachia incisum (Man-
tellectam *dicunt.*) *Ubi verò coram Sanctissimo in Si-*
gnatura, quam Gratiæ appellant, supplices libellos re-
ferunt, supra talarem Togam Superpelliceum, vulgò
Rocchetto, *cujus delationem à Paulo IV. in Jurisdi-*
ctionis decidendi, declarandi, interpretandi, ac ma-
joris honoris signum, permissam fuisse testatur Mar-
chesan. *d. part.* 1. *cap.* 1. *num.* 14. *indè Epitogium in-*
duunt.

Privilegia verò Referendariorum Apostolicorum
plura sunt, quæ expressa leguntur in Pauli III. *Con-*
stit. 23. *Bullar. novi tom.* 1. *pag.* 647. & inter cætera
6 ipsi reputantur Sedis Apostolicæ Notarii, Comites
Palatini, in Monasteriis sibi commissis uti possunt
Baculo, & Mitrâ, & solemniter benedicere, à Ju-
risdictione Ordinariorum ipsi, ac beneficia, quæ pos-
sident, sunt exempti; censentur in Dignitate Eccle-
siasticâ constituti, ac Familiares Papæ, & eorum of-
ficium est perpetuum, ut in prædicta Bulla Paulina,
& fusiùs apud eundem Cohellium *d. cap.* 57.

Inter hos Prælatos, ac Apostolicos Referendarios
sub Innocentio XI. cooptatus fuit Illustrissimus, ac
Reverendissimus Dominus Andreas Venerius Cano-
nicus Patavinus, Patricius Venetus, ex Serenissima
7 Veneriorum Familia progenitus; cujus Majores non
semel, nec bis tantùm, sed ter Ducale Fastigium
ascenderunt, & in Serenissimo Venetiarum Domi-
nio Principatum consequuti sunt; Antonius scilicèt
Venerius electus Dux 21. *Octobr. Anno* 1382. dum esset
Cretæ Præfectus. Franciscus Venerius; assumptus
die 11. *Junii Anno* 1554. qui, ut in ejus Sepulchri
Epitaphio legitur, *Princeps fuit priscæ Majorum vir-*
tutis, ac disciplinæ veræ imitator, nullo nec adumbra-
tæ laudis stimulo, nec privatæ utilitatis errore unquàm
permotus, in regendis populis summæ continentiæ, in
dicenda sententia Senatoriæ gravitatis, pacis, & con-
cordiæ amantissimus, in omni sermone sapientissimus.
Et Sebastianus Venerius, qui *Anno* 1571. ad Echi-
nadas Insulas Thraces obruit, & insignem illam Vi-
ctoriam, toti Christiano Orbi faustissimam, contra
Turcas reportavit; ac *Anno* 1577. 11. *Junii* ad Du-
calem Dignitatem fuit à Senatu promotus; de quo
testantur Historici, quod *nullus in administranda*
Republica Princeps justior, & sanctior, in rebusque
bellicis fortior, & felicior ipso fuerit. Ex hac, in-
quam,

Digitized by Google

quam, Familiâ Serenissimâ descendens supradictus Dominus Canonicus Venerius, Referendarius Apo-
8 stolicus cum Româ Patavium advenisset, improviso oppressus morbo ad meliorem vitam *Anno* 1685. *Mense Martio* evolavit. Ob ejus obitum circa ipsius Canonicatus dispositionem tres discordes opiniones invaluêre. *Una* asserebat, illam spectare ad Reverendissimum Capitulum Paduanum. *Altera* affirmabat eandem ad Emin. Cardinalem Barbadicum Ordinarium Patavinum, ac Indultarium pertinere. *Tertia* (pro qua ego stabam) dicebat, prædicti Canonicatus collationem, tanquàm Sedi Apostolicæ reservatam, Summo Pontifici pervenire.

Qui pro Capitulo loquebantur, se fundabant in *cap. Præsenti*. 34. *de Præbend. & Dignit. in* 6. in quo est Statutum, quod non sint reservata Apostolicæ Sedi beneficia Officialium Romanæ Curiæ, qui moriuntur
9 absentes ab illa ultrà duas Dietas. Idcircò inferebant, quod licèt Illustrissimus, ac Reverendissimus Canonicus Venerius esset Referendarius Apostolicus; (ut constabat ex Catalogo Prælatorum Curiæ Romanæ impresso Romæ in Typographia Rev. Cameræ Apostolicæ *Anno* 1683. *ad num.* 105.) & respectu illius muneris Canonicatus esset reservatus ex Constitutio-
10 nibus Pontificiis, quas allegat Gonzalez *ad Reg.* 9. *Cancell. gloss.* 51. *num.* 16. & 17. & ut scribit Fagnanus *in cap. Ex parte. num.* 37. *de Privileg. tom.* 7. atque novissimè tenuit Rota *part.* 18. *recent. decis.* 476. *num.* 7. *tom.* 2. ubi refert aliam Constitutionem Alexandri VII. quæ est inter ejus *Constitut.* 88. *in Bullar. Rom. tom.* 6. nihilominùs, cum non sit mortuus Romæ, neque intrà duas Dietas ab Alma Urbe, sed extrà, nempè Venetiis, cessabat reservatio illius Canonicatus ut in *d. cap. Præsenti. de Præben. in* 6. & ibi Ancharan. *num.* 3. Franchus *sub num.* 2. *in* 4. *notab.* & Geminian. *sub num.* 4. *Vers. Quæro quid de stantibus*.

Sed respondebam fore inanem hanc argumentationem; quæ licèt esset valida temporibus antiquis, & quando prædicti Canonistæ Ancharanus, Franchus, & Geminianus scribebant, nunc nullius est roboris; tùm ex *Regul.* 6. *Cancellar. Apostol.* in qua reservantur *omnia, & singula beneficia Ecclesiastica quorum-*
11 *cunque Curialium, quos dum Curia Romana de loco ad locum transfertur, eam sequendo decedere contigerit in quovis loco,* (notetur) *quantumcunque etiam à dicta Curia remoto:* tùm ex alia novissima Constitutione Alexandri VII. *Sext. Idus April. Anno* 1666. transcripta suprà in *Discord. LXXXVIII.* in qua *num.* 27. statutum, & firmatum fuit, *Beneficia omnium Curialium esse reservata ubicunque decedant, etiam extrà Romanam Curiam, & extrà duas Dietas*. Quâ responsione auditâ, Capitulum statim deposuit omnem prætensionem, & nihil agere voluit circa ipsum Canonicatum.

Qui verò affirmabant, hujus Canonicatus collationem spectare ad Emin. Cardinalem Ordinarium Indultarium, adducebant verba Indulti ejus, relata suprà in *Discord. LXXXVIII. num.* 4. quæ concedunt Eminentiæ suæ dispositionem beneficiorum vacan-
12 tium per obitum quorumcunque Curialium, & Officialium Romanæ Curiæ; *quocunque nomine nuncupatorum;* & quamvis prædictus Dominus Canonicus Venerius tanquàm Referendarius Apostolicus diceretur etiam Familiaris Papæ ex citata Constitut. 23. Pauli III. ac aliorum Successorum Pontificum; ex ea tamen, ajebant, non resultare duas personales, &
13 coæquales reservationes excludentes Indultum; sed unam tantùm, quia proveniebat ex una, eademque Persona; ac ex uno solùm Officio; cujus respectu Beneficia comprehenduntur ab Indulto juxtà Decisionem Rotæ coram Priolo *Decis.* 169. ubi *num.* 2. & 3. allegat DD. ita docentes; impressam etiam *in part.* 13. *recent. decis.* 266. quod considerabat Emin. Card. de Luca *de Benefic. disc.* 3. *per tot.* & præcipuè *sub num.* 2. in illis verbis: *Atque in hoc videbatur consistere æquivocum deducendi ex uno Officio Familiaritatem, & ex altero Prothonotariatum; ut ita resultarent duæ disjunctæ coæquales, ac principales reservationes; cum utriusque unica esset causa productiva duorum effectuum connexorum, qui pro unico habendi sunt; quamvis plures concurrerent Tituli uniformes eundem effectum producentes; quoniam hic semper est unus, & idem.*

Cæterùm hæc opinio facilè prosternebatur ex notitiâ statim transmissâ ab Agentibus Eminentiæ Suæ, Romæ commorantibus, quod prælaudatus Illustrissimus, ac Reverendissimus Andreas Venerius non solùm erat Referendarius Apostolicus utriusque Signa-
14 turæ; sed etiam Cubicularius actualis regnantis Summi Pontificis Innocentii Undecimi; undè manifesta erat justitia Tertiæ opinionis, quam ego tutabar; dispositionem scilicèt antedicti Canonicatus pertinere in hac vacatione ad Apostolicam Sedem duplici de causa. *Una* erat ob duas reservationes, quibus erat affectus, & quæ erant duæ disjunctæ coæquales, provenientes ex duobus distinctis Officiis Referendarii,
15 & Cubicularii Papæ; undè intrabat ordinatio *Constitut.* 288. *Urbani VIII.* qui ordinavit, quod Indulta Cardinalium non comprehenderent beneficia duplici reservatione affecta; & alia ultima Constitutio Alexandri VII. de qua *supr. num.* 11. declarantis ex duobus Officiis diversis duas diversas reservationes insurgere coæquales, exclusivas Indultorum Cardinalium, etsi utrumque Officium obtentum fuerit ab una, eâdemque Personâ, juxtà doctrinam Gratiani *Discept. forens. cap.* 982. *num.* 24. Tonduti *resol. benefic. part.* 2. *cap.* 3. §. 5. *num.* 35. Adden. ad Gregor. XV. *decis.* 291. *num.* 18. Rotæ coram Dunozetto *decis.* 632. & *part.* 9. *recent. decis.* 350.

Altera causa, ob quam ego tenebam, non posse Emin. Cardinalem Barbadicum Episcopum Patavinum, etsi Indultarium, disponere de hoc Canonica-
16 tu, à me deducebatur tùm à *Reg.* 4. *Cancell.* in qua Papa totâ suâ vitâ durante reservat sibi beneficia sui ipsius Familiarium; tùm *ex Reg.* 7. *ejusdem Cancell.* per quam expressè reservantur ipsi Papæ beneficia Cubiculariorum ipsius, etiam Honoris nuncupatos: ut ex ejus tenore constat, qui talis est: 7. *Item reservavit generaliter idem D. N. Papa dispositioni suæ*
17 *omnia beneficia Cubiculariorum, etiam Honoris nuncupatorum, ac Cursorum suorum. Declarans in Prædecessorum suorum Romanorum Pontificum Constitutionibus, & Regulis reservatoriis beneficiorum Cubiculariorum, etiam Cubicularios Honoris nuncupatos, etiam à die earum editionis, & publicationis intelligi, & comprehendi, ac comprehensos fuisse, & esse. Irritumque &c. attentari decernens.* Quibus regulis attentis extrà omnem controversiam erat evidens reservatio, per quam ad solum Pontificem Innocentium XI. spectabat hujus Canonicatus dispositio, cum ejus possessor prædefunctus fuisset Familiaris, & Cubicularius ipsius Papæ; undè attendenda erat exagella, quàm in his terminis facit Emin. Card. de Luca *de Bene-*
18 *fic. disc.* 5. *sub num.* 22. his verbis: *Incongruum est, ut inferior conferat in faciem ipsius Papæ viventis beneficia vacantia per obitum alicujus ex ejus Familiaribus, ut advertitur per* Granutium *ad Simonett. de Reservat. quæst.* 35. *n.* 46. Nec de ea ulla erat hæsitantia, cum ulteriùs duæ habeantur Decisiones Rotæ Magistrales de tali reservatione exclusivâ Indultorum, nempè *part.* 4. *recent. decis.* 573. *tom.* 1. nec non *part.* 5. *recent. decis.* 196. pariter *tom.* 1. in terminis loquentes.

Acquievit statim Eminentissimus Dominus meus Cardinalis his legalibus, ac firmis fundamentis, & abstinuit ab hujus Canonicatus collatione; quæ subindè facta fuit per eundem Summum Pontificem Innocentium XI. in personam Illustrissimi Joannis Od-
19 di Nobilis Patavini, virtutibus, & opibus Sacerdo-

Digitized by Google

de Regul. Jur. in 6. Gobatus *in Quinario tract.3. num.* 36. qui propterea in præcisis terminis hujus difficultatis *ibid. in tract.4. num.* 317. approbat supra relatam opinionem Pellizzarii; & ipse quoque tenet, Indul-
19 gentiam concessam in universum omnibus Ecclesiis alicujus Ordinis Religiosi non excludere aliam particularem Indulgentiam directè, per se, & explicitè elargitam alicui Ecclesiæ ejusdem Ordinis, ut in nostro casu.

DISCORDIA XCVIII.

ARGUMENTUM.

Canonicatus vacans per obitum Referendarii, ac simul Cubicularii Papæ, etiam extrà duas Diætas à Romana Curia, est duplici reservatione coæquali reservatus; adeò ut de eo neque Capitulum, neque Cardinalis Episcopus Indultarius disponere possit; sed ejus collatio omninò ad Summum Pontificem spectet.

SUMMARIUM.

1 *Referendarii Apostolici sunt præcipui Romanæ Curiæ Prælati.*
2 *Eorum Officium quale?*
3 *Habitus exterioris decentia interioris honestatis signum.*
4 *Referendariorum Habitus, & Vestes, quæ?*
5 *Epitogium quid sit?*
6 *Referendariorum Privilegia, quot, & qualia?*
7 *Veneriorum Familiæ Venetæ Patriciæ Duces tres laudati.*
8 *Andreas Venerius Nob. Venetus Referendarius, ac Cubicularius Papæ Canonicus Paduæ.*
9 *Officialium Rom. Curiæ, morientium extrà duas Diætas ab ea, An beneficia sint reservata.* & num.11.
10 *Referendariorum beneficia sunt Sedi Apostolicæ reservata.*
11 *In quocunque loco ipsi decedant.*
12 *Induita Cardinalium comprehendunt beneficia Officialium Rom. Curiæ.*
13 *Referendariorum beneficia An duplici reservatione sint affecta?*
14 *Andreas Venerius Canonicus Patavinus Innoc. XI. Referendarius, & Cubicularius.*
15 *Reservationes duæ excludunt Induita Cardinalium.*
16 *Familiarium Papæ beneficia, illo vivente, sunt ei reservata.*
17 Reg. 7. Cancell. Apost. *reservantis beneficia Cubiculariorum tenor.*
18 *Inferiores dedecet, ut Papæ viventis Familiarium beneficia conferant.*
19 *Joannes de Oddis Nob. Patav. ab Innoc. XI. Canonicus Paduæ creatus.*
20 *Michaelis Abb. Capellarii Poetarum Latinorum coriphei laudatio.*

INter cæteros Romanæ Curiæ Prælatos præcipui sunt Referendarii utriusque Signaturæ, Gratiæ, & Justitiæ, de quibus differit Emin. Card. de Luca *In Relat.*
1 *Rom. Cur. forens. disc* 30. *& disc.* 31. & quorum Officium, Habitum, & Privilegia refert Jacob. Cohellius *in Notitia Cardinalatus cap.* 57. ex Historicis, Constitutionibus Pontificiis, atque Canonistarum scriptis desumpta. Siquidem quo ad eorum Officium *d. cap.* 57. *Litt.3 pag.*305. dicit: *Sedem Apostolicam ideò Referendarios reperiisse, ut libellos è diversis Mundi partibus porrectos ad Pontificis aures deducant, & fi-*
2 *deliter referant; tùm quia indignum erat, vilissimum quemque, aut inexpertum Pontificis aures obtundere; tùm etiam quia multi latenter injusta libellis ab ipso signandis occultabant, quæ non animadversa concedebantur. Referendarii ergò precum veritatem aperiunt; & quæ concedi, quævè negari debeant, Principi insinuant;* ut latiùs explicant Marchesan. *de Commission. part.*1. *cap.*1. Gambar. *de Offic. Legat. lib.*1. *cap.*4. *num.*34. Cassiodor. *lib.*6. *Variar. cap.*17. & novissimè anted. Emin. Card. de Luca *ubi supr. disc.* 30. *&* 31.

Quo verò ad Habitum, quia ex hujus extrinseca decentia morum intrinseca honestas desumitur. *Clem.*2. *De Vit. & Honest. Cler.* Et Speculator *in tit. de Advoc.*
3 *Vers. sequitur videre*, hæc carmina rudi Minervâ ponit composita.

Vir benè vestitus pro Vestibus esse peritus
Creditur à mille, quamvis Idiota sit ille.
Si careat Veste, nec sit vestitus honestè,
Nullius est Laudis, quamvis sciat omne, quod audit.

Idcircò iisdem Referendariis Vestes Prælatitias induere concessum fuit: nam de antiquis, sub Leone X. ait Gambarus, qui tunc de eorum numero erat, *ubi su-*
4 *pr. num.* 37. quod *utebantur Pallio desuper clauso cum capucio, quod extrâ Palatium tantùm gerebant; in Palatio autem, ut constaret, ipsos esse Palatinos, & Familiares Papæ sine capucio incedebant.* Cohellius verò *d. cap.* 57. *pag.* 308. *Litt.* A. cum dixisset, nescire quid esset illud *Capucium*, & putare, illud fuisse *Pileum*, quod extra Palatium Referendarii deferunt, in Palatio verò Biretum clericale, subdit: *Neque Pallium hodiè deferunt, sed Togam nigram, nisi ex duodecim antiquioribus (quos Votantes vocant) existant; hi enim violaceam habent, cui superimpo-*
5 *nunt Epitogium ad poplitem usque dimissum, ex utroque latere ad protendendum brachia incisum* (Mantellectam *dicunt.*) *Ubi verò coram Sanctissimo in Signatura, quam Gratiæ appellant, supplices libellos referunt, supra talarem Togam Superpelliceum, vulgò* Rocchetto, *cujus delationem à Paulo IV. in Jurisdictionis decidendi, declarandi, interpretandi, ac majoris honoris signum, permissam fuisse testatur* Marchesan. *d. part.*1. *cap.*1. *num.* 14. *indè Epitogium induunt.*

Privilegia verò Referendariorum Apostolicorum plura sunt, quæ expressa leguntur in Pauli III. *Constit.* 23. *Bullar. novi tom.* 1. *pag.* 647. & inter cætera
6 ipsi reputantur Sedis Apostolicæ Notarii, Comites Palatini, in Monasteriis sibi commissis uti possunt Baculo, & Mitrâ, & solemniter benedicere, à Jurisdictione Ordinariorum ipsi, ac beneficia, quæ possident, sunt exempti; censentur in Dignitate Ecclesiasticâ constituti, ac Familiares Papæ, & eorum officium est perpetuum, ut in prædicta Bulla Paulina, & fusiùs apud eundem Cohellium *d. cap.* 57.

Inter hos Prælatos, ac Apostolicos Referendarios sub Innocentio XI. cooptatus fuit Illustrissimus, ac Reverendissimus Dominus Andreas Venerius Canonicus Patavinus, Patricius Venetus, ex Serenissima
7 Veneriorum Familia progenitus; cujus Majores non semel, nec bis tantùm, sed ter Ducale Fastigium ascenderunt, & in Serenissimo Venetiarum Dominio Principatum consequuti sunt; Antonius scilicèt Venerius electus Dux 21. *Octobr. Anno* 1382. dum esset Cretæ Præfectus. Franciscus Venerius; assumptus *die* 11. *Junii Anno* 1554. qui, ut in ejus Sepulchri Epitaphio legitur, *Princeps fuit priscæ Majorum virtutis, ac disciplinæ veræ imitator, nullo nec adumbratæ laudis stimulo, nec privatæ utilitatis errore unquam permotus, in regendis populis summæ continentiæ, in dicenda sententia Senatoriæ gravitatis, pacis, & concordiæ amantissimus, in omni sermone sapientissimus.* Et Sebastianus Venerius, qui *Anno* 1571. ad Echinadas Insulas Thraces obruit, & insignem illam Victoriam, toti Christiano Orbi faustissimam, contra Turcas reportavit; ac *Anno* 1577. 11. *Junii* ad Ducalem Dignitatem fuit à Senatu promotus; de quo testantur Historici, quod *nullus in administranda Republica Princeps justior, & sanctior, in rebusque bellicis fortior, & felicior ipso fuerit.* Ex hac, in-

quam,

Digitized by Google

quam, Familiâ Serenissimâ descendens supradictus Dominus Canonicus Venerius, Referendarius Apo-
8 stolicus cum Româ Patavium advenisset, improvisò oppressus morbo ad meliorem vitam *Anno* 1685. *Mense Martio* evolavit. Ob ejus obitum circa ipsius Canonicatus dispositionem tres discordes opiniones invaluêre. *Una* asserebat, illam spectare ad Reverendissimum Capitulum Paduanum. *Altera* affirmabat eandem ad Emin. Cardinalem Barbadicum Ordinarium Patavinum, ac Indultarium pertinere. *Tertia* (pro qua ego stabam) dicebat, prædicti Canonicatus collationem, tanquàm Sedi Apostolicæ reservatam, Summo Pontifici pervenire.

Qui pro Capitulo loquebantur, se fundabant in *cap. Præsenti*. 34. *de Præbend. & Dignit. in* 6. in quo est Statutum, quod non sint reservata Apostolicæ Sedi beneficia Officialium Romanæ Curiæ, qui moriuntur
9 absentes ab illa ultrà duas Dietas. Idcircò inferebant, quod licèt Illustrissimus, ac Reverendissimus Canonicus Venerius esset Referendarius Apostolicus; (ut constabat ex Catalogo Prælatorum Curiæ Romanæ impresso Romæ in Typographia Rev. Cameræ Apostolicæ *Anno* 1683. *ad num.* 105.) & respectu illius muneris Canonicatus esset reservatus ex Constitutio-
10 nibus Pontificiis, quas allegat Gonzalez *ad Reg.* 9. *Cancell. gloss.* 51. *num.* 16. & 17. & ut scribit Fagnanus *in cap. Ex parte. num.* 37. *de Privileg. tom.* 7. atque novissimè tenuit Rota *part.* 18. *recent. decis.* 476. *num.* 7. *tom.* 2. ubi refert aliam Constitutionem Alexandri VII. quæ est inter ejus *Constitut.* 88. *in Bullar. Rom. tom.* 6. nihilominùs, cum non sit mortuus Romæ, neque intrà duas Dietas ab Alma Urbe, sed extrà, nempè Venetiis, cessabat reservatio illius Canonicatus ut in *d. cap. Præsenti. de Præben. in* 6. & ibi Ancharan. *num.* 3. Franchus *sub num.* 2. *in* 4. *notab.* & Geminian. *sub num.* 4. *Vers. Quæro quid de stantibus*.

Sed respondebam fore inanem hanc argumentationem; quæ licèt esset valida temporibus antiquis, & quando prædicti Canonistæ Ancharanus, Franchus, & Geminianus scribebant, nunc nullius est roboris; tùm ex *Regul.* 6. *Cancellar. Apostol.* in qua reservantur *omnia, & singula beneficia Ecclesiastica quorum-*
11 *cunque Curialium, quos dum Curia Romana de loco ad locum transfertur, eam sequendo decedere contigerit in quovis loco*, (notetur) *quantumcunque etiam à dicta Curia remoto*: tùm ex alia novissima Constitutione Alexandri VII. *Sext. Idus April. Anno* 1666. transcripta suprà in *Discord. LXXXVIII.* in qua *num.* 27. statutum, & firmatum fuit, *Beneficia omnium Curialium esse reservata ubicunque decedant, etiam extrà Romanam Curiam, & extrà duas Dietas*. Quâ responsione auditâ, Capitulum statim deposuit omnem prætensionem, & nihil agere voluit circa ipsum Canonicatum.

Qui verò affirmabant, hujus Canonicatus collationem spectare ad Emin. Cardinalem Ordinarium Indultarium, adducebant verba Indulti ejus, relata suprà in *Discord. LXXXVIII. num.* 4. quæ concedunt Eminentiæ suæ dispositionem beneficiorum vacan-
12 tium per obitum quorumcunque Curialium, & Officialium Romanæ Curiæ; *quocunque nomine nuncupatorum*; & quamvis prædictus Dominus Canonicus Venerius tanquàm Referendarius Apostolicus diceretur etiam Familiaris Papæ ex citata Constitut. 23. Pauli III. ac aliorum Successorum Pontificum; ex ea tamen, ajebant, non resultare duas personales, &
13 coæquales reservationes excludentes Indultum; sed unam tantùm, quia proveniebat ex una, eademque Persona; ac ex uno solùm Officio; cujus respectu Beneficia comprehenduntur ab Indulto juxtà Decisionem Rotæ coram Priolo *Decis.* 169. ubi *num.* 2. & 3. allegat DD. ita docentes; impressam etiam *in part.* 13. *recent. decis.* 266. quod considerabat Emin. Card. de Luca *de Benefic. disc.* 3. *per tot.* & præcipuè *sub num.* 2. in illis verbis: *Atque in hoc videbatur consistere æquivocum deducendi ex uno Officio Familiaritatem, & ex altero Prothonotariatum; ut ita resultarent duæ disiunctæ coæquales, ac principales reservationes; cum utriusque unica esset causa productiva duorum effectuum connexorum, qui pro unico habendi sunt; quamvis plures concurrerent Tituli uniformes eundem effectum producentes; quoniam hic semper est unus, & idem.*

Cæterùm hæc opinio facilè prosternebatur ex notitiâ statim transmissâ ab Agentibus Eminentiæ Suæ, Romæ commorantibus, quod prælaudatus Illustrissimus, ac Reverendissimus Andreas Venerius non solùm erat Referendarius Apostolicus utriusque Signa-
14 turæ; sed etiam Cubicularius actualis regnantis Summi Pontificis Innocentii Undecimi; undè manifesta erat justitia Tertiæ opinionis, quam ego tuebar; dispositionem scilicèt antedicti Canonicatus pertinere in hac vacatione ad Apostolicam Sedem duplici de causa. *Una* erat ob duas reservationes, quibus erat affectus, & quæ erant duæ disiunctæ coæquales, provenientes ex duobus distinctis Officiis Referendarii,
15 & Cubicularii Papæ; undè intrabat ordinatio *Constitut.* 288. *Urbani VIII.* qui ordinavit, quòd Indulta Cardinalium non comprehenderent beneficia duplici reservatione affecta; & alia ultima Constitutio Alexandri VII. de qua *supr. num.* 11. declarantis ex duobus Officiis diversis duas diversas reservationes insurgere coæquales, exclusivas Indultorum Cardinalium, etsi utrumque Officium obtentum fuerit ab una, eâdemque Personâ, juxtà doctrinam Gratiani *Discept. forens. cap.* 982. *num.* 24. Tonduti *resol. benefic. part.* 2. *cap.* 3. §. 5. *num.* 35. Adden. ad Gregor. XV. *decis.* 291. *num.* 18. Rotæ coram Dunozetto *decis.* 632. & *part.* 9. *recent. decis.* 350.

Altera causa, ob quam ego tenebam, non posse Emin. Cardinalem Barbadicum Episcopum Patavinum, etsi Indultarium, disponere de hoc Canonica-
16 tu, à me deducebatur tùm à *Reg.* 4. *Cancell.* in qua Papa totâ suâ vitâ durante reservat sibi beneficia sui ipsius Familiarium; tùm *ex Reg.* 7. *ejusdem Cancell.* per quam expressè reservantur ipsi Papæ beneficia Cubiculariorum ipsius, etiam Honoris nuncupatos: ut ex ejus tenore constat, qui talis est: 7. *Item reservavit generaliter idem D. N. Papa dispositioni suæ*
17 *omnia beneficia Cubiculariorum, etiam Honoris nuncupatorum, ac Cursorum suorum. Declarans in Prædecessorum suorum Romanorum Pontificum Constitutionibus, & Regulis reservatoriis beneficiorum Cubiculariorum, etiam Cubicularios Honoris nuncupatos, etiam à die earum editionis, & publicationis intelligi, & comprehendi, ac comprehensos fuisse, & esse. Irritumque &c. attentari decernens.* Quibus regulis attentis extrà omnem controversiam erat evidens reservatio, per quam ad solum Pontificem Innocentium XI. spectabat hujus Canonicatus dispositio, cum ejus possessor prædefunctus fuisset Familiaris, & Cubicularius ipsius Papæ; undè attendenda erat exagella, quàm in his terminis facit Emin. Card. de Luca *de Bene-*
18 *fic. disc.* 5. *sub num.* 22. his verbis: *Incongruum est, ut inferior conferat in faciem ipsius Papæ viventis beneficia vacantia per obitum alicujus ex ejus Familiaribus, ut advertitur per* Granutium *ad Simonett. de Reservat. quæst.* 35. *n.* 46. Nec de ea ulla erat hæsitantia, cum ulteriùs duæ habeantur Decisiones Rotæ Magistrales de tali reservatione exclusivâ Indultorum, nempè *part.* 4. *recent. decis.* 573. *tom.* 1. nec non *part.* 5. *recent. decis.* 196. pariter *tom.* 1. in terminis loquentes.

Acquievit statim Eminentissimus Dominus meus Cardinalis his legalibus, ac firmis fundamentis, & abstinuit ab hujus Canonicatus collatione; quæ subindè facta fuit per eundem Summum Pontificem Innocentium XI. in personam Illustrissimi Joannis Od-
19 di Nobilis Patavini, virtutibus, & opibus Sacerdo-

Digitized by Google

de Regul. Jur. in 6. Gobatus in Quinario tract.3. num. 36. qui propterea in præcisis terminis hujus difficultatis ibid. in tract.4. num. 317. approbat supra relatam opinionem Pellizzarii; & ipse quoque tenet, Indul-
19 gentiam concessam in universum omnibus Ecclesiis alicujus Ordinis Religiosi non excludere aliam particularem Indulgentiam directè, per se, & explicitè elargitam alicui Ecclesiæ ejusdem Ordinis, ut in nostro casu.

DISCORDIA XCVIII.

ARGUMENTUM.

Canonicatus vacans per obitum Referendarii, ac simul Cubicularii Papæ, etiam extrà duas Diætas à Romana Curia, est duplici reservatione coæquali reservatus; adeò ut de eo neque Capitulum, neque Cardinalis Episcopus Indultarius disponere possit; sed ejus collatio omninò ad Summum Pontificem spectet.

SUMMARIUM.

1 *Referendarii Apostolici sunt præcipui Romanæ Curiæ Prælati.*
2 *Eorum Officium quale?*
3 *Habitus exterioris decentia interioris honestatis signum.*
4 *Referendariorum Habitus, & Vestes quæ?*
5 *Epitogium quid sit?*
6 *Referendariorum Privilegia, quot, & qualia?*
7 *Veneriorum Familiæ Venetæ Patriciæ Duces tres laudati.*
8 *Andreas Venerius Nob. Venetus Referendarius, ac Cubicularius Papæ Canonicus Paduæ.*
9 *Officialium Rom. Curiæ, morientium extrà duas Diætas ab ea, An beneficia sint reservata,* & num.11.
10 *Referendariorum beneficia sunt Sedi Apostolicæ reservata.*
11 *In quocunque loco ipsi decedant.*
12 *Induita Cardinalium comprehendunt beneficia Officialium Rom. Curiæ.*
13 *Referendariorum beneficia An duplici reservatione sint affecta?*
14 *Andreas Venerius Canonicus Patavinus Innoc. XI. Referendarius, & Cubicularius.*
15 *Reservationes duæ excludunt Induita Cardinalium.*
16 *Familiarium Papæ beneficia, illo vivente, sunt et reservata.*
17 Reg. 7. Cancell. Apost. *reservantis beneficia Cubiculariorum tenor.*
18 *Inferiores dedecet, ut Papæ viventis Familiarium beneficia conferant.*
19 *Joannes de Oddis Nob. Patav. ab Innoc. XI. Canonicus Paduæ creatus.*
20 *Michaelis Abb. Capellarii Poetarum Latinorum coriphei laudatio.*

INter cæteros Romanæ Curiæ Prælatos præcipui sunt Referendarii utriusque Signaturæ, Gratiæ, & Justitiæ, de quibus disserit Emin. Card. de Luca *In Relat.*
1 *Rom. Cur. forens. disc 30. & disc. 31.* & quorum Officium, Habitum, & Privilegia refert Jacob. Cohellius *in Notitia Cardinalatus cap.57.* ex Historicis, Constitutionibus Pontificiis, atque Canonistarum scriptis desumpta. Siquidem quo ad eorum Officium *d. cap.57. Litt.3 pag.305.* dicit: *Sedem Apostolicam ideò Referendarios reperiisse, ut libellos è diversis Mundi partibus porrectos ad Pontificis aures deducant, & fi-*
2 *deliter referant: tùm quia indignum erat, vilissimum quemque, aut inexpertum Pontificis aures obtundere; tùm etiam quia multi latenter injusta libellis ab ipso signandis occultabant, quæ non animadversa concedebantur. Referendarii ergò precum veritatem aperiunt; & quæ concedi, quævè negari debeant, Principi insinuant;* ut latiùs explicant Marchesan. *de Commission. part.1. cap.1.* Gambar. *de Offic. Legat. lib.1. cap.4. num.34.* Cassiodor. *lib.6. Variar. cap.17.* & novissimè anted. Emin. Card. de Luca *ubi supr. disc. 30. & 31.*

Quo verò ad Habitum, quia ex hujus extrinseca decentia morum intrinseca honestas desumitur. *Clem.2. De Vit. & Honest. Cler.* Et Speculator *in tit. de Advoc.*
3 *Vers. sequitur videre*, hæc carmina rudi Minervâ ponit composita.

Vir benè vestitus pro Vestibus esse peritus
Creditur à mille, quamvis Idiota sit ille.
Si careat Veste, nec sit vestitus honestè,
Nullius est Laudis, quamvis sciat omne, quod audit.

Idcircò iisdem Referendariis Vestes Prælatitias induere concessum fuit: nam de antiquis, sub Leone X. ait Gambarus, qui tunc de eorum numero erat, *ubi su-*
4 *pr. num. 37.* quod *utebantur Pallio desuper clauso cum capucio, quod extrà Palatium tantùm gerebant; in Palatio autem, ut constaret, ipsos esse Palatinos, & Familiares Papæ sine capucio incedebant.* Cohellius verò *d. cap. 57. pag. 308. Litt. A.* cum dixisset, nescire quid esset illud *Capucium*, & putare, illud fuisse *Pileum*, quod extra Palatium Referendarii deferunt, in Palatio verò Biretum clericale, subdit: *Neque Pallium hodiè deferunt, sed Togam nigram, nisi ex duodecim antiquioribus (quos Votantes vocant) existant; hi enim violaceam habent, cui superimpo-*
5 *nunt Epitogium ad poplitem usque dimissum, ex utroque latere ad protendendum brachia incisum* (Mantellectam *dicunt.*) *Ubi verò coram Sanctissimo in Signatura, quam Gratiæ appellant, supplices libellos referunt, supra talarem Togam Superpelliceum, vulgò* Rocchetto, *cujus delationem à Paulo IV. in Jurisdictionis decidendi, declarandi, interpretandi, ac majoris honoris signum, permissam fuisse testatur* Marchesan. *d. part.1. cap.1. num.14. indè Epitogium induunt.*

Privilegia verò Referendariorum Apostolicorum plura sunt, quæ expressa leguntur in Pauli III. *Constit. 23. Bullar. novi tom. 1. pag. 647.* & inter cætera
6 ipsi reputantur Sedis Apostolicæ Notarii, Comites Palatini, in Monasteriis sibi commissis uti possunt Baculo, & Mitrâ, & solemniter benedicere, à Jurisdictione Ordinariorum ipsi, ac beneficia, quæ possident, sunt exempti; censentur in Dignitate Ecclesiasticâ constituti, ac Familiares Papæ, & eorum officium est perpetuum, ut in prædicta Bulla Paulina, & fusiùs apud eundem Cohellium *d. cap. 57.*

Inter hos Prælatos, ac Apostolicos Referendarios sub Innocentio XI. cooptatus fuit Illustrissimus, ac Reverendissimus Dominus Andreas Venerius Canonicus Patavinus, Patricius Venetus, ex Serenissima
7 Veneriorum Familia progenitus; cujus Majores non semel, nec bis tantùm, sed ter Ducale Fastigium ascenderunt, & in Serenissimo Venetiarum Dominio Principatum consequuti sunt; Antonius scilicèt Venerius electus Dux 21. Octobr. Anno 1382. dum esset Cretæ Præfectus. Franciscus Venerius; assumptus die 11. Junii Anno 1554. qui, ut in ejus Sepulchri Epitaphio legitur, *Princeps fuit priscæ Majorum virtutis, ac disciplinæ veræ imitator, nullo nec adumbratæ laudis stimulo, nec privatæ utilitatis errore unquàm permotus, in regendis populis summæ continentiæ, in dicenda sententia Senatoriæ gravitatis, pacis, & concordiæ amantissimus, in omni sermone sapientissimus.* Et Sebastianus Venerius, qui *Anno 1571.* ad Echinadas Insulas Thraces obruit, & insignem illam Victoriam, toti Christiano Orbi faustissimam, contra Turcas reportavit; ac *Anno 1577. 11. Junii* ad Ducalem Dignitatem fuit à Senatu promotus; de quo testantur Historici, quod *nullus in administranda Republica Princeps justior, & sanctior, in rebusque bellicis fortior, & felicior ipso fuerit.* Ex hac, inquam,

Digitized by Google

quam, Familiâ Serenissimâ descendens supradictus
Dominus Canonicus Venerius, Referendarius Apo-
8 stolicus cum Româ Patavium advenisset, improviso
oppressus morbo ad meliorem vitam *Anno* 1685. *Men-*
se Martio evolavit. Ob ejus obitum circa ipsius Ca-
nonicatus dispositionem tres discordes opiniones inva-
luêre. *Una* asserebat, illam spectare ad Reveren-
dissimum Capitulum Paduanum. *Altera* affirmabat
eandem ad Emin. Cardinalem Barbadicum Ordina-
rium Patavinum, ac Indultarium pertinere. *Tertia*
(pro qua ego stabam) dicebat, prædicti Canonica-
tus collationem, tanquàm Sedi Apostolicæ reserva-
tam, Summo Pontifici pervenire.

Qui pro Capitulo loquebantur, se fundabant in *cap.*
Præsenti. 34. *de Præbend. & Dignit. in* 6. in quo est
Statutum, quod non fiat reservata Apostolicæ Sedi
beneficia Officialium Romanæ Curiæ, qui moriuntur
9 absentes ab illa ultrà duas Dietas. Idcircò inferebant,
quod licèt Illustrissimus, ac Reverendissimus Cano-
nicus Venerius esset Referendarius Apostolicus; (ut
constabat ex Catalogo Prælatorum Curiæ Romanæ
impresso Romæ in Typographia Rev. Cameræ Apo-
stolicæ *Anno* 1683. *ad num.* 105.) & respectu illius
muneris Canonicatus esset reservatus ex Constitutio-
10 nibus Pontificiis, quas allegat Gonzalez *ad Reg.* 9.
Cancell. gloss. 51. *num.* 16. & 17. & ut scribit Fagna-
nus *in cap. Ex parte*. *num.* 37. *de Privileg. tom.* 7.
atque novissimè tenuit Rota *part.* 18. *recent. decis.*
476. *num.* 7. *tom.* 2. ubi refert aliam Constitutionem
Alexandri VII. quæ est inter ejus *Constitut.* 88.
in Bullar. Rom. tom. 6. nihilominùs, cum non sit
mortuus Romæ, neque intrà duas Dietas ab Alma
Urbe, sed extrâ, nempè Venetiis, cessabat reserva-
tio illius Canonicatus ut in *d. cap. Præsenti*. *de Præ-*
ben. in 6. & ibi Ancharan. *num.* 3. Franchus *sub*
num. 2. *in* 4. *notab.* & Geminian. *sub num.* 4. *Vers.*
Quæro quid de stantibus.

Sed respondebam fore inanem hanc argumentatio-
nem; quæ licèt esset valida temporibus antiquis, &
quando prædicti Canonistæ Ancharanus, Franchus,
& Geminianus scribebant, nunc nullius est roboris;
tùm ex *Regul.* 6. *Cancellar. Apostol.* in qua reservan-
tur *omnia, & singula beneficia Ecclesiastica quorum-*
11 *cunque Curialium, quos dum Curia Romana de loco*
ad locum transfertur, eam sequendo decedere conti-
gerit in quovis loco, (notetur) *quantumcunque etiam*
à dicta Curia remoto: tùm ex alia novissima Consti-
tutione Alexandri VII. *Sext. Idus April. Anno* 1666.
transcripta suprà in *Discord. LXXXVIII.* in qua
num. 27. statutum, & firmatum fuit, *Beneficia om-*
nium Curialium esse reservata ubicunque decedant,
etiam extrà Romanam Curiam, & extrà duas Die-
tas. Quâ responsione auditâ, Capitulum statim de-
posuit omnem prætensionem, & nihil agere voluit
circa ipsum Canonicatum.

Qui verò affirmabant, hujus Canonicatus colla-
tionem spectare ad Emin. Cardinalem Ordinarium
Indultarium, adducebant verba Indulti ejus, relata
suprà in *Discord. LXXXVIII. num.* 4. quæ concedunt
Eminentiæ suæ dispositionem beneficiorum vacan-
12 tium per obitum quorumcunque Curialium, & Of-
ficialium Romanæ Curiæ; *quocunque nomine nuncu-*
patorum; & quamvis prædictus Dominus Canoni-
cus Venerius tanquàm Referendarius Apostolicus di-
ceretur etiam Familiaris Papæ ex citata Constitut. 23.
Pauli III. ac aliorum Successorum Pontificum; ex ea
tamen, ajebant, non resultare duas personales, &
13 coæquales reservationes excludentes Indultum; sed
unam tantùm, quia proveniebat ex una, eademque
Persona; ac ex uno solùm Officio; cujus respectu Be-
neficia comprehenduntur ab Indulto juxtà Decisionem
Rotæ coram Priolo *Decis.* 169. ubi *num.* 2. & 3. al-
legat DD. ita docentes; impressam etiam *in part.* 13.
recent. decis. 266. quod considerabat Emin. Card. de
Luca *de Benefic. disc.* 3. *per tot.* & præcipuè *sub*
num. 2. in illis verbis: *Atque in hoc videbatur consi-*
stere æquivocum deducendi ex uno Officio Familiarita-
tem, & ex altero Prothonotariatum; ut ita resulta-
rent duæ disjunctæ coæquales, ac principales reserva-
tiones; cum utriusque unica esset causa productiva
duorum effectuum connexorum, qui pro unico habendi
sunt; quamvis plures concurrerent Tituli uniformes
eundem effectum producentes; quoniam hic semper est
unus, & idem.

Cæterùm hæc opinio facilè prosternebatur ex noti-
tiâ statim transmissâ ab Agentibus Eminentiæ Suæ,
Romæ commorantibus, quod prælaudatus Illustrissi-
mus, ac Reverendissimus Andreas Venerius non so-
lùm erat Referendarius Apostolicus utriusque Signa-
14 turæ; sed etiam Cubicularius actualis regnantis Sum-
mi Pontificis Innocentii Undecimi; undè manife-
sta erat justitia Tertiæ opinionis, quam ego tutabar;
dispositionem scilicèt antedicti Canonicatus pertinere
in hac vacatione ad Apostolicam Sedem duplici de
causa. *Una* erat ob duas reservationes, quibus erat
affectus, & quæ erant duæ disjunctæ coæquales, pro-
venientes ex duobus distinctis Officiis Referendarii,
15 & Cubicularii Papæ; undè intrabat ordinatio *Con-*
stitut. 288. *Urbani VIII.* qui ordinavit, quod Indul-
ta Cardinalium non comprehenderent beneficia du-
plici reservatione affecta; & alia ultima Constitu-
tio Alexandri VII. de qua *supr. num.* 11. declarantis
ex duobus Officiis diversis duas diversas reservatio-
nes insurgere coæquales, exclusivas Indultorum Car-
dinalium, etsi utrumque Officium obtentum fuerit
ab una, eâdemque Personâ, juxtà doctrinam Gra-
tiani *Discept. forens. cap.* 982. *num.* 24. Tonduti *re-*
sol. benefic. part. 2. *cap.* 3. §. 5. *num.* 35. Adden. ad
Gregor. XV. *decis.* 291. *num.* 18. Rotæ coram
Dunozetto *decis.* 632. *& part.* 9. *recent. decis.* 350.

Altera causa, ob quam ego tenebam, non posse
Emin. Cardinalem Barbadicum Episcopum Patavi-
num, etsi Indultarium, disponere de hoc Canonica-
16 tu, à me deducebatur tùm à *Reg.* 4. *Cancell.* in qua
Papa totâ suâ vitâ durante reservat sibi beneficia sui
ipsius Familiarium; tùm *ex Reg.* 7. *ejusdem Cancell.*
per quam expressè reservantur ipsi Papæ beneficia
Cubiculariorum ipsius, etiam Honoris nuncupatos:
ut ex ejus tenore constat, qui talis est: 7. *Item re-*
servavit generaliter idem D. N. Papa dispositioni suæ
17 *omnia beneficia Cubiculariorum, etiam Honoris nun-*
cupatorum, ac Cursorum suorum. Declarans in Præ-
decessorum suorum Romanorum Pontificum Constitutio-
nibus, & Regulis reservatoriis beneficiorum Cubicula-
riorum, etiam Cubicularios Honoris nuncupatos, etiam
à die earum editionis, & publicationis intelligi, &
comprehendi, ac comprehensos fuisse, & esse. Irritum-
que &c. attentari decernens. Quibus regulis attentis
extrà omnem controversiam erat evidens reservatio,
per quam ad solum Pontificem Innocentium XI. spe-
ctabat hujus Canonicatus dispositio, cum ejus pos-
sessor prædefunctus fuisset Familiaris, & Cubicularius
ipsius Papæ; undè attendenda erat exagella, quàm
in his terminis facit Emin. Card. de Luca *de Bene-*
18 *fic. disc.* 5. *sub num.* 22. his verbis: *Incongruum est*,
ut inferior conferat in faciem ipsius Papæ viventis bene-
ficia vacantia per obitum alicujus ex ejus Familiaribus, ut
advertitur per Granutium ad Simonett. de Reservat.
quæst. 35. *n.* 46. Nec de ea ulla erat hæsitantia, cum
ulteriùs duæ habeantur Decisiones Rotæ Magistrales
de tali reservatione exclusivâ Indultorum, nempè
part. 4. *recent. decis.* 573. *tom.* 1. nec non *part.* 5.
recent. decis. 196. pariter *tom.* 1. in terminis lo-
quentes.

Acquievit statim Eminentissimus Dominus meus
Cardinalis his legalibus, ac firmis fundamentis, &
abstinuit ab hujus Canonicatus collatione; quæ su-
bindè facta fuit per eundem Summum Pontificem
Innocentium XI. in personam Illustrissimi Joannis Od-
19 di Nobilis Patavini, virtutibus, & opibus Sacerdo-

tis eximii; cum onere tamen non levis Pensionis ad favorem Illustrissimi Michaelis Capellarii, tunc Serenissimæ Christinæ Reginæ Svetiæ à Latinis Litteris Romæ Secretarii, Coryphæi Poetarum tùm præsentium, tùm præteritorum temporum, ut testantur ejus *Poematum Libri decem*; ac ipsius *Christinaidis*, 20 *seu Christinæ Lustratæ Libri duodecim*, de quibus in Actis Eruditorum Lipsiæ, *Mensis Februarii Anni* 1701. hæc habentur: *Eo majori merito plausu excipere decet hoc eruditissimi Abbatis Michaelis Capellarii Opus, in quo Christinæ Reginæ Sveciæ gesta non tàm historicè describuntur ad genium Lucani, quam Homeri, Virgiliivè exemplum frequenti fictione neque inamœna intexuntur. Latini verò Sermonis majestas, ac ubertas ubique refulget.*

DISCORDIA XCIX.

ARGUMENTUM.

Campanile Parochialis Ecclesiæ est restaurandum à Monasterio, de cujus Mensa est ipsa Parochialis, maximè si amplos redditus possideat ratione ejus. Parochiani tamen ex utilitate, quam percipiunt ex multiplicitate Campanarum, in fugandis tempestatibus, ac dæmonibus earum sonitu, teneantur ad aliquam portionem expensarum in d. Campanilis restauratione concurrere.

SUMMARIUM.

1 *Tencarolæ Ecclesia Parochialis est de Mensa Monasterij Pratalea Congr. Casinen.*
2 *Monasterium Pratalea à quo fundatum, & dotatum?*
3 *Tencarolæ Villa eidem Monasterio à quibus donata?*
4 *Eadem Villa olim tota de Jurisdictione Abbatis.*
5 *Joseph Maria Comes Barberius Nob. Vicentinus Abbas Monast. Pratalea Anno* 1705.
6 *Campanilis Ecclesiæ Curatæ reædificatio ad quem spectet?*
7 *Campanile est pars Ecclesiæ, & correlativum Campanis.*
8 *Continentis, & contenti idem est judicium.*
9 *Fabricæ redditus plurium Ecclesiarum Diœc. Patav.*
10 *Fabricæ ex redditibus restauranda est Ecclesia.*
11 *Fabricæ fructus si non sufficiant pro restauratione Ecclesiæ quid agendum?*
12 *Synodale Decretum observandum in restauranda Ecclesia.*
13 *Parochus pauper non tenetur restaurare Ecclesiam.*
14 *Parochiani pauperes operibus manualibus debent restaurationem Ecclesiæ adjuvare.*
15 *Patroni quando sint obligati ad Ecclesiam restaurandam?*
16 *Parochus pingue beneficium habens tenetur Ecclesiam restaurare.*
17 *Parochorum redditus sunt realiter obnoxii restaurationi Ecclesiæ.* Et num. 23.
18 *Campanam unam tantùm Parochus tenetur de jure manutenere.*
19 *Consuetudo circa restaurationem Ecclesiæ, & Campanilis omninò servanda.*
20 *Consuetudo probanda cum tribus requisitis. Et quæ?*
21 *Monasterium Pratalea tenetur suis expensis reficere Campanile Ecclesiæ Tencarolæ.*
22 *S. Congr. Conc. Declaratio de hac obligatione.*
23 *Tencarolæ Ecclesia semper ab Abbate Pratalea restaurata.*
24 *Argumentum de toto ad partem, & de connexis est validum.*
25 *Campanarum sonitu fugantur tempestates, & terrentur dæmones.*
26 *Parochiani sicut concurrunt ad expensas pro Campanis, ita pro Campanili.*
27 *Argumentum valet de continenti ad contentum, de Re ad Locum, & de Correllativis.*

PArochialis Ecclesia S. Bartholomæi de Tencarola, hujus Paduanæ Diœcesis, est Membrum Venerandi Monasterii S. Mariæ de Pratalea Ordinis S. Benedicti, ac Congregationis Casinensis; de ejus
1 Mensa, ac ei pleno jure subjecta, tanquàm erecta, ac fabricata in Territorio proprio ipsius Monasterii; siquidem tota Villa Tencarolæ, præter plurima alia loca, ipsi donata fuit antiquitùs à Comitibus de Maltraversis Nobilibus Patavinis, à quorum pieta-
2 te conditum, & dotatum fuit idem Monasterium Prataleæ *Anno* 1080. ut testantur publica, & authentica Instrumenta servata in ejus Archivio, quorum sequentia verba referuntur, tùm ab Equite Sertorio Ursato in *Histor. Patav. part.* 1. *lib.* 4. *pag.* 251. tùm à R. P. M. Jacobo Salomonio Ord. Prædic. *In Inscriptionib. Agri Patavin. pag.* 194. & 195. Videlicèt: *Anno* 1080. *Maltraversus Comes Montis Belli, ejusque fratres Maltraversi Ecclesiam B. M. V. Abbatiæ Prataleæ unà cum insigni Cœnobio erigere à fundamentis cœpere. Cumque ipsi DD. de Traversis Fundatores plurimis abundarent dignitatibus, & deliciis, ex ipsis multis bonis Deo, ac Beatæ Virgini*
3 *donaverunt scilicèt Vicum Euganeum cum suo Comitatu. Vicum Tencarolæ cum suo Comitatu. Villam Tramontis intrà, & ultrà cum suo Comitatu. Montem S. Eusebii, &c. suis cum Territoriis, ac Vassallibus.* Et quod Monasterium ipsum, ejusque Abbas plenum Jus, ac Jurisdictionem haberet in tota Villa Tencarolæ deprehenditur etiam ex sequentibus Verbis ejusdem Equitis Sertorii Ursati *d. part.* 1. *lib.* 4. *pag.* 309. Idest: *l'Anno poi* 1221. *li quattro di Maggio, si vede, che l'Abbate di Praglia fà intimare alli Huomini di Tencarola, come Contea di quel*
4 *Monasterio, che dovendo egli havere alloggio in detta Villa, debbano farle la necessaria provisione, tanto di Letti per riceverlo, quanto di fieno, e paglia per i Cavalli del suo servitio.*

His stantibus, cum de præsenti Anno 1705. Campanile prædictæ Parochialis Ecclesiæ Villæ Tencarolæ minaretur ruinam; & opus esset illud demoliri, ac de novo construere, voluit Reverendissimus D. Joseph Maria ex Comitibus Barberiis Nobilibus
5 Vicentinis, Abbas ejusdem Monasterii Prataleæ, me consulere, ad quem de Jure spectent expensæ in demolitione, ac refabricatione ejudem Campanilis? Respondi, quod quamvis in meis Decisionibus de Sacrificio Missæ multos Doctores viderim circà Campanas, & Campanilia Ecclesiarum, ut ibi *in Decis.* 45. *à num.* 1. *usque ad num.* 14. attamen nullum reperi, qui disputet de hoc Quæsito, neque doceat, à quo sint faciendæ expensæ in demolitione,
6 ac reædificatione Campanilis? idcircò regulam esse sumendam, vel ab obligatione expendendi in restauranda Ecclesia; quia valet argumentum de toto ad partem. *l. Quæ de tota. ff. De rei vindicat.* Borgin. Cavalcan. *decis.* 24. *num.* 31. *part.* 3. Campanile autem est pars Ecclesiæ; vel à methodo faciendi ex-
7 pensas in refectione Campanarum; quia Campanæ sunt connexæ, & correlativæ Campanili; & pariter validè arguitur tùm à connexis, Barbos. *Axiom.* 51. *num.* 1. tùm ab his, quæ sunt inter se correlativa. Menochius *cons.* 33. *num.* 18. maximè quando est eadem ratio in utroque, ut in præsenti casu. Gratian. *Discept. Forens. cap.* 26. *num.* 5. Rota coram Cardin. Seraphino *decis.* 1442. *num.* 13. & in eo
8 intrat hæc alia Regula, quod idem est dicendum de conti-

Digitized by Google

continenti, ac de contento. *l. Certo generi. §. Si
locus. ff. De Servit. rustic. prædior.* Menoch. *conf.*
287. *num.* 19. & idem de Re ad locum, & è con-
tra. *l. penult. ff. de Just. & Jur.* Gratian. *ubi prox.
cap.* 128. *num.* 8. & Barbosa *in Locis Commun. loc.*
95. *num.* 3.

Igitur videndum, ad quos spectet de Jure facere
expensas pro restauranda Ecclesia? vel pro reficiendis
Campanis? Et circa has expensas quinque casus sunt
distinguendi.

Primus est, quando Ecclesia habet redditus pro-
prios, & separatos, pro Fabrica destinatos, & reli-
ctos; ut sunt plurimæ Ecclesiæ Parochiales, tàm in
hac Civitate Paduæ, qualis est illa S. Jacobi Apo-
9 stoli, ac S. Martini; quàm in hac Diæcesi, quæ ser-
vant dicta bona in propriis æstimis, & solvunt publi-
cas gravedines Dadiarum, Decimarum, & Subsi-
diorum; ut inter cæteras Parochialis Ecclesia San-
cte Thomæ de Curte, S. Zachariæ Capitisvici, de
qua egi supra *Discord. IV. num* 17. S. Bartholomæi Fos-
sati, S. Antonini de Mejaniga; S. Fidentii de Meja-
dino, & aliæ plurimæ, præter Collegiatas Montisi-
licis, Plebis Sacci, & Estensis; & in hoc casu con-
cors est omnium Canonistarum sententia, quod re-
10 stauratio Ecclesiæ, vel Campanarum, est facienda
expensis ipsius Fabricæ; nec populus, aut Parochus
est molestandus. Glossa *in cap.* 1. & ibi Hostien.
Abb. Ancharan. & cæteri omnes *De Eccles. ædific.*
Federicus de Senis *consil.* 224. Incipien. *Quædam
Plebs.* Aufrerius *in Addit. ad Capell. Tholosan. De-
cis.* 500. Lambertin. *de Jurepatron. lib.* 3. *quæst.* 7.
Paulus de Cittadinis *eod. tract. part.* 6. *art.* 5. *quæst.* 3.
à num. 3. *& seqq.* & alii plurimi, quos cumulat Spe-
rellus *decis.* 67. *num.* 1. & *decis.* 68. *num.* 23. ubi benè
advertit, quod si redditus Fabricæ, qui collecti ha-
bentur à Massario, non sint sufficientes pro restau-
ratione Ecclesiæ, vel Campanarum refectione fa-
cienda; in hoc casu recipi potest mutuò pecunia,
11 vel à Parocho, vel à populis pro opere necessario
complendo; & ea deindè est restituenda sequentibus
annis ex redditibus ejusdem Fabricæ, donec plenè
satisfacti sint hi, à quibus pecunia mutuò data fuit,
ut etiam docet Navarrus *de Spoliis Cleric.* §. 10. *in
fin.* Rebuff. *Resp.* 135. *per totum.* & Cenedus *in Col-
lect. Decretal. Collect.* 153. *sub num.* 3. *circa fin.*

Secundus Casus est, quando extat Statutum, vel
Constitutio Synodalis decernens ad quos spectet fa-
cere expensas in reparatione Ecclesiarum, vel Cam-
panarum refectione, aut refusione; nàm tunc regula
sumenda est ab ea, & juxtà illius dispositionem est
12 practicandum, ut scribunt Abbas in *d. cap.* 1. *num.* 3.
de Eccles. ædifican. Berous *conf.* 3. *num.* 3. *&* 4. *vol.* 1.
Sperell. *d. decis.* 67. *num.* 2. In hac Diæcesi Patavi-
na nullum latum est Decretum in Synodis præteri-
ti Sæculi decimiseptimi de his expensis; quia tan-
tummodò in Synodo, recolendæ memoriæ, Illustris-
simi, ac Reverendissimi Marci Cornelii, habita *An-
no* 1624. *part.* 3. *cap.* 12. agitur de nitore Ecclesia-
rum, Altarium, ac Campanilium, nec non de re-
verentia ijsdem, tanquam locis sacris, & immunita-
te Ecclesiasticâ gaudentibus, præstanda; sed de ex-
pensis in illis restaurandis, quando casus restauratio-
nis adveniat, nullum habetur verbum; ideò pro præ-
senti casu nulla directio haberi potest.

Tertius Casus est, si beneficium Parochiale sit te-
nue, itaut ex eo Parochus non habeat, nisi suam
congruam sustentationem; & in tali casu Parochia-
nos teneri ad contribuendas totas expensas restaura-
13 tionis, vel refusionis prædictæ, omnes Canonistæ
testantur, ea ratione, quia sicut ipsi ab Ecclesia col-
ligunt spiritualia, nempè Sacramenta, ac Divina
Officia, ita in eam resarciendam, ac de aliis neces-
sariis providendam refundere debent temporalia. *cap.
Si Episcopus. De Offic. Ordin. in* 6. Abbas *in cit. cap.* 1.
num. 4. *De Eccles. ædifican.* & ibi Ancharan. & cæ-
teri Canonistæ. Capella Tholosana *d. decis.* 500. &
alii congesti ab eodem Sperello *d. decis.* 67. *num.* 8.
& 9. ubi duo notabilia dicit. *Unum*, quod Paro-
14 chiani pauperes, qui pecuniam non possunt contri-
buere in Ecclesia restauranda, cogendi sunt persona-
liter laborare in eadem restauratione, ligna, calcem,
cæmenta, & alia necessaria, ac manualia opera por-
rigendo fabricæ Magistris, ut innuit Mainard. *decis.*
33. *Alterum*, quod in hoc casu Patroni Ecclesia-
rum, si ipsæ sint de Jurepatronatu, sunt præcipuè
adstringendi ad expensas prædictas, juxtà Sanctio-
15 nem Concilii Tridentini *sess.* 21. *de Ref. cap.* 7. cu-
jus hæc sunt verba: *Parochiales verò Ecclesias, etiam
si Jurispatronatus sint, ita collapsas refici, & instau-
rari (Episcopi) procurent ex fructibus, & proven-
tibus quibuscunque ad easdem Ecclesias quomodocun-
que pertinentibus; qui si non fuerint sufficientes, om-
nes Patronos, & alios, qui fructus aliquos ex dictis
Ecclesiis provenientes percipiunt; aut in illorum de-
fectum Parochianos omnibus remediis opportunis ad
prædicta cogant, quacunque appellatione, exemptio-
ne, & contradictione remota.* Ideò subdit Sperellus
d. decis. 67. *num.* 10. *&* 11. quod Episcopus in Visi-
tatione potest facere præceptum Patrono, ut infra
competentem terminum reparet Ecclesiam sub pœ-
na privationis Jurispatronatus, ut docet etiam Ge-
nuens. *in Manuali Pastor. cap.* 36. *sub num.* 1. & Lam-
bertin. *de Jurepatr. lib.* 3. *quæst.* 7. *art.* 5. *num.* 1. &
ratio illa est, quia etsi Patronus non exigat ab Ec-
clesia fructus temporales, habet in ea jus præsentan-
di Parochum, & tale Jus est fructus valdè copiosus
sui Jurispatronatus; quæ omnia intelligenda sunt si
Parochus sit pauper, secùs si habeat pingue benefi-
cium. Bartholom. Sylvaticus Nob. Patav. *tom.* 1.
conf. 45. *per tot.*

Quartus Casus est, quando beneficium est pingue;
& Parocho supersunt redditus ultrà ejus honestam
sustentationem; & tunc omnes Canonistæ volunt,
quod de Jure ipse obligatus sit facere omnes expen-
16 sas tùm in restauratione Ecclesiæ, tùm in refectio-
ne, ac refusione saltem unius Campanæ per *texx.
in cap.* 1. *De Eccles. ædific.* ubi sic: *Quicunque Ec-
clesiasticum beneficium habent, omninò adjuvent ad
tecta Ecclesiæ restauranda, vel ipsas emendandas.* Nec
non *in cap.* 4. *eod. tit.* ubi ita Alex. III. loquitur: *De
his, qui Parochiales Ecclesias habent, duximus res-
pondendum, quod ad reparationem, & instaurationem
Ecclesiarum cogi debent, cum opus fuerit, de bonis,
quæ sunt ipsius Ecclesiæ, si eis supersit, conferre; ut
eorum exemplo cæteri invitentur.* Quapropter ad has
expensas Parochos divites obligant Canonistæ super
dd. texx. scribentes, Abbas, Butrius, Ancharan.
Berous, & alii allegati ab eodem Sperello *d. decis.*
67. *num.* 5. cum quibus concordat Gonzalez *in Com-
ment. ad d. cap.* 1. *De Eccles. ædifican. tom.* 3. ubi
num. 8. hanc reddit rationem, quia Decimæ, ac alii
redditus annui, quos Parochi exigunt tanquam ad
suum beneficium spectantes, sunt intrinsecùs obliga-
17 ti ad servandam Ecclesiam sartam, tectam, & be-
nè custoditam; & habent hoc onus reale reparatio-
nis, *argum. l. Si me; & Titium. ff. Si cert. petat.* ad-
instar Usufructuarii, qui ex bonis sui Ususfructus
tenetur tecta sarta tenere. Sylvaticus *d. conf.* 45. &
Thomatus Rotæ Maceraten. *decis.* 5. *num.* 4. Dixi
saltem unius Campanæ, quia ut scripsi in dd. meis
Decisionibus *De Sacrific. Missæ. Decis.* 45. *num.* 58.
Parochus de Jure non tenetur ad emptionem, &
refectionem nisi unius tantùm Campanæ. Surdus
18 *conf.* 62. *num.* 5. Genuensis *in Practicabil. Eccles.
quæst.* 249. *num.* 6. & Tondutus *Resol. benefic. part.* 3.
cap. 133. *num.* 4. *&* 5. ea ratione, quia unica Cam-
pana sufficit Parochis, & Clericis, ut munus suum
adimpleant in convocando populo ad divina.

Quintus Casus est, si adsit consuetudo circa for-
mam, ac methodum harum expensarum; nam sive

Oo 2 per

Digitized by Google

per eam omnes expensæ tribuantur Parocho, sivè
omnes spectent ad populum; sivè etiam certa por-
tio uni, certa portio alteri conveniat; ipsa consue-
19 tudo est omninò servanda, ut concorditer volunt
DD. Hostien. Butr. Ancharan. & alii *in d. cap.* 1.
De Eccles. ædific. & in specie Abb *num.* 3 Capella
Tholos. *d. decis.* 500. Genuensis *in Praxi Cur. Nea-
polit. Archiep. cap.* 109. *in fine*. Surd. *cons.* 62. *num.*
16. *vol.* 1. Belletus *Disquisit. Cleric. tit. De Clerico
debitore cap.* 13. *num.* 3. & 4. quibus adhæsit Rota
part. 1. *recent. decis.* 627. *num.* 1. *in fin.* & breviter,
sed appositè, Diana Coordinatus *tom.* 6. *tract.* 2. *re-
sol.* 39. sumpta ex operis ejus inordinati *part.* 8 *tract.* 7.
resol. 16. ubi alios DD. citat; prout facit idem Spe-
rellus *d. decis.* 67. *num.* 3. qui postea *num.* 20. adver-
tit, quod alleganti consuetudinem incumbit onus il-
lam probandi cum his tribus requisitis, nempè cum
20 actuum frequentia, cum temporis diuturnitate,
& cum majoris partis populi consensu ex DD. quos
ibi allegat, ex Afflict. *decis.* 321. *num.* 18. & ex
Rota *part.* 1. *recent. decis.* 255. *num* 4. nec non *part.* 2.
recent. decis. 497. *num.* 2.

His ita prænotatis deveniendo ad Responsum
Quæsiti, mihi per Reverendissimum Abbatem Mo-
nasterii Prataleæ propositi, dixi ipsum non posse se
eximere ab expensis demolitionis Campanilis Paro-
chialis Ecclesiæ Tencarolæ minantis ruinam, ac
21 ejus reædificationis, per ea, quæ notata sunt in ter-
tio, quarto, & quinto casu. Siquidem (omissis
primo, & secundo, cum nec redditus Fabricæ habean-
tur, nec aliquod Statutum, aut Synodale Decre-
tum;) si habentes Juspatronatus in Ecclesia, &
jus præsentandi Parochum ad illam, tenentur con-
currere ad restaurationem Ecclesiæ, & sic ad Cam-
panile, quod est pars ejusdem Ecclesiæ, ut proba-
tum est in tertio casu; multò magis ad restauran-
dam Ecclesiam, ipsumque Campanile censendum est
obligatum Monasterium Prataleæ, de cujus Mensa
est antedicta Curata Ecclesia Tencarolæ; & ad quod
spectat præsentare Parochum pro tempore vigore suæ
Mensalitatis, & Unionis perpetuæ, quæ est quid ma-
gis, quàm Juspatronatus Laicorum, & in terminis
22 hujus casus, ita esse declaratum à Sacra Congrega-
tione Concilii *die* 29. *Februarii* 1601. testatur Nico-
lius *in Lucubrat. Canonic. lib.* 3. *tit.* 48. *num* 2. his ver-
bis: *Si Ecclesia præsertim Parochialis sit Membrum
alicujus Abbatiæ, debet restaurari ex fructibus Ec-
clesiæ principalis*. Ergo ex fructibus, ac redditibus
ejusdem opulentissimi Monasterii Prataleæ devenien-
dum est ad prædictam Campanilis restaurationem,
tanquam partem ejusdem Ecclesiæ.

Accedunt ulteriùs doctrinæ, ac rationes in quarto
casu consideratæ, scilicèt abundantia redditmum,
quos ipsa Ecclesia Tencarolæ possidet in eadem Vil-
la; & qui annuatim percipiuntur ab eodem Mona-
sterio vigore donationis antiquæ ei factæ à DD. Co-
mitibus de Maltraversis, ut notatum est *supr. num.* 3.
Nam sub dicta Parochia Monasterium Prataleæ pos-
sidet amplissimas Possessiones, Campos, ac Deci-
mas; quorum fructus sunt hoc onere reali gravati,
23 restaurandi scilicèt Ecclesiam, ac Campanile ex tra-
ditis per Gonzalez in *d. cap.* 1. *De Eccles. ædific. n.* 8.
per Bartholom. Sylvaticum Nob. Patavin. *tom.* 1. *d.
cons.* 45. *per tot.* & per Thomat. Rotæ Maceraten.
d. decis. 5. *num.* 4. *tom.* 1. & si aliter diceremus, veni-
ret in Monachos objurgatio, quam Jurisconsultus
in l. unica. §. *Pro secundo. C. de Caduc. tollen.* inve-
hit, dicens, *Non sunt audiendi, qui lucrum quidem
amplectuntur, onus autem ei annexum respuunt*; quod
est contra regulam *l. Secundum naturam. ff. de Reg.
Jur.*

Et tantò magis dicendum est, expensas pro refa-
bricando Campanili spectare ad Monasterium Pra-
taleæ; quò certius est, ipsum ex antiqua consuetudi-
ne esse solitum tenere sartam, tectam ipsam Eccle-
23 siam Parochialem Tencarolæ; quâ consuetudine at-
tentâ non sunt adigendi populi ad faciendas expensas
novi Campanilis, quia ut dictum est *supr. num.* 19.
in hac Discordia inter Parochos, & Parochianos, re-
gula principalis est ipsa consuetudo; à qua non est re-
cedendum, ut latè probat etiam Natta *cons.* 447.
per tot. & differit Tondutus *d. part.* 1. *cap.* 38. *num* 9.
Nec prodesse potest Monasterio Prataleæ, si dicat,
24 se quidem consuevisse reparare propriis expensis Ec-
clesiam, non autem Campanile; quia cum Campa-
nile sit pars Ecclesiæ, valet argumentum de toto ad
partem. Lambertin. *de Jurepatron. d. lib.* 3. *art.* 3.
quæst. 7. Paulus de Cittadin. *eod. tract. in* 5. *princ. art.
num.* 174. Surdus *d. cons.* 62. *num.* 8. & alii, quos cu-
mulat Thomat. *d. decis.* 5. *num.* 5. & sicut Consuetu-
do obligat ipsum Monasterium ad faciendas expensas
pro restauratione Ecclesiæ, idem dicere oportet de re-
staurationе Campanilis, quod est ejus pars, & est eidem
Ecclesiæ connexum; nam de connexis idem est judi-
cium. DD. quos allegat, & sequitur Barbosa *d. A-
xiom.* 51. *num.* 1.

Est tamen verum, quod sicut de Jure Parochus non
tenetur conservare in Campanili nisi unam Campa-
nam, ut notatum est supra *num.* 18. & scribit Jo: de
Selva *de Benefic. quæst* 5. *num.* 82. & Tuscus *de Visitat.
lib.* 1. *cap.* 14 *num.* 5. quos refert, & sequitur Tondutus
d. part. 1. *cap.* 38. *num.* 16. & pluralitas Campanarum
in facto deservit pro majori Parochianorum utilitate,
quarum sonitu fugantur tempestates, & terrentur
25 dæmones illas excitantes, ut ostendi *de Sacrificio
Missæ d. Decis.* 54. *num.* 60. ubi pulchra exempla ex pro-
batis auctoribus retuli, ibi videnda, idcircò in præsenti
casu conveniens est, ut sicut populi concurrunt in ex-
pensis plurium Campanarum; ita non recusent contri-
buere aliquam honestam summam pecuniæ in refabri-
26 catione Campanilis, in quo sunt reponendæ ipsæ Cam-
panæ; quæ cum habeant relationem ad illud, & sine
eo forent inutiles, nec influerent in prædictam totius
populi utilitatem, nisi staret erectum Campanile;
propterea etiam de Jure videntur obligati ad quandam
contributionem tùm in pecunia, tùm in operibus ma-
nualibus prædictæ refabricationis, quia valet argu-
mentum de continenti ad contentum. *d. l. Certo gene-
27 ri*. §. *Si locus. ff. De Servit. rustic. prædior.* prout
etiam de Re ad locum, in quo ipsa res est colloca-
da, ac tenenda. Barbosa *in Locis com. loc.* 95. *num.* 3.
& correlativorum, qualia sunt Campanilia, & Cam-
panæ, eadem juris dispositio servari debet, maximè
quando est eadem ratio, motivum, & finis, prout
in præsenti casu, ex DD. *cit. supr. n.* 7. & 8. Quare &c.

DISCORDIA C.

ARGUMENTUM.

Edocentur Episcopi decem & octo eorum præcipuas obligationes, expressas in Litterâ Encyclicâ Innocentii Papæ XI. *diei* 5. *Februarii* 1678. & referuntur septem Libri, quos adhibebat Emin. Card. Barbadicus Episcopus Patavinus pro bono regimine sui Episcopatus.

SUMMARIUM.

1 *Marcus Ant. Zollius Episcopus Cremen. laudatus.*

2 *Episcopi observent Epistolam Encyclicam Innoc. XI. & septem Libros Card. Barbadici.*

3 *Epistola Card. Carpinei ad Card. Barbadicum Episcopum Paduæ.*

4 *Epistola Encyclica Innoc. XI. ad omnes Episcopos* diei 5. Febr. 1678.

5 *Monita* 18. *data Episcopis ab ipso Innoc. XI. in d. Epistola.*

6 Hi-

Digitized by Google

CUm pervenisset Romà Patavium *Anno* 1680 Illustrissimus, ac Reverendissimus Marcus Antonius Zollius creatus Episcopus Cremensis à Sanctissimo
1 D. N. Innocentio XI. ac hospitaretur apud Eminentissimum, ac Reverendissimum Dominum meum Gregorium Cardinalem Barbadicum in hoc Episcopali Palatio, essetque Prælatus religiosissimus, timoratæ conscientiæ, ac zelantissimus benè adimplendi Officium suum Pastorale Cremæ in Regimine illius Ecclesiæ, ac Diæcesis, non dedignatus fuit à me poscere monita ad prædictum effectum; ajebat, enim Discordes esse Libros in indicanda methodo agendorum ab Episcopis, ut salvent animam suam. Huic piissimæ interpellationi humillimè respondi, duo tantùm me posse suggerere Illustrissimæ, ac Reverendissimæ Dominationi suæ; Unum, quod frequenter legeret, & adamussim exequeretur Litte-
2 ram Encyclicam SS. D. N. Innocentii XI. *diei* 5. *Februarii Anni* 1678. ad omnes Archiepiscopos, & Episcopos transmissam. Alterum, quod adhiberet septem Libros, quibus utebatur Eminentissimus supradictus Cardinalis Herus meus, de quibus plena habetur relatio in meis Decisionibus *De Sacramento Ordinis Decis.* 39. *per totam*. Placuit prædicto Antistiti utrumque monitum, ac utriusque datum fuit sequens transumptum.

Padova. Al Signor Cardinale Vescovo.

Eminentiss. & Reverendiss. Signor mio Osser.

PEr ordine espresso della Santità di Nostro Signore si è scritta la congionta Lettera circolare à tutti li Arcivescovi, e Vescovi. Ne trasmetto copia à
3 Vostra Eminenza, non perche venga stimato necessario; mentre è nota la di lei singolare vigilanza, & attentione, con la quale Ella governa cotesta sua Diocese: mà bensì per sua sola notitia, & affinche sia partecipe del sommo Zelo di Sua Beatitudine, col quale invigila al governo della Chiesa universale. E le bacio per fine humilmente le mani. Roma 5. Febraro 1678.

Di Vostra Eminenza

Umilissimo, & Affezionatiss. Serv.
Il Cardinale Gaspare Carpegna.

ILlustre, e Molto Reverendo Monsignore come fratello. Tra li gravissimi pensieri, ne quali per l'ottimo governo della Chiesa Universale stà fissa la mente di Nostro Signore, si è, di porre ogni studio,
4 e di adoperare ogni mezzo, che i Pastori delle Chiese particolari, come membra del Capo, adempino bene il loro Pastorale Officio, dal quale dipende la Santificatione dell' Anime, alla loro cura commesse. Per tanto la somma Paterna Providenza della Santità sua volendo, che le parti del Ministerio Vescovale siano inviolabilmente pratticate con quella esatta osservanza, che la gravità della materia richiede, hà con l'Oracolo della sua viva voce ordinato, che si scriva à V. S. & à tutti gl'altri Arcivescovi, e Vescovi la presente Lettera circolare, che servirà ad eccitare chi hà bisogno di stimolo ad instradarsi nella via del Signore; & à maggiormente infervorare chi vi camina.

Di ordine dunque espresso di Sua Beatitudine si ricorda primieramente l'obligo della residenza de
A Vescovi, e le pene, che contro li non residenti si trovano, particolarmente dalla Bolla della S. M. di Urbano VIII. prescritte. Et inherendo la Santità Sua à dettami del Sacro Concilio di Trento, e delle Constitutioni Apostoliche esorta, ammonisce, e comanda à Vescovi, che ricordandosi essere essi la forma del Clero d'onde si traggono gl'esempii da imitare, procurino tanto nell' interno, quanto nell'
B esterno quella modestia, e sobrietà negl'habiti, nelle mense, nelle suppellettili, & in tutte le azioni, che spiri Santimonia proporzionata alla perfezione del loro alto stato. E considerando, che chi non sà governare i proprii domestici, difficilmente sarà habile al
C governo degl'altri; invigilino sopra la vita, e costumi de loro Familiari, acciòche siano tali, quali devono essere i Ministri de i Ministri d'Iddio. E con non dissimile accuratezza habbino gl'occhi à Ministri delle loro Curie, come à Vicarii Generali, e Foranei; à Cancellieri, & altri Officiali; acciòche con
D integrità, fedeltà, e senza sospetto d'avarizia esercitino li loro carichi. Nell' amministratione della Giustizia, & anco nelle cose di Grazia pospon ghino affatto ogni humano rispetto, acciòche siano fedeli amministratori di quello, che è stato loro fidato da Dio. Nelle correzioni de' sudditi habbino il solo riguardo all' emendatione de' costumi, & all' estirpatione degl'abusi: e ricordandosi d'essere Pastori, e
E non percussori, non tralascino di premettere opportunamente le paterne ammonitioni, alle quali quando il caso richiede, che si aggiunga il rigore, avvertino che questo sia mischiato sempre con la Paterna soavità.

Accioche cessi ne i Vescovi non solamente quel vizio, che è radice di tutti i mali, cioè l'Avarizia, mà anco il sospetto, tenghino nette le mani da ogni qualunque cosa, che possa dar' ombra di essa;
F e quando occorre punire li delinquenti con pene pecuniarie, per queste si tenga un fedele Depositario, ad effetto d'impiegarle conforme prescrive il Sacro Concilio. Avvertino, che le speditioni di cose Spirituali, come d'amministratione de' Sacramenti, di predicare la parola di Dio, di Scommuniche, e di altre cose somiglianti, si devono fare
G gratis omninamente etiam da loro Ministri. Et in quelle, che à medesimi Ministri è lecito di ricevere la mercede prescritta dal Sacro Concilio Tridentino per la sola manuale fatica della scrittura, come di Bolle de Beneficii, di collatione d'Ordini, essi Vescovi non partecipino d'alcuna cosa nè diretta, nè indirettamente. Si ricordino, che delle
H rendite delle Chiese non sono Padroni, mà semplici Amministratori; e che con esse, detratta la sostentatione de Vescovi, non hanno che fare li loro Parenti, nè convertirsi in usi profani; ma impiegarsi in uso de Poveri, e de Luochi pii, à quali sono dovute.

Non tralascino ne i tempi prescritti le Visite delle Diocesi, e le celebrationi de Sinodi; e faccino queste funzioni, che sono delle primarie con oggetto, & attenta reflessione di rimediare à gl'
I abusi, d'instaurare la disciplina Ecclesiastica, ove è rilassata, e d'introdurla ove è affatto scaduta. Invigilino e con occasione delle Visite, & in ogni altro tempo ancora, all' esecutione delle pie Volontà de Testatori, procurando in tal materia un' esatta osser-
vanza

Digitized by Google

vanza de Decreti generali emanati dalla Sacra Congregatione del Concilio. Avvertino nelle Visite di non gravare i Visitati di spese più di quello è lecito per li soli alimenti proprii, e della loro Comitiva, che doverà essere modesta.

Habbino speciale sollecitudine di far crescere gl' Alumni ne i Seminarii con farli instruire nella pietà, e nelle lettere, osservando quanto in tal materia è
K stato providamente prescritto dal S. Concilio di Trento. Non ascrivino alla Militia Clericale, se non quelli che si può congetturare, che eleghino questo stato non per altro fine, che per servire al Signore Dio. Nè à gl' Ordini maggiori promovino se non soggetti; la bontà, e dottrina de quali sia stata precedentemente provata, osservandosi gl' interstitii de tempi; nella quale gravissima materia dell' impositione delle mani tanto più devono invigilare, quanto troppo lagrimevole, e di grandissimo scandalo nella Chiesa d'Iddio sarebbe il promovere à Sacri Ordini persone senza spirito Ecclesiastico, & indegne per ignoranza, e per cattiva vita; e vederle poi ministrare nel Sacro Altare. Habbino à cuore il culto Divino nelle Chiese, procurando la policia ne gl' Altari. Nella celebratione de' Divini Officii nel Choro invigilino, che si stia con quella riverenza, rispetto, e devotione, che si deve in lodare la Maestà Divina.

Ponghino ogni più esatto studio in fare sì, che il Sagrificio della Messa si celebri con quella riverenza, e decoro, che si può maggiore; procurando, che li
L Sacerdoti nel Sacro Altare non siano frettolosi, si vegghino in habito, e tonsura decente, con rimovere gl' abusi, che circa le ceremonie Sacre, & altro fossero insorti in questo Divino Ministerio.

Ad udire le Sacramentali Confessioni non ammettino se non quelli, che precedente una diligentissima
M perquisitione saranno trovati per dottrina, per costumi, e per altre qualità essere non indegni di sì grave Ministerio. Non trascurino di preeleggere buoni Parochi, che sono li loro Coadjutori nel reggimento delle Anime: e nelle collationi d'altri beneficii ò siano di residenza, ò semplici, ò di qualsivoglia sor-
N te, non si movino da affetti, ò rispetti humani; ma habbino puramente avanti gli occhi la virtù, i meriti, & altre qualità di quelli, à quali devono conferirsi. Invigilino, che gl' istessi Parochi non s'allontanino dalle loro residenze; che siano diligenti nell' essercitare la cura delle Anime; e che particolarmente non trascurino di cibarle frequentemente
O col pane della Parola di Dio; spiegando à fanciulli, & ad altri, che ne haveranno di bisogno i rudimenti della nostra Santa Fede; al qual' effetto doveranno espressamente sotto gravi, e rigorose pene ordinare alli Parochi delle loro Diocesi, che tutte le Domeniche, e altre Feste di Precetto insegnino con particolare attentione la Dottrina Christiana tanto necessaria alla salute dell' Anime.

Siano essi Vescovi diligenti, & acerrimi defensori dell' Immunità Ecclesiastica, procurandone con rime-
P dii giuridici la reintegratione ne i casi, ne' quali occorresse, che restasse violata; e crescendo la contumacia delli poco obbedienti diano parte à Roma per ricevere le risolutioni più vigorose. Si faccino da Vicarii Foranei tenere avisati di tutto ciò, che occorra ne i luoghi bisognosi di provedimento. Promovino con ogni studio la disciplina, & osservanza
Q Regolare ne i Monasterii delle Spose di Christo, rimovendo tutti quelli impedimenti, che possono rilassarla, massimamente per gl' accessi à Parlatorii, ò alle Chiese medeme; dalle quali si devono tenere lontani i concorsi; particolarmente per occasione di celebrationi di Feste, le quali si devono fare con apparato grave, e divoto.

Ricorda Nostro Signore l'obligo di rendere alla Santa Sede il dovuto ossequio con la visita de Sacri Li-
R mini ne i tempi prescritti dalla Bolla della S. M. di Sisto V. con l'esibitione delle Relationi dello stato delle loro Chiese, rendendo in tal maniera al Vicario di Christo un' esatto conto della loro Pastorale amministratione. E ricorda in fine la Santità Sua il più stret-
S to rendimento di conto, che à Christo istesso doverà ogn' uno dare delle Anime alla loro cura commesse; acciòche nè per il mal esempio, nè per mal governo, nè per negligenza, ò per qualsisia altra cagione ne perisca alcuna. Al qual' fine giovando l'osservanza di questi avertimenti, che per hora vengono dati dal paterno, e fervente zelo di Sua Beatitudine, V. S. procuri d'approfittarsene in tutto ciò, che dopò una seria riflessione al suo governo, ne potesse havere bisogno; e le prego dal Signore Dio ogni vera gratia.

Roma 5. Febraro 1678.

Di V. S.

Come Fratello

Il Cardinale Gaspare Carpegna.

HAc Epistolâ per antedictum religiosissimum Cremen. Antistitem perlectâ, non sine suspirio dixit, Discordia magna est inter Theoricam, & Praxim; inter ea, quæ fiunt, & quæ fieri debent ab animarum Pastoribus; voluitque monita in eâdem Epistolâ contenta in Summarium reducere; & reperta sunt de-
5 cem, & octo, juxtà sequentes notas, ac numeros. *A.* 1. Episcopi omninò in suis Ecclesiis resideant. *B.* 2. Parcè, ac modestè vivant in vestibus, suppellectilibus, ac mensa. *C.* 3. Familiam morigeratam teneant. *D.* 4. Vicarios, Cancellarios, ac alios Ministros alienos ab omni avaritia habeant. *E.* 5. Errantes corrigant semper in charitate, ac suavitate. *F.* 6. Ipsi Episcopi abstineant prorsùs à quibuscunque donativis. Mulctæ pecuniariæ judiciales pauperibus, ac locis piis dentur. *G.* 7. Gratis dare faciant omnes Patentes rerum spiritualium. In reliquis eorum Notarii, & Cancellarii servent taxam ipsius Innocentii XI. *H.* 8. Meminerint Episcopi, se dominos non esse redditum Episcopatus, ideò eos non parentibus, sed pauperibus distribuendos. *I.* 9. Solliciti sint in visitanda Diæcesi, Synodis celebrandis; ac in abusibus tollendis. Visitantes utantur modico comitatu, & nimiis expensis cibariis non aggravent subditos. *K.* 10. Clericos alumnos Seminarii piè, ac doctè educare faciant. Ad Ordines non admittant, nisi Deo famulaturos. Ab Ordinibus penitùs reijciant ignaros, flagitiosos, ac Spiritum Ecclesiasticum non habentes. *L.* 11. Satagant, ut Sacrosanctum Missæ Sacrificium ab omnibus piè, ac devotè, non cursim, aut à non tonsuratis, vel sine talari veste Sacerdotibus celebretur. *M.* 12. Ad audiendas Sacramentales Confessiones doctos, ac probos tantùm viros, prævio rigoroso examine, admittant. *N.* 13. Optimos Parochos præcipuè eligant: & beneficia benemeritis solummodò conferant. *O.* 14. Eosdem Parochos assiduos in suo Officio esse faciant, præcipuè in prædicando, & in docendo pueros Doctrinam Christianam. *P.* 15. Immunitatem Ecclesiasticam custodiant. *Q.* 16. Ac regularem observantiam in Monasteriis Monialium, ab eis accessus virorum fortiter retrahendo. *R.* 17. Ne deserant Episcopi singulis triennijs ad Sacra Limina accedere, & statum Ecclesiarum suarum fideliter narrare. *S.* 18. Recordentur tandem strictissimam rationem se Christo Domino reddituros de singulis animabus eorum curæ Pastorali commissis.

Has obligationes Episcoporum indispensabiles esse nemo ignorat; idcircò si quis in earum aliqua deficiat, evidens est æternæ salutis dispendium. Hinc Hilammonem Sanctum Eremitam ad Episcopatum
6 acceptandum cum Theophilus Episcopus Alexandrinus urgeret, sequenti mane, sic eum à Deo flagitantem, mortuum reperit, ut ex Sozomeno *lib.* 8. *cap.* 10.

Digitized by Google

cap. 10 narrat Emin. Cardin. Baronius *Ann.* 402. *num.* 22. subdens: *Voluit Deus hujusmodi exemplo*
7 *cunctis significare, quàm periculosa esset Episcopalis Præfectura; ut præstet interdum mori, quàm in maximum discrimen adduci.* Plurimorum insignium Virorum, qui his obligationibus territi vel recusarunt, vel deposuerunt Pastorales Infulas, exempla narrantur à Paulo Aringhio in *Select. Pœnit. mortib. lib.* 3. *cap.* 5. qui *num.* 17. ex testimonio Emin. Card. Bellarmini affirmat, quod Confessarius à quodam Antistite ægrotante requisivit, *An conscientia ejus satis parata esset?* Cui ille respondit: *Per gratiam Dei nihil grave sibi occurrere, quod in Deum se commisisse ab ultima confessione meminisset.* Tunc addidit Sacer-
8 dos: *An conscientia omissionum eum reprehenderet?* His auditis: *Ingemuit bonus Episcopus, & ait, verè omissiones me non parùm exterrent, & his dictis cœperunt oculi ejus profundere flumina lacrymarum.* Undè subdit Auctor prædictus: *Ingens siquidem severioris, ad justum Dei Tribunal, trutinæ metus, & cura Episcopo incumbat.* Sed ut revertar ad Prælatum Cremen. à quo incœpi, voluit ipse exactam notitiam habere septem Librorum, quibus utebatur S. M. Eminentiss. Cardinalis Barbadicus Patavinus Episco-
9 pus, ne suis obligationibus Pastoralibus deficeret; & quorum ego, tunc ejus Auditor Generalis, scriptor, ac custos eram. Eosdem exhibui Dominationi suæ Illustrissimæ, ac Reverendissimæ, quæ illos attentissimè inspexit, ac consideravit, & erant sequentes.

Primus erat Liber status Animarum, in quo annuatim post octavam Paschatis Resurrectionis notabantur per Alphabetum omnes Ecclesiæ Parochiales tùm Civitatis, tùm Diœcesis Patavinæ; & ad eas singulas, juxtà annuam relationem, quam eo tempore omnes Parochi dabant, scriptus erat nu-
10 merus omnium animarum illius Parochiæ; Quot animæ aptæ ad Sanctissimam Communionem? Quot eo anno, prævia matura, & diligenti instructione per Parochos facta, essent animæ noviter communicatæ? Quot essent pueri, & puellæ aptæ ad discendam Doctrinam Christianam? Et quot essent sub illa Parochia inconfessi? De quibus omnibus formulam posui in Decisionibus *De Sacramento Ordinis Decis.* 39. *num.* 8. Ex hoc Libro tres resultabant utilissimæ notitiæ ad favorem Episcopalis sollicitudinis Heri mei Eminentissimi. *Una* erat certus numerus Animarum Civitatis, ac Diœcesis ejus Pastorali Curæ subjectarum. *Altera*, quod ubi reperiebantur inconfessi, qui Præcepto annuæ Confessionis, ac Communionis non satisfecerant; Litteris Pastoralibus, ac reiteratis paternis monitionibus urgebantur, donec Præceptum adimplerent; & de eorum conversione in dicto Libro memoria scribebatur. *Tertia* erat certissima notitia, quam retrahebat Eminentissimus Præsul, An benè procederet opus Doctrinæ Christianæ, dum ex relationibus menstruis Parochorum cum numero puerorum, ac puellarum, qui, & quæ accesserant ad eam discendam; fiebat confrontatio cum numero illorum, & illarum in hoc Libro descriptorum, & descriptarum, qui tenebant eam ediscere; & ubi diminutio numeri reperiebatur in paginis menstruis, acres erant reprehensiones ad Parochos, & fervida excitamenta ad hoc pium opus. Idcircò

Secundus Liber continebat statum Doctrinæ Christianæ, cujus operis incomparabilis erat sollicitudo Eminentiæ Suæ. In hoc Libro singulis mensibus, ut
11 dictum est, sub omni Parochia notabatur numerus puerorum, ac puellarum; qui, & quæ eo mense intervenerant ad Doctrinam Christianam ediscendam. Confrontabatur hic numerus cum numero notato in Libro status animarum; & resultabat ex hoc evidens cognitio vel diligentiæ, vel negligentiæ Parochorum; quibus singulis mensibus transmittebantur Litteræ ab Eminentia sua subscriptæ, vel in laudem satagentium, vel in monitionem minùs sollicitorum. Notabatur etiam omni Mense numerus Magistrorum coadjuvantium opus Doctrinæ Christianæ.

Tertius Liber complectebatur statum totius Cleri Paduani; in quo descriptæ erant omnes Parochiæ, & sub unaquaque ipsarum positus erat nomen, & cognomen cujuscunque Presbyteri, Diaconi, Subdia-
12 còni, & inferiorum Clericorum sub illa habitantium, cum expressione studiorum, munerum, & exercitiorum uniuscujuscunque; & de his omnibus attentissima erat Eminentissimi Præsulis memoria; adeòut de unoquoque sciebat qualis, & quanta esset sufficientia.

Quartus Liber continebat statum Confessariorum. Hic erat divisus in duos Tomos, in quorum primo notabantur examina Confessariorum sæcularium; in
13 secundo Regularium. Ex his Libris magnus resultabat Labor tùm in examinandis Confessariis circa casus Conscientiæ, tùm in annotandis eorum studiis, quibus obligabantur pro futuris examinibus juxtà omnium indigentiam. Maxima tamen erat spiritualis utilitas, quia his cautelis, ac observationibus Confessarii adjuti proficiebant in studio Theologiæ Moralis; & his, cujus nullus reperiebatur profectus, approbatio pro audiendis confessionibus denegabatur.

Quintus Liber erat de Studio casuum Conscientiæ, ac Prudentiæ, in principio cujusque anni singulis Parochis, ac Confessariis pro resolutione transmissorum, ex quorum responsionibus, quæ menstrua-
14 tim per me à Vicariis Foraneis recipiebantur, constabat virtus, scientia, & studium Parochorum, ac Confessariorum; & ex eorundem scriptis decerptæ sunt per me Decisiones meæ typis in tomis octo impressæ, non sine utilitate, ac plausu studentium.

Sextus Liber continebat statum causarum civilium, ac criminalium in Tribunali hujus Episcopatus vertentium; ex cujus inspectione Eminentissimus Cardi-
15 nalis Episcopus cognoscebat, an solliciti essent Judices in earum expeditione, & an rectam justitiam administrarent.

Septimus tandem Liber continebat statum rerum Œconomicarum, & reddituum Episcopalium, ad quorum religiosam directionem deputata erat ab Eminentia Sua una Congregatio trium Ecclesiasticorum, & trium Civium Nobilium ex principalioribus hujus
16 Civitatis; in qua Congregatione, quæ singulis hebdomadis tenebatur vel coram Eminentia Sua, vel eâ impeditâ, coram ejus Vicario generali, decidebantur dubia occurrentia vel circa Lites emergentes, vel circa locationes bonorum renovandas, vel alia concernentia exactionem Decimarum, fructuum, livellorum, & affictuum ad Mensam Episcopalem spectantium; aut expensas ordinarias, & extraordinarias eorum causa faciendas; & juxtà decreta hujus Congregationis, quæ in hoc Libro registrabantur, Factor generalis Episcopatus, & alii Agentes subalterni operabantur, & Eminentia Sua levamen multum reportabat ab onere rerum temporalium; cum tranquillitate conscientiæ suæ ob integritatem, prudentiam, & experientiam trium Nobilium Virorum in hac Congregatione intervenientium, de quibus dixi *de Sacram. Ordin. d. decis.* 39. *num.* 23.

His visis, ac intellectis Libris, Cremam profectus est antedictus Antistes, & ad eorum imitationem regimen illius Diœcesis composuit, ac prudentissimè gubernavit.

F I N I S.

Digitized by Google



INDEX

Digitized by Google

INDEX
VERBORUM, ET RERUM NOTABILIUM HUJUS OPERIS.

Littera D. significat Discordiam; primus numerus Discordiam ipsam: reliqui sunt numeri ejusdem Discordiæ.

A



Item

Digitized by Google

Digitized by Google

C

Canoni-

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Idem

Digitized by Google

Digitized by Google

D

Digitized by Google

Digitized by Google

E

Digitized by Google

Ejusdem

Digitized by Google

G

Digitized by Google

Digitized by Google

Insignia,

Digitized by Google

Magis

Digitized by Google

M

Digitized by Google

N

Nuncia-

Digitized by Google

alia

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Tri-

Digitized by Google

Unio

Digitized by Google

FINIS.

Digitized by Google